21. July. 1655.
to Fr: Bowman
for this Book in
quire — 7s. 0.
Septr. 8th. to
Ral: Beckford
for binding it
— 2s.

In toto — 8s. —

Tho. Smith.

… ORIA
GOTTHORVM,
VANDALORVM,
& LANGOBARDORVM:

Ab

HVGONE GROTIO

partim versa, partim in ordinem digesta.

Præmissa sunt ejusdem

PROLEGOMENA.

Vbi Regum Gotthorum Ordo & Chronologia, cum Elogiis.

Accedunt

NOMINA APPELLATIVA

& verba Gotthica, Vandalica, Langobardica, cum Explicatiône.

Auctorum omnium ordinem Tabula Contentorum indicat.

2219



AMSTELODAMI,
Apud Ludovicum Elzevirium,
CIƆ IƆC LV.

#4



TYPOGRAPHUS

LECTORI S.

Vir amplissimus, HUGO GROTIUS, *qui fuit Coronæ Suecicæ ad Galliæ Regem Legatus, in animo sibi proposuerat, quidquid historiarum de gentibus Gotthicis & Geticis, Vandalicis item, & Langobardicis, colligi posset, id omne in uno volumine digestum, posteritati, ceu monumentum bonæ voluntatis, relinquere. Quod non tantum pulchre, sed & opipare, successit, quàm diu huic vitæ superstes erat. De suo enim ante omnia è Græco ille vertit Hi-*

storiam Vandalicam Gotthicamque Procopii è Cæsareâ Palæstinæ, oratoris & sophistæ; ejus, qui Belizario, magni Iustiniani magno imperatori ad Italos, Afros, Persasque Legato, perpetuus ac fidus adsessor fuit; & qui ea propter omnia & singula quàm accuratissime summâque fide literis pertexuit, & memoriæ mandavit. De reliquo, ex hac Latinâ versione de stylo tanti Viri, vere historico, qui sibi ipsis apud sese hactenus nondum satisfacere quiti sunt, nunc absque caligine, ceu per saturam, perfectum judicium sunt assecuturi; de eruditione quoque vel hunc in modum, si Græcum Procopii contextum cum hac Grotianâ versione contendent. Procopii libris Excerpta subjunxit illa ex Agathiâ, quæ Historiam Procopii continuant

tinuant, itidem è Græco Latine versa. Toti Operi præmissa sunt Prolegomena; quæ Introductionis instar erunt Lectori, ad omnem historiam Gotthicam, Vandalicam, Langobardicam, Sueonicam, Scythicam, cum aliis quæ dependent, rimandam. In his Prolegomenis continentur & Ordo Regum Gotthorum, & Elogia. Post illa de Legibus variorum Gotthorum, Vandalorum, Langobardorum, absolutum Commentarium addendi propositum habebat; quemadmodum in jam dictis Prolegomenis, paginâ sexagesimâ tertiâ, est videre. Verùm ohe, dum hæc agit, paucioribus ereptus incomparabilis GROTIVS, *ad plureis concessit. Ergò, de quibus Legibus Commentarium singularem vulgavit Lindenbrogius, vir*

in omni historia literaturaque summus, studiosum Lectorem eò remittimus. Vnum adhuc à GROTIO *Tractatum habebamus, Omnium nominum appellativorum, ac verborum, aliorumque vocabulorum Gotthicorum, Vandalicorum, & Langobardicorum Syllabum, quæ in Procopio & Agathia leguntur. Eum subjecimus. Iornandem, Isidorum, Paulum Diaconum, quorum ipse dicto loco Prolegomenorum facit mentionem, quoniam ab eo habere nequivimus; Iornandem quidem è Bonaventuræ Vulcanii recognitione dedimus; B. Isidorum verò è bibliotheca Isaaci Vossii, magni Literatorum heroïs filii, comparavimus. Denique Pauli Diaconi Gesta Longobardica huic nostræ Editioni colophonem imponunt.*

In-

Index rerum & verborum adeo copiosus à nobis procuratus est, ut nihil in toto Opere contineatur, quod heic non sit expressum. Tantum est, humanissime Lector, quod te per nos scire necesse judicabamus. Vale.



TABVLA CONTENTORVM in hac Editione.



HVGONIS GROTII

PROLEGOMENA.

MAndata mihi Regia ad Regem legatione, quantum ob id debeam Reginæ nominique Suedico, ſatis intelligo: quomodo vero gratum me, ultra fidem ac diligentiam implendi muneris, oſtendere poſſim, non æque video. Nam rebus illis poſtremis, quæ omnium glorioſiſſimæ genti Suedicæ evenerunt, neque interfui ipſe, neque exactam earum noticiam aliunde ſum conſecutus. Vt tamen etiam ſubſecivi temporis ratio iis, quibus omnia debeo, conſtaret; ea quæ de Suedicorum populorum nobilitate rebusque ante multa geſtis ſecula à fidis ſcriptoribus jam olim ſunt prodita, cœpi congerere. Procopii autem Gotthica & Vandalica cum latine ita exſtarent, ut plurimæ paginæ omiſſæ eſſent, & ſingulis prope paginis multa, ſenſus præterea aut codicum aut interpretis vitio immutatus plurimum, Græcam primum editionem, quam Hœſchelio curante habemus, locis infinitis emendavi, partim ex conjectura probabili, partim auctoritate librorum è regis Galliæ bibliotheca; ingentes autem hiatus ſupplevi à Vaticanis codicibus: atque ſic emaculatum, ſanatum, ſartumque Procopium verti latine. Hæc quo

propoſito fecerim, & quas in eo ſpectaverim Suedorum utilitates, ut cognoſcatur, venia mihi oranda eſt, quod ingredior ſermonem mihi non inſuavem, quem ſi ipſa tecum, Lector erudite, velut colloquendi voluptas producit longius, poteris eum intermiſſa lectione diſtinguere. Ingens illud terrarum ſpatium, quod immenſæ magnitudinis dixit Xenophon Lampſacenus, indigenæ, ut Plinius nos docet, alterum terrarum orbem, illud inquam quod à Septentrione & ortu ambit Oceanus, ab Occaſu & Auſtro mare quod Balticum dicimus, ſinusque ejus Botnicus, deinde amnes tum qui in ſinum Botnicum, tum qui in Ruſſicum mare, quod album vulgo dicitur, exeunt, inſulam eſſe veteres credidere jam à Pytheæ Maſſilienſis temporibus, qui trecentis ferme ante Chriſti adventum vixit annis. & ſane quo minus inſula ſit, parvum intercedit inter eos, quos dixi amnes ſpatium ignotum exteris, non Pytheæ tantum ſed & Plinii Tacitique ac ſerioribus etiam temporibus. quanquam & ſi qui penitius rem novere, ab iis quoque inſulæ nomen pro peninſula uſurpatum non caret exemplo. par de Finningia ſive Finnorum patria exiſtimatio: quia & hanc terram idem illud mare Balticum, dictusque à gente Finnicus ſinus, deinde magni Ladoga & Onega conjuncti per amnes, aliique & hic amnes in Album illud mare ſe ejicientes exiguo minus includunt. Majoris illius quam inſulam veteres, nos peninſulam dicimus, nomen apud veteres duplex exſtat. alterum nomen varie ſcribitur; Plinio Scandinavia; Ptolomæo eumque ſecuto Marciano Heracleotæ Scandia, quomodo & Plinio uno in loco, ſed exſcribenti aliorum, puto Maſſilienſium, dicta; Iornandi Gottho Scandza, ſi manuſcriptos ſequimur. nam editi libri habent Scanzia. atque hanc poſtremam ſcripturam ſequuntur Otto Heſingenſis & ii libri qui Northmanorum acta deſcribentes eos è
Scan-

Scanzia deducunt, puta liber cui titulus geſta Northmannorum, Dudo, & Genealogia ducum Nortmannorum. Wilhelmus autem Gemmeticenſis ſcriptor hic quoque rerum Normannicarum, Anglicarum vero Thomas Walſingamus Scanzam inſulam appellant: atque inde hic Gotthos, ille Danos veniſſe memorant. Sunt qui à Scania ſive Sconia, olim Suedici, nunc per bella pacesque Danici juris terra, per errorem latius extenſum nomen putent. ego quin vera ſit Iornandis, cui ex popularibus ſuis id noſſe promptius fuit, ſcriptura non dubito; atque inde emollitum Scandiæ nomen, pro quo Scantiam ſcribunt additamenta ad Eduardum Confeſſorem. Originem nominis facile ex ipſo Iornande colligas. quia omnes ejus terræ populi exciſas rupes (ita enim habent Manuſcripti, non exeſas) pro caſtellis habebant, eaque ipſa munimenta Scantzen dixere. nam & quem egreſſi ex patria ſua Gotthi primum inſedere locum (ea autem eſt ni fallor Gotlandia, inſula & ipſa Suedici olim juris) eum ab eadem immunitione Gothiſcandzam dixerunt, ut aperte ex vetuſtiſſima fama memorat idem Iornandes. & hanc puto eam eſſe Inſulam, quam Bremenſis ait altiſſimis ſcopulis inſtar oppidi eſſe munitam. ex Scandia autem addito *au* vocabulo quod terram ſignificat (ut oſtendunt Morau, Batau, Naſſau, Velau, aliaque infinita nomina) factum eſt Scandinaviæ vocabulum, ad modum nominis Bataviæ ſimiliumque. quomodo & Auſtravia Plinio, id eſt Ooſterau, terra Orientalis ea eſt quam nunc Eſtoniam dicimus, pronuntiatione ad Saxonicam propius accedente ut mox dicetur. nam eandem eſſe Auſtraviam Plinii, quæ nunc, ut dixi, Eſtonia, olim Eſtiorum terra, dubitare nos non patitur ſuccinum (gleſum ipſi olim vocabant) quod in Auſtravia legi dicit Plinius, apud Eſtios Tacitus & ipſi Eſtii in epiſtola

ad Theuderichum & in respondente epistola Theuderichus. Quod jam dixi diversa esse vocabula, diversasque terras Scaniam & Scanziam, ejus rei validum est argumentum, quod illam Gotthiæ veteris partem ab amænitate dictam Bremensis non Scanziam sed Scaniam vocat, ingentem autem illam peninsulam, quæ insula putabatur, eorundem aut propinquorum temporum vocarunt tum Normanni, tum Hispani, non Scaniam sed Scanziam. Hoc ergo Scanziæ, Scandiæ, Scandinaviæ nomen est, quod Romani nobis & secutus Romanos Ptolemæus prodidere. Cæterum Græci veteres terram eandem dixere Baltiam. Ita enim scripsere Xenophon Lampsacenus & Metrodorus, Plinio memorati. Pytheas enim corrupte Basiliam extulerat. Dixere ita terram haud dubie à mari interiore quod Balticum Adamus Bremensis ante sex ferme sæcula dixit, eumque secuti Helmoldus, Saxo, alii. manetque etiam in usu populari id nomen in parte quæ Fioniam Zelandiamque interfluit. est autem id nomen non proprium sed commune. nam maris irruptionem eo significari norunt Frisii. Est & tertium huic terræ nomen apud Procopium Thule, sed ex errore quod eam veteribus Thulen esse ob remotissimum ab orbe Romano situm & pares ferme utrobique dierum noctiumque rationes crederet. Cæterum non Orcadum aliquam, nec eam quæ nobis Islandia, ab eo describi, testatur prædicata ei ingens supra alias omnes Insulæ magnitudo, tum vero quod præter populos alios ibi ponit Scritofinnos, quorum nomen & victus hodieque manet, & jam olim in ejusdem Scanziæ descriptione memoratum est Iornandi, Paulo Warnefredi, Bremensi. Origo nominis non ambigua à Finnis unde orti, & à *scriden* quod est celeriter grandibusque passibus ire, quod ipsis fuisse eximium notat idem Bremensis. scriptura

voca-

vocalium crebra inter se commutatione variat. Scrithifinni in manuscriptis Procopii dicuntur. apud Iornandem, legendum Scretefennæ. hodie corruptum est in *tres Screfennæ*. Scritefinnos scribit Bremensis. Privilegia data Ecclesiæ Hammaburgiensi, unde ad eos populos Euangelii notitio pervenit, Scredevindon & Scridevindan, regionem Scridivindiam; Saxo Skrikfinnos dicit, eaque hodie in ipsis locis obtinet pronuntiatio. Chorographicum vetus non editum distinguit Fenos in Serdefenos sive Scerdefenos, & Rercfenos. Scribendum fuit Scridfenos & Redefenos. id est Fenos sive Finnos, qui cursu, & illos qui rhedis sive trahis utuntur. Hæc sunt quæ dubitare nos non sinunt quam terram sub falso Thules nomine significaverit Procopius. Tacitus qui mare etiam Balticum sive Codanum, ut aliis appellari mox dicemus, sinum, ejusque partes omnes Oceani vocat nomine, in ipso Oceano, id est in magna illa, ut credebatur, insula, regna duo ponit continua. eorum populos vocat Suiones & Sitones. pro eo quod nunc Suiones legitur credo scriptum fuisse Sueones. quia ita hujus gentis nomen scribunt secuti, ut ex verbis ipsorum apparet, Tacitum, Eginhartus Caroli Magni gener & Cancellarius, Adamus Bremensis, Helmoldus, eodemque nomine appellant hanc gentem in actis suis Ludovicus rex Caroli Magni filius, & Gregorius IV. Episcopus Romanus, & Slavonum Chronici incertus scriptor, qui circa annum scripsit CIↃ C LXVIII. nec raro Saxo Danus: nec tamen multum refert, vocalium enim illarum facilis apud omnes populos permutatio: Sic Fenni Tacito, qui Finni aliis, Frisii aliis Fresi & Fresones. Iam vero quia frequens est Germanicis gentibus inter duas vocales literam T., quam alii ut D. pronuntiare malunt, interponere, eo factum ut apud Iornandem in Scanziæ de-

ſcriptione legamus Suethans, quem ille populum vere deſcribit ex equorum pelliumque copia. Mox apud eundem Iornandem apparent cum adjectione Suethidi, nempe quomodo qui Finni aliis, Bremenſi ſunt Finwridi & hi ipſi Suedi Anglis ſcriptoribus, ut Henrico Hutindonienſi, Rogero Hovedeno, Matthæo Weſtmonaſterienſi in Hiſtoria anni. IↃ CCC VIII. Swathedi. at Venantius Fortunatus qui circa annum Chriſti. IↃ LXXX. & deinceps floruit, eos vocavit, ni fallor, Suithonas, hoc carmine ad Hulferricum Francorum regem:

Quem Geta, Vaſco, tremunt, Danus, Suitho, Saxo, Britannus.

Vulgo *Euthio* ſcribitur, unde fuerunt qui Eſthio facerent, ſed repugnat præter alias rationes, prior Dani ſyllaba quæ huic poëtæ longa ut alio verſu apparet:

Saxones & Dani gens cito victa probat.

apud Saxonem vero Suetia hominesque Suetici: Bremenſi terra ipſa modo Suedia, modo Sueonia eſt: in eo quod modo nominavi Slavorum Chronico, Suedia. nam quod hodie Sueciam ſcribi videmus ab errore aulæ Romanæ fluxit, quæ primum Suetiæ nomen, ut cætera, ubi T poſt ſe I. aliamque præterea vocalem habet, ſic extulit, deinde ut pronuntiabat ita etiam cæpit ſcribere, unde longius ſerpſit vitium, ut qui Sueones olim, deinde Suedi Suethive dicti fuerant, Sueci corruptiſſime dicerentur. quid mirum, cum non minori hallucinatione iidem ex Dania Daciam fecerint, ſono nominis decepti in tantis locorum intervallis: ſic Græci Dahas cum Dacis, Cimmerios cum Cimbris confudere. Elvvardus Suevos cum Suedis permiſcet. Origo vocis non obſcura. oppoſita enim inter ſe ſunt Sueones ſive Suethi, id eſt laborioſi, & Sittones, Sedentarii ſive pigri. ex illa origine eſt Swidger laboris avidus, Swidirich labore pollens, vetera Germanorum

rum nomina in lexicis antiquis. ex hac vero Sito aut Sizo viri nomen, nec alia origo vocis ſanguinisque ut arbitror Sidinis, quos ad Viſtulam ponit Ptolemæus, imo & Sedonibus qui inter Baſtarnas tum à Strabone tum à Ptolomæo cenſentur. Ergo ut cæpi dicere, antiquis temporibus tota illa Scanzia duobus regnis occupabatur Suedonum & Sittonum, quos diſcernebat mons Sevo, credo, à ſeptem dictus eminentibus jugis: quomodò & Daciæ pars vulgo latine loquenti Tranſilvania, Germanis Sevenbergia, & in Alpibus eſt mons qui ab eodem numero Septimus dicitur: Vetuſtiſſimis quippe temporibus naturales fuere termini regnorum, quos poſtea bella, pactiones, affinitates mutarunt. Terra ipſa Sittonum Norwegia nunc dicitur, olimque ſic dicta eſt, nam id Nerigon mollitis in Latinum literis extulit Plinius, ſcriptores is quoque multo vetuſtiores ſequens: eſt autem lingua Germanica Nordwege nihil aliud quam Septentrionem verſus. Apparet hinc ſupra omnium quas legimus Hiſtoriarum memoriam ſcandens Regnorum Suediæ Norwegiæque antiquitas, bene obſervata Germaniæ deſcriptori, cujus ego diligentiam & eruditionem ſic laudo, ut audaciam tamen, ſpernentis ſæpe ſine ullo firmo ſatis argumento codicum auctoritatem, conſenſumque vetuſtatis, & acceptas ab ultimis ſæculis famas, multaque fingentis ex inanibus valde conjecturis, nec probaverim unquam nec ſim probaturus. quod ſemel mihi de illo, qui plurimis contradicendo neceſſitatem nobis ut ipſi contradiceremus impoſuit, præfandum cenſui, gratiam cæteroqui ei pro labore, ubi neque ſtudiis neque invidia abreptus fuit, liberaliter paratus reddere. Quod initium his regnis fuerit cum non appareat, haud temere & indigenis & vicinis creditum eſt, quo primum tempore poſt magnum diluvium ex Aſiâ homines

in Europam ſe infundere homines cæperunt, has regiones inter primas ab iis inſeſſas & regna ibi, quod antiquiſſimum imperii genus haud falſo dictum eſt, conſtituta. nam ex Armenia Syriaque, ubi primos poſt diluvium mortales vixiſſe profanis etiam teſtimoniis conſtat, profecti Scythæ trans eas quas nunc Sarmatarum dicimus terras in Germaniæ Septentrionalia venêre; Scytharum gentem antiquiſſimam ſemper habitam ait ex Trogo Pompeio Iuſtinus, neque miranda nimis illa nondum munitis uſquam urbibus tanta progreſſio, cum ex iisdem locis per eadem prope veſtigia Hunni tot poſt ſæculis in Germaniam pervenerint. Scythicam vero linguam matricem eſſe Germanicæ, cujus pars Suedica ac Norvvagica, multa ſunt quæ credi jubeant: primum ipſum Scytharum nomen, ſagittarios ſignificans, quo illi armorum genere cæteris præſtabant. deinde Mæotis palus à Scythis qui accoluere, dicta Temerinda, id eſt maris finis: & Caucaſus mons dictus ipſis à candore Graucaſus, Plinio teſte, nequis hæc nos de ingenio comminiſci putet. his addere poſſim centena aliquot Perſicæ linguæ nomina cum Germanis communia. ac, ne fortuitum id videatur, cognationis, membrorum humani corporis, numerorum, quæ alia in uſu quotidiano mutari minime ſolent, cujus concordiæ cauſa non alia adferri poteſt probabilis, quam quod eadem Scythæ ortis à ſe Parthis, qui diu Perſidem tenuerunt, eadem Germanis tradidere. Brigitta prædicatæ ſanctitatis è Suedico ſanguine fæmina veteri famæ conſentiens utrumque prodidit, & poſt magnum diluvium veniſſe ab oriente in Suetiam homines, & regnum ibi conſtituiſſe nativis limitibus mare uſque. poſterius hoc quod dico, & per ſe probabile eſt, & hiſtoriarum Suedicarum omnium, tum, ſi externus potior, Alberti Crantzii, virique clari nominis Iohan-

nis

nis Pontani teſtimoniis non uno in loco comprobatur. Poſt Taciti tempora alios quoque populos in illam latiſſime patentem Scanziam penetraſſe, partem eorum & ſuos habuiſſe regulos Procopio teſtanti non diſſentio. in iis fuiſſe Herulos Rugiosque, cum præter Procopium affirmet & Iornandes, ne id quidem refragor. Sed cæteros eorum longa ætas aut ſubegit aut miſcuit. Dani plurimum Suedis dedere negotii, ita ut partem Scanziæ, eam quæ mari Baltico proxima eſt, nunc quoque retineant. Ingreſſi autem hi ſunt Scanziam non multo ante Iuſtiniani tempora. quod ex Iornande colligere eſt, qui pulſos eorum vi Herulos iis ſedibus, quas in Scanzia tenebant nos edocet; neque tamen multum tunc eos Scanziæ tenuiſſe inde colligas quod circa eadem tempora ſcribens Procopius in Scanziæ gentibus Danorum non meminit, ſed eos cis mare Balticum ponit Varnis conterminos, Scanziæ autem quam Thulen ipſe vocat, proximos. Sunt autem hi duo omnium qui Danos nominarunt vetuſtiſſimi. nam Venantius Fortunatus qui & ipſe Danos nominat ſub Iuſtino minore floruit,ac proinde Procopio fuit poſterior,ei autem coævus fuit Gregorius Turonenſis, apud quem itidem Danorum mentio, ſed in hiſtoria temporum (nihil enim diſſimulabo) Iuſtiniani ſive Procopii tempora nonnihil antecedentium, pertinet & ad antiquitatem & ad gloriam Suedorum, quod ipſi illi Dani Suedorum ſunt poſteri, è regno egreſſi Suediæ, ut Ericus Danorum rex, minime ſuſpectus, inter gentes adeo æmulas auctor, ante hos annos ducentos memoriæ prodidit, multoque ante eum Hiſtoriarum ſcriptor Danus magnæque apud Danos auctoritatis Saxo; neque vero is primus, quanquam viri talis vel unius teſtimonium tale fidem meretur. Sed tot ante ſæculis idem ſcripſerat nominatus jam mihi & nominandus ſæpe Iornandes:

 ſcripſe-

ſcripſerat idem coævus Wilhelmo primo Anglorum regi Wilhelmus Gemmaticenſis Monachus his verbis. *Originem à Gotthis noſcuntur ducere Dani.* Et ſcriptor Chorographici non editi: *Quam & Iordanes ſapientiſſimus Choſmographus Scanzan appellat: ex qua inſula pariterque gentes occidentales egreſſæ ſunt. Nam Gothos & Danos, imo ſimul Gepidas ex ea antiquitus exiiſſe legimus.* Iordanes ille idem eſt qui aliis Iornandes dicitur, & in multis Manuſcriptis Iordanes ſcribitur. Ad ſcriptorum teſtimonia rerum documenta accedunt; nam qui nunc Iuttæ vocantur, Gioti ſunt mediæ ætatis ſcriptoribus ut Elvvardo Angli, à Gotthis deducta ut origine ſic & voce. nam poſterioribus Danis id eſt uſitatum G literam in I conſonam inflectere, unde & illam Scanziæ Gotthicam Iytlant ipſi vocant, & partes ejus Ooſter-Iytlant Weſter-Iytlant: & amnis in Iuttia eſt Gudden Aa: id eſt Gotthorum flumen, qui ex Iuttia in Angliam venere in Annalibus Anglicanis Petroburgenſibus Geatuni dicuntur, & alibi *Iotuni.* In legibus autem Edvardi Confeſſoris: *Guti ſimiliter cum veniunt ſuſcipi debent & protegi in iſto regno Britanniæ ſicut conjurati fratres.* quod ibidem jam olim ab Ina conſtitutum dicitur. in eadem Iuttia pars ultima Vendela Saxoni, Windila aliis, nunc Wendſuſſel, Vandalis ſe inſeſſam probat; unde & mare aſſitum Vendelæ mare dixit Bremenſis, ſic & à Finnis inſula Danorum Finnia, vulgo paulum corrupto vocabulo Fionia, cujus habitatores Finos vocat Bremenſis. Hæ gentes tres, Suedi, Norvvagii, Dani, Scanzia inter ſe, ſed inæqualiter, diviſa (nam partem & optimam & maximam Suedi tenent) ſunt illæ quæ in commune Nortmanni appellati ſunt à cæteris Europæ populis qui eos maximo ſuo malo didicêre. Eginhartus Caroli Magni ut modo dixi gener, ſic ait: *Sinus quidam ab Oceano Orientem verſus porrigitur, longitudinis quidem incomperta*

pertæ, latitudinis vero quæ nuſquam centum millia paſſuum excedat, cum in multis locis contractior inveniatur. hunc multæ circumſident nationes: Dani ſiquidem & Sueones, quos Nortmannos vocamus, Septentrionale littus & omnes in eo inſulas tenent, at littus Auſtrale Sclavi & Aiſti & aliæ diverſæ incolunt nationes. Hic vir ille, doctus ſane, Cluverius. ſed mire confidens, quem & modo indicavi, conjunctione addita legere nos pro Imperiâ jubet *& quos Nortmannos vocamus*, nimirum ut ſoli ſub eo nomine Norvvagii intelligantur. dicam illi quod in bello dici ſolet, non ſemper tuta temeritas. Norvvagii, aut ſi id mavis, Nortmanni à Suedis ita dicti ſunt, quod Suedorum maxima ac potiſſima portione ſint Septentrionaliores. At longius ſitis Europæ populis omnes qui Scanziam incolunt bono jure dicti ſeptentrionales, id eſt Germanico ſermone Nortmanni ſive Nortlendi, quomodo & Noricæ Alpes Noricique populi ab iis qui ad Adriam colunt nomen ex ſitu accepere ipſis pronuntiatum Nordrijck: ſic Ooſtrijck, quod latini Auſtriam aut Auſtraciam ſcribunt, id eſt regnum Orientale dictum Galliæ populis Mediomatricum regnum, Germanis vero ſic appellata Pannonia. parique modo Æſtii dicti à Sueonibus qui ipſis ad ortum ſunt, Saxone interprete. nam Orientis vocabulum erant qui Æſt pronuntiarent, unde Saxonibus Æſtſexia, alii plenius Ooſt eloquebantur; unde Pytheas apud Strabonem hos dicit Oſtiæos, Oſtiones, Stephanus: eadem terra Auſtravia Plinio: ut Auſtrogotthi Vopiſco, qui vulgo Ooſtrogotthi, & Langobardorum regni pars Auſtria eadem origine & ne id quod de Normannorum vocabulo dixi, ut ille vir cæteroqui diligens ſolet, meo arbitratu videar velle extorquere, teſtimonium denuntio ipſi primum Eginhardo qui alio in loco. *Nortmanni*, ait, *qui Dani vocantur* generalem appellationem addita ſpecialio-

cialiore restringens, cum tamen eo tempore, quod notandum, non tantum regna diversa essent, sed & alios reges haberent Norvvagia ac Dania. Post eum Adamo Bremensi, qui ducentis annis posterior, postquam ipsa Eginharti verba, ita ut nos ea produximus suo inseruisset libro, interpretamenti vice addit: *Dani vero & Sueones cæterique trans Daniam populi ab historicis Francorum omnes Nortmanni vocantur.* & in libro Historiæ Ecclesiasticæ. *quippe Sueones & Gotthi, vel si ita melius dicuntur Nortmanni.* Vno sæculo serior Helmoldus, qui & ipse Eginhartum lectum sibi ostendit, paribus verbis: *Dani siquidem ac Sueones, quos Nortmannos vocamus, Septentrionale littus & omnes in eo obtinent insulas:* deinde verba ille Bremensis repetens. *Dani & qui trans Daniam sunt populi ab historicis Francorum Nortmanni vocantur:* idem alibi: *porro Nortmannorum exercitus collectus fuit de fortissimis Danorum, Sueonum, Norveorum.* & Huntidoniensis aliique post eum Angli, nominantes eos populos à quibus Anglia per CCXXX. annos sæpissime incursata est, Gotthos in iis ponunt & Svvatedos. Vandalos addit Gervasius Tileburiensis & ab eorum castris dictam Vandelbiriam non procul Cantabrigia. sic liber vetus qui inscribitur gesta Nortmannorum: *Nortmanni procedentes de Scanzia insula quæ Northvvegia dicitur in qua habitant Gotthi:* ubi videmus Francis totam Scanziam dictam Nortvvegiam. alter liber qui inscribitur Ambaziensium gesta: *Tempore Caroli Calvi Francorum regis Dani Suevi quos Theotissi lingua sua Norman id est Aquilonares homines vocant:* ubi legendum haud dubie *Dani & Suedi:* Albertus Abbas stadensis qui circa annum CIↃCCL. scripsit: *Dani & cæteri qui trans Daniam sunt populi omnes Nortmanni vocantur.* stet ergo inconcussum quæcunque apud historiarum scriptores de Nortmannorum rebus legimus, ea ad Suedos eximio quodam jure pertinere.
nam

nam Northmannorum pars ut maxima ita potentissima Suedi. non viris tantum armisque sed & classe & opibus eos valuisse jam Taciti tempore, ex ipso discimus. & Saxo Suedorum regem nominat, cui bis mille quingentæ naves fuerint. Latissimum Sueoniæ regnum, longissimis terrarum spatiis regnare Sueones, ait Bremensis: additque: *Sueonia ergo regio est fertilissima, ager frugibus & melle optimus, extra quod pecorum fœtu omnibus antefertur: opportunitas fluminum Sylvarumque magna: ubique peregrinis mercibus omnis regio plena. nullius itaque egere dicas Sueonas opibus, excepta quam nos diligimus sive potius adoramus superbiâ.* mox: *populi Sueonum multi sunt, viribus & armis egregii, præterea tam in equis quam in navibus juxta optimi bellatores. unde etiam sua potentia cæteras Aquilonis gentes confringere videntur. Reges habent ex genere antiquo.* Estque magnitudinis Suedorum invictum hoc argumentum, quod ut Norvvagia sic & Æstonia à Suedis ex situ ad Suediam comparato nomina sua accepere. A domestica antiquitate ac magnitudine antequam ad res externas me transferam, iterum ad certamen me vocat intrepidus ille omnium quæ ipsi collibita sunt assevera-tor, & sub antiquæ Germaniæ titulo novator maximus, ut qui Gotthos, Vandalos, Langobardos, contra manifestum consensum indigenarum externorumque, contra validiora etiam rerum quam hominum testimonia, neget in Scanzia fuisse. Hæc somnia (neque enim video quo illa justiore vocabulo appellem) ut difflem partite procedam, initiumque à Gotthis multas ob causas nobilissimis faciam. Sunt quod notum omnibus in Scanzia sub Suedico regno Gotthi, distincti in celebrata historiis nomina Ostrogothos & Westrogothos, quos corrupte latini Visigothos dicunt. nec situ tantum cohærent sed & lingua vetere, legibus, & postquam Christiana religio invaluit episcopali audientia.

non

non obſcura origo nominis, ita enim dicti ſunt ab advenis ob ſummam in hoſpites lenitatem. quæ laus in ipſis eximia fuit etiam ante Chriſtianiſmi tempora, quod à Bremenſi, Saxone, Crantzio, conſenſu traditur. Boni Germanis ſunt *goten* aut *guten*, nam vocalis aut diphthongus potius, quæ ſecundum in ea voce locum obtinet, mixtum habet ex quarta & quinta vocali ſonum. itaque promiſcue vel per hanc vel per illam exprimitur: ejuſque rei vel maximum indicium eſt, quod Dani Deum ſic pronutiant ut Germani bonum, bonum vero ut Germani Deum, in eadem, ſi ipſam originem ſpectemus, voce, & ſonum & ſignificatum, ob affinitatem inter ſe, commutantes. eadem ſoni ambiguitas fecit ut quæ Gotlandia inſula eſt aliis, Danis dicatur *Gutlant* & Gotthi *Gudske*. jam vero t. litera aut ſimplex aut duplicata, tenuis aut aſpirata, aut ut mox dicemus in d. mutata, pro varietate pronuntiantium ponitur. Boni ergo hi dicti ſunt Germanico ſermone, ſicut contra alii populi inhumani in hoſpites dicti Quadi, Witti, Thaifali. Iam vero ne quis ſuſpicetur recens & ab hiſtoriis depromptum eſſe hoc nomen, ſcandendo per temporum gradus oſtendam ſemper eos fuiſſe in Scanzia, ſemper ita dictos. Primum argumentum dabunt acta publica legum, Iudiciorum, rationum, ubi nomen hoc ſive Germanica ſive Latina lingua ſemper idem invenitur. Hiſtorias ut advocem, omittam plurimas à Suedis ſcriptas ne indigenarum videar niti teſtimonio. Externa producturus à proximis noſtra ætate incipiam. Ante hos annos prope nonaginta Moſcoviæ hiſtoriam ſcripſit Sigismundus liber Baro in Herberſtein, qui de Suetia ſic loquitur: *multas & varias nationes complectitur, inter quas virtute bellica celebres Gotthi, qui in Oſtrogothos id eſt orientales & VVeſtrogothos id eſt occidentales Gothos, pro regionum, quas incolunt, ſitu diviſi, indeque progreſſi, toti orbi,*

bi, ut plerique ſcriptores memoriæ prodidere, terrori fuerunt. Is qui Chronica Sclavica ab anno CIↃCLXVIII ad annum CIↃCCCCLXXVII eſt perſecutus *Regem* ait *Gothorum qui jam Suedi ſunt.* is qui eum præceſſerat itidem Chronicorum Sclavicorum ſcriptor *Sclavia à Gothis & Danis mari ſejungitur.* Danus eſt Saxo, &, ut Danus, Suedis minime favens, ſcripſit ante annos quadringentos. apud eum non ſemel ſed infinitis in locis, Gothos terramque ab illis Gothiam, ibidem poſitos ubi & nunc cognoſcuntur, reperias. Hoc antiquior Helmoldus, is in Sclavorum hiſtoria ſic loquitur: *eſt autem Byrca oppidum Gothorum celeberrimum in medio Suediæ poſitum.* hunc anteceſſit Adamus Bremenſis qui à Sconia in Gothiam per profundos ſaltus monteſque aſperrimos agi iter dixit. deinde: *ex ipſis populis Suediæ proximi ad nos habitant Gothi qui occidentales dicuntur: alii ſunt Orientales. verum VVeſtergothia confinis eſt provinciæ Danorum quæ Sconia dicitur, à qua ferunt diebus ſeptem perveniri uſque ad civitatem Gothorum magnam Scarane. deinde Oſtrogothia protenditur juxta mare quod Balthicum dicitur uſque ad Byrkam. primus Gothorum epiſcopus Thurgot fuit.* & quæ ſequuntur plurima id quod dixi firmantia. idem Ezechielis de Magog locum putat non ad eos Gotthos qui Romam ceperunt, ſed ad eos qui in Sueonia florebant pertinere, & cum Helmoldo Byrkam ait oppidum Gotthorum in medio Sueoniæ poſitum. pari modo ſcriptores Angli, quos modo nominavi, Weſtmonaſterienſis qui circa annum vixit CIↃCCCLXXVII, Hovedenus qui circa annum CIↃCC, Huntiſdonienſis qui circa annum CIↃCLVIII. Gotthos conjungunt cum Danis, Norvegienſibus ac Suathedis. Meminit Gotthorum regis iiſdem in locis Guilielmus Neibrigenſis qui paulo ante annuum floruit CIↃCC. Adnothus quoque Anglus, ſed qui in Dania habi-

habitavit per annos quatuor & viginti, in vita regis Canuti, cum Suedis conjungit Gotthos: & is quem dixi scriptor Slavorum Chronici in historia anni ꟾↄ CCCCXXXVI. Bircam Gotthorum oppidum nominat. Gotthos ex Scanzes insula ortos dicit & ille quem modo designavi Chorographici non editi scriptor. ad Iornandem venio. is inter eos qui antiquitus Scanziam habitarunt ponit Gautigoth. id nihil aliud est quam duplicata boni voce *Gutgut* id est valde bonus; & manet nunc quoque appellatio eadem terræ, qua populum Iornandes notavit. nam Gutigutland indigenarum carminibus dicitur. apud Procopium in Scanziæ descriptione, quam ipse per errorem, ut diximus, Thulen vocat, legendumne sit οἱ γαῦτοὶ, ut eum sonum expresserit, quo ii, qui Romanis Gotthi, in sua sede vocabantur, an vero ut alii habent codices οἱ γ'αῦτοὶ, cogitandum eruditioribus relinquo. Ponit Iornandes in Scanzia & Ostrogothos dato à terræ situ nomine quod in hunc manet diem, & ad alias terras vincendo transiit ut mox dicemus: mox Gotthos è Scanzia profectos pro certo compertoque affirmat. Fuit autem & ortus ipse à Gotthis, & secutus Gotthorum prisca carmina antiquissimum ut Tacitus ait Annalium genus. Ablabium præterea Romanum, diligentissimum rerum Gotthicarum scriptorem iis consentientem reperit, quæ cuncta apud ipsum legas. Gotthos Procopius modo Scythas origine, modo Sauromatas esse dicit, quo utroque vocabulo mos Græcis etiam ea quæ Germaniæ sunt Septentrionalia appellare. quod & ipse nos Procopius docet Gotthicorum quarto, & multo ante Strabo notavit libro primo, atque undecimo. cui Plinius se adjungens *Scytharum*, inquit, *nomen usquequaque transiit in Sarmatas atque Germanos.* Itaque, ut ex eodem discimus Plinio, Xenophon Lampsacenus Baltiam insulam id est Scan-

Scandiam Scythiæ littoribus prætendit, & mare Balticum Scythicum etiam multis ſcriptorum dicitur, & Dexippus librum illum de rebus Gotthorum, cujus teſtimonio Iornandes non raro utitur, inſcripſerat τὰ Σκυθικὰ, ut Photius nos docet. & Eunapius Scythas vocat quos Gotthos fuiſſe Ammianus nos docet in Procopii Cilicis rebus qui Iuliani propinquus fuit. Sic & Walamirem Priſcus, qui Gotthorum rex fuit, Scytharum vocat regem, & Gaïnam Gotthum Theodoretus Scytham, & Suidas fæderatorum nomine appellatos ait τοὺς ὑποσπόνδους τῶν Σκυθῶν, quos Gotthos fuiſſe ex Procopio aliisque hiſtoriis apparet. Non mirum ergo ſi cum à Magoge Scythas deducat Ioſephus, Magogis populum Gotthos interpretetur Ambroſius. Anaſtaſius Sinaita: Σκυθίαν δὲ εἰώθασι καλεῖν οἱ παλαιοὶ τὸ κλίμα ἅπαν βόρειον· ἔνθα εἰσιν οἱ Γότθοι καὶ Δάνεις. Iam vero Ptolemæus, & qui eum ſequitur Martianus Heracleota in Scandiarum maxima, quam & proprie Scandiam ajunt vocari, & quidem ad meridiem, ubi & nunc reperiuntur, ponunt Gutas, quod nomen ſi quis à Gotthis differre putat valde fallitur. eſt enim idem nomen, ob vocali, ambiguum, ut dixi, ſonum commutata. quare qui Gothones Tacito, Straboni ſunt Gutones, Gythones Ptolomæo, Guttones Pytheæ & Saxoni, eadem alibi Gotthia, alibi Gudlandia, populi eidem Saxoni Gotthi, Guttones, Guttonici. nam terminationem quod attinet eam Græci Latinique ſuo quiſque arbitrio finxere libere. neque ea nativæ vocis ullam partem facit. adde jam quod in Hiſpania ubi penes Gotthorum poſteros regnum & nobilitatis honos fuere tot per ſæcula, manetque in hunc diem, perpetuo creditum majores eorum è Scanzia veniſſe, Rodericus Toletanus & qui eum ſecuti ſunt ſcriptores nos docent. neque magis de ea re dubitatum unquam à Germanis,

 quo-

quorum nobilissimus Otto Frisingensis, illos Imperii Romani vastatores Gotthos ex Scanzia diducit. neque ab Italis. nam & Marinus Episcopi Romani legatus, cum circa annum CIↃ CCCC LXVII. in Suediam venisset, abstulit inde libros quos dicebantur Gotthi olim circa annum CCC LXXVIII, cum Romam & vicina raptarent, abstulisse, quæ historia in incerti scriptoris Chronico Slavico legitur. Quin & apud Moscovitas, Suedorum vicinos, eandem famam ab antiquo fuisse traditam, docet nos Herbesteinius. His totque atque tantis argumentis unum opponit Germaniæ descriptor, levissimum sane: nempe quod Tacitus, & hi quos jam dixi, Gotthones citra mare Balticum inter Albim & Vistulam ponant. Quod Gotthones eosdem ait esse & Gotthos non impugno, cum norim on terminationem esse veterem apud Germanos pluralis numeri significativam, quam Græci Latinique ut visum ipsis modo ponunt, modo omittunt. itaque iidem sunt Franci & Francones, Vasci & Vascones, Frisii & Frisones, Suedi & Sueones, Ostiæi & Ostiones, qui & Æstii & Æstones, Lugii qui Lugiones; Burgundi qui Burgundiones; Bigerri Plinio, qui Bigerriones Cæsari; qui Plinio Origevi, Melæ Origeviones, multaque alia ad eam formam. Sed quæ hæc tandem argumentandi licentia est? sunt extra Scanziam Gotthi; ergo in Scanzia non sunt. Imo sicut alii Gotthi qui amplissima constituerunt regna nomen è Scanzia delatum retinuere, ita & isti relicti iis in locis multo ante Taciti tempora, cum primum ad Mæotim paludem transirent. nam per eas ipsas terras ubi Gothones ponit Tacitus eos tum transiisse Iornandes aperte testatur. non ergo magis mirum ibi vicinis in locis qui resederunt Gotthos vocari, quam quod idem nomen illi habuere qui ad *Mæotim* manserunt, ut præter Iornandem, cui auctor Ablabius, etiam Stephanus

phanus nos docet, nec minus Procopius libro Gotthicorum quarto, item de ædificiis Iustiniani parte tertia, ubi & notam illam propriam Gotthorum quod omnium hominum in hospites essent benignissimi, quam laudem Suedis omnibus tribuit Bremensis, non tacuit. Huc referendum illud Isidori Originum XVI. 4. *Posthanc Dacia, ubi & Gothia.* Et Synodo Nicænæ secundæ subscripsit Theophilus, Gotthiæ episcopus in provincia Dacia. Et archiepiscopatus Gotthiæ memoratur Balsamoni. Et, quod mireris, sunt nunc quoque ad eandem Mæotim iidem Gotthi, & ut mores linguamque sic & nomen per tot sæcula retinent. quanquam enim Busbequius, qui in locis illis non fuit, dubitat Gotthi sint an Saxones, certos nos facit is qui in illis vixit regionibus Iosaphat Barbarus nobilis Venetus & Gotthos ipsos à semet dici, & terram vocari Gotthiam. Is Capitaneatus Gotthiæ dicitur in publicis monumentis tabularii Genuensis, teste Petro Baptista Burgo. Eorundem Gotthorum illustris jam ante octo sæcula mentio est apud Walafridum Strabonem hominem, ut ipse de se loquitur Theotiscum, qui post Ludovici Pii Imperium scripsit de Ecclesiasticis rebus, cujus hæc sunt verba. *Si autem quæritur qua occasione ad nos, vestigia hæc Græcitatis advenerint, dicendum est barbaros in Romana Republica militasse, & multos prædicatorum Græcæ & Latinæ locutionis peritos, inter has bestias cum erroribus pugnaturos venisse: & eis pro causis multa nostros quæ prius non noverant utilia didicisse, præcipueque à Gotthis, qui & Guttoni cum eo tempore, quo ad fidem Christi, licet non recto itinere perducti sunt, in Græcorum Provinciis commorantes, nostrum id est Theotiscum sermonem habuerint, & (ut historiæ testantur) postmodum studiosi illius gentis divinos libros in suæ locutionis proprietatem transtulerint quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur, & fidelium patrum, & relatione*

tione didicimus, apud quasdam Scytharum gentes, maxime Tomitanos, eadem locutione divina hactenus celebrari officia. hæ autem permixtiones & translationes verborum in omnibus linguis tam multiplices sunt ut propria singularum jam sint prope plura, quam cum aliis communia vel ab aliis translata. Pari ergo modo qui post primum è Scanzia exitum inter Albim, qui ab his Gotthis, ut Bremensis observat, dictus fuit Gotthelba, & Vistulam consedere, servarunt sibi patrium Gotthorum sive Gotthonum nomen. ac propterea Bremensis & in Scanzia Gotthos ponit, & præterea inter Albim Vistulamque. Sic & qui digressis in Pannoniam Gotthorum plerisque in Mæsia resederunt, Gotthi minores dicti sunt, ut mox dicturi sumus. Quod si quis diligenter ea quæ Iornandi dicta consideret, inveniet primum illum è Scanzia egressum non Taciti tantum sed & Pytheæ temporibus multo antiquiorem. Ab eadem bonitate dictos & Gotthinos arbitror sed Gallica pronuntiatione; nam hos non è nostro Septentrione sed è Gallia esse Tacitus nos docet. Gallica autem lingua, sicut vetustissima origine cum Germanica cohærebat, ita pronuntiatione distabat. Cæterum ad Gotthos Scanziæ ut redeam, cum ii olim ad mare Balticum usque se extenderint, (nam ad eos regnumque Suediæ antiquitus, quod & ante attigimus, pertinuit Halandia, Sconia Blekingiaque & quæ præjacent ei littori insulæ,) nomen proprium mari ab antiquo credibile est non aliud fuisse quam Godanbelt. nam *Belt* commune esse sinuum nomen jam ante diximus. nec aliam vocem indicari cum Codanum sinum dicunt tum Plinius tum Mela plane persuadeo, gnarus G litteram multis Germanorum ut K pronuntiatam: unde Kod pro Deo ac pro bono in vocabulario Allemannico Goldasti sæpe. & manet nunc etiam mos illas litteras mutandi inter se, ut & t. cum d. ac d.

cum

cum t. apud multos Germaniæ populos: & posteriorem hanc mutationem quod attinet ejus apertum nobis testimonium præbent Hispani è Gotthis orti qui suos majores Godos vocant. quos secuti Iudæi, qui in Hispania vixere, ut Abraham Salmanticensis scribunt. הגודים *an* vero non minus quam *on* vetus erat apud Germanicas gentes pluralis terminatio, quæ nunc ferme per *en* effertur mollius. ad eum modum formata vox Scridevindan, pro quo alii scribunt Schredevendon ut ante diximus. ab eadem origine Codanovia, sic enim habent manuscripti Melæ codices, id est *Codan-au* Gotthorum terra quam non aliam esse quam quæ nunc eodem sensu Gothlandia dicitur, Iornandi vero ni fallor Gottenscandza diu olim à Gotthis insessa, quo minus credam nihil causæ video. Sic enim & ex voce *Morau* facta est idem significans vox linguæ recentioris *Merenlant*. certe id quanto credibilius, quam quod ille ait *Theut* & *Dan* eandem esse vocem paulatim scilicet immutatam, eaque veteres Germanos significasse Deum rerum opificem. quid est quidivis ex quovis facere si hoc non est? quid simile habent *Theut* & *Dan*? veteres Germani Deum cœli non alio nomine quam *Thorn* vocarunt, quod est tonans etiam nunc Danis, *Taranim* dixit Lucanus. at postquam certior illis lux affulsit, Deum boni dixere nomine, id est *God*. *Teuto*, sive *Tuisto*, sive *Teutates*, non Dei, sed hominis unde *Teutisci* orti sunt vocabulum est, quem alia pronuntiatione *Ditem* Cæsar extulit, cum hoc *Theuth* ille sive Ægyptius sive Phœnix (nam Phænices eum sibi vindicant *Taauti* nomine ut ex Sanchuniatone Philo Byblius tradidit) literarum repertor, nihil commune habet præter partem soni: & *Dan* Græcorum quibusdam Iuppiter cum *Dano* Danicæ gentis principe nihil habet quo conjungatur, præter solam vocis similitudinem, quæ in significationibus diversissimis apud alias

aliasque gentes non poteſt non ſæpe exſiſtere. Alius ab hoc eſt Wodan, à *VVoden* quod eſt ferocire, creditus Germanis veteribus præſidere paci ac bellis Deus, quem ob duplicem poteſtatem, Latinorum alii Mercurium, alii Martem dicere maluerunt. Idem eſt qui omiſſa litera duriore Othinus aliis ſcribitur. Hæc autem ad Deum referre mundi opificem is ſolus poteſt, qui & antiquiſſima gentium ſuperſtitioſarum numina, Solem Lunam & tertium, ſive ignem, ſive terram, mirabili commento ad ſummam trinitatem retulit, quaſi ejus Myſterii cognitio, quam Evangelio debemus, jam à tot ſæculis, & quidem apud omnes populos fuiſſet. nam quod Aſchenazem facit Teutiſci ſive Germanici generis principem, error quidem eſt, ſed Iudæis imputandus, qui in Chaldæo Paraphraſte pro Carmania Germaniam accepere. Facile autem videbunt qui judicio uti volent, Moſem in antiquiſſimorum populorum recenſione non longe admodum ab Armenia Syriaque abiiſſe quibus ex locis primum propagatum eſt genus humanum in eos quos ipſe nominavit traduces; unde porro procedente tempore nonnulli in ulteriora, urgente fame, ſeditionibus, bellis protruſi ſunt: ſicut ex Scythia per Sarmatiam in Scanziam ventum diximus, è qua Scanzia deinde Germani cæteri ortum habuere. nam Germanos omnes ejuſdem ab antiquo eſſe originis eadem inter ſe & cum Scanziæ populis lingua, quantumvis temporibus ac locis nonnihil variata, demonſtrat. Hanc vetuſtiſſimam linguæ communionem inter Scanziæ cæteræque Germaniæ populos obſervavit jam pridem Rodericus Toletanus, præbentque ei teſtimonium propria ac communia nomina, quæ in legibus hiſtoriiſque rerum Gotthicarum & Wandalicarum & Langobardicarum reperiuntur, ut facile ei apparebit qui indices eorum, quos nos fecimus, legerit. Sed cum ſatis jam mihi

apud

apud homines non præfractos Scanziæ aſſeruiſſe Gotthos videor, ſupereſt ut de Wandalis & Langobardis idem faciam. De Wandalis quid eſt quod quiſquam hoc tempore adferre ſe putet poſſe exploratius, quam mille abhinc annis Procopius attulit, qui in Africa, cum Wandalis ſæpiſſime eſt collocutus, præterea Gilimerem Wandalorum regem, proceresque Wandalos Conſtantinopolim perductos quotidiana familiaritate cognovit? credibilene eſt hominem, adeo omnia antiqua percunctandi cupidum, id vel non præcipue quæſiviſſe, unde eſſent illi Hiſpaniæ Africæque inſeſſores Wandali, aut Gilimerem & alios ejus gentis primores ex fama antiqua carminibuſque perpetua memoria proditis nihil habuiſſe certi quod reſponderent? is autem Procopius Wandalicorum primo Wandalos non minus quam Oſtrogotthos, quam Weſtrogotthos, quam Gepidas, populos eſſe dicit Gotthicos, nominibus diſtinctos, origine ac moribus congruentes; linguam præterea ipſis eſſe Gotthicam, neque ſe dubitare quin olim una gens fuerint, ac ne temere id dixiſſe putetur, Gotthicorum quarto rurſum Gotthicis populis Vandalos accenſet: eoſque pariter cum Gotthis è patria ſede ad Mæotidem paludem veniſſe memorat. accedat Iornandes, qui ubi Scanziæ recenſet populos, ponit & Vinoviloth, quæ vox Winolorum poſſeſſionem ſignificat. *Ot* enim poſſeſſio eſt etiam priſcis Saxonibus, unde *feot* ſive *feodum* fiduciaria fructuum poſſeſſio. ii autem qui Græcis Vandili, aliis Vandalii, Vandali, Wandali, Tabulæ veteri Vanduli, Paulo Warnefredi ſunt Winili, Adamo Bremenſi Vinuli, aliis Winuli mutatis vocalibus, ac D litera aut addita aut extrita, quod crebrum Germanis & ante monuimus. Procopio & Iornandi teſtem de Wandalorum origine mox addam Paulum Warnefredi ubi ad Langobardos pervenero. Non ignoravit ple-

raque hæc vir ille lectionis plurimæ, sed ingenio fisus, ut alibi sæpe, cedere his noluit. Quid igitur ipsum in hac re, ut ante de Gotthis à vetustissima opinione depulit? Lubido quædam. quid tamen obtendat videamus. Sub Vindelicis Plinius in Germania comprehendit Burgundiones, Varrinos, Carinos, Guttones. ubi est Vindelici in codicibus vult legi Vindeli. facile largior unam eandemque eam esse vocem terminatione, quæ libera externis, diversam non invitus agnosco. at quid id causæ meæ nocet, cum Wandalos jam olim, & ut credo inter primos (nam eo me inducit Iornandes) in Germaniam pervenisse, ibique nonnullos reliquisse sui sanguinis & nominis populos, ut & Gotthi fecere, non negem? Et hoc quidem ad discutiendum quod objicitur satis est. cæterum ut dicam quod sentio rebusque per antiquitatem obscuris lucis, quantum potero, adferam, non credo aut Wandalos aut Suedos gentis esse nomen, sed sicut Iazyges quidam dicti sunt metanastæ, & Latinis Sarmatæ vagi, sic & Germanorum quosdam arbitror non à se ipsis, sed ab iis qui primi eorum vim sensere, quomodo à Tungris orta Germanorum appellatio, dictos modo Suevos, modo Wandalos. Cur autem alii hoc, alii illo nomine, id censeo fortuitum, prout visum est populis quos attigerant. nam voce & hac & illa eos significari qui non certis se tenent sedibus, sed nunc huc nunc illuc ambulant, novere omnes qui Germanicum sermonem. Suevorum nomen certe tam late patuit ut paris instituti potius quam ortus significationem habere videatur. ideoque & Catti quos à Suevis distinguunt alii, Suevi sunt Cæsari. Idem sensus in Wandalorum nomine, quo factum ut Wisigotthi, qui Narbonensem Galliam tamdiu tenuere Aimono sint Wandali. idem in Rhætis Vindelicis: idem in Gallis, quos Walones Germani pro-

pronuntiabant, contracto ex Wandalis vocabulo. nam quod alii *VVandalen*, id alii elisis literis durioribus *VValen* dicunt; id autem est vagari. Datum autem id illis cis Rhenum positis (more jam Romano loquor) à Transrhenanis ante Cæsaris dictatoris tempora, cum scilicet, ut ipse ait Cæsar, illi his ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent. quem secutus Tacitus etiam Gallos ait in Germaniam transgressos; quantulum enim amnem obstitisse? Similes accolæ in causa fuere cur qui Albim fundunt montes, ubi Vandalos nemo alius locavit, Vandalica juga Dion vocet. neque omiserim, quod affirmat Plinius, certum genus esse Germanorum Vindelos aut Vandalos, de eo dubitare Tacitum, magisque iis accidere qui Germanos in tria dispescunt genera, Ingævones, Hermiones, Istævones, id est, ut obiter de his meam explicem sententiam, *In-vvoners*, *Herom-vvoners*, *VVest-vvoners*, nam simili modo qui erant *Burg-vvoonders*, eos Burgundiones Romani dixere. *In-vvoners* sunt interius habitantes ad mare scilicet; nam ab his ut vetustissimis orta sunt hæc vocabula: *Herom-vvoners* qui circum habitant: *VVest-vvooners* qui ad occidentem id est Rhenum propius: Neque vero major in his vocabulis facta mutatio, quam cum latini posteriores ex *VVest-reich* Neustriam fecere: neque magis miranda est in Romanis hominibus ignorantia veræ notionis vocis Wandalorum quam Marsorum, quam itidem sanguinis esse appellationem illorum quidam, memorante magis quam probante Tacito, credidere, cum ita vocarentur omnes qui loca habitabant palustria, ut nunc quoque Dithmarsi, Stormarsi, aliique. Liceat & hoc addere, non quod ad rem præsentem multum pertineat, sed quod lucem forte adferre possit controversiæ inter Crantzium

tzium

tzium Crommerumque agitatæ, non absurdum cogitatu, etiam illos qui Tacito Venedi, Ptolemæo Venedæ, posterioribus Winidæ dicuntur, nomen habere ab eadem vagandi significatione: non quod hos quoque Germanici sanguinis esse velim, de quo dubitavit Tacitus; exactior enim inquisitio linguæ, morum, historiarumque denique indicio, Sarmatas eos esse nos docuit: sed quod, qui à rerum gloria Slavi sibi ipsis dicebantur, eos Germani Winidas dixerint, quod verissime tradidit Iohannes Aventinus & ex speculo Saxonico aliisque eo antiquioribus libris facile diligenti lectori perspicuum fiet, sicut & verbum *VVenden* affinem cum *VVandlen* apud Germanos extrita litera l habet intellectum. atque hoc sensu eandem esse vocem Winitorum, Winulorum, Wandalorum sensit non male ignotus ille Chronici Slavorum scriptor. Non ergo quærendum nobis est quam late patuerit Wandalorum appellatio. patere enim tam late potuit quam ipse vagandi alienaque occupandi mos: sed unde illi qui Hispaniam ac post Africam tenuere Wandali, de his enim nunc agimus, ortos se & crediderint & dixerint: qua in re deceptos eos fuisse non magis credibile est, quam si quis de Batavis velit idem suspicari, qui à Cattis se ortos Tacito Romanisque aliis aliquot post sæculis prædicabant. Quibus accedat Dexippi veteris historici testimonium. Scripsit enim is Galieni temporibus, ut ex Trebellio & Eunapio discimus. Is autem eos de quibus agimus Vandalos, non ab interna Germania, ubi Vandalos ponit Tacitus, sed ab Oceani littore venisse memorat. De Langobardis illis dico, quorum ingens tum alibi tum postremo in Italia potentatus fuit, cui potius credam quam Paulo Warnefredi Langobardo? quid enim in his à nostra memoria remotis adeo rebus haberi certius potest quam quod gentis cujusque carmina &

na & à majoribus ad posteros manans perpetua fama servavit? ejus hæc sunt in Langobardicis. *pari modo & VVinilorum, hoc est Langobardorum, gens, quæ postea in Italia feliciter regnavit, à Germanorum populis originem ducens ab insula quæ Scandinavia dicitur adventavit.* & mox: *igitur egressi de Scandinavia VVinili.* Langobardos recte Winulos id est vagos vocat, quos tamen mox cum Wandalis ait pugnasse, quia ejusdem vocis mutata temporibus pronuntiatio effecerat ut aliud id nomen putaretur: quod cum recte observaverit Germaniæ descriptor laudem ei promeritam lubens reddo. Secutus Paulum Bremensis & ipse eosdem dici ait Wandalos per Winulos. sed addendus est Pauli illius notissimis locis alius minus cognitus ex Miscella ejus historia. namque ubi ad Theodosii filiorum pervenit tempora sic ait, ipse, ut dixi, Langobardus: *eodem tempore erant Gothi & aliæ gentes multæ & maximæ trans Danubium habitantes: ex quibus rationabiliores quatuor sunt, Gothi scilicet Huisigothi (mendose editur Hypogothi, quod ex aliis ejusdem scriptoris locis evincitur: solebant autem H V. pro VV poni) Gepides & Vandali & nomen tantum & nihil aliud mutantes. omnes autem fidei erant Arianæ malignitatis. isti sub Arcadio & Honorio Danubium transeuntes, locati sunt in terra Romanorum, & Gepides quidem, ex quibus postea divisi sint Langobardi & Avares, villas quæ sunt circa Singidonem & Sirmium habitavere.* Et ex græcorum non editis libris excerpsit nobis eruditissimus Salmasius Γήπαιδες οἱ λεγόμενοι Λογγοβάρδοι. id est Gepidæ qui dicuntur Langobardi: sic & Constantinus Porphyrogeneta Constantinopolitanus Imperator ex Theophanis Historia transcripsit Γήπαιδες ἐξ ὧν ὕστερον διηρέθησαν Λογγοβάρδοι, *Gepidæ ex quibus dissidio facto* orti *Langobardi.* si ex Gepidis sunt Langobardi, illi quorum Paulus meminit, sane primitus ex Gotthis: Gepidæ namque sine

ſine dubio ex Gotthorum proſapia ducunt originem, quæ verba ſunt Iornandis. atque idem unde proprium nomen acceperint neſcire nos non patitur: nam, quod cum primum Gotthi è Scanzia tribus navibus exiiſſent, navi una tardius vecti qui fuerunt diſſociato à gentilibus cæteris conſilio ſuo inſulam Viſtulæ amnis inſederint; unde poſt in longinquiora ſunt profecti, originem Gepidarum nominis Iornandes à mora ipſorum deducit. apud quem male Gepanta pro Gepaita nunc legitur, eſt enim *Gepait* Germanis is qui moram fecit, iſque ſonus etiam clarior auditur in eodem nomine ut à Græcis effertur γήπαιδες: etiam Procopius ubi gentes illas cognatas moribuſque & ſermone connexas memorat Gotthis id eſt Oſtrogothis Wiſigothis & Wandalis, addit Gepidas, & Gepidarum principi nomen ait fuiſſe Oſtrogotho. neque vero primus hanc originem Langobardis ſuis dedit Paulus Warnefredus, ſed ante eum idem ſcripſerat Proſper Aquitanus, vir optimæ fidei, Epiſcopus Rhegienſis, cujus, ubi ad Theodoſii ventum eſt tempora, hæc ſunt verba. *Langobardi ab extremis Germaniæ finibus Oceanique protinus littore Scandiaque inſula magna egreſſi & novarum ſedium avidi Ibone & Ajone ducibus Vandalos primum vicerunt.* Hos ſecutus auctores Otto Friſingenſis Langobardis non minus quam Gotthis originem è Scanzia aſſignat. Quid vero his, qui ſe opponit, homo minime elinguis, nihilne habet quod pro ſe dicat? habet ſane: ſed, ſiquid ego video, leve admodum. Langobardos, ait, multo ante hujus exitus tempora in interiore Germania ponunt Strabo, Tacitus, Ptolemæus. ponunt ſane, nec uno loco: ad Viadrum Tacitus, cis Albim & Strabo & poſt Tacitum Ptolemæus. Facilis ſolutu nodus, ſi quis conſideret nomen hoc nihil aliud ſignificare quam promiſſæ barbæ homines, ut omnes Germani norunt,

& Pau-

& Paulus ille agnoſcit. talia autem ex habitu nomina diverſis locis atque temporibus nunc his nunc illis hominibus ab iis ad quos accedunt dari ſolent. erat quidem Germanis uſitatum, memorante Tacito, crinem barbamque ſubmittere, nec niſi hoſte cæſo exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum: & exemplum in Civili Batavo habemus apud eundem ſcriptorem. ſed quoties ingens agmen uno eodemque oris habitu acceſſerat, non mirum ſi ea novitas nunc hic nunc illic novo nomini cauſam dedit, quid commune Domitio Aheno Barbo & Friderico Barbaroſſa, aliique piratæ ejuſdem nominis? nihil, niſi quod eadem fuit oris ſpecies, unde appellatio eadem exorta eſt. Omnia quæ huc uſque diſputavimus in unum collecta nobis firmant Imperator Conſtantinopolitanus quem modo nominavi Conſtantinus Porphyrogeometer, auctorem laudans in ſanctorum album à Græcis relatum Theophanem. ait enim unius Gotthicæ originis eſſe, & Gothos ita proprie dictos, & Gepidas & Wandalos: ex Gepidis autem eſſe Langobardos. Credamus ergo veteribus, quando hic novi ſcriptores nihil credi dignius attulere, Wandalos, Oſtrogothos, Weſtrogothos, Gepidas, Langobardos omnes Scanziæ & quidem ei parti quam Sueones tenent, ſuam debere originem: Nortmannorum autem poſteriori vocabulo Sueonas vel præcipue contineri. Hiſtoriarum hic præcipuus eſt fructus, quod habent inde lectores, quæ ſibi ſequenda, quæ fugienda obſervent. facilius enim talia exemplis quam nudis præceptis diſci vere à ſapientibus creditum eſt. hunc autem uſum cum omnes hiſtoriæ omnibus præbeant, tum imprimis ſuæ cuique gentis annales. nam quæ à majoribus conſanguineiſque noſtris geſta ſunt, ea, ſicut majore cum affectu haurimus, ita hauſta firmiore memoria retinemus. & nos ergo

vetera

vetera Suedicarum gentium monumenta Suedis daturi, ordine quodam, quod memoriæ adminiculum ſolet eſſe, annotemus quæ maxime in iis laudanda imitandaque ſunt, ſiqua emendationis egere videbantur ne iis quidem omiſſis. Virtutum Princeps cæterarumque cuſtos omnium eſt in Deum pietas, quæ, niſi aliqua eſſe poſſet in quamvis magna rerum divinarum caligine, nunquam Athenienſes eo nomine laudaſſet doctor gentium Paulus Apoſtolus. Religionis ſtudium in Scanziæ populis obſervat Procopius. Idem illis teſtimonium perhibet Adamus Bremenſis, additque etiam cum in communi gentium errore verſarentur reverentes tamen fuiſſe Epiſcoporum, ſi qui probi caſtique eſſent: de Chriſto ſermonem audiiſſe non invitos: & ſi doctores fuiſſent quales eſſe debebant, facillime religionem Chriſtianam iis perſuaderi potuiſſe; ac reipſa unius hominis opera ad eam converſos Gotthos, Wermulanos partemque Schritifinnorum. Idem eſt ſcriptor qui Chriſtianiſſimi titulo Amundum ornat Suediæ regem. Paratum acceptandæ rectæ inſtitutioni animum oſtendunt & illi Gotthi, qui è Scanzia orti & in Romanam ſocietatem adſciti Valentis Imperatoris tempore Chriſtianam pietatem, ſimul ut eis monſtrata eſt, arripuerunt avide, retinuerunt conſtanter: quo ipſo ferme tempore Wandali quoque & Gepidæ eandem inſtitutionem acceperunt. dolendum ſane quod hi tunc omnes permixtum vero Arii dogma imbiberunt. ſed hujus rei culpam Salvianus ſanctiſſimus, ab ipſis in Valentem & miſſos ab eo doctores rejicit, & Romani magiſterii crimen id vocat: quin & in eo ipſo quod errabant non aliud ab ipſis ſpectatum quam Dei rerum parentis honorem idem ille Epiſcopus teſtatur, ac propterea non veretur bonum illis in hoc ipſo animum piæque opinionis affectum tribuere, arbitraturque

que non indignos Catholica fuiſſe fide qui Catholicis vitæ comparatione præſtabant. In diſcrimine, addit, poſiti & Gothi & Wandali opem à Deo poſtulant: proſperitatis munus divinis nominibus appellant. Romanos ait ſuis confiſos viribus, Gotthos in Deo ſpem habuiſſe repoſitam. quin & in alienis ſacerdotibus Deum ab ipſis honoratum. Socrates Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptor libro IV. capite LIII. multos Gotthorum à paganis ob religionem interfectos martyris donat titulo, quippe qui ſimplici corde Chriſto ſe devoviſſent. Maximum & hoc pietatis teſtimonium eſt, quod cum Gothi Alaricho duce Romam ceperunt, quicunque ad Apoſtolorum baſilicas aut martyrum loca ſe receperunt, iis omnibus non vitam tantum ſed & libertatem reliquerunt incolumem, quod mire prædicat Auguſtinus, nec veretur in eo agnoſcere Oroſius Dei timorem ac reverentiam religionis. addit Oroſius etiam ſacra vaſa omnia quæ à baſilica Apoſtoli Petri ablata fuerant, cura Alarici ſuo loco reddita: & ne hoc Alarichi unius putemus, idem recepta Roma ſervavit Totilas, quod ex Procopio diſcimus. idem nos aliud docet, dum obſidebant Romam Gotthi, nihil ab eis læſas baſilicas duorum Apoſtolorum quæ extra urbem erant: neque impeditos ſacerdotes Romanos ſacra ibi facere. Nec illud laudis exiguæ quod Wandali citra Hunnerichi & Gundemundi tempora; Gotthi vero ſemper vim abſtinuere à ſubditorum ſibi populorum animis, fidemque Nicæenſem ſequentibus permiſerunt credere, docere, ſacra facere quomodo vellent. nullum unquam hominem vi ulla aut minis adactum à ſe mutare profeſſionem, ne Gothos quidem ſi qui ad Nicæenſem fidem tranſire vellent unquam à ſe prohibitos, dicunt Beliſario Gotthorum legati, adduntque ſanctis locis non minorem à Gotthis quam à Romanis ipſis exhibi-

hibitam reverentiam. de Theudericho Westrogothorum rege Sidonius, magni nominis & Catholicæ communionis apud Arvernos Episcopus: antelucanos *sacerdotum suorum cœtus minimo comitatu expetit, grandi sedulitate veneratur.* Rex Ostrogothorum & Italiæ Theuderichus ob pietatem & veri Dei cultum magnis effertur laudibus ab Ennodio Catholico Episcopo Ticinensi. tanta in eo cura fuit etiam ejus quam non profitebatur ipse religionis, ut optimos ei semper Episcopos daret: de quo sic nepos ejus Athalaricus. *oportebat enim arbitrio boni principis obediri, qui sapienti deliberatione pertractans quamvis in aliena religione talem visus est pontificem delegisse, ut agnoscatis illum hoc optasse præcipue, quatenus bonis sacerdotibus ecclesiarum omnium religio pullularet.* hinc factum ut schisma etiam enatum Synodo convocata tolleret quod Paulus Warnefredi narrat itemque Zonaras: ordinationes omnes pretio intercedente factas rescinderet: precibus etiam episcoporum Catholicorum apud Deum juvari vellet, quæ postrema apud Cassiodorum videas, ut jam non mirer, si ipse Romanæ urbis Catholicus Episcopus Silverius Græcis suspectus fuerit, quasi Gotthorum imperia quam Græcorum mallet, quod ingens sane Gothicæ circa religionem æquitatis documentum apud Procopium habemus. Vltima Theuderichi Ostrogotthi facta in Symmachum Boëthiumque non excuso: illud tamen video, actum ibi non de religione, quæ Boëthio satis Platonica fuit, sed de Imperii statu. Quod si alieno magisterio in errorem induci potuisse culpam habet, hæc ipsa magno Gotthorum merito pensata est, cum ex ipsorum sanguine Riccaredus omni Arianismi labe totius Hispaniæ ecclesias purgavit. Proximæ sunt quæ hominum societatem continent condiuntque virtutes, justitia, humanitas, fides. Hic ego primum eum quem Germanis omni-

omnibus tribuit morem Cæsar aliis possessa invadendi, neque abfuisse à Scanziæ populis præstabo, neque excusationes ejus adferam. sed qui eos propterea barbaros ferosque vocabant Romani, nihilo hac in parte meliores fuere. Videat, si cui otium est, Mithridatis de ea re apud Sallustium, Galgaci apud Tacitum verba. ad casas ipsis redeundum fuisse si aliena redderent dixit Cicero. Christiani scriptores, præsertim Augustinus, multa in eam rem præclare dixerunt, quæ utinam Christianorum principum animis bene inscripta essent, pacatiore haud paulo orbe uteremur. cæterum Iustitia in subditos, benevolentia in populares nego iisdem Scanziæ, atque ortis inde populis, alios fuisse potiores: negat mecum Salvianus summæ sanctitatis ac veracitatis Episcopus. Apud Sueones jam antequam Christum nossent graviter punitos qui alterum bonis suis spoliassent aut injuria affecissent testatur Bremensis. Salvianus non tantum Gotthorum & Wandalorum qui unius inter se gentis regisque essent mutuum amorem prædicat, sed & apud Gotthos eam Iustitiæ conservandæ curam fuisse narrat, ut plurimi Romanorum, & inter eos nobilissimi, ejus boni fruendi causa è Romanorum terris ad eos confugerint, quærentes, ut ait, apud barbaros Romanam humanitatem. Hinc factum ut toto illo bello quod in Italia gestum est ab Iustinianeis ducibus nulla unquam civitas à Gotthis sponte sua defecerit. atque in Africa regnantibus Wandalis nullæ fuerint seditiones, quæ statim exortæ sunt postquam ad Romanos Africa rediit: imo notat in arcana historia Procopius, in Africam Siciliam Italiam plenissimas hominum terras, dum sub Wandalis Gothisque fuere, cum Romano Imperio tetram vastitatem inductam: planeque si quis cultissimi clementissimique imperii formam conspicere voluerit, ei ego legendas censeam

Regum Ostrogothorum epistolas, quas Cassiodorus collectas edidit: Non sine causa hac laude se jactant Gotthorum ad Belisarium legati: nec vanum est quod cuidam viro scribit rex Theuderichus. *Æquitati fave: eminentiam animi virtute defende ut inter nationum consuetudinem perversam, Gotthorum possis demonstrare justitiam.* & alibi: *imitamini certe Gotthos nostros qui foris prælia, intus norunt exercere Iustitiam.* alibi id se ait agere ut subjecti se doleant sub Gotthorum Imperium tardius venisse, ac sic à se productos Gotthos, ut & armis sint instructi & æquitate compositi: Procopius Theudericho plenissimum reddit curatæ Iustitiæ testimonium, aitque etiam hac laude nullo celebratissimorum regum minorem fuisse. Ejusdem regis modestiam sacerdotalem vocat Ennodius. Æquum ejus imperium Senatui populoque Romano Vitigis in memoriam revocat apud Procopium, itemque Gotthorum ad Belisarium legati. Amalasuntham ut æqui bonique servantissimam non uno in loco idem Procopius laudat. Athalaricus in epistola profitetur se justitiam & clementiam quæ populos nutrit custoditurum, ac commune apud se jus fore Romanis & Gotthis. & alibi Gotthorum laudem vocat modestiam custoditam. Regebat urbem sub Gotthorum regno senatus Romanus: honores Romanis mandabantur: judicabat inter Romanos Romanus: inter Gotthum Romanumque Gotthus & Romanus: justa annonæ pretia, justa pondera ac mensuræ, tributorum mira æquabilitas, sæpe & ex causis eorum remissio. si quid exercitus transiens damni fecisset, id rex missa ad Episcopos pecunia sarciebat: si materia ad classem fabricandam opus esset, pretium ejus persolvebat, pauperibus solatia mittebat, viduarum pupillorumque curam, partem magnam sui muneris ducebat: quæ cuncta apud Cassiodorum locis plurimis ex-

expressa videas. Sidonio Theuderichus ejus nominis secundus Wisigotthorum rex, dicitur,

Romanæ columen decusque gentis.

& apud Claudianum legimus:

Vindicet Arctous violatas advena leges.

de Totila Paulus Warnefredi: *habitavit cum Romanis tanquam pater cum filiis.* Ejusdem Totilæ bonitatem in captos belloque subactos, quæ omne exemplum vinceret, prædicat non uno loco Procopius. estque ejus insigne documentum servata ipsius beneficio Rusticiana Boëthii quondam uxor, femina Gotthico nomini impotenter infensa. Idem Procopius & orationem Totilæ ad milites post captam Neapolim ad commendandam justitiam nobis exhibet lectu dignissimam: splendidissimæ quin etiam per Italiam substructiones Gotthorum magnificentiam testantur, marmoribus ab Oriente petititis; quarum mentio apud Cassiodorum: ut & aquarum deductarum, siccatarum paludum, donati ad culturam soli vacantis, honestissimarumque ad omnes artes fovendas erogationum. Isidorus Romanis per Hispaniam perpetuo ad sua usque tempora ait potiora habita Gotthorum quam Romanorum Imperia. Accedat jam Bremensis testimonium, quod & nostra ætas comprobat, cum omnes ad Septentrionem populi hospitalitate sint insignes, tum præcipuos esse Sueones, quibus omni probro sit gravius hospitium negare transeunti: quin & certamen inter ipsos esse quis dignissimus sit hospitem recipere. Inter leges à Carolo olim Sueonum rege factas, hæc fuisse legitur, ut si quis externo hospitium negasset, ejus domus incenderetur. neque privatis tantum, sed & regibus ducibusque ejectis Suediam tutum fuisse perfugium, præsidiumque contra sævientem fortunam, ne Suedorum scriptis utar, satis loquuntur Danorum historiæ, fide nullos mor-

3 · à magnificentia. [handwritten marginal note]

4 · ab hospitalitate. [handwritten marginal note]

talium ante Germanos esse dictum est vetus jam à Neronis temporibus. hac quoque laude nihil cæteris Germanis concessisse Sueones & Gotthos, tum aliæ historiæ, tum præcipue Procopius satis demonstrat. Temperantia spectatur circa Venerem, victum, cultum. nullam magis morum partem in Germanis laudat Tacitus quam severa matrimonia & seram juvenum Venerem, paucissima adulteria & præsentem pænam. singulis uxoribus eos contentos fuisse, exceptis paucis qui ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiebantur, idem Tacitus dixit: & hunc nobilitatis morem ejus, quæ per Euangelium post supervenit emendationis egentem, ad Sueones etiam pertinuisse Bremensis nos ignorare non patitur. sed addit idem, capitalem fuisse pænam non tantum alienæ uxoris adulteratæ sed & oppressæ virginis. esse inter Gotthos non licet scortatorem Gotthum, ait Salvianus. Quod Tacitus dixit pænam adulteræ marito permissam, idem antiquis Sueonum legibus cautum legimus, & ut corruptor virginis, nisi dittet conditio, aut mortem aut nuptias optet. Hunilam è nobili Gotthorum gente Bonosi uxorem singularis exempli feminam prædicat Vopiscus, etiam Aureliani Imperatoris testimonio. Ex hac institutione Wandali in Africam, ut nos Salvianus docet, ea attulere novæ, incredibilis, inauditæ (hæc enim ejus sunt verba) continentiæ exempla, ut castos etiam Romanos facerent, non tantum gladii pæna conjugum sexus utriusque impudicitiam coërcentes, sed ipsas etiam publicæ libidinis victimas cogentes ad matrimonii fædus veneremque legitimam transire. *nullæ* ait *pene urbes lustris, nullæ omnino impuritatibus vacant, nisi illæ tantum in quibus Barbari esse cœperunt.* & alibi: *quæ Romani polluerant fornicatione, mundant Barbari castitate.* Pudicitiam fæminarum recepta Neapoli, deinde Roma, sancte tu-

tatus

tatus eſt Totilas, ſeverus flagitiorum punitor, quod Procopio notatum. Cibo ſimplice vixiſſe Germanos 2. circa victum. Cæſar, Plinius, Tacitus nos docent, pane, lacte, caſeo, butyro, pecore, ferina, & his ſæpe crudis, interdum & ſalitis, quod notatum Straboni Melæque. talia fuiſſe & Sueonum alimenta, ne indigenarum ſcripta advocem, ſatis ex Saxone Dano diſcas, apud quem Sueonum vetera ſunt carmina eam frugalitatem commendantia, cum gravi inſectatione luxus aliunde invecti. & in Theuderichi Weſtrogotthorum regis convivio cibos, nitore non pretio placentes, notat Sidonius. Wandalos hac in parte corrupit Africæ mollities: in quibus opimas menſas non minus quam balnea, circos, theatra, mimos. magnorum malorum ſemina notat Procopius: cui conſentientia apud Malchum de iiſdem Wandalis legere eſt. ebrietatem, non novum Germanis vitium, accuſat Tacitus aliique. non excuſo: quanquam Plato hoc commune eſſe dixerit bellicoſis gentibus, Scythas, Perſas, Pænos, Celtas, Hiſpanos, Thraces, nominans, quibus Indos addit Ælianus. at facile hos omnes, & illos, unde græcandi natum eſt verbum, vicerit Romana temulentia, qualis Plinio libro XIV. deſcribitur. & tamen hujus culpæ in Septentrionalibus populis partem cælum ſuſtinet, quod circumfuſo frigore calorem penitus in corpora adigens, cogit ſitire. Oſtendit intelligere ſe hoc Theuderichus Weſtrogotthorum rex apud quem Galliis agentem raros ſcyphos pateraſque idem ille Sidonius laudat. Etiam à veſtium ſimplicitate commendat Sueonas Saxo, 3. circa veſtitum. nimirum tenaces veteris Germanorum moris, quibus ſtricta & ortus exprimens veſtis è pecorum ferarumve pellibus. Servarunt id Gotthi, quos paſſim pellitos vocant Claudianus, Sidonius, alii. Idem Sidonius Weſtrogotthorum etiam habitum deſcribens, pedes ait

primos perone ſetoſo talos ad uſque vinctos: genua, crura, ſuras ſine tegmine, veſtem altam, ſtrictam, verſicolorem, vix appropinquantem poplitibus exſertis: manicas ſola brachiorum principia velantes: & in carmine:

Squallent veſtes ac ſordida macro
Lintea pingueſcunt tergo: nec tangere poſſunt
Altatæ ſuram pelles: ac poplite nudo
Peronem pauper nodus ſuſpendit equinum.

At Langobardorum veſtes Paulus VVarnefredi deſcribit, laxas & lineas, ornatas inſtitis latioribus vario colore contextis: calceos ad ſummum pollicem pæne apertos & alternatim laqueis corrigiarum retentos. Ingenium ſunt qui deeſſe Septentrionalibus putant, corporis robore ferocibus. ego literarum ſtudia ſpreta à Gotthis ſatis video, vel ex illa diſceptatione Gotthorum procerum cum Amalaſuntha, quæ apud Procopium eſt. & ſane eorum ſententiam duo circa id tempus experimenta probarunt. Nam Theuderichus Oſtrogotthus, qui ne prima quidem elementa literarum noverat, res Gotthicas ad ſummum gloriæ faſtigium extulit: Theodahatus, vir non literatus tantum, ſed & Græcæ philoſophiæ ſtudiis excultus, eaſdem de ſummo faſtigio in præceps jecit. Abſit, ut, præſertim cum Suedis imperet Regina literarum non minus quam aliis quotquot excogitari poſſent laudibus florentiſſima, literarum utilitati quicquam detraham. Cæterum, ſi dixero adjuvari quidem ab iis prudentiam tam civilem quam militarem, attamen harum utrumque etiam ſine literarum auxilio per ſe poſſe conſiſtere, nec novi quicquam dixero, nec quod alio argumento, quam quod Gotthorum regum exempla nobis ſuppeditant, indigeat. Alarichi quam prudens commentum cum ſervorum ſpecie dono datos juvenes in urbem Romam immiſit,

misit, per quos sibi portæ dicto tempore panderentur? Gizerichi sed & Gelimeris sollertiam prædicat Procopius. Theuderichus vero ille sicut aliis laudibus reges prope omnes ante se, ita & hac prætergressus est: cujus ego rei eundem do testem quem de Iustitia ejus dedi Cassiodorum. prudentiæ enim partes omnes explet id regimen, cujus à Cassiodoro formam descriptam videmus. Deinde vero quantæ subtilitatis illa Theuderichi cum Francis adversus Burgundiones pactio, per quam pecuniæ facta non admodum gravi jactura in partem venit belli præmiorum sine ullo suo suorumve periculo? nec illud mediocris ingenii quod Theudam in Hispania cuncta suopte arbitrio agentem dissimulare quam ulcisci maluit. Suo sane jure dicere rex ille potuit quod apud Cassiodorum est, Gotthos ita factos, ut non minus Romanorum prudentiam caperent quam aliarum gentium virtutem possiderent. Multa Totilæ, multa Valliæ aliorumque facta singularem prudentiam præferentia referre hic possim. unum silere non possum totius Gotthorum populi repertum egregium si successus adfuisset. cum ipsi Belisario regnum & Gotthorum & Italiæ detulerunt, qua conditione si usus esset Belisarius, neque ipse incidisset in quas incidit postea difficultates, & Romanis rebus haud paulo melius consultum fuisset. verum Belisarius, ut apparet, id aut nefas aut intutum Iustiniano vivente existimans, bellum trahebat, ut pecuniæ vim magnam sibi colligeret exercitumque retineret ad occasiones quæ se aliquando ostenderent. quam ille sectatus mediam viam, nec satis ausus est, nec satis providit. Non modicum prudentiæ Gotthicæ argumentum & hoc ab Iohanne Garssia observatum est, quod reges & Ariani & Catholici semper Episcoporum electiones in sua potestate habuere: cui addi & alia potest non minus laudanda cautio, quod

ſubditorum ſuorum neminem permiſere ſe Eccleſiis aut
Monaſteriis mancipare ſuo impermiſſu. Neque tamen
literarum laudem plane à veteribus Gotthis abjudicem,
cum præter Iornandem illum ſive Iordanem Manomi-
rus, Aithanardus, Eldevaldus Gotthorum ſapientes in
Chorographico aliquoties mihi jam memorato nomi-
nentur. Quod ſi vetera documenta non ſuppeterent,
CHRISTINÆ unius conſilia Suedicis ingeniis adeo
prudentiam non deeſſe, ut etiam quod in ea ſummum
eſt conſequi poſſint, cunctis oſtenderent gentibus, qua-
rum nulla eſt quæ non illi ſimiles optet aut Reginas
aut Reges. Si jam à publicis ad privata libeat deſcende-
re, ſolertiſſima Sueonum reperta, ad tuendam valetu-
dinem, ad itinera per montes, nivem, glaciem facienda
ad venatus, piſcatus, aucupia, apud Olaum magnum, ſi
non nitide at diligenter deſcripta apparent: accedenti-
bus & multis minime ſpernendis commentis. Reſtat
nunc illa virtus, unde ad cæteras virtutes fluxit nomen,
quæ in contemnendis periculis verſatur. Huc vero quæ
pertinent facta Sueonum, Gotthorum, VVandalorum,
Langobardorum, Nortmannorum, referre ſi velim, in-
numera deſcribenda mihi ſint hiſtoriarum volumina.
Quantum enim eſt ab Antoninis ad Iuſtinianum, O-
ſtrogotthorum ac VVandalorum, præclaris factis ple-
num eſt. ab hoc tempore ad Caroli Magni Imperium
Langobardorum arma ubique ſe oſtentant. per utrum-
que tempus fulgent ſigna VViſigotthorum. Sequuntur
à Carolo Magno Nortmanni. Sueonum vero domeſti-
cæ laudes per omnia ſemet ſæcula diffundunt. Ne alie-
na tranſcribendo tædio ſim, ſatis mihi erit velut digito
indicare, quas illi populi terras aut pugnantes peragra-
verint, aut victores inſederint. Quo primum tempore
è Scanzia egreſſi ſunt Gotthi explicatius dicere poſſe-
mus, ſi Ablabium haberemus, è quo ſua nobis non
con-

contracta tantum sed & confusa dedit Iornandes. cur id factum arbitrer annis plus trecentis ante Christi tempora, dixi supra: tunc Gotthi Scandza sive Godanavia, quæ Gotlandia nunc dicitur, infessa, mox in continentibus Germaniæ terris Vlmerugos cum expulissent, ibi partem sui reliquere, quam Gotthones Tacitus vocat. non abit hinc quod Bremensis nos docet, multas insulas (ita ille vocat Hebræorum more omnes adjacentes mari regiones) interius, id est citra mare Balticum in Germania Saxonica, ut ille, viventibus, sitas sub imperio fuisse Sueonum, in quibus Curlandiam. nam Æstii illi de quibus diximus supra sub Sueonum Imperio à Saxone ponuntur ante sexdecim sæcula. iidem, ut Bremensis temporibus, ita nunc quoque sub Sueonum sunt regno, nomenque hoc à Sueonibus nacti sunt. terraque similiter, ut ante attigimus, Æstonia dicta, Plinio Austravia, Bremensi Estland, quod Sueonibus ad Orientem objaceat. sic & Rogon id est Rugia insula Suedici juris dicitur Abbati Padensi in literis anni CIↃCCCXLV. Ab his terris Gotthi longo satis itinere nec incruento ad Mæotim venere, ubi pars eorum mansit, & quibus locis fuit Procopii tempore, iisdem in hunc diem habitat, sermonemque & nomen vetus servat ut supra ostendimus. pars major hinc digressa in Daciam venit ibique se primum posuit. quando id factum sit diserte non affirmaverim. Sed ante tempora Antoninorum id factum Spartianus me docet, qui in Caracallæ vita Gotthos ait dictos Getas, quod post ipsum plurimi deinde dixere, Vopiscus, Lætus, Ausonius, Orosius, Hieronymus, Claudianus, Procopius: nimirum duplici concurrente causa, quod & nominis vicinitas deciperet Romanos (quanqam Getarum Thracicum, Gotthorum Germanicum est nomen) & loca tenerent Gotthi, quæ Getarum dicta antiquitus. hinc

 Phi-

Philippo imperante in Mæsiam Thraciamque eos deducit Iornandes, & ab hoc tempore mansisse in Mæsia partem Gotthorum apparet, quos minores Gotthos vocat idem Iornandes: & hi sunt qui acceptas à Græcis literas cæteris Gotthis tradiderunt, quarum ductum habemus apud Iohannem Olaumque Magnos & apud Bonaventuram Vulcanium: Sed apud Romanos scriptores post illum quem dixi Spartiani locum, prima Gotthorum mentio apud Aurelium Victorem à Scotto editum est Decio, quo Imperante in cætera Thraciæ, ex finitima nimirum Dacia, effusos Gotthos narrat, quos Zosimus ut & Zonaras sæpe vocabulo illo communi Scythas vocat, qua de re supra diximus. hoc ipso tempore transgressos Istrum Gotthos Misamque & Nicopolim Romani juris urbes ab iis captas Paulus Warnefredi in miscella historia notat: de Nicopoli capta etiam apud Ammianum mentio Libro XXXI. Valeriano ac Gallieno imperantibus progressi ulterius Gotthi, Græciam, Macedoniam, Pontum Asiamque vastant. habemus id apud Trebellium Pollionem, Eusebium, Zosimum, Eutropium & quem dixi Paulum. Hic Iornandes adjicit Dianæ Ephesiæ templum incensum, direptam Troiam: in reditu Anchialum oppugnatum. Trebellius ex Achaia per Epirum, Acarnaniam, Dæotiam reversos insuper commemorat. Thessalonicam Illyrici ab eis vastatam Paulus addit. Claudio imperante in Mæsia oppugnatam ab iis Marcianopolim, deinde non Macedoniam tantum sed & Illyricum à Gotthis vastata, narrant Zosimus, Eusebius, Eutropius, Orosius, Paulus Warnefredi, cum Iornande in eo consentientes: Hic Cassandreæ Thessalonicæque obsidia addit Zosimus: Maximiano in societatem acceptos præter Iornandem panegyristes illorum temporum nos docet Mamertinus. Servavit

idem

idem Constantinus magnus, operaque Gotthorum in Sarmatas usus est, testibus Paulo Warnefredi, Isidoro, Cedreno. accessit iisdem pars Thraciæ sub Theodosio minore. De Gotthorum progressu à Mæotide ad ea quæ trans Danubium sunt, inde in Thraciam, addendus iis quos diximus Procopius Gotthicorum quarto. Ait rex Gotthorum Atalarichus in epistola, in decimam septimam progeniem stirpem sibi esse regalem: idque Cassiodori labore evidenter ostensum. horum XVII. partim ex ipso Cassiodoro partim ex Iornande & Abbate Vrspergensi, octo invenisse mihi videor: sunt autem isti:

1. Amalus.
2. Ostrogotha.
3. Agathas.
4. Munitaurius.
5. Wandalarius.
6. Theodemir.
7. Theuderichus rex Gotthorum & Italiæ.
8. Amalasuntha.
9. Athalarichus.

fuere autem hi omnes è regia Amali stirpe, non tamen reges omnes. qui eorum regnaverint ex Iornande discas, qui & ante Amalum reges refert. Ei ab Amalo ad Hermanarichum reges Gotthorum hi nominantur

1. Amalus.
2. Isarna.
3. Ostrogotha. Philippo Imperante Romanis.
4. Cniva.
5. Araricus.
6. Geperichus.
7. Hermanarichus.

Hunc Hermanarichum plurimis gentibus, quarum nomina vix intelligere est, imperasse ait Iornandes. earum

rum notiores ſunt, Eruli, Veneti, Æſtii, poſt ejus mortem Wiſigotthi, qui hactenus communem cum Oſtrogotthis ut belli fortunam ita regem habuerant, ſeceſſione facta, ducem Valentis temporibus ſibi fecere Fridigernum aliosque: mox regem dixere Athanarichum deinde Alarichum Balthorum de gente: & mox ex eadem gente perpetuo reges habuere. cæterum Oſtrogotthorum Wiſigotthorumque nomina non tunc primum nata, ſed à patria deportata fuiſſe, tum ex iis quæ ante diximus, Iornandiſque maxime in Scanzia deſcribenda teſtimonio, apparet, tum ex Vopiſco qui circa Claudii tempora Auſtrogotthorum, id eſt Oſtrogotthorum, meminit: & principibus quibusdam nomen ab antiquo Oſtrogotha, ut & jam ex Caſſiodoro oſtendimus & cum de Gepidarum origine ageremus. Oſtrogotthis autem hi fuere reges, poſt Hermanarichum.

8. Winitharius, & ipſe ex Amalis.
9. Hunnimundus. filius Hermanarichi.
10. Thoriſmund, filius Hunnimundi.
11. Walamir filius Wandalarii, qui fratre erat Hermanarichi genitus, Priſco & Malcho βαλάμηρος.
12. Theodemir, frater Walamiris.
13. Theuderichus. Theodemiris filius, rex Italiæ ſupra ſæpe nominatus.
14. Amalaſuntha Theuderichi filia, tutelam gerens Athalarichi filii ſui.
15. Athalarichus filius Amalaſunthæ ex Eutharicho itidem Amalo Theuderichi nepos.
16. Theodahadus. natus ſorore Theuderichi Amalafrida.
17. Witigis. qui Mataſuendam duxit filiam Amalaſunthæ.

18. Ildi-

18. Ildibaldus.

19. Erarichus.

20. Totilas.

21. Teïas in quo desiit regnum Ostrogotthorum.

Ostrogotthi igitur (hos enim præmittam, inde ad Wisigotthos venturus,) Arcadio & Honorio imperantibus invasere Phrigiam, Lydiam, & Pamphyliam; quæ historia apud Claudianum est Zosimumque & Eutropium: Martiano Imperante concessu ejus accepere Pannoniæ partem, ubi Sirmium & Vindonissa, quo tempore ipsos regebat Walamir: Pantaliam Illyrici partem à Zenone huic Walamiri concessam. Malchus in Byzantina historia, cujus fragmentum habemus in collectione de legationibus, nos docet. Sub hoc Walamire ac fratre ejus Theudemire Ostrogotthi longè lateque arma in Hunnos Suevos Sciros Rugiosque & Alemannos intulere, ac victores Macædoniam populati, capto & Illyrici urbe Naisso, Thessaliæ Heraclea & Larissa, rediere in Pannoniam, multaque per Illyricum & Mæsiam non vi sola sed & Romanorum Imperatorum pactione, tenuerunt. Rediit in eandem Pannoniam aut ei vicina frater eorum Widemir, Gallia Italiaque impune impetita. at Theuderichus, cum Sarmatarum regem occidisset puer, Singedonemque & alia cepisset, Constantinopolim territasset armis, cujus rei & Malchus meminit, Italiam à Zenone Imperatore, qui eam defendere nequibat, concessam, Odoacro, qui Italiæ incubabat, devicto atque interfecto, tenuit, filiæque ac nepoti reliquit: quæ apud Iornandem videas, cui consonant Comes Marcellinus Procopiusque. Latissime autem patuit regnum Ostrogotthorum hujus Theuderichi tempore. nam præter Italiam & Siciliam tenebat Rhætiam, Noricum, Dalmatiam, cum Liburnia Istriaque & Suevorum ibi parte, Pannoniam illam in qua Sin-

Singidon & Sirmium, Galliæ præterea multa ob quæ cum Francis bella gessit: pendebant ei tributa Alemanni: Hispaniam autem regebat idem Theuderichus tutoris nomine pro Amalaricho suo nepote, quæ omnia partim apud Procopium, Partim apud Cassiodorum videre est. At Wisigotthi quos contracte Vesas vocat Sidonius, Mæsiam Thraciæque partem cum concessu primum Valentis tenuissent, mox contra fœdera male habiti bello in Romanos sumto Valentem ejusque exercitum occidunt; Constantinopolis suburbium incendunt; Thracias inde, & Daciam Ripensem, non jam precario jure, sed pleno dominatu tenuere: etiam Gratiani temporibus ut præter Iornandem Ammianus Marcellinus, Zosimus, Zonaras,& vulgatus pridem sub nomine Aurelii Victoris liber, Paulusque Warnefredi nos docent. pars eorundem duce Fridigerno Epirum Thessaliam Archaiamque, pars alia sub Alatheo & Safrach Pannoniam incursat, Theodosiumque Imperatorem ad fedus compellit. eo quoque federe non recte servato Alarichus rex, cum Thraciam Græciamque ipse vastasset, ut apud Procopium Zosimum & Eutropium legere est, præmisso Radagaiso per Pannonias invadit Italiam, primusque post Gallos Senonas Romam capit,Honorio Imperium occidentis tenente. fecit idem qui ei successit Athaulfus: & mox desertas à Wandalis Gallias invasit, quæ narrat Isidorus,Procopio aliisque consentiens. Sed jam tempus est ut quomodo Ostrogotthorum regum posuimus nomina ita & Westrogotthorum ponamus, non ex scriptoribus tantum qui exstant, sed ex iis libris quos Bibliothecæ Hispanorum servant.

ORDO

ORDO
REGVM GOTTHORVM
Hiſpaniæ & Eorum Chronologia.
Ex Conciliis Manuſcriptis & Iſidoro & Vulſa.

Varietas in nominibus & annis.	*Æra Augusti.*	*Annus Christi.*	
	407.	369.	Athanaricus una cum Fridigerno, regnat annos tredecim, ſub Valente Imperatore.
	420.	382.	Alaricus & cum eo Redagaſius, regnat annis XXVIII. ſub Theodoſio Imperatore.
Segericus anno uno.	448.	411.	Athaulfus regnat annis VI. ſub Arcadio & Honorio Imperatore. Segericus illico ſuorum dolo interfectus annos XXII. Imperii Honorii & Arcadii, cui ſucceſſit Wallia.
	454.	416.	Wallia regnat annos III.
Theodoredus annos XIV. Auguſtino. Theodoricus.	457.	419.	Theuderedus regnat annos XXXIII. finem extremum clauſit in prælio Cathalaunico, ſub Theodoſio minori Imperatore.
Thorismundus.	490.	452.	Thurismundus regnat annum unum ſub Marciano.
Theodoricus.	491.	453.	Theudericus annos XIII. ſub Marciano Imperatore.
Durico Gregorio Turonenſi annos XXVII. Sigisberto XIX.	504.	466.	Euricus aut Duricus annos XVII. ſub Leone Imperatore.

Ala-

Varietas in nominibus & annis.	*Æra Augusti.*	*Annus Christi.*	
	521.	483.	Alaricus annos XXIII. ſub Zenone Imperatore.
Geſalarius: alii Geſelicus.	544.	506.	Geſalericus annos IV. ſub Anaſtaſio Imperatore.
Theodericus.	549.	511.	Theudericus rex Italiæ pro nepote Almerico regnat in Hiſpania annos XV. ſub Anaſtaſio Imperatore. in conciliis manuſcriptis duo coacta eſſe ſub Theuderico rege lego: primum Tarraconenſe anno ejus .... Æra IↃLV. alterum Gerandenſe anno & Æra ſequente.
	564.	526.	Amalarius annis quinque ſub Iuſtiniano Imperatore.
Theudius.	569.	531.	Theudis ſeu Theudio XVII. annos & menſes quinque, ſub Iuſtiniano Imperatore. concilium Ilerdenſe anno ejus XV. ubi mendoſe in omnibus manuſcriptis legitur Æra IↃLXXXIV. pro Æra IↃLXIV. quod recte convenit cum hac annorum ratione quam ſequimur.
	586.	548.	Theudiſclus annum unum ſub Iuſtiniano Imperatore.
Aguila.	587.	549.	Agila ſeu Aquila annis V. ſub Iuſtiniano Imperatore.
Vulſæ XV. annos & menſes ſex.	592.	554.	Athanagildus annos XIV. ſub Iuſtiniano. Iſidorus ponit inter

Varietas in nominibus & annis.	*Æra Augusti.*	*Annus Christi.*	
			interregnum V. menſium.
Luiba & Loyba.	605.	567.	Liuba annum unum ſub Iuſtino Imperatore minori.
Bedæ Lewigildus, more Gotthorum, qui pro εον ponunt εw.	606.	568.	Leovigildus annis XVIII. ſub Iuſtino minori. Anno XVII. regni, Ermenegildum Hiſpali impie interfecit.
	624.	586.	Reccaredus primus annos XV. ſub Mauritio Imperatore.
Luiba & Loyba.	639.	601.	Liuba ſecundus annos duos ſub Mauricio Imperatore.
Vidoricus.	641.	603.	Wittericus annos ſex, menſes decem.
Gundemirus.	648.	610.	Gundemarus annos duos, menſes decem ſub Phoca Imperatore.
	650.	612.	Siſebutus annos VIII. menſes ſex, ſub Heraclio Imperatore, anno V. Siſebuti Mahometes adverſus Romanos rebellat.
	659.	621.	Reccaredus ſecundus, menſes tres.
Cintila. Santila. Suinthila.	659.	621.	Suintila annos X. ſub Heraclio Imperatore. Is, ut noſtri hiſtorici tradunt, primus pulſis Romanis monarchiam totius Hiſpaniæ obtinuit.
Siſnandus.	669.	631.	Siſenandus annos tres, menſes XI.
Cintila. Sinthilla, Iſidoro Pacenſi. Suin-	674.	636.	Cinthila annos III. menſes VIII. Concilium Toletanum quin-

d

Varietas in nominibus & annis.	*Æra Augusti.*	*Annus Christi.*	
thil in inscriptionibus. Suintila alibi.			quintum primo anno ejus regni coactum. Isidorus Iunior Episcopus Hispalensis primæ sedis moritur.
Tulcas. Tulgas Isidoro Pacensi.	678.	640.	Tulca annos II. menses IV.
Cindasvinthus, Chindalvindus, iidem Isidoro.	680.	642.	Chindaswinthus annos VI. menses VIII.
Recasvinthus Reccesuintus in Inscriptionibus.	687.	649.	Receswinthus annos XXIII. menses sex. Ildefingus anno XVIII. moritur.
Bamba.	710.	672.	Wamba annos VIII. mensem unum. relicto regno vixit in monasterio, melius sibi regnans, & vivens pie & sancte, annos VII. menses III.
Erigius. Ervigius dicto Isidoro.	718.	680.	Ervigius aliis Eringius an. VII. relicto regno creatur Egica.
Egipsa. Egicha, Isidoro.	725.	687.	Egica annos decem solus, quinque cum filio suo Witiza.
Vtiza, Witizanes Isidoro. Witiza. in inscriptionibus.	739.	701.	Witiza annos IX. sine Egua patre.
Rodericus annos III. duos simul cum Vitiza, unum solus.	748.	710.	Rudericus annum unum. Hoc rege nobilissima & antiquissima regum Gotthorum familia ob impios & sceleratos mores Witizæ & Ruderici misere extincta; in prædam barbaris Mauris, tanquam Dei flagello data. universaque nobilitas totumque regnum brevi tempore una funditus eversum.

Wallia

Wallia is est qui Wandalis Silingis oppressis, cæteris autem Wandalorum digressis in Africam, vacuam ab ipsis factam Hispaniam invasit adjecitque secundam Aquitaniam, cum urbibus finitimis quibusdam firmante Honorio, quæ in hunc quoque diem Gotthia latine scribentibus dicitur. meminit hujus Walliæ & Olympiodorus, Theudericus primus Olympiodoro, Theuderus Sidonio, Theuderedus aliis, is est qui contra Attilam stetit cum pro Attila staret Ostrogotthus Walamir. Theudericus secundus is est de quo exstat ejusdem Sidonii epistola qui eum in magna Galliæ parte regnantem vidit, nempe ut ipse explicat, Burdegalæ, in Petrocoriis, Ruthenis, Lemovicibus, Gabalatanis, Elusanis, Vasatibus, Convenis, Ausensibus. ab hoc Suevorum per Hispaniam fracta potentia. Euricus Lusitaniæ pleraque, Cæsaraugustam, Pompejopolim ac vicina, & in Gallia Arelatum & Massiliam subegit. Post Euricum, de Gallia, Narbonensis prima penes Wisigotthos mansit, cætera ejus Ostrogotthis sub Theuderico, Burgundionibusque & Francis tenentibus. Hispaniæ possessio Westrogotthis Anastasii concessione firmata est. accessit & in Africa provincia Tingitana. horum regum Wisigotthorum acta scire qui volet, legat præter Iornandem Isidorumque, Prosperum Aquitanicum, Idacium, Marcellinum Comitem, Victorem Tununensem, Iohannem Abbatem Biclariensem Westrogotthum ortu, Rodericum postremo Toletanum Episcopum. addi his possunt Synodorum acta, in quibus tum aliæ historiæ tum illud consensu omnium ordinum per Hispaniam constitutum reperitur, ne quis nisi de Gotthica gente rex agnosceretur. Neque vero postquam in Hispaniam irrupere Sarraceni periit ibi omne Gotthicum nomen, cum eo sanguine se ortum nunc etiam quod potissimum est per Hispaniam nobilitatis prædicet, testimonium origini nominibus quoque

præbentibus. ſunt enim Gotthica nomina Ferdinandi, Frederici, Roderici, Hermanni aliaque id genus. Sed & reges ipſi Hiſpaniæ è Pelagio ſe genitos credunt credique volunt, qui Favilæ Gotthi filius & quidem ut Mariana vult regia ſtirpe, primus Gotthorum reliquiis in Aſturia collectis in tenui fortuna, ſed in ſpe rerum meliorum, quas Deus tandem dedit, rex appellatus eſt. *ad hunc*, ait Mariana, *Hiſpaniæ reges nunquam interciſa ſerie, cum ſemper aut parentibus filii aut fratres fratribus ſucceſſerint, clariſſimum genus referunt.* Gottha ei & uxor Frouliba nomine: ſed & gener ejus Aldefonſus ex Reccarredi regis fuit ſanguine. Literæ quin etiam in Hiſpania Gotthicæ in publicis, ſacris, privatis manſere ad tempora Ferdinandi primi Ferdinandorum, qui Legionis & Caſtellæ rex fuit, tales quales Wulfhila epiſcopus Valentis temporibus Gotthis tradiderat, ut ex nominato jam aliquoties Roderico diſcimus. Gotthi ſunt igitur & reges & militum fortiſſimi qui ſeptingentorum annorum indefeſſo labore Hiſpaniam tandem ab Arabica eluvie purgarunt. qui deinde ad partem Europæ magnam adjecere Africæ Aſiæque non pauca: & his incognitum tot per ſæcula orbem, ita ut ejus Imperii magnitudo veterum regum limites longe transgreſſa iis qui nunc regnant omnibus formidandam ſe fecerit. Navarræ etiam reges genuinos ſe Gotthos fatentur, ut in Epiſcoporum Pompejopolis catalogo & apud alios ejus gentis ſcriptores legere eſt. Teſtimonium origini præbent mores Gotthici per multa ſervati ſæcula, in regibus ſcuto impoſitis, in judiciis per Reges & duodecim aſſeſſores exercitis, in legibus non extra conventus ordinum factis. Lucas Tudenſis de Carolo Magno agens: *Transjectis etiam Roſcidæ vallis montibus ſubdidit imperio ſuo Gotthos & Hiſpanos, qui erant in Catalonia & in montibus Vaſconiæ & in Navarra.* At nec in Narbonenſi Gallia, quam

quam Balthi reges diu tenuere, ſtirps eorum tota interiit. nam qui gallice. L. ut ante conſonantem ſolet, in u mutato de Baux vocantur, ii in chartis veteribus Latine ſcriptis appellantur Baltii, unde qui orti ſunt avitæ potentiæ partem ſervant principatu Arauſionenſi: aliaque ejusdem familiæ propago in regno Neapolitano principatum Altemeræ, ducatum Andreæ, Comitatum Avellinæ, virtutis non degenerantis, monumenta tenuit. Septimaniæ vero manſit nomen Gotthiæ etiam poſt Carolum Magnum, ut apparet ex diviſione inter filios Caroli Magni, & rurſum inter filios Ludovici, Eulogio Cordubenſi Epiſcopo, Hermanno Contracto. Pars Gotthorum Gepidæ ſunt ut ſupra dixiſſe meminimus. quos ortis ex Scanziæ inſulæ gentibus recte annumerat memoratus mihi Chorographici non editi ſcriptor. hi quoque, ſicut Gotthi, temporibus illis antiquiſſimis conſedere ad Viſtulam, ut Iornandes nos docet. inde Burgundionum victores venere ad utramque, ut Procopius ait, Danubii ripam, multas per incurſiones Romanis infeſti ut Vopiſcus Claudio & Probo oſtendit. Poſtremo Martiano Imperante, pulſis Hunnis in Pannoniæ partes, Hunnis quondam inſeſſas, ſucceſſere. Iuſtiniani temporibus cepere & Daciæ pleraque ut apud Procopium eſt. ab his Gepidis orti ſunt illi Langobardi, quorum prima apud Proſperum Aquitanum mentio eſt Theodoſii temporibus cum regem ſibi fecere Agilmundum. Sedes illis cum gentilibus Gepidis cis Danubium ut Romani loquuntur. docet id nos Procopius. Pannoniam diſertim nominat is quem jam ſæpe adduxi Paulus in Miſcella, & horum vi oppreſſi Gepidæ anno VI. Iuſtini II. Imperatoris finem imperandi fecere, ut Gotthus ille Iohannes nos docet. victus prælio ab iiſdem Langobardis gener Iuſtini & dux Bandarius. Iuſtino cum Tiberius ſucceſſiſſet, venere in Ita-

liam Langobardi atque ibi regem ſibi fecere Autarichum, qui Autharus aliis dicitur. Magnos per Italiam progreſſus Tiberio Mauritioque Romanis imperantibus fecerunt, tenueruntque Italiam ferme omnem extra Romam & Ravennam. hoc regnum per ducentos annos in Italia duravit, ejuſque formidine Roma diu agitata eſt. multæque illuſtres per Italiam familiæ à ducibus Langobardis ortum habent. Reges Langobardorum tum in priori illa ſede, tum poſtquam in Italiam venere, hi ſunt, quorum hiſtoria brevius quidem eſt apud temporum deſcriptores præſertim Iohannem illum Gotthum, amplior vero apud Paulum Warnefredi Langobardum.

1. Agelmundus.
2. Lamiſco.
3. Letha.
4. Hildehoc.
5. Gudehoc.
6. Claffo.
7. Tato.

Poſt hunc VValthan in Manuſcripto ponitur, omittendus ob regnum breve aut controverſum.

8. VVacho.
9. Audoin.
10. Alboinus cum quo Narſes fedus fecit. hujus & apud Menandrum hiſtoricum mentio.
11. Cleph.
12. Antarich Clephi filius, Mauritio Romani Imperatoris coævus.
13. Agilulfus.
14. Adoloaldus.
15. Arioaldus.
16. Rotharis.
17. Rodoaldus. Rothari filius.

18. Ari-

18. Aripertus.
19. Bertaridus.
20. Girmoaldus.
21. Bertaridus.
22. Cunibertus.
23. Liutbertus.
24. Regnibertus.
25. Aripertus.
26. Arisprandus.
27. Liutprandus.
28. Ratchilus.
29. Ahistulfus.
30. Desiderius in quo finiit regnum Langobardorum Caroli Magni tempore.

Gotthorum propagine peracta tempus est ad VVandalos retro me feram, antiquissimos sane, non eo tantum intellectu, quo generale illud nomen plurimos incertæ sedis populos, ut ante dixi, comprehendit: sed quatenus ei significantur, qui se è Scantia ortos prædicabant. Eorum partem jam olim cum Gotthis ad Mæotim consedisse docet nos Procopius Gotthicorum quarto. At illorum VVandalorum, qui ex Gallia Hispaniam, ex Hispania Africam sibi quæsivere, majores per anni tempus ab Oceano sibi natali venere in illam vexatam tot incolis Daciam. hos VVandalos Asdingos cognominatos tradit idem Iornandes. estque & ejus cognominis, & adventus eorum in Daciam, cum diserta temporis notatione, scilicet Aurelio Antonino Romanis imperante, mentio insignis apud Dionem Libro LXXI. exstat idem Asdingorum nomen & apud Priscum Patricium & Magistrum cujus fragmentum in excerptis est de legationibus. Aureliano principe sedisse Vandalos ad Danubium, factoque federe auxilia pollicitos Romanis docent nos Dexippus & Priscus, quem

 dixi,

dixi, in fragmento quod ſervarant eadem illa excerpta de legationibus. Pannoniæ partem eis dedit Conſtantinus. hinc in Gallias ſe intulerunt tempore Honorii, inde ſe in Hiſpaniam promovere VVandali, in Bæticam Silingi qui dicti, cæteri in Gallæciam eique vicina, Godigiſclo rege, cui ſucceſſit Gontharis, qui Alanos in Hiſpania potentes ſubegit: Gonthari Gizerichus Africæ domitor, qui poſſeſſionem Africæ fœdere firmavit Valentiniano Imperante. VVandalici per Hiſpanias Imperii veſtigium ſervat Andaluſia, VVandaloſia dicta olim; id VVandalice *VVandaloth* fuerit. reges VVandalorum ex quo ſedes certas habuere (nominantur enim ante & alii ut Raus, Raptus, VViſimar, Crocus, Fridìdalus.) hi ſunt:

1. Godigiſclus.
2. Guntharis ſive Gunderichus filius Godigiſcli.
3. Gizerichus frater Guntharis ex Godigiſclo, coævus Valentiniano III. & eum ſecutis Imperatoribus Romanis.
4. Hunnerichus filius Gizerichi.
5. Gundamundus, filius Genzonis Gizerichi nepos.
6. Tranſamundus, frater Gundamundi eodem ex patre.
7. Hilderichus. Hunnerichi filius, ex Valentiniani Imperatoris filia: Genzerichi nepos.
8. Gelimer Gelarichi filius, Genzonis nepos, Gizerichi pronepos, in quo deſiit dominatus VVandalorum: poſt annos ferme in Africa centum.

Gizerichus is eſt qui præter Africam, patentem à Gadibus Tripolim uſque, & retro ad Maurorum invia, Sardiniam quoque & Corſicam ſuæ ditionis fecit, Romam diripuit, principeſque feminas, ſupellectilem regiam,

giam, ipſas denique Capitolii auratas tegulas inde quo voluit abduxit. res VVandalorum late proſequuntur Procopius & Zonaras, brevius qui Chronica ſcripſere, præſertim Victor Tunnonenſis. Si quis miretur, quod tanta cum cura dem Latine Procopium, qui finem utriuſque Imperii tum VVandalici tum Oſtrogotthici & ſpectavit ipſe & deſcriptum reliquit poſteris, is conſideret rogo, præter quod in his libris & initia & incrementa Gotthicæ VVandalicæque magnitudinis in tam longinquis regionibus dantur conſpici, ipſos illos regnorum exitus plurima habere quæ tum alios, tum præcipue Sueones, quorum honori ac commodis totum me dedidi, inſtruere poſſint. ego cum Procopium lego, virum exacti in rebus civilibus militaribuſque judicii, & Beliſarii præcipuum ad illorum regnorum excidia adjutorem, non contentus eventus noſſe, in cauſas inquiro. puto autem duas me videre præcipuas. prior eſt quod ille à frigore intus in animos adactus à Septentrione Martius calor paulatim elanguit, mollitie cæli Gallici, Italici, Siculi, Hiſpanici, Africani. pro cælo mutata & vitæ ratio, paulatimque patrius ille rigor locum fecit laxis domibus, balneis, veſtibus ſplendidis, epulis exquiſitis, aliiſque id genus deliciis. Impulere ruentes jam animos externa conjugia, valentes ingenio feminæ & gnaræ quibus vinculis affectus retinerentur: inde alia vincula, communes liberi. altera hæc eſt, quod de partis bello terris victores potiſſimam partem ſibi quiſque jure mancipii accepere, contra vetuſtiſſimum Germanorum morem laudatum Cæſari. Initium id avaritiæ quæ animos haud dubie effeminat. vitam enim contemnere non poteſt niſi qui & voluptates & illam citra fines quos natura præſcribit habendi licentiam contemſerit. Non adeo difficile eſt aliorum errata poſt eventum notare, & ta-

men in ea quoque nonnulla est utilitas. ego existimem utrique huic malo exitiali, ut re apparuit, remedium adhiberi potuisse: priori quidem, si non iidem manere in partis bello locis permissi fuissent, minusque etiam externis se connubiis alligare: quod initio cautum legibus, postea desuevisse video: sed aliqui quotannis sorte aut judicio remissi essent domum, locum facturi aliis inde venturis aut terra aut mari: ita enim perpetua substitutione, ut in externis arboribus fieri solet, mansisset genitalis ille vigor & indomita vis animi, præsertim si & vestui cultuique adhibitæ essent dignæ patria leges, & quæ legibus plus valent principum virorum exempla: neque omissa esset in otio exercitatio militaris, cujus rei magnam Theudericho curam fuisse ex Cassiodoro discimus. alterum vero malum nulla necessitate admissum est, multoque, ni fallor, rectius fuerat, Romano more, quem & prudentissimis in America Inchis regibus placuisse video, agros facere publicos, partem autem fructuum assignare regis regnique usibus, in quibus & sacra comprehendi velim, partem militum stipendiis dum sub signis sunt, & emeritorum præmiis; partem mercede agros colentium. Hæc si curata fuissent, nisi quævis intercurrisset major, puto duratura fuisse Imperia illa magno parentium populorum bono, quando & hodie orti isti à Wisigotthis Hispaniæ reges latissimas à se dissitas provincias illis cautionibus feliciter servant. Postquam Deo visum res Ostrogotthorum Wandalorumque & Langobardorum evertere, ex eadem illa matre virorum Scanzia edidit se Nortmannorum nomen, quorum portio, ut jam dixi, præcipua Sueones, audiri primum in longinquis cœptum locis circa finem sæculi à Christo nato Octavi, ingentem occidentis partem tenente Carolo, cui & rerum & imperii magnitudo nomen ipsi conveniens

veniens dedere. circa id enim tempus inſpectante nec prohibere valente Carolo, infeſti Galliæ littoribus. quadraginta aut paulo minus poſt annis incurſarunt maritimos Flandros Friſioſque ſub quorum nomine tunc & Trajectum ad Rhenum & Hollandia & Walchria comprehendebantur. eademque Friſia anno IↃ C LXXXII. illis pacto data à Francis regibus, & cum eo contenti non eſſent, ſed nunc Lutetiam, nunc Aquitaniam, nunc Ligeri adſita, nunc Belgicæ etiam interiora incurſarent, accepere circa annum Chriſti IↃ CCCC. Caroli ſimplicis fœdere Neuſtriam quæ ab ipſis Nortmannia nunc etiam dicitur; pars alia Britanniæ Armoricæ conceſſione placata eſt. intra id temporis ſpatium vix credibile eſt quot urbes, oppida, caſtella, à Nortmannis incenſa, vaſtata, aut capta ſint, nonnulla plus ſemel. præcipua quæ in hiſtoriis exſtant eorum nomina hæc ſunt Doreſtadum, Antverpia, Witha, Hamburgum, Rhotomagum, Nannetum, Burdegala, Petrocorium, Turonum, Andegavum, Aurelianum, Lutetia, Noviomagum, Pictavum, Leodium, Trajectum ad Moſam, Tungri, Tornacum, Sithin, Cameracum, Teruanna, Ambianum, Corbea, Atrebatum, Bellovacum, Gandavum, Aquægrani, Treveri, Colonia Agrippinenſis, Bonna, Tulpiacum, Volipiacum, Noveſium, Duisburgum, Lovanium, Pons Iſaræ, Trecæ laudi caſtrum. adde jam quod Gallia omnis, quod Scotia vectigales factæ. etiam Hiſpaniæ & Italiæ oras arbitratu ſuo adiere Nortmanni ad annum ferme à Chriſto nato milleſimum, ex illis in Neuſtria Nortmannis fuere qui à bello Syriaco, poſt illuſtres editas operas circa annum Chriſti CIↃ XVIII. redeuntes, magnis rebus contra Saracenos pariter Græcoſque geſtis, Appuliæ locis partim defenſis, partim captis, eos genuere qui ex ea, additis mox Calabria Siciliaque,

liaque, regnum sibi anno CIↃ LXXX. facile pepere-re, quod postea incerto successu tantis Hispanos inter Gallosque annis decertatum est. paulo ante id est anno CIↃ LXVI. ex ejusdem Neustriæ ducibus Wilhelmus Nortmannus Angliæ sibi quæsiverat regnum florentissimum, quod in hunc quoque diem penes ejus posteros manet, maneatque diu. compendio cuncta dixit Rogerius Hovedenus Anglus. *audax Francia Nortmannorum militiam experta delituit. ferox Anglia captiva succubuit, dives Apulia sortita refloruit, Hierosolyma famosa & insignis Antiochia se utraque supposuit.* illud prope omiseram, viros duos, in suæ quemque gentis antiquitatibus magna cum diligentia versatos, gloriam affectare nobilitatis ex Suedica origine. Nam Scotos Giraldus Cambrensis dictos olim ait à Gotthis, unde ortum traherent, Geidelos: eos vero qui Helvetiorum quondam terras tenent Swizzeros à Suedis dictos tradit Guillemannus. Probabilitas utrique dicto inde, quod & qui classe plurimum poterant, iis facile adire Britannias; & crebri per Alpes transitus suasere partem ibi suorum præsidio relinquere. Adde pro Giraldi sententia, quod Caledoniam habitantium rutilas comas, magnos artus ad Germanicæ originis asseverationem jam olim traxit Tacitus: quodque Pictos vetustissimos illorum locorum insessores è Scythia ortos plurimi prodidere, quam Scythiam Germanicam, id est Scanziam, interpretantur Hector Boëtius, Chronicon Belgicum, Buchananus ac postremo Archiepiscopus Hiberniæ Vsscherius, magnæ diligentiæ judiciique vir. Ex qua Scythia & Scotorum nomen atque originem Buchananus deducit. Quæ diximus huc usque de propagatis è Suedia gentibus, si quis defæcato judicio expenderit, inveniet non falso dixisse maximum Imperatorem Carolum ejus nominis quintum, si quis ab stirpe exquisiverit

ſiverit origines nobiliſſimarum per Europam familiarum eas ex Gotthia aut aliis Scanziæ partibus derivatas. Et hæc quidem foris geſta, qui vero domi manſere Sueones, quas res geſſerint in Norwegios, in Danos, in Ruſſos Slavoſque, exſequi ingentis operis res ſit. neque vero noſtræ modeſtiæ eſt, indigenis ac præſertim Iohanni Magno, viro nobili & Vpſalenſi quondam Archiepiſcopo, cum diligentia memorata intervertere. Si quis vero indigenis hac in parte credere nolit, ei quæ externis è ſcriptoribus Saxone & Erico Danici rege excerpſimus, fidem Suedico fortitudinis abunde facient. Ex his quæ laude atque æmulatu digna, addam & quæ emendanda, ſi tamen recte notavimus, facile apparebit Sueonibus primum, deinde & exteris, quæ utilitas ex Procopii hiſtoria percipi poſſit, qui præter res Romanas innumeras Oſtrogotthici & Wandalici imperii initia proceſſuſque ad finem uſque deducit, vir & eruditione præſtans & rerum peritus, Beliſarioque ob id individuus. Orationes inſerit moratas admodum, & ſententiis graves. etiam narrationi large interſerit monita tum civilia, tum militaria, Polybii exemplo. video accuſari eum religionis minus ſinceræ. ego qui cuncta aliorum in partem, quantum potero benigniorem quin interpreter, abduci vix me ſino. video eum controverſiarum ſubtilium quæ Chriſtianam plebem, haud ſatis intelligentem talium, miſere dividebant, ipſumque Imperatorem ſæpe diſtrahebant à neceſſariis reipublicæ negotiis, ſatis eſſe fugientem. cæterum de divina providentia, præmiiſque ac pænis recte ac ſecus factorum multa eum religioſe diſſerere, non omiſſis & vaticiniis & miraculis inſignibus, quale eſt illud de capra infantis nutrice, deque viſis & auditis loqui iis, quibus Ariani linguas radicitus exſecuerant, cujus rei præter Procopium teſtis eſt Ipſe Iuſtinianus
in

in lege quæ eſt codice de præfectis prætorii, Victor præterea Vticenſis & Æneas Gazæus; ſpectatores omnes non minus quam Procopius ejus prodigii. neque ejus eum eſſe ingenii qui diſſentientes à ſe inhumane tractari velit, ſed qui pietatis partem magnam ſitam putet in actu officiorum, innocentiæ primum, deinde & bonitatis: quæ duo tum verbis tum exemplis inculcare nunquam deſinit. Obſervanda vero etiam ipſo interdum præeunte, tum in hiſtoriis aliis, tum in hac maxime divina diſpoſitionis ſublimitas: præſertim ſi Hieronymo, Auguſtino, Oroſio, aliiſque Honorianorum temporum venerandis ſcriptoribus credimus ea quæ in ſacra Iohannis Apocalypſi dicta ſunt de decem populis Imperii quondam Romani ſociis ac federatis, qui deinde illud idem Imperium erant dilaceraturi hic initium capere, ipſamque Romam toties à Gotthis captam, ſpoliatam, nudatam mœnibus, oraculorum de ea urbe editorum continere complementum. ſed de hac re ut cum Procopio loquar, ſit libera cuique ſententia. Vbi deſiit Procopius, incipit ibi ſcribere Agathias cujus ob id ea quæ apud ipſum prima ſunt, rerum autem Gotthicarum ultima, Latine verſa Procopio addidi. Omitti in hac editione non debuit Iornandes Gotthus de Gotthis ſcribens: brevis ſane, interdum & obſcurus, dignus lectu tamen, tum quod ab aliis Romanis & Græcis, quos rerum maxime inſignium teſtes ſupra adduximus, ſcripta confirmet, tum quod ex iis qui nobis periere ſcriptoribus multa ſervaverit. Dexippus ille, quo Iornandes teſte utitur circa Galbuni vixit tempora ut ante monuimus, & exſtant fragmenta ejus quædam è libris de rebus Scytharum, id eſt ut ſupra interpretati ſumus Gotthorum, in excerptis de legationibus. Ablabium vero, cujus itidem auctoritas Iornandi laudata, eundem eſſe puto qui Conſtantio principe

cipe præfectura ornatus prætorii, Ammiano, Marcellino, Eusebio, & Epigrammatis Græcis, memoratur. Deceperit Iornandem interdum antiquitatis ignorantia aut gentis suæ amor. Qui judicio valebit, eum non fugiet, quid sequendum, quid condonandum sit. Iam vero & laudationes duæ Theuderichorum, alterius Wisigotthi, Ostrogotthi alterius, non magis iis, qui fuere, testimonium præbent, quam iis, qui nunc sunt, documentum. Possent illis æquo animo carere qui nunc sunt Gotthi, si regis Gustavi acta haberent aliquo aut scriptore aut suggestore. In eo enim Theuderichos, Gizerichos, Totilas, Teïas omnes denique belli pacisque artes, omnia non tantum quæ regibus, sed & quæ privatis ornamento sunt, nunquam tam plene in unum hominem congesta, reperirent. Interim liceat ea membratim digesta contemplari, quorum in illo cumulum Deus nescio majorene beneficio dederit, an majore in nos ira abstulerit. Isidorus, præter Breviaria Ostrogotthicarum Wandalicarumque rerum, Westrogotthorum acta ad sua deducit tempora, collectis quæ, alibi sparsa, non sine labore quæramus. Langobardicarum rerum unus est proprius scriptor, isque Langobardus, Paulus Warnefredi, editus quidem antehac aliquoties, sed in hoc Scanziæ honori dicato volumine neutiquam omittendus. Addidi historiis & Leges, editas sane jam ante & has, Ostrogotthorum, Westrogotthorum, Wandalorum, Langobardorum; ita persuasus, non minus ex Legibus, quam è rebus gestis populorum, aut in populis eminentium, ingenia conspici. Sordebunt hæc sola Romana mirantibus. Ego in Romanis legibus subtilitatem minima quæque persequentem, varietatem, inconstantiam, video, tantam denique molem, & in mole perplexitatem, ut nemo tam felicis sit memoriæ, cui non sæpe eveniat in leges

incur-

incurſare. At philoſophia legem vult eſſe ſimplicem, brevem, claram; qualia ſunt patrumfamilias in familiam ſuam imperia. Tum vero nihil mutata duratio multum ſecum habet auctoritatis. Hæc ego in Septentrionalium noſtrorum legibus invenire me gaudeo. Atque ita arbitror, ni Deo ipſi ea ſimplicitas præ argutiis placuiſſet, nunquam eum vim ſuam mirificam accommodaturum fuiſſe innocentium populorum legibus, qui innocentiam ſingulorum tactu ignitorum vomerum,& quidem novem,explorabant.Accedit,quod apud complures gentes, fæcundas Iuriſprudentum proventu, iſtas leges, Romanis uſus, judex non falſus, prætulit. In Gallia Theodericianas, non Theodoſianas, valuiſſe leges ait Sidonius. Ex Wiſigotthorum legibus plurima aſſumta in Capitulare Caroli Magni,& Decretum Ivonis. Adeo etiam qui eis legibus non tenebantur, digniſſimas imitatu eas duxere. Poſtquam è Sarracenorum manu recuperari partes Hiſpaniæ cæpere, reſuſcitatæ à Veremundo, Aldefunſo, Ferdinando, ut Rodericus nos docet, Gotthicæ leges: quarum corpus Forum Iudicum & olim & nunc dicitur, fons verus Hiſpanici juris. Iam vero quæ in regno Neapolitano Siculoque valent conſtitutiones, à Frederico II. collectæ pæne omnes, fluunt è legibus Langobardorum. De Feudis vero quæ ab iiſdem Langobardis jam olim moribus erant recepta, eadem apud pleraſque gentes alias ita invaluere, ut partem apud ſingulas juris civilis faciant. Anglia Normannorum legibus etiam nunc regitur. Quæ de maritimis negotiis inſulæ Gothlandiæ habitatoribus placuerunt, tantum in ſe habent tum æquitatis tum prudentiæ, ut omnes Oceani accolæ eo non tanquam proprio, ſed velut gentium jure utantur. Quod ſi cui non ſufficit hæc tot gentium ſæculorumque auctoritas, ſed id exigitur ut ratio cum ratione cer-

certe. percurramus ad collationem instituendam summa capita circa quæ versantur leges. Pertinent leges aut ad publicum aut ad privatum jus. In publico jure primum est ipsa conformatio legum, quæ apud Romanos à voluntate pendebat principis, hominis unius falli mutarique facilis. inde tot repugnantia Imperatorum inter se Edicta solus Iustinianus non tantum vetera novavit pleraque, Triboniani ad omnia vænalis arbitrio, sed ipse de re eadem ter, quater mutavit sententiam. apud vestros illos populos è principe ordinumque dilectis bene expensæ leges tria habebant commoda, quod nihil publice noxium latere poterat inter tot monitores, quod promto animo servabantur quæ communis consensus sanxerat, quod eadem nunquam aut non nisi summa causa urgente mutabantur: morem hunc apud Sueones & laudat & commendat Brigitta prudens femina. Sequuntur publica munera. multa apud Romanos ejusmodi inani sono constantia, Vacantium, honorariorum. tum in quaque provincia præses erat omnia, qui cum omnibus locis adesse non posset à provincialibus magno sumptu, & à rebus cuique suis avocatione adeundus erat. de aulæ Gotthicæ dignitatibus librum non spernendum scripsit Petrus Pantinus, quanquam & sine eo ex Cassiodoro ipsisque legibus ea res satis comprehendi potest. nihil ibi ad speciem, omnia ad utilitatem publicam comparata: non in præcipuis tantum urbium sed in singulis oppidis, in vicis quoque homines fidi plebisque ipsius suffragiis probati, qui jus dicant, tributa dispensent. Privatorum negotiorum summa genera sunt, matrimonia, tutelæ, contractus, alienationes, testamenta, successiones ab intestato, possidendi securitas. Circa matrimonia ad dignitatem ordinum tuendam multum valuit illud quod in Gotthorum est legibus, etiam in

Sueonum moribus Bremensi observatum, ut nec ingenuus libertinam, nec ignobilem nobilis ducere posset: & quia reges supra omnem sortem positi, ideo viduæ eorum nubere non sinebantur. at Iustinianus Imperator à scena conjugem habuit magno principatus dedecore. illud vero antiqui Germanici moris haud immerito Tacito Gotthisque nostris Iohanni & Olao laudatum, quod nulla dos feminis: probitas cuique maritum dabat. ita nec maritalis potestas dote vænum ibat, & columina familiarum, mares, habebant largius unde se utiles patriæ præstarent: Sed & quæ maritus novæ uxori dare posset, arcte definita. Placet & illud quod nubere femina minoris quam ipsa est ætatis viro prohibetur. Tutela non penes natos magis, quam penes cognatos pari sanguinis jure, præcipuusque pupillis tutor princeps ipse. Contractus majorum ætate firmi, nec restitutionibus eludebantur. satius quippe imprudentiæ suæ quemque pœnam luere quam exemplum introduci luxandæ fidei, quæ Germanis semper sanctissima. Æquitas manifesta in eo quod debitor, cui per infortunium pecunia periit, usuras creditori non deberet, quodque is qui rem furtivam bona fide emit, partem pretii dimidiam servat. mancipationes, oppignerationes, ipsaque testamenta palam in jure fiebant, præsente magistratu, inspectante populo, ita ut nullius rei in incerto essent dominia: nec periclitabatur emtor pretio soluto rem perdere per tacitas obligationes & latentia fideicommissa in ipsius damnum eruptura. Liberos qui haberet, ei de tertia bonorum parte legandi liberis jus erat, de quinta tantum extraneis. De intestatorum successionibus quo fundamento nitantur Romanæ leges nemo dixerit, fluxa omnia, temporaria, inter se pugnantia: Simplicissimum illud Septentrionalium, ut qui proximus gradu idem hæres esset, ex-

cepto

cepto quod liberi parentibus præferebantur. Iudicia apud Romanos in immensum tracta, nec rerum tantum sed & vitæ gravi dispendio inter tam longas cruces; apud Septentrionales litigandi temeritas sponsionibus & pignoribus coërcita, ipsis Iudiciis nihil expeditius. in facti quæstione adducebat actor, adducebat reus testes suos. pro utro esset testium major auctoritas, secundum eum lis dabatur. in re ambigua ad jurisjurandi ibatur religionem: id reo deferebatur, sed ita si complures viros exhiberet famæ probatæ, qui se ipsius tanquam viri boni jurijurando credere dicerent. juris rara erat disputatio. si qua esset, non ex infinitis interpretum libris, sed ex planis legum dictis aut ex æquo & bono facile statimque dijudicabatur: possessionis vi turbatæ subita reformatio, eunte in rem præsentem cum testibus judice. Illud ex intima sapientia petitum, quod in delictis duo spectabant, læsum jus privati & læsam societatem publicam quæ legum auctoritate constringebatur. itaque mulctæ duæ pendebantur, quod notatum & Tacito, altera ei qui vindicatur, altera regi aut civitati. hoc *freda* dicitur, quia paci publicæ qui peccavit per eam restituitur illud Wedrigeldium, id est quod pro talione datur. Probo & hoc quod non vilis civium sanguis, nec nisi gravissima capite luebantur, quodque damnatorum bona salva erant liberis. minora satis erat expiari pecunia, aut tradito sonte in servitutem ei in quem peccatum fuerat. Quod in criminum causis provocatio non dabatur haud miror, cum pares de paribus summa religione ac misericordia judicarent. Tales sunt leges quas è Scanzia profecti per omnem prope Europam, per multa etiam Africæ Asiæque circumtulere. Displicet nonnullis quod quædam causarum ambigua singulari certamine disceptanda permittuntur. verum quod Solon dicebat, non optimas

 sim-

ſimpliciter ſe dediſſe leges, ſed optimas earum quas Athenienſes ferre poſſent, idem de aliis legum conditoribus cogitandum eſt. Coguntur illi multa non probanda concedere, & venenum ſæpe veneno expellere. minus certe malum erat duorum periculo rem decertari, præſertim poſtquam ambo moniti eſſent ſerio, ne contra conſcientiam ſumtis armis Deum ſibi inimicum accerſerent, quam totas familias, quod alioqui fiebat, committi inter ſe, & bellum velut civile excitari. Abſtulit hunc morem Chriſtiana religio: bene, ſi & quod facere ipſa nata eſt, niſi nobis nos obſtaremus ipſi, radices, unde iſta pullulant, exſcidiſſet. Legibus ritus congruebant graves & ipſi ac militares. manumiſſio per ſagittam fiebat docente Paulo VVarnefredi: adoptio per arma, quod apud Caſſiodorum eſt. nec regis filius patris menſæ erat particeps, niſi ab alio rege arma accepiſſet. erat & honorarium adoptionis genus inciſo adoptati capillo barbaque, ex eo fluens quod retulimus cum de Langobardorum vocabulo ageremus. mancipatio fiebat rei mobilis aut glebæ feſtucæve conjectione in ſinum emptoris. Multa harum legum rituumque eadem fuiſſe apud eos qui domi manſere Sueonas ex veteribus hiſtoriis apparet. His alia ex iiſdem hiſtoriis addi poſſunt paris ingenii ac propoſiti. quale hoc eſt ad ſtatum publicum ſpectans, ne quem populorum ſuorum rex accedat niſi cauſis ante per nuntios aut literas indicatis: & illud, ne ad judices eatur antequam ad arbitros itum ſit. Servandæ matrimoniorum ſanctitati & concordiæ hæc inventa reperio: ne ex adulterio aut inceſtis concepti capere poſſint plus dimidio Hungarico ex donatione, hæreditate, legato, etiamſi jure legitimorum natalium donati ſint. ne extra nuptias geniti, equites fieri, judicare, teſtimonium perhibere, ſinantur. Vt adulterii comperta

perta mulier bonaque ejus in potestate sint mariti: corruptor corruptam, si par est, ducat: si impar ditet aut moriatur. Viduæ quæ prægnantes se dicunt ex marito ut custodiantur. post decimum mensem partus ne marito asscribatur. ad bonorum societatem successionesque hæc pertinent non spernenda: ut mortui uxor à secundis nuptiis abstinens tertiam bonorum partem ferat: alioqui tertia rerum mobilium parte ac lecto stragulisque contenta sit. stante matrimonio quæ empta sunt ex æquo dividantur: ne mulieris res marito alienare liceat. Raptori hæres sit partus si post XL. dierum hebdomadas est editus. proscriptorum filii ne quid de parentum bonis capiant, nisi ante præscriptionem concepti sint. Femina occisa à propinquis ideo quod uterum ferret, hæres mariti habeatur, bonaque ad propinquos suos transmittat. Illud in Christianæ religionis favorem postea adjectum: mater liberis suis ita succedat si baptizati fuerint. Si vagiens infans auditus esset, fuerat in antiquis legibus, manetque apud Nortmannos & possessos Nortmannis Anglos, contra abortiones scilicet, quo & illa spectat cautio, ne vena mulieri secetur nisi propinquis præsentibus. nec causa caruit, quod Græcorum quam Latinorum mos Sueonibus, jam Christianis, magis placuit, visumque illis è bono publico ut presbyteris uxores justas habere liceret, quod & ex Iohannis Magni historiis & ex Innocentii III. epistola apparet. quodque missos à Pontificibus Romanis, spreto suorum locorum antistite, doctores non receperunt, quod idem ille Iohannes Magnus scribere non inane duxit. Etiamne ad nominum tum communium tum propriorum origines te vocabo, erudite lector? Sed quid ni vocem, cum ille Cæsar, qui tantas rerum mutationes animo agitabat, de vocum mutationibus quæ observaverat scripserit, quæ scripsit ediderit? Non autem

ego, ut alii, linguam mihi quæ nunquam fuit (Cimbricam faceti nugatores vocant) confinxi meo arbitratu, lapidi nimirum regulam aptaturus. Vocum explicationem aut certam aut probabilem, partim ex ipsis legibus historiisque habeo, partim ex aliis antiquissimis libris hominum Germanorum, quibus communis cum Gotthis sermo, is scilicet qui nunc etiam illis ad Mæotim habitantibus manet: cujus nonnulla nobis vocabula Busbequius dedit. Cum eo sermone is qui nunc in Suedia usurpatur manifestam cognationem servat. Præposui huic operi veterum de his gentibus pronuntiata non omnia, immensum enim fuerat, sed præcipua, è quibus earum antiquitas, vires, virtutesque patescant: tanto facienda pluris, quod eorum non pauca à viris proficiscuntur eximiæ sanctitatis, eoque incorruptæ fidei.



ELO-

ELOGIA

veterum de Suedia, Sueonibus populisque è Suedia ortis.

Pomponius Mela Lib. III.

SVper Albim Codanus ingens sinus, magnis parvisque insulis refertus est.

Scripsit Claudii temporibus circa annum Christi XLV.

Deinde:

Septem Hermodes contra Germaniam projectæ, in illo sinu quem Codanum diximus, ex iis *Codanovia*, quam adhuc Teutoni tenent, ut magnitudine alias, ita fecunditate antestat.

ita manuscripti: non Codanonia.

C. Plinius Historiæ naturalis Lib. IV. *cap.* XII.

Scripsit Tito imperante circa annum Christi. LXXX.

Incipit inde clarior aperiri fama ab gente Ingævonum, quæ est prima * inde Germaniæ. Sevo mons ibi immensus, nec Riphæis jugis minor, immanem ad Cimbrorum usque promontorium efficit sinum, qui Codanus vocatur, refertur insulis, quarum clarissima Scandinavia est, incompertæ magnitudinis, portionem tantum ejus, quod sit notum, Hellevionum gente 10 incolente pagis, quæ alterum orbem terrarum eam appellat. Nec est minor opinione Finingia.

* *à Sarmatis.*

Germanorum genera quinque: Vinduli, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones: alterum genus Ingævones, quorum pars Cimbri, Teutoni, ac Cauchorum gentes. proximi au-

tem Rheno Istævones, quorum pars Cimbri mediterranei: Hermiones, quorum Suevi, Hermunduri, Chatti, Cherusci: quinta pars Peucini, Bastarnæ, supradictis contermini Dacis.

Lib. IV. *cap.* XIII.

Vltra deinde Cronium Xenophon Lampsacenus à littore Scytharum tridui navigatione insulam esse, immensæ magnitudinis, Baltiam tradit. eandem Pytheas Basiliam nominat.

Cap. XVI.

Timæus historicus à Britannia introrsus sex dierum navigatione abesse dicit insulam Cattiterim, in qua candidum plumbum proveniat. ad eam Britannos vitilibus navigiis corio circumsutis navigare. sunt & qui alia prodeant, Scandiam, Dumnam Bergos.

Idem Libro XXXVII. *c.* II.

*Pytheas Guttonibus, Germaniæ genti accolis, æstuarium Mentonomon nomine ab Oceano spatio stadiorum sex millium. ab hoc diei navigatione insulam abesse † *Abalum*. illuc vero succinum fluctibus advehi, & esse concreti maris purgamentum. Incolas pro ligno ad ignem uti eo, proximisque Teutonis vendere. huic & Timæus credidit, sed insulam Basiliam vocavit.

* *Massiliensis qui scripsit temporibus Ptolemæi Philadelphi* CCC. *circiter ante Christum natum annis.*

† *Legendum videtur Baltiam ut supra & infra.*

Cap. III.

Certum est gigni in insulis Septentrionalis Oceani, & à Germanis appellari glessum. itaque & à nostris unam insularum ob id glessariam appellatam,

tam, Germanico Cæſare ibi claſſibus rem regente, Auſtraviam à Barbaris dictam.

Ibidem C. V. de adamante.

Metrodorus Sceptius in eadem Germania in Baltia inſula naſci, in qua & ſuccinum.

C. Cornelius Tacitus de Germania.

Scriptus liber altero conſulatu Trajani, circa annum à Christo nato centeſimum.

Trans Lygios Gotthones regnantur, paulo jam addictius quam cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen ſupra libertatem. protinus deinde ab Oceano Rugii, & Lemovii: omniumque harum gentium inſigne, ſcuta, breves gladii, & erga reges obſequium. Suionum hinc civitates, ipſo in Oceano, præter viros armaque claſſibus valent. forma navium eo differt, quod utrimque prora paratam ſemper appulſui frontem agit: nec velis miniſtrantur, nec remos in ordinem lateribus adjungunt. ſolutum, ut in quibuſdam fluminum, & mutabile, ut res poſcit, hinc vel illinc remigium. Eſt apud illos & opibus honos: eoque unus imperat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi. nec arma, ut apud cæteros Germanos, in promiſcuo, ſed clauſa ſub cuſtode, & quidem ſervo: quia ſubitos hoſtium incurſus prohibet Oceanus: otioſæ porro armatorum manus facile laſciviunt. enimvero neque nobilem, neque ingenuum, neque Libertinum quidem armis præponere, regia utilitas eſt. Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis jam ſolis fulgor in ortus edurat, adeo clarus ut ſidera hebetet. Sonum inſuper emergentis audiri, formaſ-

que Deorum & radios capitis aſpici, perſuaſio adjicit. Illuc uſque, ſi vera fama, tantum natura. ergo jam dextro Suevici maris littore Æſtyorum gentes alluuntur: quibus ritus habituſque Suevorum, lingua Britannicæ propior. Matrem Deum venerantur. inſigne ſuperſtitionis, formas aprorum geſtant. id pro armis omniumque tutela, ſecurum Deæ cultorem etiam inter hoſtes præſtat. rarus ferri, frequens fuſtium uſus. frumenta cæteroſque fructus patientius quam pro ſolita Germanorum inertia laborant. Sed & mare ſcrutantur, ac ſoli omnium ſuccinum, quod ipſi gleſum vocant, inter vada atque in ipſo littore legunt. nec quæ natura quæve ratio gignat, ut barbaris, quæſitum compertumve: diu quinetiam inter cætera ejectamenta maris jacebat. donec luxuria noſtra dedit nomen. ipſis in nullo uſu. rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. Succum tamen arborum eſſe intelligas: quia terrena quædam atque etiam volucria animalia interlucent, quæ implicata humore, mox dureſcente materia, cluduntur. Fecundiora igitur nemora lucoſque, ſicut Orientis ſecretis, ubi thura balſamaque ſudantur, ita occidentis inſulis terriſque ineſſe crediderim, quæ vicini Solis radiis expreſſa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempeſtatum in adverſa littora exundant. Si naturam ſuccini admoto igne tentes, in modum tædæ accenditur, alitque flammam pinguem & olentem: mox, ut in picem reſinamque lenteſcit. Suionibus Sitonum cætera ſimiles gentes continuantur. uno differunt, quod femina dominatur. in tantum non modo à libertate, ſed etiam à ſervitute degenerant. hic Sueviæ finis. Peucinorum Venedorumque & Fennorum nationes Germanis an

Confer. Caſſiodorum Lib. V. *epiſt*: II.

an Sarmatis aſcribam dubito. quanquam Peucini, quos quidam Baſtarnas vocant,ſermone,cultu,ſede ac domiciliis, ut Germani agunt. Sordes omnium ac torpor. procerum connubiis mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur. Venedi multum ex moribus traxerunt.nam quicquid inter Peucinos Fennoſque ſilvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia & domos figunt, & ſcuta geſtant, & pedum uſu ac pernicitate gaudent. quæ omnia diverſa Sarmatis ſunt, in plauſtro equoque viventibus. Fennis mira feritas, fœda paupertas. non arma, non equi, non penates: victui herba, veſtitui pellis, cubile humus. Sola in ſagittis ſpes, quas, inopia ferri, oſſibus aſperant. Idem venatus viros pariter ac feminas alit. paſſim enim comitantur, partemque prædæ petunt; nec aliud infantibus ferarum imbriumque ſuffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. huc redeunt juvenes, hoc ſenum receptaculum. id beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus, ſuas alienaſque fortunas ſpe metuque verſare. ſecuri adverſus Deos, ſecuri adverſus homines, rem difficillimam aſſecuti ſunt, ut illis ne voto quidem opus ſit. Cætera jam fabuloſa. Helluſios & Oxionas ora hominum vultuſque corpora atque artus ferarum gerere. quod ego, ut incompertum, in medium relinquam.

C. Iulius Solinus Polyhiſtor. Lib. III. C. XIX.

Scripſit quo tempore incertum, ſed aliquanto poſt Plinium.

Auctor eſt Xenophon Lampſacenus à littore Scytharum in inſulam *Abalciam* triduo navigari. ejus

Legendum ex Plinio Baltiam.

ejus magnitudinem immensam & pene similem continenti.

C. XX.

Scandinavia insula à regione Germaniæ emittit animal quale alces.

deinde.

De Germanicis insulis Scandinavia maxima est, sed nihil in ea magnum, præter ipsam. nam Glesaria dat crystallum, dat & succinum, quod succinum Germani gentiliter vocant Glæsum. qualitas materiæ istius summatim antea, Germanico autem Cæsare omnes Germaniæ oras scrutante, comperta, arbor est pinei generis, cujus mediali autumni tempore succino lacrymat. Succum esse arboris de nominis significatione capessas: verum unde profluit, si usseris, odor indicabit.

Claudius Ptolemæus Geographicorum Libro. II.

ἀπὸ ἀνατολῶν δὲ τῆς χερσονείσου τέσσαρες αἱ καλούμεναι Σκανδίαι. τρεῖς μὲν μικραί.

ὧν ἡ μέση ἐπέχει μοι.	μα	L^s	νη	

μία δὲ μεγίστη καὶ ἀνατολικωτάτη κατὰ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Οὐϊστούλα ποτ.

ἧς τὸ μὲν δυτικώτατον ἐπέχει μοι.	μγ		νη	
τὸ δὲ ἀνατολικώτατον.	μς		νη	
τὸ δὲ ἀρκτικώτατον.	μδ	L^s	νη	L^s
τὸ δὲ μεσημβρινὸν	με		νζ	γο

καλεῖται δὲ ἰδίως καὶ αὐτὴ σκάνδεια, καὶ κατέχουσιν αὐτῆς τὰ μὲν δυτικὰ, χαιδενοί. τὰ δ' ἀνατολικὰ Φαυῶναι καὶ Φιραῖσοι. τὰ δὲ μεσημβρινὰ, γοῦται καὶ δαυκίωνες· τὰ δὲ μέσα, λευῶνοι.

id

id est.

ab orientali parte Cimbricæ Cherſoneſi quatuor Scandiæ nuncupatæ, tres quidem parvæ. ex quibus ea quæ media eſt partes habet.

ex quibus ea quæ media eſt partes habet.	41.	30.	58.	0.

una vero, quæ maxima earum eſt, & maxime orientalis, juxtæ Viſtulæ oſtia:

cujus quidem occidentaliſſima partes habet.	43.		58.	0.
ejus maxime orientalis pars.	46.		58.	0.
pars maxime Septentrionalis.	44.	30.	58.	30.
pars ejus meridionalis.	45.		57.	40.

vocatur autem & hæc proprie Scandia & tenent ipſius occidentalia Chædini. orientalia vero Phavonæ & Phiræſi. Meridionalia Gutæ, & Dauciones. media autem tenent Levoni.

Idem Lib. III.

ἐλάττονα δὲ ἔθνη γέμεται τὴν σαρματίαν. παρὰ μὲν τὸν οὐΐστουλαν ποταμὸν, ὑπὸ τοὺς οὐενέδας, γύθωνες. εἶτα φίννοι· εἶτα βούλονες. ὑφ' οὓς φρουγουνδίωνες· εἶτα αὐαρῖνοι παρὰ τὴν κεφαλὴν τοῦ οὐΐστουλα ποταμοῦ.

id est.

minores gentes tenent Sarmatiam: penes Viſtulam quidem fluvium, ſub Venetis Gythones ſunt. poſt Finni. poſt Bulones, ſub quibus Burgundiones. poſt Varini, juxta caput Viſtulæ amnis.

In tabula Vetere ex Bibliotheca Peutingerorum edita à Marco Velſero.

Lupiones Sarmatæ.
Venadi Sarmatæ.

Auguſtinus de Civitate Dei. Lib. I. *cap.* I.

De Roma ab Alarico capta, quod factum circa annum Chriſti. CCCCX.

Teſtantur hoc martyrum loca & baſilicæ Apoſtolorum, quæ in illa vaſtatione urbis ad ſe confugientes ſuos alienoſque receperunt. Huc uſque cruentus ſæviebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidatoris furor: illo ducebantur à miſerantibus hoſtibus, quibus etiam extra illa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui ſimilem miſericordiam non habebant. qui tamen etiam ipſi alibi truces atque hoſtili more ſævientes, poſteaquam ad loca illa veniebant, ubi fuerat interdictum, quod alibi jure belli licuiſſet, tota feriendi refrænabatur immanitas, & captivandi cupiditas frangebatur.

Ejusdem Libri. cap. V I I.

Quod autem novo more factum eſt, quod inuſitata rerum facie immanitas barbara tam mitis apparuit, ut ampliſſimæ baſilicæ implendæ populo cui parceretur eligerentur & decernerentur, ubi nemo feriretur, unde nemo raperetur, quo liberandi multi à miſerantibus hoſtibus ducerentur, unde captivandi nulli nec à crudelibus hoſtibus abducerentur, hoc Chriſti nomini, hoc Chriſtiano tempori tribuendum, quiſquis non videt, cæcus: quiſquis videt nec laudat, ingratus: quiſquis laudanti reluctatur, inſanus eſt.

Lib.

Lib. III. *cap.* XXIX.

Galli quidem trucidaverunt ſenatum, quicquid ejus in urbe tota, præter arcem Capitolinam, quæ ſola utcunque defenſa eſt, reperire potuerunt. Sed in illo colle conſtitutis auro vitam ſaltem vendiderunt, quam & ipſi ferro rapere non poſſent, poſſent tamen obſidione conſumere. Gotthi vero tam multis ſenatoribus pepercerunt, ut magis mirum ſit quod aliquos peremerunt.

Paulus Oroſius Hiſtoriarum quas S. Auguſtino inſcripſit Libro. VII.

Adeſt Alaricus, trepidam Romam obſidet, turbat, irrumpit: dato tamen præcepto prius, ut ſi qui in ſancta loca, præcipueque in ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli baſilicas confugiſſent, hos inprimis inviolatos ſecuroſque ſinerent. tum deinde, quantum poſſent prædæ inhiantes, à ſanguine temperarent.

Barbarus vero ad reverentiam religionis timore Dei & fide virginis motus, ad Alaricum hæc per nuntium retulit: qui continuo reportari ad apoſtoli baſilicam univerſa ut erant, vaſa imperavit: virginem etiam ſimulque omnes, qui ſe adjungerent, Chriſtianos eodem cum defenſione deduci.

Anno itaque ab urbe condita cIↃ. IↃ. LXIV. irruptio urbis per Alaricum facta eſt.

Claudianus ſecundo in Eutropium de Oſtrogotthis.

Scripſit circa eadem quibus hi qui antecedunt tempora.

Vindicet Arctous violatas advena leges:
Barbara Romano ſuccurrant arma pudori.

C. So-

Scriptum Paulo post annum Christi. Iↄ. CLVI.

C. Sollius Apollinaris Sidonius Carmine de Narbone.

Hinc te * Martius ille rector, atque
Magno patre prior, decus Getarum,
Romanæ columen salusque gentis,
Theuderichus amat, sibique fidum
Adversos probat ante per tumultus.

* *Theuderichus* II. *Rex Wisigotthorum qui cum Maioriano Augusto fedus fecerat.*

Floruit circa annum Christi. CCCCL.

Salvianus Episcopus Massiliensis de gubernatione Dei Libro. V.

Interim, quia duo superius barbarorum genera vel sectas esse memoravimus, paganorum atque hæreticorum, quia de paganis jam, ut arbitror, satisfecimus, de hæreticis quoque ut causa poscit, subjiciamus, potest enim quispiam dicere, etiamsi à paganis lex divina non exigat, ut mandata faciant, quæ non sciunt, certe ab hæreticis exigit, qui sciunt. eadem enim etiam illos legere quæ nos legimus, eosdem apud illos prophetas Dei, eosdem Apostolos, eosdem Evangelistas esse: ac per hoc aut non minus ab illis legem negligi quam à nobis, aut etiam multo magis. quia cum eadem legant scripta quæ nostri, multa faciunt deteriora quam nostri. Vtrumque ergo videamus. eadem, inquis, legunt illi quæ leguntur à nobis. quomodo eadem quæ ab auditoribus quondam malis & male sunt interpolata & male tradita? ac per hoc jam non eadem, quia non possunt penitus dici ipsa, quæ sunt in aliqua sui parte vitiata. incolumitatem enim non habent, quæ plenitudinem perdiderunt: nec statum suum omnino servant, quæ sacramentorum virtute privata sunt. Nos ergo tantum scripturas sacras

ſacras, plenas, inviolatas, integras habemus, qui vel in fonte ſuo bibimus, vel certè de puriſſimo fonte hauſtas per miniſterium puræ tranſlationis haurimus. nos tantummodo bene legimus: atque utinam quam bene legimus, tam bene adimpleremus. Sed vereor, quod qui non bene obſervamus, nec bene lectitemus: quia minor reatus eſt ſancta non legere, quam lecta violare. cæteræ quippe nationes aut non habent legem Dei, aut debilem & convulneratam habent, aut per hoc, ut diximus, non habent quia ſic habent: nam & ſi qui gentium barbararum ſunt, qui in libris ſuis minus videantur ſcripturam ſacram interpolatam habere vel laceratam, habent tamen veterum magiſtrorum traditione corruptam, ac per hoc traditionem potius quam ſcripturam habent, quia hoc non retinent quod veritas legis ſuadet, ſed quod pravitas malæ traditionis inſeruit. Barbari quippe homines Romanæ, imo potius humanæ eruditionis expertes, qui nihil omnino ſciunt, niſi quod à doctoribus ſuis audiunt, quod audiunt hoc ſequuntur. ac ſic neceſſe eſt eos, qui totius literaturæ ac ſcientiæ ignari ſacramentum divinæ legis doctrina magis quam lectione cognoſcunt, doctrinam potius retinere quam legem. itaque eis traditio magiſtrorum ſuorum & doctrina inveterata quaſi lex eſt, qui hoc ſciunt, quod docentur. Hæretici ergo ſunt, ſed non ſcientes. denique apud nos ſunt hæretici: apud ſe non ſunt. nam in tantum ſe Catholicos eſſe judicant, ut nos ipſos titulo hæreticæ appellationis infament. Quod ergo illi nobis ſunt, & hoc nos illis. nos eos injuriam divinæ generationi facere certi ſumus, quod minorem patre filium dicant: illi nos injurioſos patri exiſtimant quia eſſe æquales credamus. Veritas apud nos eſt,

ſed illi apud ſe eſſe præſumunt. honor Dei apud nos eſt, ſed illi hoc arbitrantur honorem divinitatis eſſe quod credunt. inofficioſi ſunt, ſed illis hoc eſt ſummum religionis officium. Impii ſunt, ſed hoc putant veram eſſe pietatem. errant ergo ſed bono animo errant non odio, ſed affectu Dei, honorare ſe dominum atque amare credentes. quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æſtimant caritatem. qualiter pro hoc ipſo falſæ opinionis errore in die Iudicii puniendi ſint, nullus poteſt ſcire, niſi Iudex. interim iccirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos, etſi non recte credere, affectu tamen piæ opinionis errare: maxime cum ſciat eos ea facere quæ neſciunt: noſtros autem negligere quod credunt: ac per hoc illos magiſtrorum peccare vitio, noſtros ſuo: illos ignorantes, noſtros ſcientes: illos id facere quod putent rectum, noſtros quod ſciant eſſe perverſum. & ideo juſto judicio illos patientia Dei ſuſtinet, & nos animadverſione caſtigat: quia ignoſci aliquatenus ignorantiæ poteſt, contemtus veniam non meretur. Sic enim ſcriptum eſt. ſervus qui neſcit voluntatem domini ſui, & non facit eam, vapulabit paucis; qui autem ſcit eam & non facit, vapulabit multis. non ergo miremur, quod multis cædimur, quia non inſcientia ſed rebellione peccamus. ſcientes enim bona non bene agimus & diſcretionem recti ac pravi intelligentes, prava ſectamur: legem legimus & legitima calcamus. & ad hoc tantum præceptorum ſacrorum ſcita cognoſcimus ut gravius poſt interdicta peccemus. Deum colere nos dicimus, & diabolo obtemperamus. & poſt hæc volumus ut bona à Deo accipiamus, cum malis ſemper mala addamus. fieri voluntatem no-

ſtram

ſtram à Deo cupimus, cum Dei nos facere nolimus. quaſi ſuperiores nos Deo agimus. volumus ut voluntati noſtræ Deus jugiter pareat, cum omnes nos voluntati ejus jugiter repugnemus. Sed ille juſtus eſt, etſi nos ſimus injuſti. caſtigat enim quos caſtigandos putat, patitur quos putat eſſe patiendos. utrumque ad unam rem vult proficere, ut & caſtigatio in Catholicis peccandi refrænet libidinem, & quandoque hæreticos patientia Dei faciat plenam fidei cognoſcere veritatem: maxime cum ſciat eos forſitan Catholica non indignos fide, quos videat Catholicis vitæ comparatione præſtare. Omnes autem iſti de quibus loquimur, aut Wandali ſunt aut Gotthi. nam de Romanis hæreticis, quorum innumera multitudo eſt, nihil dicimus, neque aut Romanis eos aut barbaris comparamus, quia & infidelitate Romanis ſunt deteriores, & fæditate vitæ barbaris turpiores. Sed hoc nos non ſolum non juvat, ſed etiam ſupra id quod à nobis ipſi gravamur, gravat, quia & ii quos tales eſſe cauſamur Romani ſunt. unde intelligere poſſumus quid mereatur omnis Romana reſpublica, cum pars Romanorum offendat Deum vita, pars & infidelitate pariter & vita: ſalvo eo, quod ipſæ quondam etiam hæreſes barbarorum de Romani magiſterii pravitate fluxerunt. ac proinde etiam hoc noſtrum eſt crimen, quod populi barbarorum hæretici eſſe cæperunt. Porro autem quantum ad converſationem Gotthorum aut Wandalorum pertinet, quid eſt in quo eis aut præponere nos aut etiam comparare poſſimus? ac primum ut de affectu ac caritate dicam, quam præcipuam Dominus docet eſſe virtutem, & quam non ſolum per omnes ſcripturas ſacras, ſed etiam per ſe ipſe commendat, dicens: in

f 2 hoc

hoc ſcietur, quod diſcipuli mei eſtis, ſi vos invicem diligatis: omnes ſe fere barbari, qui modo ſunt unius gentis ac regis, mutuo amant; omnes pene Romani ſe mutuo perſequuntur. quis enim civis non invidet civi? quis enim plenam vicino exhibet caritatem? omnes quippe à ſe, etſi loco non abſunt, affectu abſunt: etſi habitatione junguntur, mente disjuncti ſunt. atque utinam hoc vel ſit peſſimum malum, utinam cives tantum atque vicini. illud eſt gravius, quod nec propinqui quidem propinquitatis jura conſervant. quis enim ſe proximis ſuis proximum reddit? quis ſolvit caritati, quod ſe agnoſcit debere vel nomini? quis hoc eſt animo quod vocatur? quis tam propinquus corde, quam ſanguine? in quo non luridus malevolentiæ Zelus ardet? cujus non ſenſum livor invaſit? cui non proſperitas aliena ſupplicium eſt? quis non bonum alterius, malum ſuum credit? cui ita ſufficit felicitas ſua, ut etiam alium velit eſſe felicem? novum & inæſtimabile nunc in plurimis malum eſt: parum alicui eſt ſi ipſe ſit felix, niſi alter fuerit infelix. Iam vero illud quale, quam ſævum, quam ex hac ipſa impietate deſcendens, quam alienum à barbaris, quam familiare Romanis, quod ſe invicem exactione proſcribunt: imo non invicem, (nam hoc tolerabilius forte eſſet, ſi pateretur quiſque quod fecerat) ſed illud gravius eſt, quod plurimi proſcribuntur à paucis, quibus exactio publica peculiaris eſt præda, qui fiſcalis debiti titulos faciunt quæſtus eſſe privatos: & hoc non ſummi tantum, ſed penè infimi, non judices ſolum ſed etiam judicibus obſequentes. quæ enim ſunt non modo urbes, ſed etiam municipia atque vici, ubi non quot curiales fuerint, tot tyranni

ranni ſunt: quanquam forte hoc nomine ſibi gratulentur, quia potens & honoratum eſſe videtur. nam & latrones ferme omnes gaudent & glorian- tur, ſi atrociores admodum quam ſunt eſſe dicantur. Quis ergo, ut dixi, locus eſt ubi non à principalibus civitatum, viduarum & pupillorum viſcera devorentur, & cum his ferme omnium ſanctorum? nam & hos quaſi viduas & pupillos habent, qui tueri ſe aut pro ſtudio profeſſionis ſuæ nolunt, aut pro innocentia atque humilitate non poſſunt. Nemo itaque horum tutus eſt, nec ulli admodum, præter ſummos, à vaſtatione latrocinii populantis immunes, niſi qui ipſis latronibus par eſt in hac conditione. imo in hoc ſcelus res devoluta eſt, ut niſi quis malus fuerit, ſalvus eſſe non poſſit. Sed videlicet cum tot ſint qui bonos vaſtant, ſunt fortaſſe aliqui qui in hac vaſtatione ſuccurrant, qui, ut ſcriptum eſt, eripiant egenum & pauperem de manu peccatoris, non eſt qui faciat bonum, non eſt penè uſque ad unum. ideo dixi penè uſque ad unum. quia tanta eſt raritas bonorum, ut penè unus eſſe videatur. Quis enim vexatis atque laborantibus opem tribuat, cum improborum hominum violentiæ etiam ſacerdotes Domini non reſiſtant? nam aut tacent plurimi eorum; aut ſimiles ſunt tacentibus, etiamſi loquantur: & hoc multi non inconſtantia, ſed conſilio, ut putant, atque ratione. exſertam enim veritatem proferre nolunt, quia eam aures improborum hominum ſuſtinere non poſſunt: nec ſolum refugiunt, ſed etiam oderunt & exſecrantur: & non modo auditam non reverentur aut metuunt, ſed etiam majore ſuperbientes pertinacia perduellionem contemnunt. Et ideo tacent etiam qui loqui poſſunt,

 dum

dum ipſis interdum malis parcunt; nec volunt eis vim apertæ promere veritatis, ne faciant eos ingeſta acrius veritate pejores. Inter hæc vaſtantur pauperes, viduæ gemunt, orphani proculcantur intantum, ut multi eorum & non obſcuris natalibus editi, & liberaliter inſtituti ad hoſtes fugiant, ne perſecutionis publicæ afflictione moriantur; quærentes ſcilicet apud barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos barbaram immanitatem ferre non poſſunt. & quamvis ab his ad quos confugiunt diſcrepent ritu, diſcrepent lingua, ipſo etiam, ut ita dicam, corporum & induviarum barbaricarum fætore diſſentiant, malunt tamen in barbaris pati cultum diſſimilem, quam in Romanis injuſtitiam ſævientem. Itaque paſſim vel ad Gotthos vel ad Bagaudas, vel ad alios ubique dominantes barbaros migrant: & commigraſſe non pænitet. malunt enim ſub ſpecie captivitatis vivere liberi, quam ſub ſpecie libertatis eſſe captivi. Itaque nomen civium Romanorum, aliquando non ſolum magno æſtimatum, ſed magno emptum, nunc ultro repudiatur ac fugitur: nec vile tantum ſed etiam abominabile pæne habetur. Et quod eſſe majus teſtimonium Romanæ iniquitatis poteſt, quam quod plerique & honeſti, & nobiles, & quibus Romanus ſtatus ſummo & ſplendori eſſe debuit & honori, ad hoc tamen Romanæ iniquitatis crudelitate compulſi ſunt, ut nolint eſſe Romani. Et hinc eſt quod etiam hi qui ad barbaros non confugiunt, barbari tamen eſſe coguntur, ſcilicet ut eſt pars magna Hiſpanorum & non minima Gallorum: omnes denique quos per univerſam Romanam urbem fecit Romana iniquitas jam non eſſe Romanos.

Idem

Idem Libro VII.

Quæ cum ita ſint, numquid eſt aliquid quod amplius dici poſſit? Sed adhuc tamen addamus, ſcilicet quod multi hæc agunt quotidie inter hoſtes ſiti, & quotidiano diſcrimine ac timore captivi. cumque ob impuriſſimam vitam traditi à Deo barbaris fuerint, impuritates tamen ipſas etiam inter barbaros non relinquunt. Sed tales forte hoſtes ſunt inter quos agunt, ut eos iſta delectent, & offendantur graviſſime, ſi cum impudici ſint, videant caſtos eſſe Romanos, quod ſi ita eſſet, nequaquam tamen facere nos improbos improbitas deberet aliena. quia quemlibet hominum magis ſibi præſtare convenit ut ſit bonus, quam alteri ut ſit malus. & plus id laborandum eſt ut placeamus Deo per honeſtatem quam ut hominibus per impuritatem: ac proinde etiamſi inter impudicos quis barbaros vivat, magis tamen pudicitiam amet, ſiquidem quæ ſibi expedit, quam impudicitiam quæ impuris hoſtibus placet. Sed quid accedit inſuper ad mala noſtra? inter pudicos barbaros impudici ſumus. plus adhuc dico. offenduntur barbari ipſi impuritatibus noſtris. eſſe inter Gotthos non licet ſcortatorem Gotthum: ſoli inter eos præjudicio nationis ac nominis permittuntur impuri eſſe Romani. & quæ nobis, rogo, ſpes ante Deum eſt? impudicitiam nos diligimus, Gotthi exſecrantur: puritatem nos fugimus, illi amant: fornicatio apud illos crimen atque diſcrimen eſt, apud nos decor. & putamus nos ante Deum poſſe conſiſtere? putamus nos poſſe ſalvos eſſe, quando omne impuritatis ſcelus, omnis impudicitiæ turpitudo à Romanis admittitur, & à barbaris vindicatur? Hic nunc illos requiro, qui me-

liores nos putant esse quam barbaros. dicant quid horum vel paucissimi Gotthi faciunt, vel quid non horum Romani omnes, vel pene omnes. & miramur si terræ vel Aquitanorum vel nostrum omnium à Deo barbaris datæ sunt, cum ea quæ Romani polluerant fornicatione, nunc mundent barbari castitate? Sed forte hoc in Aquitaneis tantum. Transeamus etiam ad alias mundi partes, ne de solis tantummodo Gallis dixisse videamur. Quid Hispanias nonne vel eadem vel majora forsitan vitia perdiderunt? quas quidem cælestis ira etiamsi aliis quibuslibet barbaris tradidisset, digna tamen flagitiorum tormenta toleraverunt puritatis inimici. Sed accessit hoc ad manifestandam illis impudentiæ damnationem, ut Wandalis potissimum, id est publicis barbaris, traderentur. Dupliciter in illa Hispanorum captivitate Deus ostendere voluit, quantum & odisset carnis libidinem, & diligeret castitatem, cum & Wandalos ob solam maxime pudicitiam illis superponeret, & Hispanos ob solam vel maxime impudicitiam subjugaret.

Idem Libro VII.

At non ita Gotthi, non ita Wandali, malis licet doctoribus instituti. meliores tamen in hac parte quam nostri. offendi quosdam quamvis suspicer his quæ diximus: sed quia veritas magis quam offensio cogitanda est, dicam & sæpe dicam: non ita Gotthi, non ita Wandali, qui & in discrimine positi opem à Deo postulant, & prosperitatis suæ munus divinis nominibus appellant. denique probavit hoc bello proximo infelicitas nostra. cum enim Gotthi metuerent, præsumpsimus nos: nos in viribus spem ponere, illi in Deo. cum pax ab illis

illis poſtularetur, à nobis negaretur: illi Epiſcopos mitterent, nos repelleremus: illi etiam in alienis ſacerdotibus Deum honorarent, nos etiam in noſtris contemneremus. prout actus utriuſque partis, ita & rerum terminus fuit: illis data eſt in ſummo timore palma: nobis in ſumma elatione confuſio. vere & in nobis tunc, & in illis, evidenter probatum fuit illud Domini noſtri dictum, quoniam qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. illis enim exaltatio data eſt pro humilitate, nobis pro elatione dejectio. namque agnovit hoc ille * dux noſtræ partis, qui eandem urbem hoſtium, quam eodem die victorem ſe intraturum eſſe præſumpſit, captivus intravit. probavit ſcilicet quod propheta dixit, quia non eſt hominis via ejus, nec viri eſt ut ambulet & dirigat greſſus ſuos. nam quia viam ſuam juris ſui exiſtimavit, nec greſſum directionis habuit, nec viam ſalutis invenit. Effuſa eſt, ut legimus, abjectio ſuper principem: ſeductus eſt in invio, & non in via: & ad nihilum deductus eſt velut aqua decurrens. in quo quidem, præter ipſam rerum infelicitatem, præſens judicium Dei patuit, ut quicquid facturum ſe putarat, ipſe pateretur. nam quia ſine divinitatis auxilio ac Dei ductu capiendum à ſe hoſtem credidit, ipſe captus eſt. conſilii ac ſapientiæ ſummam uſurpavit, ignominiam temeritatis incurrit: vincula quæ aliis paravit, ipſe ſuſtinuit. & quod, rogo, evidentius Dei judicium eſſe potuit, quam ut habens prædatoris fiduciam, præda fieret?

* *Litorius qui Toloſam capere ſperans à Gotthis captus eſt, Theodoſio minore Imperante & Conſule cum Feſto. vide Sidonium Panegyrico Aviti & Idacium Chronico.*

Idem Libr. VII. *de Gubernatione Dei.*

Iterum, quia dolor exigit, ab his qui iraſcuntur requiro, in quibus hæc barbaris gentibus aut facta

ſint unquam, aut fieri publica impunitate licuerit. denique ne longius hac de re ambigere aut inveſtigare neceſſe ſit, ipſos illos Africæ vaſtatores Afrorum populis comparemus. Videamus quid ſimile à Wandalis factum ſit. & certe barbari elatione tumidi, victoria ſuperbi, delitiarum ac divitiarum affluentia diſſoluti: qui profecto, etiamſi continentiſſimi & caſtiſſimi ſemper fuiſſent, mutari tamen cum tanta rerum obſecundantium felicitate potuerunt: ingreſſi ſcilicet, ut divinis literis ſcriptum eſt, terram lacte & melle manantem, fæcundam, opulentiſſimam, omnium deliciarum copiis quaſi ebriam: in qua utique minime mirum fuerat, ſi luxuriaſſet gens barbara, ubi ſimilis quodammodo luxurianti erat ipſa natura. ingreſſos hæc loca Wandalos quis non putet, omni ſe vitiorum atque impuritatum cœno immerſiſſe, aut, ut leniſſime dicam, ſaltem illa feciſſe quæ ab Afris jugiter facta fuerant, in quorum jura migrarant? & certe ob ea tantum continentiſſimi ac modeſtiſſimi judicandi erant, quos non feciſſet corruptiores ipſa felicitas. quotus enim quiſque ſapientium eſt, quem ſecunda non mutent, cui non creſcat cum proſperitate vitioſitas? ac per hoc temperantiſſimos fuiſſe Wandalos eſt certum, ſi quales illi fuerunt, qui capti ac ſubjugati ſunt, tales illi fuiſſent victores. igitur in tanta affluentia rerum atque luxuria, nullus eorum mollis effectus eſt. numquid parum videtur? ſed familiariter etiam hoc nobiles fecere Romani. ſed quid adhuc addo? in illis nullus vel qui Romanorum, illic mollium, pollueretur inceſtu. certe hoc apud Romanos jam pridem tale exiſtimatum eſt, ut virtus potius putaretur eſſe quam vitium: & illi ſe magis viribus præditos eſſe crede,

crederent, qui maxime viros feminei uſus probroſitate fugiſſent. unde etiam illud fuit, quod lixis puerorum quondam exercitus proſequentibus, hæc quaſi bene meritis expeditionibus ſtipendia laboris decernebantur, ut quia viri fortes eſſent, viros in mulieres demutarent. pro nefas: & hoc Romani, plus adeo: & hoc Romani, non hujus temporis: attamen, ne veteres accuſemus, Romani, ſed non antiqui, jam ſcilicet corrupti, jam diſſoluti, jam ſibi & ſuis diſpares & Græcis quam Romanis ſimiliores: ut (quod jam diximus) minime mirum ſit, ſi Romana reſpublica aliquando patitur, quod jam ſæpe diu meretur. Hæc ergo impuritas in Romanis & ante Chriſti Euangelium eſſe cæpit, &, quod eſt gravius, nec poſt Euangelium ceſſavit. & quis poſthac non admiretur populos Wandalorum, qui ingreſſi urbem opulentiſſimam, ubi hæc omnia paſſim agebantur, ita delitias corruptorum hominum adepti ſunt, ut corruptelas morum repudiarent, & uſum bonorum poſſiderent, malorum inquinamenta vitantes. ſufficere igitur ad laudem eorum hæc poſſunt talia, etiamſi alia non dicam. abominati enim ſunt virorum impuritates. plus adhuc addo, abominati etiam feminarum, horruerunt luſtra ac lupanaria. horruerunt concubitus contactuſque meretricum. numquid hoc credibile ullis videri poteſt, Romanos hæc admiſiſſe, barbaros horruiſſe, aut, numquid eſt poſt iſta quæ diximus, quod dici poſſe videatur? ſed eſt tamen, & multo plus eſt. nam quod vitaſſe eos res fædas diximus, minus eſt. poteſt enim quis inhoneſta horrere, non tollere. illud magni ac ſingularis eſt meriti, non ſolum ipſum labe non pollui, ſed providere etiam ne unquam alii polluantur. procurator enim eſt ſalutis humanæ, qui non tan-

tantum id agit ut bonus ſit, ſed efficere hoc nititur, ut alii mali eſſe deſiſtant. grande eſt profecto quod dicimus, grande ac ſupereminens. Quis credat Wandalos in civitatibus Romanis iſta feciſſe? remota quippe eſt ab illis omnis carnis impuritas. at quomodo remota? non ſicut removeri aliqua à Romanis ſolent, qui ſtatuunt non adulterandum, & primi adulterant. ſtatuunt non furandum, & furantur: quamvis pene non poſſim dicere quod furentur: non enim ſunt quæ agunt furta, ſed latrocinia. punit enim judex in alio peculatum, cum ſit ipſe peculator: punit rapinam, cum ſit ipſe raptor: punit ſicarium, cum ſit ipſe gladiator: punit effractores clauſtrorum & oſtiorum, cum ipſe ſit everſor urbium: punit exſpoliatores domorum, cum ipſe ſit exſpoliator civitatum atque provinciarum. atque hoc utinam illi tantum qui in poteſtate ſunt poſiti, & quibus jus exercendorum latrociniorum honos ipſe largitur. illud gravius ac magis intolerabile, quod hoc faciunt & privati iiſdem ante honoribus functi. tantum eis adeptus ſemel honos beneficii dat, ut ſemper habeant jus latrocinandi. adeo etiam cum deſtiterint ad adminiſtrandum poteſtatem habere publicam, non deſinunt tamen ad latrocinandum poteſtatem habere privatam: ac ſic levior eſt poteſtas illa quam habuerant judices, quam hæc quam privati habent. in illa enim ſæpe eis ſucceditur, in hac nunquam. ecce quid valeant ſtatuta legum, ecce quid proficit definitio ſanctionum, quæ illi ſpernunt maxime, qui miniſtrant. ſane ad parendum humiles abjectique coguntur, compelluntur juſſis obtemperare pauperculi, & niſi obtemperaverint, puniuntur. eandem enim rationem habent in hac re quam in tributis. ſoli juſſis publicis ſer-

ſerviunt, ſicut ſoli tributa ſolvunt: ac ſic in ipſis legibus & in ipſa juſta rerum præceptione maximum injuſtitiæ ſcelus agitur, cum ea minores quaſi ſacra obſervare coguntur, quæ majores jugiter quaſi conculcant. Exceſſi paulisper cæptum ſermonis ordinem rerum indignitate compulſus. nunc ad ſuperiora redeamus. diximus quippe plenas fuiſſe impuritatibus monſtruoſis Africæ civitates, & præcipue illic reginam & quaſi dominam: Wandalos autem iis omnibus non fuiſſe pollutos. non tales igitur iſti, de quibus loquimur, barbari ad emendandam noſtrarum turpitudinum labem exſtiterunt. abſtulerunt enim de omni Africa ſordes virorum mollium, contagiones etiam horruerunt meretricum, nec horruerunt tantum aut temporarie ſubmoverunt, ſed penitus jam non eſſe fecerunt. O pie Domine! ô Salvator bone! quantum efficiunt per te ſtudia diſciplinæ, per quæ mutari poſſunt vitia naturæ, ſicut ab illis ſcilicet immutata ſunt. at quomodo immutata? intereſt enim non ſolum effectus rerum, ſed etiam effectuum cauſas dicere difficile eſt quippe impudicitiam verbo aut juſſione tolli, niſi fuerit ablata: & difficile eſt pudicitiam verbo exigi, niſi fuerit exacta. quod iſti utique ſcientes ſic impudicitiam ſubmoverunt, quod impudicas conſervaverunt, non interficientes mulierculas infelices, ne vitiorum curam crudelitate reſpergerent, & dum peccata auferre cuperent, ipſi in peccatorum reſecatione peccarent. ſed ita errantes emendaverunt, ut factum eorum medicina eſſet, pæna non eſſet. juſſerunt ſiquidem & compulerunt omnes ad maritalem chorum tranſire meretrices. ſcorta in connubia verterunt, implentes ſcilicet Apoſtoli di-

ctum

ctum atque mandatum: ut & unaquæque mulier virum habeat ſuum, & unuſquiſque vir conjugem ſuam, ut quia cohiberi incontinentia ſine hac carnalis uſus commixtione non poſſet, ita legitimum uſum calor corporalis acciperet, ut peccatum incontinentia non haberet. in quo quidem non id tantummodo proviſum eſt, ut viros feminæ haberent, quæ ſine viris eſſe non poſſent, ſed etiam ut per conſervatores domeſticos ſalvæ eſſent, quæ ſeipſas ſervare neſcirent, & adhærentes jugiter gubernaculo maritali, etiamſi ad improbum eas facinus conſuetudo anteactæ impuritatis illiceret, conjugalis tamen cuſtodia ab improbitate prohiberet. addiderunt quoque hoc ad libidinem comprimendam, ſeveras pudicitiæ ſanctiones, decretorum gladio impudicitiam coërcentes, ut puritatem ſcilicet utriuſque ſexus, & domi connubii ſervaret affectus, & in publico metus legum: ac ſic duplici præſidió caſtimonia niteretur, cum & intus eſſet quod amaretur, & foris quod timeretur. leges autem illorum nequaquam illis ſunt legibus conſentaneæ, quæ ita partem improbitatis removent, ut partem obſcænitatis admittant, ut Romana illa decreta, quæ ſcortatores quidem ab alienis uxoribus removerunt, ad omnes autem ſolitarias paſſim admiſerunt, adulteria vitantes, lupanaria ædificantes. timuerunt videlicet ne nimis caſti homines ac puri eſſent, ſi ab omni eos penitus impuritate prohiberent. at non barbari, quoniam Romani non ſunt. parum eſt quod dicimus. quæ nobis, rogo, ante Deum aut vitæ eſſe aut veniæ ſpes poteſt, quando caſtitatem in barbaris cernimus, & nos ſic caſti ſumus? Erubeſcamus quæſo & confundamur. Iam apud Gotthos impudici non ſunt niſi Romani: jam apud

pud Wandalos nec Romani. tantum apud illos profecit ſtudium caſtimoniæ, tantum ſeveritas diſciplinæ, non ſolum quod ipſi caſti ſint, ſed, ut rem dicamus novam, rem incredibilem, rem pene etiam inauditam, caſtos etiam Romanos eſſe fecerunt. ſi infirmitas id humana pateretur, exclamare ſuper vires meas cuperem, ut toto orbe reſonarem: Pudeat vos Romani ubique populi, pudeat vitæ veſtræ; nullæ pene urbes luſtris, nullæ omnino impuritatibus vacant, niſi illæ tantum in quibus barbari eſſe cæperunt. & miramur miſeri qui tam impuri ſumus, miramur ſi ab hoſte viribus vincimur, qui honeſtate ſuperamur: miramur ſi bona noſtra poſſident, qui mala noſtra exſecrantur. nec illos naturale robur corporum facit vincere, nec nos naturæ infirmitas vinci. nemo ſibi aliud perſuadeat: nemo aliud arbitretur: ſola nos morum noſtrorum vitia vicerunt.

Ex Caſſiodori Præfecti prætorio & Patricii variis epiſtolis ſcriptis juſſu Theuderichi Gotthorum & Italiæ regis. Lib II. *epiſt.* XXIII.

Floruit circa annm Chriſti. IↃXX. & deinceps.

Æquitati fave: innocentiam animi virtute defende: ut inter nationum conſuetudinem perverſam, Gotthorum poſſis demonſtrare juſtitiam, qui ſic ſemper fuerunt in laudis medio conſtituti, ut & Romanorum prudentiam caperent & virtutem gentium poſſiderent.

Ep: XXIV.

Imitamini certe Gotthos noſtros, qui foris prælia, intus norunt exercere modeſtiam.

Ep:

Ep: XLIII.

Aliorum forte regum prælia captarum civitatum aut prædas appetunt aut ruinas, nobis propositum est Deo juvante sic vincere, ut subjecti se doleant nostrum dominium tardius acquisivisse.

Lib. VII. *Ep:* XXV.

Sic enim Gotthos nostros Deo juvante produximus, ut & armis sint instructi & æquitate compositi. hoc est quod reliquæ gentes habere non possunt. hoc est quod vos efficit singulares, si assueti bellis videamini legibus vivere Romanis.

Lib. VIII. *ex Athalici epistolis.* III. *populo Romano.*

Sub obtestatione divina vobis fecimus polliceri. justitiam nos & æquabilem clementiam, quæ populos nutrit, juvante domino custodire, & Gotthis Romanisque apud nos jus esse commune, nec aliud inter vos esse divisum, nisi quod illi labores bellicos pro communi utilitate habeant: vos autem civitatis Romanæ habitatio quieta multiplicat. ecce ad condictionem clementissimam sacramenti inclinando nostrum eveximus principatum, ut nihil dubium, nihil formidolosum populi habere possint, quos beatus noster auctor enutrivit. ecce Trajani vestri clarum sæculis reparamus exemplum. jurabit vobis per quem juratis: nec potest ab illo quisquam falli, quo invocato non licet impune mentiri. erigite nunc animos, & Deo propitio meliora semper optate, ut sicut caritate pote-

ſtatem regiam inchoavimus, ita tranquillitatem, Deo placitam, ſequentibus temporibus exſequamur.

Ep. IX. *Tolonico Patricio.*

Amaſti in audiendo patientiam, in ſuggeſtione veritatem: ſæpe quæ ad eum falſo pervenerant, recti ſtudio corrigebas, &, quod rarum confidentiæ genus eſt, interdum reſiſtebas contra vitia principis, ſed pro opinione rectoris. patiebatur enim * invictus ille præliis pro ſua fama ſuperari, & dulcis erat juſto principi rationabilis contrarietas obſequentis. *Rex Theuderichus.*

Ep. XV. *Senatui urbis Romæ.*

Gratiſſimum noſtro profitemur animo, quod glorioſi domini avi noſtri reſpondiſtis in epiſcopatus electione judicio. oportebat enim arbitrio boni principis obediri, qui ſapienti deliberatione pertractans, quamvis in aliena religione, talem viſus eſt pontificem delegiſſe, ut agnoſcatis illum hoc optaſſe præcipue, quatenus bonis ſacerdotibus eccleſiarum omnium religio pullularet.

Ep. XIV.

Gotthorum laus eſt, civilitas cuſtodita.

Ep. XXV. *Senatui Romano de ipſo Caſſiodoro.*

Iſte reges Gotthorum longa oblivione cælatos latibulo vetuſtatis eduxit. iſte Amalos cum generis ſui claritate reſtituit, evidenter oſtendens, in decimam ſeptimam progeniem ſtirpem nos habe-

re regalem. Originem Gotthicam historiam fecit esse Romanam; colligens quasi in unam coronam germen floridum, quod per librorum campos passim fuerat ante dispersum.

Floruit circa annum Christi IↃCCC.

Paulus Wanfredi Langobardus in historia Miscella. Lib. XV.

Totila porta Ostiensi urbem ingressus est. qui parcere Romanis cupiens per totam noctem clangere buccina jussit. quo se à Gotthorum gladiis aut in Ecclesiis tuerentur, aut quibuscunque modis occulerent: habitavitque aliquantum cum Romanis, quasi pater cum filiis.

Scripsit circa annum. IↃCCCXX.

Eginhartus gener & Cancellarius Karoli Magni in ejus regis vita.

Sinus quidam ab Oceano orientem versus porrigitur, longitudinis quidem incompertæ, latitudinis vero quæ nusquam centum millia passuum excedat, cum in multis locis contractior inveniatur. hunc multæ circumsedent nationes; Dani siquidem & Sueones, quos Nortmannos vocamus, & Septentrionale littus & omnes in eo insulas tenent. at littus Australe Sclavi & Aisti & aliæ diversæ incolunt nationes.

Scripsit circa annum CIↃLXXVII.

Adamus Bremensis de situ Daniæ & reliquarum quæ trans Daniam sunt regionum.

Sconia insula est ultima fere pars Daniæ, undique cincta mari, præter unum terræ brachium, quod ab Oriente continens Suediam disterminat à Da-

à Dania, ubi ſunt profundi ſaltus, monteſque aſperrimi, per quos à Sconia in Gotthiam neceſſario iter agitur.

Limitem egreſſis Danorum idem pontus late brachia tendit, quæ denuo contrahit è regione Gotthorum, qui à latere Wilzos habent. deinde quanto interius vadit, tanto latius hinc inde diffunditur.

Hunc ſinum multæ circumſedent nationes. Dani ſiquidem ac Sueones, quos Nortmannos vocamus, Septentrionale littus tenent & omnes in eo inſulas. ad littus autem Auſtrale Slavi, Haiſti, aliæque diverſæ incolunt nationes, inter quos præcipui ſunt Weletabi qui & Wilzi dicuntur. Dani vero & Sueones cæterique trans Daniam populi ab hiſtoricis Francorum omnes Nordmanni vocantur, cum tamen Romani ſcriptores ejuſmodi vocent Hyperboreos, quos Martianus Capella multis laudibus extulit.

Deinde Sconia nomine regio Danorum, & ſupra eam tenſo limite Gotthi habitant, uſquead Bircam: poſtea longis terrarum ſpatiis regnant Sueones, uſque ad terram feminarum.

Itaque latera illius ponti ab auſtro Slavi, ab aquilone Suedi poſſederunt. aſſerunt enim periti locorum à Sueonia terreſtri via quoſdam uſque in * Græciam permeaſſe. ſed barbaræ gentes quæ in medio ſunt, hoc iter impediunt. propterea navibus tentatur periculum. multæ ſunt † inſulæ in hoc ſinu, quas Dani & Sueones omnes habent in ſua ditione:

** intellige illos Ruſſos qui tunc Conſtantinopolitanis Imperatoribus federati erant.*

† inſularum nomine etiam peninſulas comprehendit & oras maritimas.

tione: aliquas etiam Slavi tenent. ſed & aliæ interius ſunt quæ ſubjacent Sueonum imperio. quarum maxima illa eſt quæ Curland dicitur, iter octo dierum habens, gens crudeliſſima: propter nimium idololatriæ cultum fugitur ab omnibus: aurum ibi plurimum, equi optimi, divinis, auguribus atque necromanticis omnes domus ſunt plenæ, qui etiam veſtitu monachico induti ſunt. à toto orbe ibi reſponſa petuntur, maxime ab Hiſpanis & Græcis.

Præterea recitatum eſt nobis, alias plures inſulas in eodem ponto eſſe, quarum una grandis Eſtland dicitur, non minor illa de qua prius dixi. nam & ipſi Deum Chriſtianorum prorſus ignorant, dracones adorant cum volucribus, quibus etiam vivos litant homines, quos à mercatoribus emunt, diligenter omnino probatos, ne maculam in corpore habeant, pro qua refutari dicuntur à draconibus. & hæc quidem inſula terræ feminarum proxima narratur, cum illa ſuperior non longe ſit à Birka Sueonum.

* *Bremenſis.* Quorum errori condolens noſter * metropolitanus ſtatuit Birkam illis gentibus metropolim, quæ in medio Sueoniæ poſita reſpicit Iuminem, paribuſque ſpatiis omnes illius ponti amplectitur oras. in qua civitate primum ex noſtris ordinavit Hiltinum Abbatem, quem ipſe Iohannem appellavit. itaque de inſulis Danorum dictum eſt ſatis. nunc vero ad Sueonum ſive Nordmannorum populos, qui Danis proximi ſunt, convertamus articulum. Tranſeuntibus inſulas Danorum alter mundus aperitur in Sueoniam vel Nordmanniam; quæ ſunt

ſunt duo latiſſima Aquilonis regna & noſtro orbi adhuc fere incognita. de quibus narravit mihi ſanctiſſimus Danorum rex, quod Nordmannia vix queat tranſiri per menſem, cum Sueonia duobus menſibus non facile percurratur. quod ipſe, inquit, probaveram, quia nuper ſub Iacobo rege XII annis in illis regionibus militavi, quæ altiſſimis ambæ montibus includuntur, magis autem Nordmannia, quæ ſuis alpibus circumdat Sueoniam. de Sueonia vero non tacent antiqui auctores, Solinus ſcilicet & Oroſius, qui plurimam partem Germaniæ Suevos dicunt tenere, nec non montana ejus uſque ad Riphæos montes extendi. ibi etiam eſt Albis fluvius, de quo Lucanus meminiſſe videtur, qui oritur in prædictis alpibus, perque medios Gotthorum populos currit in Oceanum, inde & Gothalba dicitur. Sueonia ergo regio eſt fertiliſſima, ager frugibus & melle opimus, extra quod pecorum fætu omnibus antefertur. opportunitas fluminum ſilvarumque magna, ubique peregrinis mercibus omnis regio plena. nullis itaque egere dicas Sueones opibus, excepta quam nos diligimus, ſive potius adoramus ſuperbia. omnia enim inſtrumenta vanæ gloriæ, hoc eſt aurum, argentum, ſonipedes regios, pelles caſtorum & marturum, quæ nos admiratione ſui dementes faciunt, illi pro nihilo ducunt. in ſola mulierum copula modum neſciunt. quiſque ſecundum facultatem virium ſuarum duas aut tres vel amplius ſimul habet, divites & principes abſque numero. nam & filios ex tali conjunctione genitos habent legitimos. capitali vero mulctatur pæna, ſi quis alterius uxorem cognoverit, aut vi oppreſſerit virginem, ſive qui alterum bonis ſuis ſpoliaverit, aut injuriam fece-

fecerit. Quamvis omnes Hyperborei hoſpitalitate ſint inſignes, præcipue ſunt noſtri Sueones, quibus eſt omni probro gravius hoſpitium negare tranſeunti, ita ut certamen habeant inter ſe, quis dignus ſit hoſpitem recipere: cui omnia exhibens humanitatis jura, quot illis commorari voluerit diebus, ad amicos ſuos illum certatim per ſingulas dirigit manſiones. hæc illi bona in moribus habent. Prædicatores autem veritatis, ſi caſti, prudentes, & idonei ſint, ingenti fovent amore, adeo ut concilio populorum communi, quod ab ipſis Warph, à nobis Thinc vocatur, Epiſcopos intereſſe non renuant: ubi de Chriſto ac Chriſtiana religione crebro audiunt non inviti, & profecto facile ſermone ad noſtram fidem illi perſuaderentur, niſi quod mali doctores, dum ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, ſcandalizant eos qui ſalvari poſſent. Populi Sueonum multi ſunt, viribus & armis egregii, præterea tam in equis quam in navibus juxta optimi bellatores. unde etiam ſua potentia cæteras Aquilonis gentes confringere videntur. reges habent ex genere antiquos, quorum tamen vis pendet in populi ſententia. quod in commune laudaverint omnes, illum confirmare oportet, niſi ejus decretum potius videatur. quod aliquando ſequuntur inviti. itaque domi pares eſſe gaudent. in prælium euntes omnem præbent obedientiam Regi, vel ei qui doctior cæteris à Rege præfertur. ſi quando vero præliantes in anguſtia poſiti ſunt, ex multitudine Deorum quos colunt, unum in auxilium invocant: ei poſt victoriam deinceps ſunt devoti: illumque cæteris anteponunt. Deum autem Chriſtianorum jam communi ſententia fortiorem clamant omnibus eſſe: alios Deos ſæpe fallere: illum autem ſemper

per adſtare certiſſimum adjutorem in opportunitatibus. Ex ipſis populis Suediæ proximi ad nos habitant Gotthi, qui occidentales dicuntur: alii ſunt orientales, verum Weſtergotthia confinis eſt provinciæ Danorum quæ Sconia dicitur: à qua ferunt diebus ſeptem perveniri uſque ad civitatem Gotthorum magnam Scarane. deinde Oſtrogothia protenditur juxta mare quod Balthicum dicitur, uſque ad Birkam. Primus Gotthorum Epiſcopus Thurgot fuit: ſecundus Godeſcalcus, vir ſapiens & bonus, niſi quod domi ſedens otium labori prætulit. tertium autem ordinavit noſter Metropolitanus Adalwardum Seniorem, vere laudabilem virum. qui deinde ad barbaros perveniens, ſicut docuit, ita vixit. nam ſancte vivendo ac bene docendo magnam gentilium multitudinem ad Chriſtianam convertit fidem. qui etiam virtutum claruit miraculis, ita ut poſcentibus in neceſſitate barbaris, imbrem de cælo faceret deſcendere, & denuo ſerenitatem venire, & alia quæ hactenus quæruntur à doctoribus. is autem vir memorabilis in Gotthia permanens, nomen domini Ieſu conſtanter omnibus prædicavit, ibidemque poſt multos agonas, quos pro Chriſto libenter ſuſtinuit, victricem terræ carnem tradidit: Spiritus cælum petiit laureatus. poſt quem Archiepiſcopus ordinavit in illas partes quendam Acilinum, nihil epiſcopali nomine dignum ferentem præter ingentem corporis ſtaturam. & ille quidem carnis requiem diligens, fruſtra legationem Gotthis mittentibus uſque ad obitum ſuum in delitiis coloniæ permanſit. Inter Nordmanniam & Sueoniam Warmelani & Finwedi degunt & alii: qui nunc omnes ſunt Chriſtiani, reſpiciuntque ad Scaranenſem eccleſiam. In

confinio Sueonum vel Nordmannorum, contra Boream habitant Scritefinni, quos ajunt cursu feras præire. civitas eorum maxima Halsingaland. & Halsingaland regio est, ad quam primus est ab Archiepiscopo designatus Stemphi Episcopus quem ipse mutato nomine Simonem vocavit. qui etiam multos earundem gentium sua prædicatione lucratus est. præterea sunt alii numero carentes Sueonum populi, de quibus ad Christianitatem conversos accepimus solos Gotthos, Wermelanos, & partem Scritefinnorum vel qui illis vicini sunt. Igitur ut brevem Sueoniæ vel Suediæ faciamus descriptionem, hæc ab occidente Gotthos habet & civitatem Scaranen: à Borea Wermilanos cum Scritefinnis, quorum caput Halsingalant: ab Austro longitudinem habet illius Balthici maris, de quo ante diximus; ibi est civitas magna Sictona. ab Oriente autem Riphæos montes attingit, ubi deserta ingentia, ubi nives altissimæ.

Nunc de superstitione Sueonum pauca dicemus. nobilissimum illa gens templum habet quod Vbsola dicitur, non longe positum à Sictona civitate vel Birka. in hoc templo, quod totum ex auro paratum est, statuas trium Deorum veneratur populus, ita ut potentissimus eorum * Thor in medio solum habeat triclinium. hinc & inde locum possident † Wodan & Fricco. quorum significationes ejusmodi sunt. Thor, inquiunt, præsidet in aëre, qui tonitrus & fulmina, ventos imbresque serena & fruges gubernat. alter Wodan, id est, fortior bella regit, hominumque ministrat virtutem contra inimicos. tertius est Fricco, pacem voluptatemque largiens mortalibus, cujus etiam simulacrum fin-

* *aliis Thonner, Taranis.*

† *vide Paulum Warnafredi.*

fingunt ingenti Priapo. Wodanem vero ſculpunt armatum, ſicut noſtri Martem ſculpere ſolent. Thor autem cum ſceptro Iovem videtur exprimere. Colunt & Deos ex hominibus factos, quos pro ingentibus factis immortalitate donant, ſicut in vita ſancti Anſgarii legitur Hericus rex feciſſe, omnibus ſcilicet Diis attributos ſacerdotes, qui ſacrificia populi offerant. Si peſtis & fames imminet Thor idolo immolant; ſi bellum, Wodani; ſi nuptiæ celebrandæ ſunt, Fricconi. Solet quoque poſt novem annos, communis omnium Sueoniæ provinciarum ſolennitas celebrari. ad quam videlicet ſolennitatem nulli præſtatur immunitas. reges & populi omnes & ſinguli ſua dona ad Vbſolam transmittunt, & quod omni pæna crudelius eſt, illi qui jam induerunt Chriſtianitatem ab illis ſe ceremoniis redimunt. Sacrificium itaque tale eſt, ex omni animante quod maſculinum eſt, novem capita offeruntur, quorum ſanguine Deos tales placari mos eſt. corpora autem ſuſpenduntur in lucum qui proximus eſt templo. is enim lucus tam ſacer eſt gentilibus, ut ſingulæ arbores ejus ex morte vel cibo immolatorum divinæ credantur. ibi etiam canes qui pendent cum hominibus, quorum corpora mixtim ſuſpenſa narravit mihi quidam Chriſtianorum ſe LXX vidiſſe. Cæterum næniæ quæ in ejuſmodi ritibus libatoriis fieri ſolent, multiplices ſunt & inhoneſtæ, ideoque melius reticendæ.

Metropolitanus noſter ordinavit in illas partes Adelwerdum juniorem de Bremenſi choro aſſumptum, virum literis & morum probitate fulgentem. cui etiam per legatos clariſſimi viri regis ſtenkil ſedem poſuit in Sictona civitate, quæ diſtat ab

Vbſola itinere diei unius. & vero iter ejuſmodi ut à Sconia Danorum per mare velificans quinto die pervenias uſque Sictonam vel Birkam, juxta enim ſunt. Si vero per terram eas à Sconia per Gotthorum populos & civitatem Scaranem, Telgas & Birkam, completo menſe pervenies Sictonam. relatum eſt autem nobis à quibuſdam Adalwardi epiſcopi ſtipatoribus, cum primum Sictonam acceſſiſſet ad unam miſſarum celebrationem ad manum ſibi delatas LXX. marcas argenti. tantæ enim devotionis ſunt omnes populi arcticæ plagæ. tunc etiam occaſione itineris divertit Birkam: quæ nunc in ſolitudinem redacta eſt, ita ut veſtigia civitatis vix appareant; quare nec tumulus ſancti Vnni archiepiſcopi potuit inveniri. Adalwaldus igitur magno prædicandi fervore Evangelii Suediam ingreſſus omnes qui in Sictona erant & in circuitu brevi temporis ſpatio ad Chriſtianam fidem perduxit. conſpiravit etiam cum ſanctiſſimo viro Eginone Sconienſi Epiſcopo, ut pariter adirent illud templum paganorum, quod Vbſola dicitur. Si forte aliquem Chriſto laboris ſui fructum poſſent ibi offerre, omnia tormentorum genera libenter ſuſcepturi, ut illa deſtrueretur domus, quæ caput erat barbaricæ ſuperſtitionis. illa enim diruta vel potius cremata, fore ut tota gentis converſio ſequeretur. quam confeſſorum Dei voluntatem piiſſimus rex Stenkil in populo murmurari ſentiens, callide ſubmovit eos à tali cæpto, aſſerens & illos ſtatim morte damnandos, & ſe à regno depellendum, quod malefactores in patriam duxerit, & facile omnes ad paganiſmum relapſuros, qui nunc credunt, ſicut in Slavania nuper factum poteſt videri. talibus regis allocutionibus conſentientes epiſcopi,

omnes

omnes Gotthorum civitates peragrabant, idola confringentes, & multa paganorum millia deinceps lucrantes ad Christianitatem. hæc de Sueonia & ceremoniis ejus dicta sufficiant.

Nordmannia fortissimos educat milites, qui nulla frugum luxuria molliti sæpius impugnant alios, quam ipsi molestentur ab aliquo. sine invidia cum proximis habitant Sueonibus.

In multis Nordmanniæ vel Suediæ locis pastores pecudum sunt etiam nobilissimi homines, ritu patriarcharum & labore manuum viventes.

Ibi capiuntur ursi, bubali & elaces sicut in Sueonia.

Tertio loco advenit Sigafridus, qui & apud Suedos & Nortmannos juxta prædicavit. Isque duravit usque ad nostram ætatem, cum aliis æque non obscuris in illa gente sacerdotibus. post quorum excessum noster Metropolitanus petentibus Nordmannorum populis ordinavit Tholf episcopum in civitate Trondemni & Siguardum in easdem partes. Asgotum vero & Bernardum, licet moleste ferret à Papa consecratos, accepta satisfactione dimisit à se donatos. Per quos usque hodie verbum Dei multas lucratur animas, ita ut in omnibus provinciis Nordwegiæ beata mater ecclesia lætis floreat incrementis. Inter Nordmannos tamen & Sueones propter novellam plantationem Christianitatis, adhuc nulli episcopatus certo limite sunt designati, sed unusquisque episcoporum à rege vel populo assumtus, communiter ædificant ecclesiam & cir-

& circueuntes regionem, quantos possunt ad Christianitatem trahunt, eosque gubernant sine invidia, quamdiu vivunt.

Ecce illa ferocissima Danorum sive Nortmannorum aut Sueonum natio, quæ, juxta beati Gregorii verba, nihil aliud scivit nisi barbarum frendere, jamdudum novit in Dei laudibus Alleluia resonare. ecce populus ille piraticus, à quo totas olim Galliarum & Germaniæ provincias legimus depopulatas, suis nunc finibus contentus est.

Nimirum hæc est mutatio dexteræ excelsi, & tam velociter currit sermo Dei omnipotentis, ut à solis ortu & occasu, ab aquilone & mari, laudabile sit nomen Domini, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris, cum patre & sancto spiritu vivens & regnans per omnia sæcula sæculorum. amen.

Idem Libro Historiæ ecclesiasticæ.

Ansgarius & Audbertus biennio in regno Danorum commorati, multos ex gentibus ad Christianam fidem converterunt. inde reversi cum denuo ab * Imperatore postularentur ultimos Sueonum populos Evangelii gratia tentare, intrepidus athleta Christi Ansgarius, assumptis secum fratribus Gislamaro & Withmaro doctoribus, gaudens pervenit in Daniam ubi relinquens Gislamarum Haroldo, ipse cum Withmaro in Sueoniam transfretavit. ubi benigne à rege Biorn suscepti, verbum Dei publice prædicare permissi sunt. multos itaque per annum integrum lucrati sunt domino Iesu Christo. In quibus Herigarius oppidi Bircæ præfectus

* *Luthewico Karoli Magni filio.*

fectus credidit, quem tradunt etiam miraculis & virtutibus insignem.

Ansgarius & Ebo Remensis Archiepiscopus Gaudbertum consecrantes episcopum vocaverunt eum Simonem, eumque divinæ gratiæ commendatum in Sueoniam miserunt.

Anno Luthewici senioris novissimo Gaudbertus episcopus zelo gentilium à Sueonia depulsus, & Nithardus capellanus ejus martyrio cum aliis coronatus est. & exinde Sueonia caruit septennio sacerdotali præsentia, quo tempore Amundus regno pulsus in Christianos movit persecutionem. Herigarius vero Bircæ præfectus Christianitatem ibi solus sustentavit. qui etiam tantam fidei gratiam meruit, ut potentia miraculorum & exhortatione doctrinæ multa paganorum millia salvarit.

Ansgarius Hartgarium eremitam direxit in Sueoniam.

Quibus rebus ex voto completis, dum adhuc sanctus Dei pro gente Sueonum æstuare cæpisset, cum Gaudberto episcopo consilium habuit, quis eorum laudabile pro Christo subiret periculum. at ille periculum sponte declinans, sanctum potius ut iret rogavit Ansgarium. extemplo athleta intrepidus Horici regis missum rogavit atque sigillum. & à littore Danorum transfretans in Sueoniam pervenit, ubi tunc Oleph rex apud Bircam generale populi sui habuit placitum. quem præveniente misericordia Dei ita placatum invenit, ut ejus ex imperio & populi consensu & jactu sortis & idoli responso,

so, ecclesia ibidem fabricata & baptismi licentia omnibus concessa sit. his etiam ex sententia finitis, Evangelista noster ecclesiam Sueonum Erimberto commendavit presbytero & rediit. quæ in vita sancti Ansgarii latissima gestorum narratione descripta nos brevitate nitentes amputavimus. &, ni fallat opinio, prophetia Ezechielis de Gog & Magog convenientissime hic impleta videtur. emittam, inquit Dominus, ignem in Magog & in his qui habitant in insulis confidenter. aliqui hæc & talia de Gotthis, qui Romam ceperant dicta arbitrantur. nos vero considerantes Gotthorum populos in Sueonia regnantes, omnemque hanc regionem passim in insulas dispertitam esse, prophetiam eis opinamur posse commodari.

Ante annum IↃCCC. LXXXVIII.

Rembertus fertur quædam fecisse miracula frequenter, scilicet dum iret in Sueoniam, tempestatem maris oratione sedasse & cæcum illuminasse per confirmationem quam episcopali more faciebat in eo. Sed & filium regis à Dæmonio liberavit.

Post annum IↃCCC. LXXXVIII.

Audivi ex ore veracissimi regis Danorum Suevi, cum nobis stipulantibus atavos suos numerat: * post cladem, inquit, Nordmannicam Heiligonem regnasse comperi, virum populis amabilem propter justitiam & sanctitatem suam. Cui successit Olaph, qui veniens è Sueonia regnum obtinuit Danicum vi & armis, habuitque filios multos, ex quibus Ehnob & Gurd regnum post patris sui obitum tenuerunt.

Post annum IↃCCCIX.

Post Olaph Sueonum principem, qui regnavit in

in Dania cum filiis suis, ponitur in locum ejus Sigerich.

Birca est oppidum Gotthorum, in medio Sueoniæ positum, non longe ab eo templo quod celeberrimum Sueones habent in cultu Deorum, Vbsola dicto: in quo loco sinus quidam ejus freti, quod Balticum vel Barbarum dicitur, in boream vergens, portum facit barbaris gentibus, quæ hoc mare diffusæ habitant, optabilem, sed valde periculosum incautis & ignaris ejusmodi locorum. Bircani enim piratarum excursionibus, quorum ibi magna copia est, sæpius impugnati, cum vi & armis nequeunt resistere, callida hostes aggrediuntur arte decipere. qui sinum maris impacati, per centum & amplius stadia latentium molibus saxorum obstruentes, periculosum æque suis ac prædonibus iter meandi fecerunt, ad quam stationem, quæ tutissima est, in maritimis Sueoniæ regionibus solent Danorum, Nordmannorum, Slavorum atque Sembrorum naves aliique Scythiæ populi pro diversis commerciorum necessitatibus solenniter convenire. In eo portu Confessor domini egressus insolita populos appellare cæpit legatione. quippe Sueones & Gotthi, vel, ita si melius dicuntur, Nordmanni propter barbaricæ excursionis tempora, qua paucis annis multi reges cruento dominati sunt imperio, Christianæ religionis penitus obliti, haud facile poterant ad fidem persuaderi. accepimus à sæpe dicto rege Danorum Suein, tunc apud Sueones imperitasse quendam Ring cum filiis Erich & Ermundi, ipsumque Ring ante se habuisse Amind, Biorn, & Olaph, de quibus in gestis legitur sancti Ansgarii, aliosque quorum non occurrunt vocabula.

la. & credibile eſt athletam Dei Vnni, eoſdem reges, quamvis non crediderint, adiſſe, eorumque licentia verbum Dei per Sueoniam prædicaſſe. Sicut enim inutile eſt acta non credentium ſcrutari, ita impium arbitramur eorum præterire ſalutem, qui primum crediderunt & per quos crediderunt. Sueones igitur & Gotthi à ſancto Anſgario primum in fide plantati, iterumque relapſi ad paganiſmum, à ſancto patre Vnni ſunt revocati. perfecto autem legationis ſuæ miniſterio cum tandem redire diſponeret, Evangeliſta Dei apud Bircam, * ægritudine correptus ibidem feſſi corporis tabernaculum depoſuit.

**Anno Chriſti.* Iↄcccc. xxxvi. *primo regni Ottonis Magni.*

** Epiſcopis.*

Quibus * etiam illas commendavit Archiepiſcopus Adalochus eccleſias quæ trans mare ſunt in Finne, Seland, & Scone ac in Sueonia.

Regnante in Germania Ottone III.

** Danorum regi.*

Emundi filius Erici tunc in Sueonia regnabat. is Haroldo * confederatus Chriſtianis eo venientibus placabilis fuit.

Odinkarum ſeniorem ferant ab Adaldago in Sueoniam ordinatum, ſtrenue in gentibus legationem ſuam adimpleſſe.

Ante annum Iↄcccc. LXXXVIII.

Cæterorum vero epiſcoporum vix aliquem ſic clarum prodit antiquitas, præter Liafdagum Ripenſem, qui & miraculis celebris fuerat, & transmarinis prædicavit, hoc eſt Sueonibus & Nordmannis.

Tunc potentiſſimus Sueonum rex Hericus, collecto innumerabili, ſicut arena maris, exercitu,

Daniam

Daniam invadit, & occurrit ei Suein à Deo derelictus, frustra sperans in idolis suis. Sed cum utrinque bello navali (sic enim gens illa confligere solet) omnes copiæ Danorum essent obtritæ, Hericus rex victor Daniam obtinuit. Suein ergo depulsus à regno dignam factis suis à Deo Zelote accepit mercedem.

Sueones ergo & Dani totam Saxonum obtrivere virtutem.

Hericus duo regna obtinuit, Danorum Sueonumque.

Claruit etiam tunc in Dania felicis memoriæ Odinkar senior, de quo supra diximus, qui in Finne, Seland, Sconia, ac in Suedia prædicans multos ad Christianam fidem convertit.

Hericus igitur Sueonum rex in Dania conversus ad Christianitatem, ibi baptizatus est. qua occasione prædicatores à Dania in Suediam transeuntes, fiducialiter agebant in nomine Domini.

Olaph rex Sueonum Christianissimus, filiam Slavorum Estred nomine de Obodritis accepit uxorem, ex qua genitus est ei filius Iacobus & filia Ingard, quam rex Gerzlaff de Russia duxit in conjugium. Olaph sane, qui post obitum patris sui Herici regnum super Sueonas accepit, cum exercitu superveniens, infelicem Suein iterum à regno expulit, & Daniam obtinuit. Suein autem cognoscens quia Dominus ipse est Deus, rediit in semetipsum, & peccata sua præ oculis habens pænitens-

que oravit ad Dominum: qui exaudiens eum, dedit illi gratiam in conspectu inimicorum suorum, restituitque eum Olaph in regnum suum, eo quod matrem suam habuerit uxorem. feceruntque pactum ad invicem firmissimum, ut Christianitatem in regno suo plantatam retinerent, & in exteras nationes effunderent.

Post annum cIↃ. ** Libentius.* In Slavaniam vero ordinavit Archiepiscopus *Folcquardum, deinde Reginbertum: quorum prior à Slavania pulsus, in Sueoniam vel Nordmanniam missus est ab Archiepiscopo, qui multos in Domino lucratus cum gaudio remeavit.

Post annum cIↃ. XIII. ** Vnwanus.* Archiepiscopus * etiam alios viros doctissimos ordinavit in Norwegiam & Suediam.

** Filius Suein regis.* Tunc vero Knut * pactum iniit cum fratre filio Herici, qui regnavit in Suedia, ejusque fultus auxilio, deliberavit primo quidem Angliam subjugare, deinde Norwegiam.

** Olaph Danorum rex.* Habuit etiam secum * episcopos & presbyteros multos ab Anglia, quorum monitu & doctrina cor suum præparavit, subjectumque populum suum ad regendum commisit. ex quibus clari fortuna & virtutibus erant Sigafrid, Grimkel, Rodulf, & Bernard. hi jussu regis ad Suediam & Gotthiam & ad cæteras insulas, quæ trans Nordmanniam sunt, accedentes, barbaris verbum Dei & regnum Iesu Christi evangelizabant.

Simili autem religionis amore alter Olaph in Suedia dicitur floruisse. Is subditos sibi populos ad Chri-

Christianam volens convertere fidem, magno laboravit studio, ut templum Idolorum Vbsola, quod in medio Sueoniæ situm est, destrueretur. cujus intentionem pagani metuentes, placitum cum Rege constituerunt, ut, si ipse Christianus esse vellet, optimam Suediæ regionem quam vellet suo jure teneret, in qua ecclesiam & Christianitatem constituens, nemini de populo vim recedendi à cultura Deorum inferret, nisi qui sponte ad Christum vellet converti. hujusmodi rex placito gavisus, mox in Occidentali Gotthia quæ Danis proxima est vel Nordmannis, ecclesiam Deo sedemque fundavit episcopalem. hæc est civitas Scarane, maxima, in qua petente Christianissimo rege Olaph primus ab Vnwano Archiepiscopo Thurgot est ordinatus episcopus. Ille vero strenue legationem suam agens, duos nobiles Gotthorum populos Christo suo lucratus est labore. per illum ergo episcopum rex Olaph ingentia metropolitano Vnwano direxit munera. præterea duos idem rex fertur habuisse filios, quos ambos una cum uxore sua ac populo baptizari præcepit. quorum alter, qui natus est à concubina, Emund nomen habuit, alter Anund, quem rex à legitima genuit uxore, qui cognomento fidei & gratiæ dictus est Iacobus. Iuvenis quidem ætate, verum sapientia & pietate omnes præcessit, qui fuerunt ante eum: nec quispiam regum fuit populo Sueonum tam acceptus sicut Anundus.

* Olaph vero rex beatissimus totam spem fiduciamque suam in Domino ponens, denuo ad comprimendos idololatras bellum instaurat. itaque ab Olaph Sueonum rege, cujus habebat filiam, & po- ** Danorum rex.*

pulis insularum infinitam armatorum congregans multitudinem patrium regnum vi recepit & armis.

* Olaph Danorum Regis.

Cujus passionis * festivitas agitur IV. Cal. Aug: omnibus Septentrionalis Oceani populis, Sueonum, Gotthorum, Semborum, Danorum atque Slavorum æterno cultu memorabilis.

Per idem tempus quidam ab Anglia, Wilfredus nomine, instinctu divini amoris Suediam ingressus, paganis verbum Dei cum magna fiducia prædicavit.

* Libentio juniore.

Aderant vero tunc cum Archiepiscopo * prædicatores inclyti, Odinkar junior, Sigafrid à Suedia, Rodolf à Nordmannia episcopi, narrantes ei quanta fecerit Dominus in salute gentium quæ quotidie convertebantur ad Dominum.

* Winulorum princeps Vto.

Vnde & pro crudelitate sua à quodam Saxonum transfuga interfectus est * filium habens Gotthescalcum, qui per idem tempus apud Luniburg, monasterium Ducis, liberalibus erudiebatur studiis, Gotthescalco Gotthorum episcopo ejusdem cænobii curam agente.

Post annum cIↃ.XXXII.

Olaph rex Sueonum successorem regni habuit filium de quo supra diximus Iacobum. sub quo junior Suein filius Wolf militavit in Suedia XII. annis, qui etiam nobis retulit Iacobo regnante Christianitatem late in Sueonia diffusam esse. tali itaque pacto Suein mitigatus in Daniam remeavit,& multa cum Magno * prælia exercuit. qui sæpius victus ad Anundum regem Sueonum fugiens pervenit.

* Nordmanniæ rege.

Metro-

Metropolitanus ergo ſtatim ut ingreſſus eſt epiſcopatum (Adalbertus) ad reges Aquilonis pro amicitia legatos miſit. epiſtolas quoque commonitorias per omnem ſparſit Daniam ſive Nordmanniam ac Suediam & uſque in fines terræ, exhortantes epiſcopos & presbyteros, in illis partibus degentes ut eccleſias Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter cuſtodirent, atque ad converſionem paganorum intrepidi accederent. *Poſt annum* cIↃ.XLIII.

Iacobus adhuc in Sueonia regnum tenuit. hujus auxilio Suein & Tulph ducis effultus Magnum pepulit à Dania.

Suein conſanguineam ſuam à Suedia duxit uxorem.

Cumque hæc ita geſta eſſent Chriſtianiſſimus Sueonum rex Iacobus migravit à ſæculo & ſucceſſit ei frater ejus Emund Gamul peſſimus. nam iſte à concubina Olaph natus erat, & cum baptizatus eſſet, non multum de Chriſtiana religione curavit, habuitque ſecum quendam epiſcopum nomine Oſmund acephalum, quem dudum Sigafridus Nordmannorum epiſcopus Bremæ ſcholis docendum commendavit: verum is poſtea beneficiorum oblitus Romam pro ordinatione acceſſit, indeque repulſus per multa loca circumivit erroneus, & ſic demum meruit à quodam Polaniæ ordinari Archiepiſcopo. qui veniens in Suediam, jactavit ſe à Papa conſecratum ad illas partes Archiepiſcopum. Sed cum Archiepiſcopus noſter legatos ſuos ad regem dirigeret Emundum, invenerunt ibi eundem gyrovagum Oſmund crucem archiepiſcopali more ante

se ferentem. audierunt etiam quod barbaros adhuc neophytos non sana doctrina fidei nostræ corruperit: quorum ille territus præsentia, solitis regem populumque dolis impulit, ut legati repellerentur, quasi apostolici non habentes sigillum. & illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. erant autem legati fratres Bremensis Ecclesiæ, quorum potissimus fuit Adalwardus senior, olim nostri decanus claustri, verum tunc Sueonum genti ordinatus Episcopus. de cujus viri virtutibus multa possent dici, nisi ad alia properaremus. Legatos igitur nostros à Sueonibus tali modo repulsos quidam, nepos, an privignus regis ignoro, prosecutus eos cum lacrymis, suppliciter se commendans orationibus eorum, nomen ei Steinkil erat, is solus super fratres misericordia motus, obtulit eis munera, transmisitque eos per montana Suedorum salvos, usquead sanctissimam Gude reginam, quæ à rege Danorum pro consanguinitate separata in prædiis suis trans Daniam commorata est, hospitalitati eleemosynisque vacans & cæteris sanctitatis insistens operibus. quæ legatos cum ingenti honore quasi à Deo missos recipiens magna per eos xenia Archiepiscopo misit. Interea Sueones qui Episcopum suum repulerant, divina ultio subsecuta est. & primo quidem filius regis nomine Anund, à patre missus ut dilataret Imperium, cum in patriam feminarum pervenisset, quas nos Amazonas vocamus, veneno, quod illæ fontibus immiscuerunt, tam ipse quam exercitus ejus perierunt. Deinde cum aliis cladibus tanta siccitas & frugum sterilitas Sueones afflixit, ut, missis ad Archiepiscopum legatis, episcopum suum cum satisfactione reposcerent.

ent, fidem gentis pollicentes. gavisus ergo Pontifex petenti gregi Adalwardum præfecit pastorem. qui perveniens in Sueoniam tanta omnium suscipi alacritate meruit, ut gentem Wirnilanorum & Schritifinnorum integram Christo lucratus, etiam miracula virtutum in populo fecisse dicatur. eodem tempore mortuus est Emund rex Sueonum, post quem Steinkel nepos ejus, de quo supra diximus, levatur in regnum. qui fidelis erat Domino Iesu Christo, & de cujus religione omnes fratres testimonium perhibebant, qui eas partes adierant. hæc de Sueonibus suo tempore gesta Adalbertus Archiepiscopus amplifice omnia describens etiam visionem quandam Adalwardi episcopi, qua monitus est ut evangelizandi gratia pergere non tardaret, curavit annectere.

In Sueonia per idem tempus Christianissimus rex Stinkel defunctus est post quem duobus Hericis de regno certantibus, omnes Suedorum potentes in bello occubuisse feruntur. nam & ambo reges ibi perierunt. ita prorsus deficiente omni regali prosapia & status regni mutatus & Christianitas ibi turbata est valde. episcopi quos illuc Metropolitanus ordinavit, persecutionem metuentes, domi sederunt. Solus episcopus Sconiæ procuravit ecclesias Gotthorum. & quidam Sueonum Satrapa Gruph ad Christianitatem populum confortavit.

Post annum cIↃ. LI.

Ipse * prædicatores suos clericos in omnem Suediam direxit & Nordmanniam atque in insulas quæ sunt in illis partibus: cujus veraci & dulcissima narratione didici suo tempore multos ex barbaris nationi-

* *Suein junior rex Danorum.*

tionibus ad Christianam fidem conversos, aliquos etiam tam in Suedia quam in Norwegia martyrio coronatos: ex quibus, ait, Hericus quidam peregrinus dum apud Sueones ulteriores prædicaret, martyrii palmam capitis abscissione meruit.

Itaque jam certus eundi viam suam disposuit taliter finire, ut circuiens latitudinem Septentrionis, hoc est, Daniam, Suediam & Nordmanniam, pertransiens, inde ad Orcadas extremamque orbis partem Island possit contingere.

Nam & in Daniam Suediam & Nordwegiam & in insulas maris ordinavit multos episcopos.

Epistola Adalberti ad Episcopum Roschildensem apud eundem Adamum.

Nunc autem fraternitatem vestram latere nolo, quid molestiæ mihi Adalwardus episcopus intulit, quem, vobis testibus, qui ordinationi ejus interfuistis, Sictonensis ecclesiæ consecravi Pontificem, quem dum barbara gens sibi præesse nollet, Scariensem ecclesiam invadere cæpit.

Deinde Adamus de eodem Adalberto.

In Suediam vero consecravit sex, Adalwardum & Acilinum, item Adalwardum & Tadicum, nec non Simonem atque Iohannem monachum.

Scripsit circa annum. cIↃ. C L X V I I I.

Helmoldus presbyter Chronico Slavorum. Libr: I.

Slavorum populi multi sunt, habitantes in littore Balthi-

Balthici maris. Sinus hujus maris ab Occidentali Oceano orientem verſus porrigitur, appellatus ideo Balticus, quod in modum Balthei longo tractu per Scythicas regiones tendatur uſque in Græciam. idemque mare barbarum ſeu Pelagus Scythicum vocatur à gentibus quas alluit barbaris. hoc mare multæ circumſedent nationes: Dani ſiquidem ac Sueones, quos Northmannos vocamus, Septentrionale littus & omnes in eo obtinent inſulas. at littus Auſtrale Slavorum incolunt nationes, quorum ab Oriente primi ſunt Ruzi, deinde Poloni habentes à ſeptentrione Pruzos, ab auſtro Boiemos & eos qui dicuntur Morabi ſive Carinthi atque Sorabi.

Dani & qui trans Daniam ſunt populi ab hiſtoricis Francorum Northmanni vocantur.

Ludovicus * ſanctiſſimum virum Anſcarium, quem etiam aliquando ad Danos & Suedos prædicatorem direxerat, Hammenburgenſi eccleſiæ ordinari fecit archiepiſcopum. *filius Caroli.*

Procedentibus itaque ſenſim divinæ gratiæ incrementis in gente Danorum, cæpit memoratus Pontifex * magno deſiderio aſſurgere ad Sueonum converſionem: hoc iter arduum per ſeipſum aggreſſus petiit literas & nuntium regis Danorum, profectuſque cum multis navali itinere pervenit ad Byrcam, principalem Suediæ civitatem, ubi multo favore & lætitia exceptus eſt fidelium, quos ipſe quondam ante pontificatus honorem illo prædicator directus Chriſto acquiſierat, obtinuitque apud regem, ut volentibus Chriſtianitatis aſſumere ti- *Anſgarius.*

re titulum libera pateret facultas. dato ergo in Suedia Episcopo & sacerdotibus, qui vice sua divinas res & populi salutem curarent. & singulos ad fidei perseverantiam adhortatus, reversus est ad propriam sedem. ab eo tempore jactum semen verbi Dei in populis Danorum atque Sueonum uberius fructificari cæpit. quamvis enim in iisdem gentibus multi postmodum tyranni surrexerint, qui crudelitatem suam non solum in Christicolas suæ gentis sed etiam in exteras nationes extenderint, datur tamen intelligi Christianitatis titulum, post primum fundationis suæ tempus in Dania sive Suedia eousque convaluisse, ut etsi persecutionum procellis impellentibus aliquando titubaverit, nunquam tamen penitus exciderit.

Sane populis Slavorum & cæteris gentibus fide imbuendis grave ab initio præbuit impedimentum ea bellorum tempestas quæ Northmannis tumultuantibus in toto pæne desæviit orbe. porro Northmannorum exercitus collectus fuit de fortissimis Danorum, Sueonum, Norveorum, qui tunc forte sub uno principatu constituti, primo omnium Slavos, qui pro manibus erant, miserunt sub tributum, deinde cætera finitima regna terra marique vexabant &c.

Archiepiscopus Vnni. Deinde vestigia * secutus magni prædicatoris Anscarii remigans mare Balticum non sine labore pervenit ad Byrcam principalem Suediæ civitatem, quo jam post obitum sancti Anscarii nemo doctorum annis septuaginta venire ausus est, præter solum, ut legimus, Reimbertum. est autem Byrca oppidum Gotthorum celeberrimum in medio Sue-

diæ poſitum, quo tractus quidam Baltici maris alluit, reddens portum optabilem, quo omnes Danorum, Norveorum, itemque Slavorum ac Sembrorum naves aliique Scythiæ populi pro diverſis commerciorum neceſſitatibus ſolenniter convenire ſolent. in eo ergo portu confeſſor Domini egreſſus, inſolita populos appellare cæpit legatione. quippe Sueones & Gotthi propter varia temporum pericula & regum cruentam feritatem, Chriſtianæ religionis penitus obliti fuerant. ſed favente gratia Dei à ſancto patre Vnni denuo ad fidem revocati ſunt. perfecto ergo legationis ſuæ miniſterio, cum jam redire diſponeret Euangeliſta Dei, ægritudine correptus apud Byrcam feſſi corporis ſarcinam depoſuit. obiit autem peracto boni certaminis curſu anno dominicæ incarnationis nongenteſimo triceſimo ſexto: cui ſucceſſit in cathedra venerabilis Adheldragus.

Ille vir magnificus * & præpotens in regno, cum fortiſſimum Henricum Cæſarem videlicet Conradi filium, nec non & Papam Leonem haberet propitios atque voluntati ſuæ per omnia conſentaneos in omnibus Borealibus regnis, Daniæ ſcilicet, Suediæ, Norwegiæ, functus eſt auctoritate Archiepiſcopali & legationis Apoſtolicæ miniſterio.

* *Adalbertus.*

Vacaverunt hæ ſedes annis octuaginta quatuor uſque in tempora Hartwici Archiepiſcopi. qui propter generis nobilitatem duplici principatu clarus, magno ſtudio eniſus eſt pro recuperandis ſuffraganeis epiſcopis univerſæ Daniæ, Norwegiæ, Suediæ, quos Hammeburgenſi eccleſiæ quondam pertinuiſſe commemorat antiquitas.

Et

* Henricus Leo.

Et transmisit Dux * nuntios ad civitates & regna Aquilonis Daniam, Suediam, Norwegiam, Rugiam, offerens eis pacem ut haberent liberum commeatum adeundi ad civitatem suam Lubeck.

Scripsit circa annum CIↃ CC.

Saxo Scalandicus Danica Historia præfatione.

Cæterum Hallandia ac Blekingia ab integritate Scaniæ ceu rami duplices ex unius arboris stipite promeantes, Gotthiæ Norvagiæque longæ declinationis spatiis diversisque recessuum interstitiis annectuntur.

Cæterum Oceani superior flexus Daniam intersecando prætermeans australem Gotthiæ plagam sinu laxiore contingit.

Igitur inter Granduicum & meridianum pelagus breve continentis spatium patet, maria utrimque secus allapsa prospectans. quod nisi rerum natura limitis loco congressis pene fluctibus objecisset, Suetiam Norvegiamque conflui fretorum æstus in insulam redegissent. harum ortivas partes Skricfinni incolunt: quæ gens inusitatis assueta vehiculis montium inaccessa venationis ardore sectatur, locorumque complacitas sedes dispendio lubricæ flexionis assequitur. neque enim ulla adeo rupes prominet, quin ad ejus fastigium callida cursus ambage perveniat. primo siquidem vallium profunda relinquens, scopulorum radices fortuosa gyratione perlabitur, sicque meatum crebræ declinationis obliquitate perflectit, donec per sinuosos callium anfractus destinatum loci cacumen exsuperet.

peret. eadem apud finitimos mercium loco quorundam animalium pellibus uti consuevit.

Suetia vero Daniam ab occasu Norvegiamque respiciens à meridie & multa Orientis parte vicino præteritur Oceano. post quam ab ortu quoque multiplex diversitatis barbaricæ consortio reperitur.

Lib. I.

Sueonum regis Sictrugi filia Gro gigantum cuidam desponsa.

Adversus Sumblum Finnorum regem bellum professus (Gram) ad aspectum filiæ ejus Signas depositis armis, ex hoste procus evasit, eamque præmisso conjugis suæ repudio pactus despondit.

Cum Othinus quidam Europa tota falso divinitatis titulo censeretur, apud Vpsalam tamen crebriorem diversandi vatem habebat.

Lib. II.

Suetica (me miserum) Danos fiducia spernit:
Ecce truces oculis Gotthi, visuque feroces
Cristatis galeis hastisque sonantibus instant.
In nostro validam peragentes sanguine cladem:
Distringunt gladios & acutas cote bipennes.

Namque obvius ensis.

Cunctandi mihi causa fuit: quem Sueticus hostis
In mea prævalido contorsit pectora nisu.

Nec

Nec parce gladium capuli moderator adegit:
Nam quantum in nudo vel inermi corpore fas eſt
Egit in armato: ſic duri tegmina ferri
Vt molles trajecit aquas, nec opis mihi quicquam
Aſpera loricæ poterat committere moles.

Contigit autem potitis victoria Gotthis omne Roluonis agmen occumbere.

Lib. III.

Ea tempeſtate Helgo Halogiæ rex Cuſonis Finnorum Byarmorumque principis filiam nomine Thoram crebræ legationis officio procabatur.

Fro quoque Deorum ſatrapa ſedem haud procul Vbſala cepit, ubi veterem litationis morem tot gentibus ac ſæculis uſurpatum, triſti infandoque piaculo mutavit. ſiquidem humani generis hoſtias mactare aggreſſus fæda ſuperis libamenta perſolvit.

Lib. IV.

Ea tempeſtate regnabat apud Suetiam Atiſlus, vir fama ſtudioque conſpicuus, qui cum finitimos late bello preſſiſſet, ne partum virtutibus fulgorem otio deſidiæque corrumpendum relinqueret, complura novarum rerum officia ſedulo frequentationis ſtudio celebranda curavit. inter quæ etiam inſigni armatura ſuccinctus quotidianam ſolitarii inceſſus conſuetudinem præbuit: tum quod in re militari nihil crebro armorum uſu præſtantius noſſet, tum ut hujus agitatione ſtudii claritatis incrementa contraheret, in quo non minus ſibi fiducia, quam laudis

laudis cupido vindicavit. tantam quippe nullius rei violentiam existimabat, ut ejus objectu mentis suæ robur quassandum timeret. qui cum trajectus in Daniam armis Frowinum apud Sleswicum in acie provocasset, magnisque invicem cædibus copiæ funderentur, accidit ipsos agminum duces ita inter se ferro concurrere, ut rem duelli more prosequerentur, & præter publicam belli sortem privati conflictus specie decertarent. hunc enim congressionis eventum par amborum expetebat affectus, ut virtutem non partium ope, sed propria virium experientia testarentur. quo evenit ut crebrescentibus Aristus armis superior prostrato Frowino privatæ victoriæ publicam jungeret, passimque divulsa Danorum agmina profligaret. Inde Suetiam reversus, Frowini necem non solum virtutum suarum imaginibus adscripsit, verum etiam impensiori verborum jactantia prosequi consuevit.

Lib. V.

Eodem tempore Alrico Sueonum regi adversum Gestiblindum Gotthorum regem atrox incidit bellum.

Nemo ante * ipsum Sueticorum regum Erici nomine censebatur: ab ipso autem in cæteros vocabulum fluxit.

* *Ericum Frothoni coævum circa tempus Christi nati.*

Sunt Finni ultimi Septentrionis populi. vix quidem habitabilem orbis terrarum partem cultura ac mansione complexi. acer iisdem telorum est usus. non alia gens promtiore jaculandi peritia fruitur. grandibus & latis sagittis dimicant: incantatio-

tionum ſtudiis incumbunt, venationibus callent: incerta illis habitatio eſt, vagaque domus, ubicunque feram occupaverint locantibus ſedes. pandis trabibus vecti, conferta nivibus juga percurrunt.

Lib. VI.

* *Starchaterum.*

Hunc * in ea regione quæ Suetiam ab Oriente complectitur, quamque nunc Eſtonum aliarumque gentium immenſa barbaries latis ſedibus tenet, originem duxiſſe memoriæ proditum eſt.

Starcatherus ad deſerendam Ingelli familiaritatem adductus, potito Sueonum regis Haldan contubernio, otium negotio prætulit.

Gratum Helgoni conſilium fuit, qui cum parvulo comitatu ſumpto Suetiam ingreſſus ad nobiliſſimam ejus urbem Vpſalam perveniſſet, ingreſſu abſtinens præmittit qui Starcatherum ſalutationis officio prætentatum ad Frothonis filiæ nuptias invitaret.

* *Starcatherus.*

† *primo ejus nominis Suediæ rege.*

Idem * plagis nondum medicamine procuratis, nec ulla adhuc cicatrice reſperſis, occiſo ab æmulis † Haldano, Suetiam repetens, filium ejus Syvardum devicta quorundam rebellione, paternæ dominationis hæredem conſtituit.

Lib. VII.

* *Frothonis & Haraldi Olavi filiorum.*

Quin etiam eorum * conjuges Sygar & Vlvilda, quarum altera Suetiæ rege Syvardo, altera Carolo Gotthiæ præfecto orta fuerat, crebra nobili-

tatis

tatis contentione rixantes alternos maritorum ſolvere convictus.

Ericus quo facilius Suetiæ regnum deſeruit, hoc celerius recepit.

Sygrutha Gotthenſium regis Vnguini filia.

*Eodem tempore Gotthorum rex Syvardus filios habuiſſe fertur Wemundum & Oſtenum, filiamque Alvildam. * *Sigaro apud Danos regnante.*

Vbi inter Alverum Suetiæ regem Rutenoſque bellum flagrare cognovit, è veſtigio Ruſſiam* petit. * *Haldanii.*

Interea rex Sueonum Alverus decedit Olavo, Ingene & Ingeldo filiis relictis.

Interea apud Suetiam moritur Ingeldus: Ringone, quem ex Haraldi ſorore ſuſtulerat, parvulo admodum filio relicto, quem Haraldus paterno regno datis ei tutoribus præfecit.

Lib. VIII.

Hiſtoriam belli Suetici Starcatherus, qui & ejuſdem prælii præcipuum columen erat, primus Danico digeſſit eloquio.

At ex parte * Ringonis computantur Vlf, Abgi, Windor, Egilluſcus, Gotar, Hildi, Guti, Alf patre genitus, Stur robuſtus, Sten Wienicæ paludis accola. applicantur hiſdem Gerth alacer, Gromer, Wermicus. poſt quos Septentrionales Albiæ fini- * *Suetiæ regis.*

finitimi ſupputantur: Saxan, Fletir, & Saligotthus, Thord nutabundus, Throndar naſutus, Grundi, Othi, Grinder, Tuvi, Coll, Byarchi, Hogin ingenioſus, Rokar fuſcus. hi ſiquidem multitudinis collegium aſpernati, in unam ſe aciem à cætera cohorte ſecreverant. præter hos Ram, cui Hyld pater erat & Lynth Guthi. Sueno quoque ſuperbe tonſus, Richir accipiter, & Rolf uxorius numerantur. quibus conglobantur Ring Athylæ filius, Haraldusque Thothin editus vico. his anneƈtuntur Wolſten Wicenſis, Thorulf ſpiſſus, Thengil procerus, Hunſdwe, Birwil pallidus, Burgar & Scumbar. at è Thelemarchia fortiſſimi venerunt, quibus animi plurimum, faſtus minimum erat: Thorlevan pertinax, Totkil Guticus, Gretir iniquus irruptionumque avidus. his ſuccedunt Haddir dulcis & Riddar articulus. è Norvagia vero memorantur Throndes, Thronski, Thoki moricus, Rafro candidus, Haſvvar, Biarni, Blihar cognomento Simus, Biorn è vico Soghin, Findar maritimo genitus ſinu, Berſi quoque apud Falu oppidum creatus, Syvardus verris caput. Eriſcus ſibilator, Aloten, Harki, Ruthar, Rauni, Erlingar cui Colubra cognomentum erat. at è Iathrica provincia prodiere Od Anglus, Alf multivagus, Enar protuberans, Iwaruſque cognominatus Thruwar. A Tyle autem venere Marruffus, eo videlicet pago qui Mithfrithi dicitur ortus educatuſque, Grombar annoſus, Gram Brundelucus, Grim ex oppido Skierum apud Scaha, Fyrchi quidem provinciæ, ſatus. deinde Berligar vates advertitur, cui Brahi & Rankil comites adhibentur. at Sueonum fortiſſimi hi fuere: Ar, Backi, Kedu, Karll, Croc agreſtis, Guthfaſt, Gummi è Gyſtamarchia. qui quidem

dem Fro Dei necessarii erant & fidissimi numinum arbitri. Ingi quoque Olii, Alwer Folki patre Elrico nati, Ringonis militiam amplectuntur, viri quidem manu prompti, consilioque vegeti proximaque Ringonem familiaritate complexi. Iidem quoque ad Fro Deum generis sui principium referebant. Inter quæ & Simundus aderat ex Sigtim oppido, forensis quidem athleta emptionumque ac venditionum contractibus assuetus. huic additur Frostii cognomento Crucibulum, cui sociatur Alf elatus, è vico Vpsala. idem & jaculari promptus & in acie præire solitus erat. at Olonem septem reges manu consilioque promptissimi stipavere. Holtii videlicet & Hendill, Holmar, Levii & Hamo. quibus Regnaldus Ruthenus Rathbarti nepos asscribitur. præterea Syvaldus undecim salum paronibus sulcat. Lesfus Pannoniorum victor bracteatam auro liburnam linteo excipit. Thirikar vero instar draconis tortuosas habente proras navigio vehebatur. Thrygir quoque & Torwil divisim navigantes duodenas ductavere puppes. cæterum in tota Ringonis classe navium duo millia quingentæ repertæ sunt. Guttonica vero classis in portu cui Gamum nomen Sueticam operiebatur. itaque Ringo terrenum ductabat agmen. at Oloni navalibus præesse copiis imperatum. Igitur Gotthis obviam Suetis veniendi inter Wic & Werundiam locus cum tempore denuntiatur.

Cogitare debere Suecones Noricosque quantum Germanos ac Slavos Septentrionalis semper turba præstiterit. *Verba Lingonis regis.*

Tanta vi periti arcuum Guttones nervos intenderant, ut clypeos quoque jaculis transverberarent.

Quo tempore Sueonum rex Gotarus alteram * Omundi filiarum ob eximiæ pulchritudinis famam infinito amore complexus. Elboni cuidam Sibbonis filio postulandæ virginis gratia negotium legationis imponit.

Daniæ regis.

Post hunc regnat * Syvaldus, cujus filius Snio ** filiæ Gotthorum regis mutuo amore perstrictus conveniendæ ejus copiam clandestinis nuntiis tentat.

** apud Danos.*

Hinc Snio quum in Sueonum regis connubium paterno impulsu comperisset abductam, quendam in obsoleto habitu per itinera publica stipem petere solitum ad eam usque tentandam transmisit.

Primum itaque Blekingiam * advecti, ac deinde Moringiam præternavigantes, ad Gutlandiam se appulerunt, ubi & Paulo * teste, auctore Frig Dea, Langobardorum vocabulum, quorum postea gentem condiderunt, traduntur adepti. tandem ad Rugiam se applicantes, desertisque navigiis solidum iter ingressi, cum multam terrarum partem emensi, armisque depopulati essent, post editas late strages, postremo petitis in Italia sedibus priscum gentis vocabulum suo nomine commutarunt.

** exsules.*

** Warnefredi.*

* Cui Regnerus in regnum succedit. † quo tempore rex Suetiæ ‡ Fro.

** Ringoni Daniæ regi.*

† Sivardus Fro cognomine.

‡ Ludovico rege Francorum & Imperatore filio Karoli Magni.

Interea rex Sueonum Herothus silvas forte venatione complexus, repertas à comitibus angues filiæ detulit nutriendas.

Cumque Regnerus oneratis tributo Saxonibus de morte Herothi certum à Suetia nuntium accepisset, liberosque suos hosti suffecti regis calumnia auctis

auctis bonis exutos cognoſcerent Biorni Fridlevi atque Rathibarti collegium apprecatus Suetiam petiit.

Finni lubricorum ſtipitum celeri allapſu curſum intendere ſoliti, arbitraria velocitatis potentia rapiuntur, promtiſſimamque propinquitatis vel abſentiæ facultatem obtinere creduntur. mox enim ut hoſtem læſerint, eadem celeritate qua ſubeunt avolant, nec procurſu languidius reditum tentant. itaque & vehiculorum & corporum agilitate inſtandi fugiendique expertiſſimam obtinent poteſtatem.

* Cujus cum Regnerus inſolentiam ex Suetiæ ducibus Kelthero, Thorkilloque cognoſceret, Gothiam verſus præpropere navigationem exercuit. ** Ubbonis.*

Interea Daxon Withſercum Suetiæ principantem, diu nequicquam ſuperare conatus, tandem factæ pacis commento circumventum aggreditur.

Deinde * eo atque † Erico accitis Orcades populatus, ad ultimum Scotorum finibus appulit, eorumque regem Mariual triduano exhauſtum prælio interfecit. ** Regnerus Biorno. † Rege Suetiæ.*

Poſt hæc * Ericum apud Suetiam Oſtoni cujuſdam malignitate ſublatum ulciſci cupiens, dum alienæ vindictæ arctius incumbit, ſuum hoſti ſanguinem erogavit. ** Ivarus.*

Lib. X.

Ea tempeſtate Sturbiornus Suetici regis Biornonis filius à patrui Olavi filio Erico regno ſpoliatus, petendi auxilii gratia ad Haraldum, cui

Thyra mater exſtitit, cum ſorore Gyritha ſupplex migravit, tantoque apud eum paratiorem amicitiæ locum reperit, quanto illi ejuſdem ſororis ſuæ matrimonium liberalius permiſit.

Inter hæc Sturbiornus ultionis aculeo laceſſente acceptam injuriam penſare cupiens, Haraldo in opem accito, memorem damnorum iram adverſus inviſam Erici dominationem diſtrinxit. cujus rei gratia Haraldus Hallandiam proficiſcens Teutonicæ irruptionis nuntium, quæ à Cæſare Othone gerebatur accepit.

Interea Sturbiornus contumelioſa militum adhortatione compulſus. fortunam ſuam temere ſociorum fortitudini credidit, inque proprium exitium ruens, regiarum partium reditum ſtolida præceſſit audacia. bellum enim præponere auſus rebus Sueonum per incuriam laceſſitis, occiditur.

Haraldo ejus ſe artis, quo Finni navales ſaltus peragrant, peritiorem jactanti, Toko in conſimili genere laudis ſuam auſus conferre virtutem, apud Collam rupem editæ profeſſionis experimentum præbere compellitur. ſed quod minus exercitio celebraverat, plenius à virtute mutuatus eſt. eminentis enim ſcopuli cacumine conſcenſo, exiguo ſe fuſti credidit, lubricaſque plantis tabulas adaptando, rapidum in præceps vehiculum egit.

*Suenonem Daniæ regem.

Nec tamen erga *deſertorem ſacrorum principem divinæ corruptionis aculei quieverunt. nam Sueciam quoque Danorum rebus infeſtam fecere. cujus rex Ericus agnomen à victoriis mutuatus per Haraldum jam pridem latam Stybiorno adverſus Sueones opem memoriæ ſubjiciens, perquam graviter

viter in Suenonis caput exarſit, exercitum in Daniam trajecit, expugnatione filii parentis noxam penſare cupiens.

A quo Sueno bello Scanico victus.

Erici filius Olavus cum matre Syritha Suetiam repetivit, ibique degens regnum materno arbitrio ſubjectum habuit.

Conſimilis ejuſdem * pontificis induſtria Suetiæ regem Olavum ad Christiana ſacra perductum Iacobi nomine venuſtavit, morum profectui decus vocabuli tribuens. utrum autem idem rex ab eo, an à Bremenſium pontifice Vnnone ſacrorum uſum diſciplinamque perceperit, parum comperi.

* Bernardi ex Anglia profecti.

Interea abſumpto Sueonum rege Olavo ſuccedit Omundus avitæ diuturnitatis cognomen ſortitus. cujus fato Olavus Norvagienſis repetendæ patriæ fiduciam nactus, contracta Sueonum ope Norvagiæ ſummam audaci uſurpatione corripuit, quod Kanutum fraternæ opis caſſum, ac celeberrima virium parte defectum adverteret.

Suetis aſſidue Scaniam irrumpentibus primus ad conſtringendam rem proficiſci * popoſcit.

* Vlvo.

Sueno vero deſperatis jam rebus in Scaniam, ut diximus, profectus, Suetiam (nam paternum inde genus traxerat) reviſere proponebat. quem Magnus concitato animi impetu conſecutus. cum oppidum Alextathiam præteriret, deturbato per occaſum leporis equo, trunco cujus præacuti forte ſtipites eminebant adactus extinguitur.

Lib. XI.

* Gutham Suetico rege genitam ſanguine con-

* Sueno rex Daniæ ejus nominis ſecundus.

junctam sibi legitimæ prolis cupiditate complexus.

* S. Kanuti vidua.

Hoc audiens * regina patriam cum filio impubere repetit, geminis post se relictis filiabus, ex quibus Ingertha Folconi Sueticæ gentis nobilissimo nupta, Benedictum Kamuthumque filios habuit. hisdemque mediantibus Birgerum, qui & nunc exstat, Suetiæ ducem cum fratribus suis nepotem accepit: verum ex Cæciliæ matrimonio Ericus Gotthorum præfectus Kanutum cum Carolo procreavit. ex quibus generosissimarum imaginum numerosa posteritas clara propinquitatis serie cohærens emersit.

Lib. XII.

* Nicolaus rex Danorum.

Duxit * autem Margaretam patre Ingone Sueonum rege.

Interea Sueticarum partium rege absumpto Gotthi summam, cujus omne penes Sueones arbitrium erat, Magno deferre ausi, alieni privilegii detrimento dignitatis sibi incrementa quærebant. quorum Sueones auctoritate contemta, veterem gentis suæ prærogativam in aliquanto obscurioris populi invidia deponere passi non sunt. igitur antiquæ dignitatis speciem intuentes, titulum injusta collatione præreptum, novo regis electu cessarunt. qui mox à Gotthis trucidatus, morte Magno Imperium cessit.

Lib. XIII.

* Imperante Lothario.

* Interea Sueones quod Magnum domesticis bellis occupatum audierant, Suerconem quendam mediocri inter Sueonas loco natum regem constituunt.

Karo-

Karolum ex *ipsa, qui & post ipsum in Suetia regnabat, suscepit. * Vlvidda.

Henricus Sueticarum partium Pontifex.

Lib. XIV.

Per eadem tempora Nicolaus urbis Romæ Cardinalis Britannicum permensus Oceanum, Norvagiam Lundensium adhuc ditioni parentem, immunitate concessa, maximi pontificatus titulis insignivit. quod in Suetia quoque legationis potestate peragere cupiens, Sueonibus, & Gotthis de urbe & persona tanto muneri idonea concordare nequeuntibus, certamini decus negavit.

*Eskillum igitur mandatis aggressus, plus novæ dignitatis quam veteris amiserit recepturum promittit. definiens se ereptæ Norvagiæ damna Suetici primatus munere pensaturum. rapuit promissum Eskillus cupideque legati copiam flagitat. qui veniens apud ipsum futurum Suetici sacerdotis insigne deposuit, dandum ei in quem concors Sueonum Gotthorumque suffragium convenisset. * Roskildensem pontificem.

Eadem fere tempestate Suerconem regem, servus qui cubiculo ejus præerat, noctu dormientem occiderat. quod scelus divinitas haud segnius quam justius ulta est. nam parvo post tempore Magnus, qui occulta regnandi cupiditate servo peragendi facinoris auctor exstiterat, in eo conflictu quo filium Suerconis Carolum, quem patre spoliaverat, regno etiam exuere gestiebat, sceleratæ machinationis pœnas morte persolvit.

Quod religiosæ executionis officium, Sueonum

ducis Gutthormi, qui neptem Waldemari eorundem regi Karolo desponsam abducendi causa legationem attulerat, præsentia venustabat.

Prælio ab Erlingo obtriti, victoria pariter & rege privati ad Karolum Suetiæ regem profugiunt, ipsumque belli ducem exposcunt, cui cum Norvagiæ rebus etiam aliqua necessitudinis communio videbatur.

* Dani. His monitis incalescentes se in Olandiam * appulerunt. verum quanquam Sueones & Dani inimicitias gererent, ne destinatam paganis cladem Christianis infligerent, insulæ parcendum duxerunt, religionis concordiam regnorum odiis præferentes. hic ab indigenis permixtos Estonibus Curos propinquo in portu piraticam exercere perdocti, indicatum sibi locum, ut cuique navigationis celeritas suppetebat, cum contemptu hostium, regii monitus immemores, certatim subintrant.

Circa annum. cIↃcc.

Epistola Innocentii III. *Pontificis Romani Archiepiscopo Lundensi.*

Quia circa minima & maxima frequenter humanus deficit intellectus, prudentis est quærere, ubi scrupulus dubitationis occurrit. sane postulasti per sedem Apostolicam edoceri, si Presbyteri successive duas concubinas habentes, bigami censeantur, ut cum eis tanquam cum irregularibus, quoad executionem sui officii nequeas dispensare. & si presbyterorum filii sint indifferenter ad sacros ordines promovendi, & utrum sacerdotes Suethiæ in publicis debeas tolerare conjugiis, qui super hoc se asserunt cujusdam summi Pontificis privilegio communi-

munitos. ad quæ ſic duximus reſpondendum: quod cum ſacerdotes prædicti ſive uno ſive diverſis temporibus plures habuerint concubinas, irregularitatem non incurrerint bigamiæ, cum omnibus tanquam ſimplici fornicatione notatis quoad executionem ſacerdotalis officii poteris diſpenſare, ſi vivere curaverint continenter. de Presbyterorum vero filiis tum ex decreto Vrbani Pontificis ſecundi, quam ex concilio colligitur Pictavienſi, quod ad ſacros ordines non ſunt promovendi, niſi aut in cænobiis, aut in canonica regulari religioſe fuerint converſati. de Presbyteris autem Suetiæ certum non poſſumus dare reſponſum, niſi videamus privilegium quod prætendunt. Datum Signiæ octavo Nonas Octobris. Pontificatus decimo ſexto.

Confer c. Vt clericorum. in fine. de vita & honeſtate clericorum. quod eſt ejuſdem Innocentii.

De Gotthis Rodericus Toletanus. *Lib.* I. *C.* VIII.

Scripſit circa annum cIↃ.CCLXIII.

In Oceani ſolo eſſe magnam inſulam nomine Scandiam.

Ex Iornande.

Et licet in Scandia inſula multæ & diverſæ maneant nationes, ſeptem tantum nomina eorum meminit Claudius Ptolemæus, ſcilicet: Gotthi, Wiſigotthi, Oſtrogotthi, Dani, Rugi, Arothi, Thanii, quibus poſtea Rodolphus rex fuit, qui audita virtute regis Theoderici, contemto proprio regno ejus militiæ ſe dedit.

Iorn. Arochiramii.

Oſtrogotthi item & Dani, qui ex ipſorum ſtirpe progreſſi Herulos propriis ſedibus expulere.

Ex hac ergo Scandia &c. ex Iornande.

C. IX.

C. IX.

Beric. vide P. Diac.

Poſt mortem * Teric regnavit in eis Gadaric qui fuit magnificus triumfator.

Poſt hunc filius ejus Filmar.

Iſidorus Gotthicæ gentis diligens & Chronicorum diſſertor optimus hæc quæ diximus de Gotthorum principio cur omiſerit ignoramus.

Hi Septentrionalia juga tentantes, Scythica regna montibus ardua poſſederunt, & pars illa adhuc hodie Gotthia appellatur. Interpretatio autem nominis eorum eſt lingua noſtra fortitudo.

Gallias ſunt aggreſſi, Hiſpanias ſunt adepti, ibique apud Toletum ſedem vitæ & Imperium locaverunt.

Diu propriis ſe ducibus rexerunt, & poſtea regale faſtigium aſcivere quod & ſacerdotio ornavere. hos omnes Europæ populi tremuerunt. Alpium obices his ceſſerunt. Poſt exterminium Scythiæ gens Vandalica à Pannonia non tam eorum præſentia fuit trita quam opinione fugata. eorum impetu Alani ſunt extincti. Suevi inter confractuoſos Hiſpaniarum angulos eorum armis periculum finis ſunt experti, & regno, quod deſidioſe tenuerant, turpiori diſpendio caruere. Libertatem ſemper bello quam pace potius ſervavere. in bellandi neceſſitate vires precibus prætulere, & in armis ſpectabiles, haſtis & jaculis, arcubus & ſagittis, enſibus atque clavis, equeſtri & pedeſtri prælio confligebant. cura tamen equorum carior illis fuit; telis & jaculis pro recrea-

recreatione præludere affectabant. Ludorum certamina uſu gerebant in armorum experientia. Solo navalis belli exercitio caruerunt, uſque ad tempora Siſibuti, ſub quo ad tantam gloriam pervenerunt ut victoriarum inſignibus non ſolum terram ſed & ipſa maria ſubſulcarint. Fuere autem magnanimi & audaces, & naturaliter ingenio faciles & ſubtiles, in propoſito providi & conſtantes, geſtu & habitu approbandi, viribus pollentes, ſtatura ardui & proceri, diri * vulneris, manu prompti, corpore validi, membris apti, diſpoſitione compoſiti & coloris albi.

* *Al. vulneribus.*

Lib. II. *C.* I.

Primus Gotthorum gentis adminiſtrationem ſuſcepit Athanaricus æra CCCLXXXI. & regnavit annis XIII.

Æra CCCLXXXIX. Gotthi ad Iſtrum adverſus ſemetipſos in Athanarico & Fridigerno diviſi alternis ſe cædibus devaſtarunt. Sed Athanaricus Fridigernum Valentis Imperatoris auxilio ſuperavit, & ei cepit potentia præminere. verumtamen Fridigernus quaſi ſubregulus habebatur. Fridigernus cum iis qui in Oriente Oſtrogotthi dicebantur, & Athanaricus in occidente tabernacula metabatur. Tunc Gudila Epiſcopus eos legem docuit Chriſtianam & ſcripturas novi & veteris teſtamenti linguam tranſtulit in eandem.

Specialesque literas quas eis cum lege Gudilas eorum Epiſcopus tradiderat, habuerunt quæ in antiquis Hiſpaniarum & Galliarum libris adhuc hodie ſuperextant, ſpecialiter quæ dicitur Toletana.

C. III.

C. III.

Quod cum Gratianus Imperator qui Roma in Gallias secesserat, comperisset, mox ad eos collecto exercitu venit & eorum exercitus, cui præerat Fridigernus primo adventu prostravit. Sed cum qui evaserant ad Athanarici exercitum confugissent, & mox Athanaricus deliberavit collegæ sanguinem vindicare.

C. IV.

Defuncto igitur Athanarico æra CCCCXIV. attendentes Gotthi Theodosii benignitatem Romano Imperio, fuereque sine rege XXVIII. annis, & deinde dicti sunt Federati.

Ex Isidoro pleraque.

Æra CCCCXXIII. in Radagaiso & Alarico divisi se variis sedibus lacerarunt. tandem in concordiam veniunt ob excidium Romanorum, & pari intentione uniforme consilium inierunt, ut ambo pariter conregnarent, Alaricus tamen potior haberetur, & ad deprædandas Italiæ regiones ad invicem dividuntur.

** Radagaisi.*

* Cujus exercitus ab Stilicone duce Romano in montuosis locis Thusciæ circumclusus fame est potius quam ferro consumptus & ipse postremum rex captus & interfectus. quo exstincto consors regis Alaricus cæpit regnare solus, nomine quidem Christianus, sed hæreticus professione.

C. V.

Gotthi autem tantæ fuerunt clementiæ, quod omnibus indulserunt qui ad sanctorum limina confugerant, nec quenquam à sanctuariis extraxerunt. ingressi urbem omnibus pepercerunt. Sed iis quos extra loca martyrum invenerunt, Christi & sancto-

rum

um nomina invocantibus, ſimili miſericordia in-
lulſerunt. in reliquis autem, etſi præda hoſtibus
patuit, feriendi licentiam pietas refrenavit.

C. X.

Sub hoc rege * Gotthi legum ſuarum inſtituta * *Eurico.*
ad ſcripturæ ſeriem redegerunt. nam ante tantum
moribus & conſuetudine tenebantur.

C. XII.

Qui * cum eſſet hæreticus, pacem tamen con- * *Theudius.*
ceſſit eccleſiæ. adeo ut licentiam Catholicis epiſco-
pis daret in unum apud urbem regiam convenire &
quæcunque ad diſciplinam eccleſiæ pertinebant li-
bere ordinare.

Lib. III. *C.* VII.

Cum à ſæculis Gotthorum magnalia omnes po- *Verba regis Wambæ.*
puli, omneſque principes ſint experti.

C. XIX.

Erat autem Iulianus vir Nobilis, de nobili Got-
thorum proſapia ortus.

C. XX.

Gens illa victrix, gens illa nobilis, gens Gottho-
rum, cui ſe dederant Aſia & Europa & ejus fugaci-
bus Vandalis orbis ceſſerat Africanus.

C. XXI.

Proh dolor hic finitur gloria Gotthicæ Majeſta-
tis, æra IↃCCLII. & quæ pluribus bellis regna plu-
rima incurvavit, uno bello vexilla ſuæ gloriæ incli-
navit. qui Scythiam, Pontum, Aſiam, Macedo-
niam, Græciam & Illyricum variis cædibus vaſtave-
runt: & eorum mulieres Orientalem plagam præliis
ſubjecerunt & Cyrum magnum dominum Babylo-
niæ,

niæ, Assyriæ & Mediæ. Syriæ & Hyrcaniæ victum & captum in utre sanguinis extinxerunt: & cui victa Roma provinciarum domina flexit genu: cui Imperator Valens cessit incendio; cui ille eximius Attila rex Hunnorum Catalaunico bello recognovit imperium: cui Alani fugitivo prælio Pannoniam dimiserunt: cui Vandali cesserunt Gallias fugitivi: quorum bella minacibus tonitruis toti mundo à sæculis intonarunt. Machometi nuper orta rebellio uno bello inaudito excidio consummavit.

Hanc (Hispaniam) peragratis ferme omnibus & obtentis Asiæ & Europæ provinciis & experti bella & certamina & quibus insederant varias mansiones attendentes in locorum commoda omnibus prætulerunt, eo quod inter omnes mundi provincias specialibus ubertatis titulis redundabat: quæ Piræneis montibus à mari usque ad mare protensis Oceano circumducitur & Tyrrheno, Gallia & Gotthica id est Narbonensis provincia cum Rutheno, Alba, & Vivario civitatibus, quæ Gotthorum tempore ad Narbonensem provinciam pertinebant, & in Africa una Provincia decem civitatum, quæ Tingitania dicebatur, ad Gotthorum dominium pertinebat.

S. Brigitta Revelationum Lib. IV. *C.* III.

Floruit circa annum CIↃ.CCCXL.

Post diluvium nulli homines remanserunt, nisi qui erant in arca Noe. & ex eis una progenies nata est quæ venit ad Orientem, de qua etiam quidam venerunt in Suetiam. & alia generatio venit ad occidentem, de qua quidam exorti venerunt in Daciam. Sed qui primum cæperunt colere terram non circumvallatam aqua, nihil appropriabant sibi de terra eorum qui habitabant ultra aquas, & in insulis, sed unusquisque contentabatur de eo quod invenerat.

Erici

Erici Daniæ regis, Wratislai VII, *ducis Pomeraniæ, filii, historica narratio. De origine gentis Danorum.* Regnavit anno cIↃ CCCCXI

Dani, ut testantur veteres historiographi, tempore Saruch, proavi Abrahæ, regnum, quod nunc Dania vel Dacia dicitur, intraverunt, venientes de Gotthia. Qui quidem Gotthi, ut dicit Papias, de Gog filio Iaphet orti sunt. Quod autem quidam dicunt, Danos à Danais id est Græcis venisse, verisimile est, sed usquequaque certum non est: nisi ab initio dicti sunt Danai. Sed quælibet terra habuit nomen speciale, quod habet adhuc, donec tempore David regis habuerunt regem Dan. Nam tempore illo Dan filius Hamblæ, de Suetia veniens, regnavit super Syalandiam, Onen, Falster, & Landi. Cujus regnum dicebatur Withesloth.

Mox in rege XIII. *Daniæ.*

Interea cum Rolfkraki adhuc puer esset, rex Sueciæ Athiscus Danis tributum imposuit.

Mox in rege XXI.

Ab isto Hother villa Othera dicta est, & illuc fugiens occisus est à Bogo rege Sueciæ; qui etiam post eum regnavit.

In rege XXVIII.

Wermundus Blinde. Hic vir bellicosus erat. Hujus tempore Keto & Wiggo filii Frewini præfecti Sleswicensis occiderunt Athiscum regem Sueciæ.

In rege XLII. *qui post Christum natum octavus.*

Frothi Rechbance. Hunc interfecit Haldankin Byerngramce, filius fratris Haraldi, in ultionem patris sui. Huic successit Ericus rex Sueciæ.

In Rege LV.

Harald Hildercan. Iste hos quinque reges occidit, & ita potens factus est, quod omnes reges contra mediterraneum mare ferebant ei tributum. Cui cum Ringer nepos suus rex Sueciæ tributum negaret, Sueciam intravit, ibique in bello corruit.

Huic Haraldo postquam L annis regnavit, successit ei idem Ringer nepos suus.

In rege LXXVI.

Anno Domini Iↄ cc cc II Arnulphus Imperator, Danis in Teutonia occurrens, prostravit ex eis c hominum, bello cælitus administrato. Eodem anno obiit Ericus Barn; & regnavit pro eo Olaf rex Sueciæ.

Mox in rege CVII.

Anno Domini cIↄ cc x Swerkerus rex Sueciæ occiditur.

In rege CXIII.

Anno Domini cIↄ cc LXVI Biggeer Dux Sueciæ obiit.

Anno Domini cIↄ cc LXVI Ericus Dux Sueciæ obiit. Waldemarus rex Sueciæ exulavit in Dacia cum uxore & filiis.

Anno

Anno Domini CIↃ CC LXXVIII rex Waldemarus rediit ad Sueciam, filio pro obſide relicto.

Albertus Crantzius Hiſtoria Suedica.

Scripſit anno CIↃ IↃ IV.

Sueonia regio inter Aquilonares fertiliſſima: ager frugibus & melle opimus. pecorum fætu ac paſtu omnibus antefertur. oportunitas fluminum & ſilvarum ubique magna.

Nella relatione dello ſtato dell Imperio & della Germania per tutto l'anno 1628, fatta par Caraffa Nuntio del Papa alla Majeſtà Ceſarea.

Guſtavo è il 145. *re de Suetia, eſſendo comminciato quel regno nelli* 90 *anni doppo il diluvio.*

Ex bello Suecico Petri Baptiſtæ Burgi, ſcripto Pragæ, edito Leodii, dedicato autem D. Franciſco Cardinali Barberino. anno CIↃ IↃC XXXIII.

Regnum Sueciæ ultra quinquageſimum quintum Septentrionalis latitudinis gradum, ad mille Italica milliaria; qua latiſſimum eſt, uſque ad ſeptuageſimum ſecundum gradum extenditur: longitudine mille quingenta non excedit. Ab Oriente Ruſſia, à meridie mare Balthicum & Germania, ab occaſu Norvegia, à Septentrione Oceanus jacent. Quod citra ſexageſimum gradum eſt, aëre ſatis miti & temperato fruitur: quod inde uſque ad ſexageſimum ſextum, ſcilicet ad Arcticum circulum, excurrit, cœlum quidem inclementius habet, ſolum

vero felicius, ut beneficium hujus, ubi patitur situs, illius injuriam compenset. Quod reliquum ultra circulum Arcticum restat, & sterile est & frigore horridum, feris tamen piscibusque innumeris abundat, quos lacus, flumina, mare suppeditant, ita ut incolæ ex his vitam trahant. Regnum fuit olim incolarum multitudine adeo plenum, ut silvas etiam colerent. quod & ruinæ quæ passim itinerantibus in Suecia occurrunt, & in reliquum pene totum terrarum orbem hujus gentis inundationes testantur. Nunc ob dissensiones & bella fere continua non adeo populosum est. Incolæ natura feroces & truces dura exercitaque educatione contra omnes labores firmantur. Germanis mores similes habent, nisi quod ab iis civilitate superantur, at industria certe præstant, utpote quovis Sueco rustico omnes artes opificiaque callente. Reges memorant antiquissimos à Magogo, Noachi ex Iapheto filio nepote, usque ad præsentem Gustavum secundum, centum quadraginta octo. Regiam dignitatem, electivam antea, hæreditariam fecerunt sub Gustavo primo, ipsius hæredibus regnum, ab eo penitus ereptum Danis, subjicientes. Quod decretum sub Carolo anno CIↃ IↃC IV renovarunt. Christianam religionem S. Ansgarius monachus sub Biorno centesimo Suecorum rege anno IↃCCC XVI, indigenas idololatras edocuit.

Vide Ioannis Magni historiam Gotthorum & Sueonum, editam Romæ anno CIↃ IↃ LIV. *& Theatrum vitæ humanæ Theodori Zwingeri fol.* 4280.

PRO-

VANDALICA
ET
GOTTHICA
PROCOPII.

Emendata plurimis locis : accedentibus ſupplementis è Manuſcriptis : & ſic verſa Latine

AB

HVGONE GROTIO.



PROCOPII CÆSAREENSIS

HISTORIÆ VANDALICÆ

LIBER PRIMUS.

ET hunc quidem exitum habuit Iustiniani Imperatoris in Persas bellum. nunc quæ ipsi in Vandalos Maurosque gesta, dicere incipiam. ac primum quidem commemorandum mihi video, unde Vandalorum vis in Romanis parentes terras advenerit. Postquam mortalitatem explerat Theodosius, princeps & justi tenax & bellica laude clarus, in imperium ei successerunt filii duo, major natu Arcadius Orientem, minor vero Honorius Occidentem regendum sortitus. eum enim in modum, quà Romanus est, orbis divisus erat, tum à Constantino, tum ab ejus liberis. Constantinus autem is fuerat qui Byzantium urbem multo à se factam majorem atque augustiorem de se nominari voluerat. Quicquid usque terrarum est, Oceanus id aut omne aut maximam partem (certam enim ejus notitiam nondum adepti sumus) ambit; sciniditque in partes ingentes duas suo ad Occasus regionem influxu, quo mare illud efficit, quod à Gadibus incipiens in Mœotidem

paludem desinit. Ejus maris laterum quod intranti dexterum est, Mœotidem ipsam usque Asia dicitur: ubi Gades & alteram Herculis columnam prætervecto castellum apparet quod indigenæ Septam vocant, Romana voce à septem juxta se attollentibus tumulis. Alterum vero terrarum latus Europæ habet nomen, freto ad quatuor & octoginta stadia intercedente, unde latius patescens mare submovet littora, donec ad Sestum Abydumque comprimitur, iterumque Byzantium inter & Chalcedonem ad saxa usque dicta Cyanea, ubi locus est Hierum nomine, stadiorum decem, interdum & minore intervallo. at ab altera Herculis columnarum, si qui ad alteram proficisci velit maritimam per oram, non u Ionii maris Euxinique sinus circumeat, sed à Chalcedon Byzantium, & ab Hydrunte oppositam ei Epirum petat dierum ducentorum quinque & octoginta iter est homini expedito. Quæ vero circa Euxinum sunt mare quod à Byzantio Mœotidem usque funditur, accurat persequi non datur, inaccessum id littus facientibu barbaris qui ultra Istrum sunt, sive Danubium id flumen vocare est rectius: nisi quod id constat, à Byzanti ad ipsa Istri ostia dierum duorum & viginti iter esse Europæ accensendum. At Asia in quadraginta dierum iter protenditur, à Chalcedone puta Phasim usqu amnem, qui apud Colchos ortus in Euxinum mare in funditur. ac sic Romani imperii maritima ora trecenti septem & quadraginta diebus transigitur, si quis Io nium, ut dixi, mare ad Hydruntem transnaviget, octin genta admodum ibi patentem stadia. Ipse vero Adri cum Ionio cohærentis ambitus diebus confici potes non minus quatuor. & hæc quidem ibi antiquitus fui Romani Imperii mensura. cæterum Occidentem mo deranti obvenit pars magna Africæ, nonaginta dierum itineris. tantum enim Gaditanum fretum & fines Afri

cana

:anæ Tripoleos intereſt. In ipſa vero Europa dierum
quinque & ſeptuaginta iter ei eſt additum. tantum
:nim abeſt Herculis columnarum altera ab Ionio mari.
:ui adjungat qui velit ipſum Adriæ ambitum. at ei qui
Orientem tenet in centum & viginti dierum iter pro-
:enditur Imperium, quantum à Cyrenes in Africæ fine
ıd Epidamnum interiacet, quod & Dyrrachium dicitur,
onio adſitum mari: præterea quod circum Euxinum
nare, ut dicere occupavimus, Romanis ſubjacet, in du-
enta ſtadia fuſum, diei facit iter, quo ferme ſpatio di-
tant Athenæ Megaris. Hunc in modum Imperatores
Romani continentes terras ſibi diviſerunt. Inſularum
ero Britannia, inter eas maxima quæ extra columnas
Herculis jacent, ut æquum erat, Occidenti adhæſit. in-
erno vero in mari Ebuſa, velut in ejus veſtibulo, ſe-
tem prope dierum navigatu ab Oceani illapſu cerni-
ur, duæque juxta aliæ, quas habitatores Majoricam &
Minoricam vocant. Aliarum quas mare internum ha-
et, inſularum unaquæque ejus Imperatoris facta eſt
ortio, cujus ad fines proxime accedebat. Honorio
ero Occidentem habente, barbari ejus partem invaſe-
:. qui, quoque modo jam ediſſeram. Gotthicæ natio-
es multiplices & olim fuere & nunc ſunt. maximæ ha-
um & nobiliſſimæ ſunt Gotthi proprium nomen ex
ota gente adepti, Vandali, Wiſigotthi, & Gepidæ,
uos vetuſtas Sauromatas & Melanchlænos vocabat.
ınt & qui Getas eos dixere. Neque alio ii, præter-
uam nomine, differunt, candidi corpore omnes, co-
ıas rutili, proceri, pulchra facie. leges eædem, nec Dei
ıltus diſcrepat, Arii placita cunctis ſequentibus. lin-
ua una, Gotthica quæ dicitur. Vtque ego exiſtimo, ab
na omnes origine è ducum ſibi nominibus diſcrimina
ımpſere. olim ultra Danubium habitabant. Poſt Ge-
idæ circa Singedonem & Sirmium & ad utramque Da-
 nubii

nubii ripam agros adepti ſunt, quos & nunc tenent. Cæterorum, Wiſigotthi ſuis egreſſi ſedibus Arcadii principis ſocietatem cum induiſſent, aliquanto poſt tempore, ut non eſt conſtans barbaris in Romanos fides, duce Alaricho utrique Imperatorum poſſeſſa inhiantes, Europam prope omnem, à Thracia orſi, hoſtiliter habuerunt. Alter principum Honorius Romæ deſiden de bello nihil cogitabat, ſatis nempe exiſtimans, ſi intra palatium quietam agere vitam ſineretur. At ubi non longe barbari in Taulantiis ingenti cum exercitu eſſe nuntiabantur, deſerta regia, fugam indecoram capiens, Ravennam tendit, urbem validam, in ultimo ſitam Adriæ receſſu. ſunt & qui ab ipſo accitos barbaros narrant, incitato ſuorum ſeditione: ſed mihi, quantum quidem ex ingenio ejus principis judicare datur, id non videtur credibile. At barbari, nulla vi hoſtium oppoſitâ in crudelitatem efferati, quas cæperunt urbes ita tractarunt, ut ad noſtra uſque tempora nulla earum monumenta ſuperſint, citra Adriam maxime, niſi forte turris aut porta aliqua alicubi reſtat: homines vero obvios omnes trucidarunt, juvenes ſeneſque, ne feminis quidem nec pueris parcentes: unde nunc quoque hominum tenuis per Italiam copia eſt: rapinas autem ex omni Europa egere maximas. Romæ præcipue cum nihil reliquiſſent publici privative, abiere in Gallias. Quomodo vero Romam Alarichus ceperit, tacendum mihi non arbitror. Cum longa traheretur obſidio, nec aut vi aut arte capere potuiſſet urbem, ad hoc commentum vertitur. Lectis de omni exercitu puberum, ſed inveſtium, trecentis, quos & honeſto loco natos norat & ſupra ætatem virtutis accenſos ſtudio, clam indicat velle ſe ipſos pro ſervis dono dare Romanis primariæ dignitatis, qui patricii vocantur, imperium addidit, ubi in eorum veniſſent domos, ut modeſtiæ patientiæque memo-

memores, obirent ea quæ servorum sunt, quæcunque domini injungerent. at non multo post condicenda die, circa ipsum meridiem, cum pransi domini de more capturi somnum essent, ad portam se conferrent Salariam, & subito interfectis custodibus, eam aperirent. His præstructis, Alarichus legatos mittit ad senatores, laudare se dicens ipsorum fidem in suum principem. Nec abstinere se posse, constantiæ ac virtutum, quas ab ipsis maximi fieri res ostenderet, admiratorem, quin apud viros probos adeo sanctosque documenta sui relinqueret, servos nempe, quos dono dare singulis vellet. Nec multo post missis adolescentibus parare abitum barbaros jubet, ita ut ea res ad Romanorum notitiam perveniret. Illi & verborum honore deliniti & donis læti, gaudentes animos à barbarorum insidiis longe averterant. Nam & juvenes promtis ministeriis omnem amoverant suspicionem, & de exercitu alii soluta obsidione abiisse, cernebantur, idemque jamjam facturos cæteros non videbatur dubitandum. Vbi vero destinata advenerat dies, Alarichus omnem exercitum in armis paratumque irruptioni habuit prope ipsam portam Salariam, quæ prima ipsi fuerat castrorum sedes. At juvenes præstituto diei tempore omnes ad eandem portam conglobati, custodibus de improviso occisis, porta, ut voluerant, aperta, Alarichum omnemque ejus militem admisere. Tum vero barbari in proxima portæ ædificia incendio grassati, quæ inter domus Sallustii nobilis quondam historiarum scriptoris semusta ad nostram ætatem mansit, omnique urbe direptâ, magna Romanorum cæde edita, pergunt alio. Quo tempore ajunt Honorio Ravennæ agenti eunuchorum unum, aviario præpositum, attulisse nuntium, Romam perîsse: eoque audito exclamasse principem, atqui modo de manu mea comêdit, de gallo Gallinaceo tunc quoque co-

gitantem, quem immensæ magnitudinis Romam vocabat. At eunuchum intellecto errore explicate dixisse, amissam Romam capiente Alaricho. Illum vero (tanto stupore fuisse dicitur) regessisse: at ego, amice, gallum Romam nobis periisse serio existimabam. ab aliis aliter urbs in Alarichi venisse potestatem traditur. Probam fuisse matronam inter senatorias fama ac divitiis insignem, miseratam Romanos malis plurimis atteri, fame maximè eo jam progressa, ut homines alii alios in cibum verterent, cum spem omnem vidisset deficere, jam & portum & amnem potito hoste, familiæ suæ præcepisse, ut noctu portam panderent. At Alarichus Roma exiturus Attalum è Senatoribus Romanis Imperatorem dixit, diademaque ipsi addidit & purpuram, quæque alia sunt Romani principatus insignia, id agitans ut exuto Honorio totam Occidentis potentiam traderet Attalo, hoc animo tum Attalus tum Alarichus Ravennam infesto exercitu petiere. erat autem Attalus nec per se, quæ opus facto cogitare, idoneus, nec parêre recta suadentibus. tali cum esset ingenio, præsides in Africam misit sine exercitu, minime id probante Alaricho. Hæc dum illis in partibus geruntur, Britannia insula à Romanis defecit, quique ibi erant milites Imperatorem sibi dixere Constantinum, virum non ignobilem: qui illico & classem parans & minime spernendum exercitum, Hispaniæ Galliæque subigendæ arma intulit. At Honorius, à classe & ipse non imparatus, Africanarum rerum eventum opperiebatur, ut si rejicerentur quos miserat Attalus, ipse in Africam & in partem veniret Attalo possessorum: sin res ejus prævalerent, ipse ad Theodosium proficisceretur, & apud eum viveret. Arcadio enim jam tum mortuo, filius ejus tenera ætate Theodosius Orientem regebat. Hæc agitanti Honorio, & in magno rerum salo versanti, mirum quantum adfuit

fortuna.

fortuna. Solet enim iis qui nec ingeniosi sunt, nec adversorum remedia per se reperire faciles, si improbi simul non sint, favere & opitulari Deus in maximo rerum discrimine: quod tunc illi principi contigit. Nam confestim nuntii illi veniunt de interfectis in Africa Attali magistratibus: & à Byzantio navium magna vis, plurimum & militis ferens, inexspectata in ipsius auxilium aderat: ipse præterea inimicus Attalo factus Alarichus regiam illi speciem detraxerat, & in privatam fortunam redactum, insuper captivum habebat. quibus rebus confectis Alarichus morbo extinguitur. At Wisigotthorum exercitus Ataulpho duce in Galliam se injicit, ubi victus prælio Constantinus cum filiis interiit. Non tamen & Britanniam Romani recipere potuerunt: sed mansit ab eo tempore sub insessoribus insula. At Gotthi transito primum Danubio Pannoniam tenuere: deinde Imperatoris concessu Thraciam habitarunt, nec ibi multum morati invasere Occidentem: quæ latius omnia in Gotthicis exsecuti sumus. Vandali ad Mœotidem veteres habuerunt sedes: inde fama pressi ad Germanos, qui nunc Franci dicuntur, Rhenique partes se tulere, adscitis Alanis, Gotthica & ipsa natione. inde Godigisclo duce in Hispania consederunt, quæ prima est ab Oceano Romanorum provincia. Cum hoc Godigisclo paciscitur Honorius, ut sine populorum malo eam sedem tenerent: cumque lex esset apud Romanos, ut qui res suas non possiderent & triginta anni elaberentur, illis nec ultra liceret res à possessoribus vindicare, sed præscriptione ab judicio removerentur, novam tulit, ne id tempus quod Vandali Romano in solo morarentur ad pariendam præscriptionem valeret quicquam. Is erat Occidentis status cum Honorium morbus rebus humanis exemit. Paulo ante in societatem Imperii cum ipso venerat Constantius, in matrimonio Placidiam

habens ſororem & Arcadii & Honorii, qui non diu adepto Imperio ſuperſtes gravi è morbo & ipſe interiit, viventem relinquens Honorium, nullo facto dictove illuſtris per breve principatus ſpatium. filius hujus Conſtantii Valentinianus, modo ab ubere depulſus, in Theodoſii Regia educabatur. At Romæ palatini milites ſuo è numero Iohannem nomine, Imperatorem dicunt. Is vir leni animo, rerum intellectu valens & virtutem ſuo pretio æſtimare gnarus, quinque per annos Imperium tenuit, moderate uſus. nam nec delatoribus aurem dedit, nec ullius injuſtæ cædis ſponte auctor fuit, nec inhiavit rebus alienis: cæterum in barbaros nihil agere voluit, quod Byzantinam vim ſibi adverſam experiretur. In hunc Iohannem Theodoſius ille, Arcadii filius, magnum miſit exercitum, ducibus Aſpare filioque ejus Ardaburio, ereptumque illi Imperium Valentiniano tradidit, etiam tunc puero. Captum autem Iohannem Valentinianus, truncatum manu, per circum Aquileienſem traduxit, vectum aſino, ubi ab iis qui in ſcena artem ludicram factitabant, & pati multa & audire coactus, poſtremum interfectus eſt. Sic Valentinianus adeptus eſt occidentis regimen, quem mater Placidia nimis muliebrem in modum educabat inſtituebatque, unde à prima ætate vitiis plenus fuit. cum veneficis enim plurimum & aſtrologis victitabat, inque alienas feminas exardeſcens multa contra jus agebat, idque uxorem ipſe habens inſigni ſpecie. Ergo non tantum amiſſorum nihil Romano Imperio reddidit, ſed Africam amiſit inſuper, & ipſe periit, poſt mortem quoque in uxore ac liberis infelix, qui in hoſtium poteſtatem venere. Africæ autem calamitas ſic evenit. Duo Romani duces erant Aëtius & Bonifacius, validi ambo, bellique rerum peritia ſecundi ætatis ſuæ nemini. His æmulatus circa civile regimen intercedebant: cæterum tanta

tanta animi erat magnitudo, virtutesque aliæ, ut si quis utrumvis Romanorum ultimum dicat, à vero non sit abiturus; ita omnis Romana laus in illos duos confluxerat. horum alterum Bonifacium Placidia toti præfecit Africæ. dolebat id Aëtio, sed minime displicere sibi rem ostendebat. nondum enim in apertum odia proruperant, sed sub persona amicitiæ tegebantur. Profectum jam in Africam Bonifacium criminari apud Placidiam Aëtius cœpit, ut regni appetitorem, & ipsi & Imperatori Africam erepturum. Neque rem exploratu difficilem. Si enim Romam Bonifacium vocaret, non venturum. Hæc ut audiit femina, laudatum Aëtii consilium sequitur. At occuparat jam Aëtius clam scribere Bonifacio, matrem Imperatoris insidias ipsius in exitium struere: ejus rei indicium prædixit, fore ut sine causa subito revocaretur. Hæc erant quæ literis ipsius continebantur. quibus neutiquam spretis Bonifacius, simul aderant qui ipsum ad Imperatorem accirent, negavit se aut Imperatori aut matri ejus pariturum, Aëtii monita silentio premens. His Placidia intellectis tam Aëtium fidissimum principi credidit, quam suspectum habuit Bonifacium. Hic vero nec parem se Imperatoris potentiæ sentiens, nec salutem sperans si Romam proficisceretur, consultare cæpit quomodo Vandalos sibi adjungeret, qui Africæ propinquam Hispaniam, ut diximus, obtinebant. Mortuo ibi Godigisclo filii successerant duo, natus justa matrefamilias Gontharis, Gizerichus aliter genitus: quorum ille ætate & ingenio secors: alter vero ad bella plurimum exercitus & solertiæ eximius: Missis igitur in Hispaniam Bonifacius de amicorum numero potissimis, cum ambobus Godigiscli filiis æquum init fedus, ut cuique ipsorum tertia pars Africæ cederet. quod si quis bello impeteretur, commune periculum esset. Hæc pacti Vandali, fretum ad

ad Gades travecti, in Africam venere. eorum in locum Hiſpaniam Wiſigotthi inſederunt. Poſtea Romæ qui erant noti Bonifacio, expenſis ipſius moribus, quamque non credibile eſſet talem regni cupiditate abduci, rem mirabantur. quidam eorum & juſſu Placidiæ proficiſcuntur Carthaginem. ubi cum Bonifacio collocuti, conſpectis Aëtii literis, reque omni comperta, Romam citiſſime redeunt, & quomodo ſe res haberent Bonifacii referunt. Attonita femina, Aëtium quidem nec malo affecit ullo, nec ei exprobravit auſa in principalem domum, quando & ipſi multum erat potentiæ, & res Imperii ægræ eſſe cæperant. Amicis interim Bonifacii aperit monitus Aëtii, fidemque ſuam jure jurando obſtringens, obteſtatur ut ſi poſſent virum ad patriæ amorem retraherent, neu pateretur Romanum ſub barbaris eſſe Imperium. His intellectis Bonifacius & conſilii ſui & ſocietatis initæ cum barbaris pœnitentiam agens, rogat eos, promiſſis etiam additis, ut Africa decederent. Sed cum Vandali dicta illius non modo non probarent, ſed & in contumeliam ſuam interpretarentur, coactus ad arma venire prælioque victus, Hipponem regium ſe contulit, maritimam Numidiæ urbem prævalidam: quam, juxta poſitis caſtris, obſeſſum eunt Vandali, ducem habentes Gizerichum, mortuo jam Gonthari, quem fratris dolo peremptum ſunt qui tradant. Aliter Vandali, qui eum in Hiſpania captum à Germanis & in crucem ſublatum memorant, compotemque totius rei Gizerichum ducem in Africam ſuis fuiſſe. Hæc ſic à Vandalis audire memini. At ii cum multo exacto tempore nec vi nec conditionibus Hippona regium ſui juris facere potuiſſent, ac fame inſuper afflictarentur, obſidionem ſolverunt. Nec ita multo poſt Bonifacius, quique cum eo erant Romani, cum à Roma Byzantioque exercitus & ducem accepiſſent

Aſpa-

Asparem, ausi tentare belli fortunam, ingenti commisso prælio, multum hostibus inferiores, fugam quo quisque poterant ceperant. & Aspar quidem ad sua rediit: Bonifacius vero ad Placidiam profectus, purgavit se adversus suspicionem ut inique in se susceptam. Atque eum in modum ablatam Romanis Africam tenuere Vandali: & quos bello ceperant in servitutem redactos in vinculis habebant: quos inter & Marcianus fuit, qui postea, quum Theodosius vita concessisset, ad Imperium pervênit. tunc vero Gizerichus in regia sua statui captivos jusserat, ut coram inspectis singulis æstimaret, cui quisque domino dignus esset dari. Postquam frequentes aderant circa meridiem, & æstus erat, evenit ut captivorum nonnulli sole fatigati considerent, quos inter cum somnum caperet Marcianus, aquila ei supervolavit, caput ejus, ut quidem narratur, alis passis tegens, sic ut ab ea cœli parte nunquam decedens perpetuo eum obumbraret. Gizerichus de loco superiore id despiciens, ut valebat ingenio, non sine divino numine id geri conjectans, ad se propius admotum, quis esset, interrogat. Ille se Asparis familiarem dicit, & ut Romani id munus appellant, domesticum. Gizerichus hoc cum audîsset expenso & aquilæ gestu & Asparis magna Byzantii potentia, non dubitans quin in virum magnum evasurus esset Marcianus, neutiquam eum interficiendum putavit: quippe si is jam interfici posset, consequens esse ut inane augurium fuerit, neque enim alitem velut principi umbram exhibituram fuisse homini mox perituro: tum vero causam nullam esse cur interficeretur. quod si destinatum ei fato esset Imperium, ne posse quidem occidi, cum Deo decreta nemo mortalis immutaverit. Quare id potius duxit, jurejurando eum obstringere, sui juris factus si esset, se contra Vandalos arma non sumturum. sic evasit Marcianus, qui,

Theo-

Theodosio postea mortuo ad Imperium provectus, optimum cætera se principem præstitit, at res Africæ quales invenerat reliquit. Et hæc quidem post multo acta in antegressum dixerim. At Bonifacio atque Aspare victis, Gizerichus prudentia insigni res prosperas tenuit, metuensque ne si Roma simul & Constantinopoli novus in se mitteretur exercitus, Vandalos neque virtus eadem neque fortuna sequeretur, quando hominibus ut spes à Deo verti, ita corporum vis minui soleret, non tam per res secundas elatus animo, quam metu adversarum sibi moderans, pacem cum Valentiniano pepigit, tributum pro Africa pensurus, obsidemque in id dans filium Honorichum. Eum in modum Gizerichus & bello sibi decus peperit & victoriam posuit in tuto, filium autem suum, augescente cum tempore amicitia, recepit. Interea supremum diem explet Romæ Placidia, ac post eam Valentinianus ejus filius, nulla relicta virili stirpe: tantum ex filia Theodosii Eudoxia duæ ei filiæ fuere. ipse quomodo vitam finierit jam edisseram. Inter senatores erat Maximus domo Romanus, è posteris Maximi illius quem Imperii subsessorem sustulerat major Theodosius, cujus victoriæ memoriam festa die victi Maximi nomen gerente celebrant. Erat ei uxor cordata non minus quam forma excellenti, cujus cupidine flagrans Valentinianus, nec facile potiundæ viam reperiens, rem sceleratam excogitavit effecitque. cum Maximo in palatium advocato alea ludens, victor, pecuniæ, de qua certabatur, pignus annulum ab eo accepit, eum clam mittit ad ipsius uxorem, ut signum à viro missum, quo conspecto non moraretur venire salutatum Augustam Eudoxiam. illa conspecto annulo nihil addubitans quin à viro ea mandata venirent, lectica deferri se jubet: sed ubi in aulam venerat ab hominibus in id dispositis in conclave abducitur, quod à mulierum habi-

habitaculo longe ſatis aberat, quo veniens Valentinianus ſtuprum ei vi infert. Poſt acceptam injuriam domum viri reverſa lachrymis omnibuſque ſignis dolorem teſtans animi, dira precatur Maximo ut qui tanto malo cauſam dediſſet. His graviter commotus & ipſe in Imperatoris exitium tendit animum. Sed cum potentem videret Aëtium, ut qui magni exercitus dux Attilam nuper viciſſet, quo tempore Maſſagetæ Scythæque alii in Romanas terras irruperant, præmetuit ne ſibi deſtinatis ingens is impedimentum adferret: itaque optimum factu duxit amoliri Aëtium, Romanæ rei ſpem tunc præcipuam, antequam deſtinata cœptaret: fretuſque ſpadonum aulæ in ſe benevolentia, eorum artibus perſuadit Imperatori, intentum rebus novis Aëtium. Nec quicquam magis Valentinianum movit ut crimini fidem haberet, quam viri virtutes atque autoritas. itaque interfici eum jubet: quo tempore laudatum eſt Romani cujuſdam dictum, qui percunctanti Imperatori, an non recte feciſſet, quod Aëtium è vita amoviſſet, reſponderat, rectene id factum eſſet nec ne, ſibi ignarum: id certum ſibi, Imperatorem eo facto, manum ſibimet dextram altera manu abſcidiſſe. certe mortuo Aëtio Attila nullum jam habens ſibi compoſitum parem, impune Europam vaſtabat, & utramque Imperii partem ſibi habebat vectigalem, nam annua ei ab Imperatoribus tributa mittebantur. Ei Aquileiam tunc obſidenti, urbem magnam ac populo refertam, in altero Adriæ littore, mire fortuna ſe præbuiſſe dicitur. Cum neque vi neque ratione alia ſpem ullam videret capiendæ urbis, in longum tempus obſidione protracta, juſſerat cuncta ad abitum poſtridie ſummo mane faciendum parata habere exercitum. Vbi illuxerat, jamque caſtris relictis iter incipiebant barbari, ſubito ciconia, quæ in turre quadam murorum in ambitu nidum pulloſque habe-

habebat, migrat inde. pater quidem volans, pulli autem nondum per ætatem ſatis volucres, connisi tamen volare, ſed ut partim paterno dorſo ſubvectarentur: ac ſic longe ab urbe provectæ aves. Quo conſpecto Attila, ut erat ſollers & conjecturis ſagax, juſſit reſtare exercitum, addens non ita cum pullis repente digreſſuram inde fuiſſe ciconiam, niſi cum ſignificatu mali alicujus urbi propediem ſuperventuri. rediere ergo ad obſidionem barbari: neque poſt multo pars mœnium, ubi nidus fuerat, ignotis cauſis collapſa ſubito, urbem hoſtibus aperuit. atque ita facto impetu Aquileia capta eſt: Poſt id Imperatorem facile interemit Maximus, ſibique & imperium cepit, & Eudoxiam, invitam quamvis, in matrimonium, vacuum uxoris prioris morte. Evenit ut in concubitu cuncta à ſe facta ſuo in ipſam amori imputaret. At illa & antea infenſa ipſi, & commiſſum in Valentinianum facinus ulciſci avida, hoc magis in pernitiem Maximi ſtimulabatur, quod ab eo cauſa tam fædæ cædis in ipſam referretur. Vt primum dies apparuit, mittit Carthaginem, Gizerichum orans, ne hominem nefarium impune ſineret gaudere Valentiniani cæde, indigna, ſive ipſe qui occubuerat, ſive regia majeſtas ſpectaretur: ſe quoque ſub tyranno graviſſima perpetientem ut liberaret. Ipſi qui & amicus & ſocius mortuo fuiſſet, indecorum fore, ſcelus patratum in principalem domum inultum pati. nam à Byzantio ultionem non ſperandam, exemto jam rebus humanis Theodoſio, & imperium tenente Marciano. At Gizerichus, nihil aliud quam ſpem prædæ animo volvens, magna cum claſſe Italiam navigat: Romamque profectus, obſtante nemine, palatio potitur. Maximum diffugientem Romani lapidum jactu interficiunt, caputque & ſecta membra inter ſe partiuntur. At Eudoxiam Gizerichus filiaſque ejus ex Valentiniano duas,

Eudo-

Eudociam & Placidiam captivas abduxit: aurique & argenti & cæteræ gazæ regiæ vi magna in naves impoſita, Carthaginem reverſus eſt. Ne æs quidem, aut quicquam aliud unde pretium fieri poſſet in palatio reliquerat. Diripuerat & Capitolium, Iovis templum, tegularumque partem abſtulerat alteram, quæ ex ære puriſſimo factæ, auroque largiter oblitæ, magnificam plane mirandamque ſpeciem præbebant. Vnam Gizerichi navium ſimulacra ferentem periiſſe fama eſt. cæteræ cum Vandalis Carthaginis portum attigere. Eudociam Gizerichus filio majori ſuo Honoricho in matrimonium collocavit. alteram (uxor ea erat Olybrii clari in Romano Senatu) cum matre Eudoxia Byzantium miſit, rogante id Imperatore. Is Leo erat, poſt Marciani exceſſum Orientis Imperium Aſparis opera conſecutus. At Gizerichus alia moliri non deſiit. Nam præter Carthaginem Africæ urbes muris nudavit omnes, ut neque Afri ſi ad Romanorum partes applicarent animum, ex munitis locis impetum facere ad res novas poſſent, nec ſi qui ab Imperatore mitterentur ſpem haberent, captis oppidis præſidiiſque intra mœnia poſitis, poſſeſſionem Vandalis faciendi incertam. Et in præſens quidem ſalubri conſilio res Vandalorum in tuto collocaſſe credebatur. At poſteriori ætate, cum nudæ urbes facile nulloque labore à Belizario caperentur, irrideri cæpit Gizerichi factum, & quod prudentiæ viſum fuerat ſtultitiæ duci: ut ſolent mortales pro eventu de alienis conſultis judicia immutare. Homines vero fama aut opibus egregios cum agris ſimul pecuniaque omni velut mancipia, filiis Honoricho ac Genzoni tradebat. nam poſtremus natu Theodorus neutrius ſexus liberis relictis jam vitam expleverit. Aliis Afrorum plurimos optimoſque fundos ademit, qui Vandalorum portio nunc quoque dicuntur.

quorum veteribus dominis, Liberis quidem, ſed egeſtate preſſis, abire quo vellent licebat. Quæcunque autem prædia aut filiis ſuis, aut aliis Vandalis dederat, ea immunia fecerat. Deteriores terras veteribus relinquebat dominis, ſed tanto ſub tributo ut illis de ſuo nihil rediret. Hinc factum, ut fugerent multi, multi & interficerentur criminibus variis, uno frequentiſſimo, quod pecunias occultare dicerentur. Ita omnis Africa, graviſſimis calamitatibus implicita eſt. Neque Vandalos tantum Gizerichus, ſed & Alanos locis opportunis in præſidiis locarat ſub ducibus non minus octoginta, quos Millenis præfectos vocabat: quamquam enim non plus quam quinquaginta millium eſſet exercitus utriuſque gentis, octoginta tamen millium nomen fecerat ac ſpeciem. cum tempore crevit numerus, tum pronaſcente ſobole, tum aliis gentibus in commilitium adſcitis: ſed Alani cæterique, extra Mauros, in Vandalorum nomen conceſſere. Maurorum auxiliis validior Gizerichus, poſtquam Valentinianus fatis conceſſerat, quoties ver redierat, nunc Siciliam, nunc Italiam populabundus vexabat, oppida alia in ſervitium trahens, diruens alia, cuncta rapinis exhauriens donec inde ipſa vaſtitate locorum rerumque penuria fugatus, ad Orientis Imperatori ſubdita ſe vertit, Illyricumque omne & Pelopenneſum, eique adjacentes inſulas, aliaque Græci nominis invadit. Inde Italiam Siciliamque repetens, ſi quid nuper relictum fuerat diripit. Narrant cum è Carthaginis portu ſolvens à nauta interrogaretur, quo bellum inferre vellet, reſpondiſſe, in eos quibus iratus eſt Deus. Ita nullis de cauſis in quoſvis hoſtiliter incurrebat. Tanta hominis ferocia commotus Byzantii Imperator, magna vi Vandalos ſtatuit aggredi, terreſtri exercitu ad centum, ut ferunt, millia, claſſe vero per omne Orientis mare collecta ingentes
largus

ırgus in nautas, largus in milites, ne quod concupiæ in barbaros ultioni à parcimonia impedimenti intercederet. centena & tricena millia pondo auri erogaa ajunt nullo fructu. Ergo cum in fatis non esset eo empore everti Vandalos, classi Basiliscum præfecit Verinæ suæ conjugis fratrem, principatus mire avium, cujus facilem sibi sperabat viam ex Asparis amiitia. Erat Asper Arii addictus placitis, ita ut abduci ıde nullo modo posset, & ob id Imperium sibi parare on poterat, tradere alteri poterat. Et ipsi Leoni jam rum novarum suspectus fuisse dicitur. Additur Asper ım metueret, ne, si de Vandalis contingeret victoria, eo Imperii potestate liberius uteretur, monuisse Basiscum, Gizericho Vandalisque parceret. At Leo, quo luribus subsidiis contra Vandalos insisteret, ad Occientis Imperium capessendum auctor Anthemio fuerat natori genus opesque egregio. At Gizerichus multo udio precibusque, Olybrium ad id Imperium comıendaverat, ob necessitudinem quam cum eo habeat per Placidiam Valentiniani filiam Olybrio nuptam. lac spe dejectus, ira flagrantior, multo quam ante udelius cuncta imperii vexat. Eadem tempestate erat Dalmatia Marcellianus vir animo probo, inter Aëtii ıondam amicos: Aëtio autem ita ut diximus è vita blato, Imperatoris jussa detrectans, aliisque suo exnplo defectionis auctor, nemine contra ire auso, Dalatiam tenuit. At Leo eum quibuscunque poterat odis demulcens, sibi adscivit, inque Sardiniam misit ırentem tunc Vandalis, quos ille eo profectus ejecit, mnique insula potitus est. Nec minus feliciter res Heclio successit, qui è Byzantio in Africanam Tripolim issus, agentes ibi Vandalos prælio vicit, oppidaque ıllo negotio cepit, relictisque ibi navibus terrestri inere Carthaginem duxit exercitum. Sic se belli ha-

 bebant

bebant initia. At Basiliscus omni cum classe ad oppidum appulit Carthagine dissitum stadia ducenta & octoginta, cui Mercurii nomen à vetere ejus Dei templo: Ac ni destinato moram traxisset, sed recta petîsset Carthaginem, poterat eam impetu capere, Vandalisque vi omni exutis servitutem imponere. Tanta Leonis ut invicti Imperatoris formido Gizerichum ceperat, postquam, super Tripolis Sardiniæque captæ nuntios, classis Basilisci, quanta ulla Romanorum fuerat apparuit. occasionem faventem adeo cunctando elab sibi dux ille passus est, sive ea ignavia, sive proditic vocanda est. Basilisci culpam in suam rem vertere noi omisit Gizerichus. quot poterat sibi parentium in arma trahens, naves iis implebat, simul & alias viroruı inanes sed ad navigatum celerrimas paratas habens Tum Basiliscum per legatos orat, in quinque dies bel lo abstineretur, ut tempus sibi esset vacuum consul tandi, quomodo optime Imperatori conciliaretur. Sun qui &, clam exercitum, pecuniis Basilisco datis em ptas inducias dicunt. Hæc autem agitabat Vandalu sperans intra id tempus, quod & evênit, ventos sib faventes fore. Basiliscus vero sive Aspari se dans, siv pretio corruptus, seu quod ita ex usu existimaret, pe titis acquiescens, inutilemque detinens exercitum tempora hosti commoda opperiebatur. Simul ut secun di venti flavere, Vandali, qui id unum expectaverant attollere vela, naves deducere: quæque earum hominum vacuæ erant, in hostem trahere: atque ubi appropinquaverant, injecto igne, plenis velis immittere ii Romana castra: ubi multitudo navium ingens facil accepit flammam, multa & hominum, quos ea atti gerat, pernitie. Grassante eum in modum igne, ingens, ut fieri solet, in Romana classe trepidatio fuit ingens clamor, vento flammæque crepitantis sono obstrepens

ſtrepens, dum & milites & nautæ & inter ſe & alii aliis certant imperando, contiſque laborant amoliri tum naves igniferas. tum ſuas, aliarum contactu periclitantes, ſine modo modeſtiaque. Iamque & Vandali aderant, inſtabant telis, mergebant alios & ſi qui fugerant militum, ipſos armaque prædam faciebant. In tantis malis non defuere Romanorum avitæ virtutis memores: quos inter Iohannes emicuit, Baſiliſci legatus, perfidiæ ipſius impermixtus. Multa enim turba hoſtium navem ipſius circumfuſa, nunc huc, nunc illuc ſe verſans, de foris vulnera ſpargebat: cumque, his fruſtra tentatis, capi navem cerneret, ipſe de ſumma puppe armatus ſe in mare dejicit: multumque orante ſe Genzone Gizerichi filio, vitæ ut parceret, fide ſalutis data, nihil motus, aquis ſe immerſit, hoc unum effatus, non fore Iohannem in canum poteſtate. Hic belli illius exitus fuit, domumque rediit Heraclius. Interierat alicujus legatorum ſuorum dolo Marcellianus. Baſiliſcus vero, ut Byzantium venerat, ſupplex ſedit in æde magni Dei Chriſti, Sapientiæ eam Byzantini vocant, id nomen Deo digniſſimum judicantes: & periculum quidem effugit, Auguſta Verina deprecante: verum adipiſci Imperium, qua ſpe nihil non fecerat, tunc non potuit. Nam & Aſparem & Andaburium non ita multo poſt interemit intra palatium Leo Imperator, ſibi necem ab ipſis ſtrui ſuſpicatus. Hæc quidem illis in partibus gerebantur. At Occidentis Imperator Anthemius interiit à ſocero peremtus Recimere: cui ſuccedens Olybrius & ipſe breve intra tempus fatum implevit. Nec ſupervixit diu Byzantii Leo, cujus ex filia Ariadna nepos, patre Zenone, itidem dictus Leo paucorum dierum ætatem habens, ſuſcepit Imperium. Adſcito deinde in Imperii ſocietatem patre, ſubito puer filius exſtinctus apparuit. Non indignus

hic qui memoretur Majorinus, qui & ipse Occidentis ad principatum jam ante pervenerat. Is omnes, qui Romanis imperaverant, virtute superans, Africæ damno permotus haud leviter fuerat, & ingenti collecto exercitu tenuerat se in Liguria, ducere in hostem ipse cupiens, laborum ac periculorum impiger. Sed ex usu ratus vim Vandalorum & Gizerichi ingenium ante speculari, & bene an secus in eam gentem animati essent Mauri, Afrorumque alii, hoc commentum cepit. Ficto sibi imposito nomine ad Gizerichum proficiscitur velut ab Imperatore legatus: metuensque, ne deprehensus & pænas ipse daret & destinata corrumperet, dolum dolo addit. capillos flavore ita nobiles ut purissimo auro fama adæquarentur, infectos reperto in id tinctu, fuscos omnino reddit. Gizerichus tum alia ei benevolentiæ signa exhibuit, tum ut amicum deduxit in eam partem domus, in qua arma servabantur & plurima, & conspici dignissima. Tum ajunt mota sponte arma sonitum dedisse, nec modicum, nec solito similem: Movisse terram suspicabatur Gizerichus. verum cum egressus, quos percunctabatur nihil tale comperisse disceret, mirari magis rem novam quam interpretari potuit. Confectis quæ volebat Majorinus Liguriam rediit, atque ipse terrestri itinere duxit exercitum ad Herculis columnas, animo agitans fretum transmittere, atque inde porro ire Carthaginem usque. Quo comperto Gizerichus, & quo se modo Majorinus ante fefellisset, magna cum formidine se bello parabat: contra plenis spe Romanis, quam ex Majorini conceperant virtute, de recuperanda Africa. Inter hæc Majorinus viscerum morbo absumitur, vir in subditos moderatus, in hostem terribilis: Etiam qui in imperium ejus successerat nepos brevem principatum morbo finiit: Postque eum pervectus ad idem fastigii Glycerius, nec ipse longævus Augustu-

lum

um habuit potentiæ ſucceſſorem. Regnarunt in Occidente & alii quorum nomina gnarus non memoro, quia nec diuturnum ipſis nec rebus geſtis inſigne imperium. Hæc in Occidente acta. At Byzantii Baſiliſcus, nondum exuta dominandi cupiditate, facile voti compos factus eſt, Zenone, cum uxore, in Iſauriam unde venerat profugo: ſed intra octo poſt annum menſes imperii, tum urbanis tum militibus prætorianis ex avaritia inviſus eſſe cæpit. Gnarum id Zenoni, qui lecto exercitu in eum profectus eſt: cui Baſiliſcus & ipſe exercitum ducemque oppoſuit Armatum nomine. Propinquis inter ſe caſtris Armatus Zenoni ſuas tradit copias, hac lege, ut Baſiliſcus puer admodum Armati filius nunc Cæſar, in poſterum Zenoni ſucceſſor diceretur. deſertus à ſuis Baſiliſcus, in quam olim ædem, iterum confugit. Atque eum Vrbis antiſtes Acacius Zenoni dedidit, multa in impietatem ejus invectus, ut qui Chriſtianum dogma non parum novitate turbaſſet, in Eutychis ſectam deflectens, nec in eo falſa dicebat: Recepto principatu Zeno, fide in Armatum defungi volens, filium ejus Baſiliſcum Cæſarem fecit, ſed brevi & ipſi hanc dignitatem ademit & Armatum inſuper occîdit. Baſiliſcum autem alterum cum liberis & uxore in Cappadociam miſit, acri hyeme, alimentis, veſte & quæ alia natura deſiderat, ſublevari vetans. quo factum ut frigore oppreſſi & fame inter ſe concurrentes caraque complexi corpora perirent. Hæc Baſiliſcum pro ſuis factis pæna excepit. ſed hæc ſerius geſta in anteceſſum memoravi. At Gizerichus, ut dicere modo cæperam, partim dolo circumventis, partim vi ejectis hoſtibus, magis etiam quam ante res Romanas raptabat, donec ad pacta cum eo venit Zeno, feduſque perpetuum ſanxit, ne quid unquam hoſtile Vandali in Romanos cæptarent aut à Romanis paterentur. Stetit huic

federi Zeno, & qui ei proximus imperavit Anastasius. Mansit & Iustini principatu: cui cum successit natus sorore ejus Iustinianus quomodo bellum redarserit suo tempore memorabo. Non multo post ea quæ de ipso retuli, moritur Gizerichus, testamento facto quo multa Vandalis præceperat & ut Vandalorum regnum ad eum perveniret qui agnationis suæ primus ætate esset. Sic finiit Gizerichus, postquam Carthaginem ceperat, septem & triginta per annos rex Vandalorum. Successorem habuit filiorum natu maximum Honorichum, Genzone pridem sublato è rebus humanis. Sub hoc Honoricho nullum Vandalis bellum nisi in Mauros fuit. Nam qui Gizerichi metu quieverant hactenus Mauri, eo sublato multa mala tum fecere Vandalis, tum ab ipsis pertulerunt vicissim. Fuit hic Honorichus in Africam habitantes Christianos omnium qui unquam fuere sævissimus iniquissimusque. vi enim in Arianorum eos placita pertrahere volens, quos sibi obnitentes repererat, flamma aliisque cruciatibus enecabat. multis & linguas exscindebat è faucibus, qui mea etiam ætate Byzantii ambulabant integro utentes sermone, nihilque de vetere pæna persentiscentes: è queis duo postquam se prostituti pudoris feminis miscuerant, loqui desiere. Octo ille annos regni cum explesset, morbo exemtus est rebus humanis, quo tempore Mauri jam Aurasium tenebant, Numidiæ montem, tredecim dierum iter Carthagine austrum versus dissitum, atque in libertate vivebant excusso Vandalorum jugo, quod nequirent Vandali in arduum inviumque montem bello penetrare. Honorichi morte regnum Vandalorum pervenit ad Gundemundum Genzonis filium Gizerichi nepotem. nam prolis Gizerichi is erat vetustissimus. Hic Gundemundus multis in Mauros præliis factis tractatisque pessime Christianis, ægro corpore interiit, affecto

affecto jam regni anno duodecimo. Frater Trasamundus successor ei fuit, forma, ingenio, animique magnitudine excellens. Christianos vero ad patrium sibi dogma transferre cupiens, non vi in corpora incessit ut priores, sed honores magistratusque ostentans, pecuniæ quoque largus, inobsequentes qui essent nosse dissimulans. quin & si qui aut consilio aut fortuna gravibus delictis se implicuerant, his sectam mutantibus impunitatem criminum dabat. Amissa conjuge nec virilis nec muliebris stirpis matre, firmando regno ad Theuderichum mittit Gotthorum regem, sororem ejus Amalafridam, marito mortuo vacuam, in matrimonium sibi deposcens. Theuderichus & sororem ei misit, & de Gotthica nobilitate mille custodes corporis ipsi futuros, quos alii, bello habiles, ad quinque millia sequebantur. Dotem quoque sorori dedit Lilybæum quod unum est è Siciliæ promontoriis. Ex eo Trasamundus omnibus qui Vandalis imperaverant illustrior potentiorque habitus: quippe & Anastasio Imperatori imprimis amicus. Hoc rege Vandalis quantum non alias mali à Mauris evenit. Circa Tripolim habitantibus Mauris dux erat Cabao, belli rerum peritus ac solers. Hic intellecto venire adversum se Vandalos, tali usus est commento. Sectantes se jussit omni injuria, omni cupedia, mulierum præterea consuetudine abstinere. Castra etiam statuit bina, quorum in alteris esset ipse cum viris, alteris mulieres clausit, gravi proposita pœna in viros qui ad feminarum castra accederent. Missis deinde Carthaginem exploratoribus, talia dedit præcepta: si Vandali in expeditione violarent ea templa quæ Christiani venerantur, spectarent quod fieret: ubi autem digressi essent Vandali, ipsi contraria Vandalorum factis in templa eadem facerent: addito, ignarum sibi quem colerent Deum Christiani. credibile autem

ſibi videri, ſi ille potens eſſet, ut dicitur, ultorem fore in contumelioſos, adjutorem vero venerabundis. Sic ut Carthaginem venerunt exploratores, quietos ſe tenuere ſpeculantes omnem Vandalicæ gentis paratum. Poſtquam vero Vandali in Tripolim duxere, tenui habitu ſequebantur. Prima ſtatim die Vandali, ut caſtra poſuere, in Chriſtianorum templa inductis equis, animantibuſque aliis, nullo ludibrio abſtinentes, libidini indulgebant, & quos nacti erant Sacerdotes alapis multiſque in tergum verberibus vexatos, cogebant ea ad miniſteria, quæ ſervorum viliſſimis injungi ſolent. Simul vero illi digreſſi erant, faciebant ſibi imperata miſſi à Cabaone. nam & purgabant templa, ejectis multa cum cura ſordibus, & ſi quid præterea loco indecorum adhæſerat, & lumina accendebant, & ipſos ſacerdotes cum venerationis tum amici animi indiciis proſequebantur, & pecuniis diſtributis in eos qui ſtipis ſpe templum adſederant, his peractis, Vandalorum exercitum rurſum ſequebantur. Nec deſinebant per id iter quotidie aut Vandali eadem peccare, aut eadem emendare exploratores. Vt propinquatum fuit, exploratores, prærepto itinere, nuntiant Cabaoni, quid in Chriſtianorum templa Vandali, quid ipſi feciſſent: Iamque adeſſe hoſtes. Ille his compertis ſic ſe in prælium paravit. In campo loco capto in quo caſtra erat poſiturus, valli vice camelos ſtatuit oblique junctos ut orbem facerent ordinibus duodenis. pueros, feminaſque & ſi quid imbelle, cum pecuniis in medium confert. Inter hos & animantium terga milites ſeptos ſcutis ſtare juſſit. Eum in modum ſtructa Maurorum acie, Vandali quid agendum ſibi eſſet dubii hærebant. Nam neque jaculis neque ſagittis, ac ne pedeſtri quidem pugnæ utiles erant, equites omnes haſta ut plurimum gladioque utentes, eminus nocere hoſtibus impares. Iam vero & conſpectu ca-

ctu camelorum equi territi in hostem procedere recusabant. Cumque è tuto hostes jacientes tela crebra levi labore & equos & ipsos ob multitudinem confertos interficerent, fuga facta est; insequentibusque Mauris pars trucidati, pars capti, pauci admodum ejus exercitus domum rediêre. Hæc à Mauris mala perpessus Trasimundus pòst fatis concessit regno possesso per annos septem & viginti, quod deinde ad Hilderichum pervênit Honorichi filium, Gizerichi & ipsum nepotem. Aditus is faciles subditis habuit, clemente animo, neque Christianis neque alii cuiquam gravis: ad bellum adeo non idoneus, ut nec ad aures ejus mentionem admitteret. Itaque Vandalis arma in aliquos sumentibus ductor fuit Oamer frater patruelis Hilderichi, vir ita militiæ egregius ut Vandalorum Achilles diceretur. Infelix hujus Hilderichi regnum fuit clade accepta à Byzacienfibus Mauris ducem habentibus Antallam & Theuderichi Gotthorumque per Italiam amicitia ac societate in hostiles iras mutata. Nam & Amalafridam Vandali in vincula dederant, & Gotthos interfecerant omnes, incusatos res novas in regis gentisque perniciem moliri. Neque tamen ultus eas injurias Theuderichus, quod non satis valere se classe ad petendam Africam judicaret. Interea amicitiæ hospitiique necessitudinem sibi Hilderichus cum Iustiniano paravit, imperium nondum adepto quidem, sed libertate maxima res administrante imperii, per avunculi Iustini gravem senectam rerumque civilium imperitiam; multisque alter alterum donis munerabant. Erat inter Gizerichi posteros Gelimer, Gelilaridis qui natus Gizericho, filius, ætate post Hilderichum præstans, eoque ad spem regni proximus, fama bellica egregius, cæterum in pravum sollers, & ob id ad res turbandas & invadenda aliena validus. Hic ubi in aliena manu regnum hærere videt,

videt, privatæ vitæ intolerans, res agere regias & quos tempus ipsi negabat honores rapere aggreditur, Hilderichо, ut erat lenis, dissimulante omnia. Nec eo tamen retentus ille, ut coërceret flagrantem animum, primores Vandalorum sibi adjungere, sermonesque serere, auferendum Hildericho regnum ut imbelli, neque vel Mauris pari: tum vero prodenti Vandalorum res, dum sibi Iustini Imperatoris gratiam parit, eique regnum mavult tradere, quam pati ut ad se, stirpe natum altera, perveniat. Eo enim tendere missam Byzantium legationem cavillabatur. Persuasi his Vandali morem ei gessere. Sic regnum adeptus Gelimer Hilderichum, cui jam septimus imperandi annus ibat, simulque Oamerem fratremque ejus Evageen in custodia habuit. Vbi hæc delata ad Iustinianum jam imperii plene compotem, missis in Africam ad Gelimerem legatis has literas addidit: Iniquum facis, & Gizerichi, si quid ei constituta valere debent, testamento contrarium, qui virum cognatum, senem, regem insuper, vinctum habes, cui vi regnum eripere voluisti, quod paulum moratus secundum leges exspectare poteras. Noli igitur ultra in eum peccare, nec, tantilli temporis lucro adductus, tyrannus malis quam rex appellari: sed illum pátere, victurum haud diu, regis interim imaginem ac vocabulum præferre, ipse cuncta quæ regis sunt agens, & solum nominis sonum à tempore & præscripta Gizerichi tabulis lege opperiens. Hæc si facias, & Deum habebis magis propitium, & à nobis ea quæ sunt amicorum. Is literarum erat tenor. At Gelimer non modo re infecta legatos remisit, sed Oamerem orbavit oculorum usu, Hilderichum vero & Evageen durius custodivit, obtendens fugam ab eis Byzantium quæsitam. Postquam & hæc intellexit Iustinianus, cum aliis legatis alias mittit litteras: Sperantes non fore ut

monita

monita nostra sperneres priores ad te literas dedimus. At quando regnum ita ut habes habere vis, habeas ejus quantum habere Deus sinet. Hilderichum saltem & cæcum Oamerem fratremque ejus ad nos mitte, ea à nobis accepturos solatia, quæ evenire possunt his qui regnum aut oculos perdiderunt. Si nec hoc impetramus, non ultra patiemur frustra eos spem in amicitia nostra collocasse: neque nos reos tenebunt pacta cum Gizericho inita, justum ejus hæredem non bello impetentes sed ab injuria vindicantes. Gelimer his lectis hunc in modum respondit. Nec vi rapui Imperium, nec in cognatos injustum quicquam patravi. Nam Hilderichum res molientem novas & Gizerichi posteris noxias, destituit gens Vandalorum. me ad regnum perduxit ætas, legum vocatu. Quod cuique obtigit imperium, in eo quemque elaborare jus verumque est: non quæ alienæ sunt curæ, sua facere. Regnum habes. externis te miscere noli. Si rupto fœdere in nos venis, occurremus pro nostra copia, testificantes Zenoni jurata, cui in Imperium successisti. Iratus & ante Gelimeri Iustinianus, has ubi literas acceperat, multo magis in ultionem accensus est, constituitque bello Persico se quam posset primum absolvere, ut in Africam trajiceret bellum. Nam & ad consilia sagax erat,& consulta impiger exsequi. Revocatus igitur ab Oriente Belisarius, non velut in Africam mittendus (neque enim ipsi neque alii id dicebatur) sed quasi exoneratus belli curis: factaque cum Persis pax, quam libris aliis narravimus. Iustinianus & eo cum hoste & domi rebus bene constitutis, ad res Africæ vertit animum. ut vero significavit magistratibus in Vandalos & Gelimerem expeditionem se moliri, multis id displicuit, animo anxio revolventibus memorantibusque Leonis infelices conatus, mala Basilisci, quot absumti milites, quantum

tum æs alienum publice factum. dolore ac ſollicitudine ſuperabant cæteros aulæ inſpector, Romani præfectum prætorio vocant, ſacrarumque largitionum Comes, & cæteri, quibus opum publicarum aut regiarum cura, cogitantes quantis pecuniis, præter eas quæ immenſæ etiam hactenus inferebantur, ad bellum opus, in quo explendi neceſſitates nec venia detur, nec mora: Tum vero & ducum quiſque, ſe belli imperio deſtinari timens, attoniti ſtetere ad periculi magnitudinem: quippe ut evadere detur maris adverſa, caſtris ſedem quærendam hoſtili in ſolo, vix è navibus deſcenſu facto pugnandum in regni validi vires. Milites quoque ægre reverſi à longo ac difficili bello, domeſticis oblectamentis leviter modo delibatis, perculſi animo quod ad navalia truderentur prælia, vix auditu percepta antehac, & ab Oriente ultimo ablegarentur ad Occaſus extima contra Vandalos & Mauros dimicaturi. Alii, ut in turba fieri ſolet, alieno cum periculo ſpeculari gaudebant novorum cæptorum exitus. contradicere conſilio & dehortari Imperatorem nemo auſus, præter Cappadocem Iohannem prætorio præfectum, virum magno ingenio, audacia pari. Is cæteris ſilentio imminentes fortunas gementibus, hoc ſermone Imperatorem acceſſit: Tua in ſubditos bonitas ſincera, Imperator, fiduciam dat nobis dicendi ac faciendi quæ imperio tuo conducunt, etiam quæ minus jucunda ſint tibi. Ea enim æquitate poteſtatem tibi prudentia temperat, ut neque in omnibus aptantem ſe tibi fidum ſemper rebus tuis exiſtimes, neque ſuccenſeas in diverſum à ſententia tua euntibus: ſed mentis ponderibus res ipſas æſtimans, tutum eſſe cupias etiam contra tua deſtinata, quod animus ſentiat, eloqui. Hæc ſunt quæ me conſilium promere jubent, nunc quidem forte inſuave, at in poſterum meæ in te fidei documento futurum, vel te ipſo

pſo teſte. Nam ſi ſpretis quæ dico, in Vandalos bel-
um moveris, ubi in longum trahetur certamen, mea
onſulta laudabis. Si plane futurum confidis ut hoſtem
incas, nihil obſtat, quominus & militem periculis &
ecuniam ſumtibus objicias, nullique parcas labori. Se-
uens enim victoria omnia belli mala obliterat. At ſi
ventus in Dei eſt manu, & priora exempla ſpectantes
ar eſt ſuſpectos habere belli eventus, quis non cenſeat
ericuloſis moleſtiis antehabendam tutam quietem?
n Carthaginem moves, quæ etſi terra peteretur, iter
ſſet dierum centum quadraginta: naviganti vero mare
mne ad ultimos uſque fines emetiendum. annus ibit,
riuſquam rerum quæ ibi gerentur, nuntius ad te ve-
iat. Accedat, quod ut maxime proveniat victoria,
Africam tamen tenere, aliis & Italiam & Siciliam inſi-
lentibus, non potes: ſi vero labarit fortuna, federibus
uptis, periculum Imperator in tua attraxeris. Summa
æc eſto. Victoria frui non datur. belli adverſa rebus
unc egregiis exitium minantur. Bona conſilia ante
em valent. nam accepto vulnere inutilis pœnitentia:
nte malorum experientiam pedem referre licet impu-
e. optimum factu temporibus prudenter uti. Tan-
um apud Imperatorem valuere hæc Iohannis dicta, ut
elli in eo cupidinem reſtinxerint. Sed evenit ut ſacer-
los ejus gradus quos Epiſcopos vocant, ab Oriente ve-
iens, popoſcerit Imperatoris alloquium. admiſſus di-
it: Deum in ſomnio imperaſſe ſibi ut ipſum adiret, at-
que accuſaret quod propoſito liberandi Chriſtianos A-
ricæ gravi è dominatu nulla de cauſa abſtitiſſet, addens:
Ego bellanti adero, Africæque eum faciam compotem.
His auditis Imperator, non diſtulit impetum: ſed ſtatim
exercitum & claſſem paravit, armaque & commeatum:
Beliſarium quoque in procinctu eſſe juſſit ducem futu-
rum in Africam belli. Commodum evenit ut Tripo-
lim

lim Africanam indigena Pudentius nomine in defectionem à Vandalis impelleret, missoque ad Imperatorem nuntio auxilia eum oraret: levi quippe negotio se omnem eam terram ipsius imperio subditurum. Nihil moratus Imperator ducem mittit Tattimuth, & militis haud multum adeo: quo sibi adjuncto Pudentius (aberant enim Vandali) regionem omnem cepit bello, Imperatorique parentem fecit. At Gelimeri ultionem de Pudentio quærenti intervenit res adversa: Erat inter mancipia ejus Goda, Gotthus ortu, animo ingenti nec minus valido corpore, creditusque in dominum insigni fide. Hunc Gelimer Sardiniæ imposuit custodiendæ, exigendisque ibi vectigalibus: ille autem cum repentinam felicitatem non concoqueret animus, sibi dominatum molitur, reditusque annuos spernit transmittere; postremo apertus defector sibi vindicat insulam, ac Iustiniano, quem in Africam ac Gelimerem bellum agitare intellexerat, hæc scribit. Nec perfidia tentatus, nec injuste à domino habitus dissidium ab eo feci, sed conspectæ hominis sævitiæ in propinquos, in subditos, participem me recusavi facere. melius quippe justo regi parêre, quam crudelia injungenti tyranno. Tuum est nostros conatus adjuvare & militem mittere quo sustinendis hostibus par sim. Lætatus tali epistola Imperator legatum mittit Eulogium, additque literas: laudans Godæ prudentiam & justi curantem animum, auxiliaque pollicens, ducem & militem qui insulam ipsi tutarentur, quæque alia factura erant facile in Vandalos certamen. Pervectus in Sardiniam Eulogius Godam invenit regium nomen habitumque usurpantem, cum satellitio regibus solito: qui ubi Iustiniani legit litteras, pro milite misso actis gratiis, duce nihil opus dixit, eumque in tenorem conscriptis ad Imperatorem literis, dimittit Eulogium. Sed Imperator priusquam ea ad suam notitiam

am perveniſſent, jam milites quadringentos & præfe-
tum Cyrillum ſervandæ inſulæ deſtinaverat: eodem
empore in Africam expeditioni intentus, ad quam de-
ies mille pedites, equites quinquies mille partim è ſuis,
artim è federatis conſcripſerat. federatorum nomine
oli olim dicebantur Barbari, qui non ſervilem in mo-
um, neque enim armis victi, ſed pari cum civibus jure
ub imperium venerant, à federibus quæ pepigerant ſic
ominati. At noſtra ætate in hoc nomen venire nemo
etatur, ut mos eſt temporis non in quo primum re-
erta ſunt ſenſu vocabula ſervare, dum pro ſuo arbitra-
u res ipſas immutant homines, quibus eæ primum vo-
ibus nuncupatæ ſint nihil ſolliciti. Præerant federatis
Dorotheus, Armeniæ copiarum dux, & Salomo Beli-
arii in regendo exercitu adjutor, quem Romani do-
neſticum vocant: (ſpado is erat, non per hominum in-
uriam factus ſed caſu adverſo cum adhuc in cunis eſ-
et:) præterea Cyprianus, Valerianus, Martinus, Al-
neas, Ioannes, Marcellus, & is quem modo memoravi
Cyrillus. Romanæ autem militiæ præerant, equitibus
Rufinus & Aïgan ambo è Beliſarii domo, Barbatus
einde & Pappus: legionibus vero Theodorus, Pecti-
atus cognomento, Terentiuſque & Zaïdas & Marcia-
us & Sarapis. In commune autem his omnibus pedi-
um ductoribus præerat Iohannes, Epidamno ortus
uam nunc Dyrrhachium vocant. Horum quos dixi-
nus Salomo ex Oriente erat in ultimis natus Imperii
nibus, ubi nunc oppidum eſt Daras: Aïgan è Maſſa-
etarum erat gente qui nunc Hunnorum nomine ſunt
otiores. Cæteris fere in Thracia domus. ſequebantur
os Heruli quadringenti, præfecto Phara. Sexcenti ad
oc auxiliares barbari, Maſſagetæ & hi, ſagittarii equi-
es, queis præerant Sinnio & Baias virtute ac robore
ximii. Naves ad tranſportandum exercitum quingen-

tæ : medimnorum quæ maximæ capaces erant quinquagesies mille, quæ minimæ ter mille. nautæ ad has vicies mille, plerique Ægyptii, Iones, Cilices : ei classi toti imperare lectus Calonymus ab Alexandrea : Accedebant ad usum præliorum navalium longæ naves duæ & nonaginta, unico remorum ordine, tectæ superna, quo tutiores adversus hostium tela essent remiges. Eas, quod ad cursum celerrimæ sunt, mos dici dromonas. in his Byzantini erant bis mille, remiges omnes, vectores nulli. mittebatur una & Archelaus senatoria gente, præfectura prætoriana tum Constantinopoli tum per Illyricum functus, nunc militum magister : sic enim annonæ & stipendiorum erogatorem vocant. Summum belli imperium Belisario mandavit Imperator, qui Orientali exercitui alterum jam præfecerat ; Ei satellites multi protectoresque aderant, viri bello acres & periculis exerciti, codicillos ei Imperator dederat, facere quæcunque ex usu viderentur, eaque sic rata essent tanquam ipse fecisset Imperator. Ita eum Iustinianus sibimet per Africam æquaverat. origo Belisario ex illa Germania quæ Thracas Illyriosque interiacet. Hæc quidem illa in parte gerebantur. At Gelimer Tripoli per Pudentium, Sardinia per Godam exutus, Tripolis quidem recuperandæ spem vix videbat, absitæ longius & defectoribus jam Romanorum auxilio confirmatis. Itaque in hos dilatis armis, Sardiniæ prior cura visa est antequam in eam insulam ab Imperatore auxilia penetrarent. mittit igitur eo Vandalorum quinque millia naves centum & viginti agiles maxime, ducemque dat Tzazonem fratrem suum. Et hi quidem in Godam & Sardiniam acri studio, ingenti ira ferebantur. At Valerianum Martinumque Iustinianus in oram Peleponnesi, expectatum ibi cæteras copias, præmiserat. Postquam naves conscenderant, succurrit Imperatori man-

dat

ıta illis dare quæ jam ante volentem dare aliud quid in
ɔgitationem incidens averterat. Vocatis igitur ad ſe
ɔnſtituerat ea dicere. Sed curatius expendenti viſa res
ɪauſpicata, iter intercidere. itaque alios miſit qui ſigni-
carent ne aut ad ſe venirent aut de navibus exſcende-
ent. miſſi, ubi ad naves propinquatum eſt, magno
ım clamore ac ſtrepitu enuntiant ne reverterentur.
l pro malo omine haud paucis exceptum, quaſi navi-
ıntium nemini reditum ex Africa Byzantium conce-
entibus fatis. ipſum præterea Iuſtiniani, quanquam
ɔn id agentis, imperium ut diram precem interpreta-
ıntur. At ſi quis duos qui maxime tunc præerant Va-
rianum Martinumque reſpexerit, videbit vana eventu
ıæ tunc homines augurabantur. Sed in Martini ſa-
llitio Stotzas erat hoſtis quondam futurus Imperato-
, ſubſeſſorque dominatus, nec rediturus Byzantium:
ı quem divino numine vertiſſe omen illud, licet ſuſpi-
ıri. Sed de his ſic ne ſe an aliter habeant, liberum cui-
ıe judicium relinquo. Iam quomodo miſſus ſit Beli-
rius, cumque eo exercitus, dicere aggredior. Septi-
ıum Imperii annum agens Iuſtinianus ſub ſolſtitii tem-
us Prætoriam navem appellere ad littus jubet quà re-
ıæ prætexebatur. Huc veniens Epiphanius urbis an-
ſtes precatus quæ tali tempore par erat, recens tin-
:um Chriſtianoque nomini adſcitum militem in na-
em induxit. Id navigandi initium Beliſario, uxorique
jus Antoninæ fuit, quos comitatus eſt Procopius, hu-
ıs hiſtoriæ ſcriptor, ad periculum exterritus primo, ſed
oſtea viſu confirmatus ſuſcipiendum ad iter. Nam in
oɑurna quiete viſus ſibi erat eſſe in ædibus Beliſarii:
ɔi famulum venire, qui nuntiaret adeſſe, qui dona fer-
ent: ſibi vero à Beliſario ea ut inſpiceret imperatum.
Qua de cauſa cum in ſubdiale iiſſet, vidiſſe homines qui
umeris terram ferrent florulentam. His ſe in domum

introductis præcepisse eam humum ut in atrium depo nerent. super eam Belisarium, eo cum venisset cum satellitio, se jecisse, & floribus usum pro cibo, easque epulas, veluti in thoro decumbentibus, visas esse suavissimas. Hæc erat somni imago. Navem prætorian cæteræ sequebantur, donec ad Perinthum ventum est quam nunc Heracliam vocant, ubi ad quietem sumt sunt dies quinque. Eo tempore Iustinianus Belisariun equis plurimis donavit, ex iis gregibus qui per Thraciam pascuntur. Soluta inde classis Abydum appulit quam dum ibi ventorum silentia quatuor per dies detinent, memorabile aliquid evénit. Massagetæ duo popularem, qui per vinolentiam ipsos iritarat, occiderant omnium enim gentium Massagetæ maxime ebrietat indulgent. Hos illico Belisarius in eo colle qui Abydum despicit suffixit patibulo. quod ita graviter tuler propinqui ut palam differerent, non ut supplicia leges que Romanas discerent, se in societatem venisse: alio enim sibi mores, neque homicidia tanto lui. Tract horum exemplo Romani quoque milites ii, quibus expediebat impune ferri delicta, dictis Belisarium insectabantur. qui re comperta vocatis ad concionem tun aliis, tum ipsis etiam Massagetis, ita fari orsus est. Si alloquendi mihi essent homines ad prima belli tyrocini vocati, longa mihi oratione esset opus, ut ostenderen quantum ad victoriam momentum sit in æqui reverentia. Nam qui horum certaminum novi sunt, in soli manibus situm existimant præliorum exitum. At vo: sæpe victores eorum qui nec corporis robore vobis cedebant, nec ad animi fortitudinem minus à natura fact erant, sæpe experti vim hostilem, nescire non potestis ut reor, stare utrinque homines, Deum vero arbitrum cui ipsi visum, addicere victoriam. Ea sic se cum habeant, & membrorum vires & armorum peritiam & omnen

mnem iſtum belli apparatum poſteriora ducere opor-
t juris & rerum divinarum cultu. quod enim in ne-
ſſitate conſtitutos maxime ſervat, id apud Deum in
aximo honore eſſe, ratio vult credi. Ideo primum
ſtitiæ munus punire eos qui non jure hominem alte-
m interemerunt. Cum enim juſti injuſtique nomen
notitia foras ſpectet, in rebus ad alterum pertinenti-
s vita nihil eſt carius. quod ſi quis barbarus per ebrie-
tem occiſo conſanguineo, condonari ſibi pœnam po-
lat, id ipſum unde abſolutionem ſperat, gravius ipſi
imen facit. Neque enim ſic vino immergi oportet
enquam, minime vero eum qui in actu ſit bellico, ut
nicis vitam adimere pro levi ducat. Quin ipſa per ſe
nolentia, ut cædes non adſit, ſatis in ſe habet ad pœ-
m: læſaque propinquitas, plus quam in externos in-
riæ, ſupplicium flagitat ſub vero judice. Quale ſit
itur facinoris exemplum, & quis exitus ipſi videtis.
uare id vos curam dare oportet, ne aut violentas ma-
s cuiquam inferatis, aut raptetis aliena, certi me talia
n diſſimulaturum, neque pro meo habiturum milite,
l maxime terribilem hoſtibus, niſi idem manus puras
prælium adferat. Neque enim vincere poteſt forti-
do niſi quam juſtitia gubernat. Dixerat Beliſarius.
t omnis exercitus, modo audita recogitans, modo
ſpiciens eum qui patibulo ſuffixus erat, ingenti per-
lſi formidine, ad modeſtiam animum verterunt, tan-
am pœnas neutiquam evaſuri ſi quid ab æquo diſſen-
neum feciſſent. Inde curæ ſuæ duxit Beliſarius, ut
aſſis juncta navigaret & eundem in locum appelleret.
uippe, ut in magna claſſe ſæpe, maxime vero ubi ve-
ementes venti incubuerant, acciderat ut aliæ relinque-
ntur naves, aliæ mari ſpergerentur, neque ſcirent gu-
ernatores, quas antecedentium ſequi deberent. Ei rei
c Beliſarius remedium invenit. Trium navium, in
 qui-

quibus ipſe & domeſtici navigabant, malos ab antennis ſubter ad tertiam uſque partem minio oblevit, inque puppe ſingularum erexit contos de quibus lucernæ penderent, ut tam diu quam noctu notæ eſſent primores navium quas gubernatores ſequi jubebantur Ita trium illarum ductu effectum eſt ne qua navium à claſſe aberraret. Vbi portu exeundum erat, ſignum claſſico dabatur. Solverant Abydo, cum vis ingens venti in Sigeum tulit, rurſumque à ventis ſilente cœlo tarde Maleam ventum eſt, ubi tranquillitas illa aëris plurimum profuit. Claſſem enim, utpote magnam, & in qua prægrandes erant naves, anguſtiæ noctu implicuerant non ſine gravi periculo. Ibi gubernatorum omniſque nauticæ multitudinis virtus apparuit, qui valido clamore ac ſtrepitu, contorum auxilio alii ſe ab aliis disjunxere. quòd ſi ventus flaſſet adverſus & ſævus, ægre, quantum judico, nautæ ſe naveſque ſervaſſent. Nunc eo quo dixi modo ſubducti periculo Tænarum pervenere, cui novum nomen Cænupolis factum eſt. Inde digreſſi Methonam attigere, cum paulo ante in itinere Valerianum & Martinum cum ſuis copiis inveniſſent. cum denuo conſediſſent venti, claſſem Beliſarius applicuit oræ, exſcenſuque in littus facto donis ornavit duces, militeſque in ordines digeſſit Dum hæc ipſi curantur, neque dum inſurgunt venti multos militum morbus abſumſit tali ex cauſa natus Præfectus prætorio jam ante dictus mihi Iohannes improbo erat animo & ſollers, pluſquam explicari à me poſſet, in augendis reditibus publicis, quamvis cum hominum pernitie: qua de re multa mihi memorata ſunt ubi ſe in ipſo hiſtoriæ exordio materia dederat. Nunc quomodo milites in exitium dederit, pergo referre Panem quo paſcuntur milites bis in furnum mitti neceſſe eſt, atque ita percoqui diu ut duret, non autem brev

revi diffluat. Inde autem fit ut ponderi multum decerat: ideoque solet militibus in distribuendo pane ca:trensi quarta parte minus quam alias ponderis attriui. Iohannes igitur id studens, quomodo & ligni mius insumeret, & minores mercedes daret pistoribus, & pondus servaret, crudum adhuc panem in balnea pulica, quibus Achilli nomen est, inferens, in eam parem sub qua ignis ardet imponi, & ubi mediocriter coctus putabatur in culeos inditum inferri navibus jusserat. ubi jam Methonam classis venerat, dissoluti panes in farinam redierant, nec eam integram sed situ orruptam, idque ipsum odore testantem. Hæc in mitites eodem quo justi panes pretio, mensuris quas melimnos ac chænicas vocant, dividebantur. His male pasti milites flagranti æstate, squallentibus in locis in norbos incidebant, minimoque tempore quingenti nteriere: latiusque se sparsisset malum, ni intercessisset Belisarius panes imperans distribui, quo ejus regionis homines utebantur. Is Imperatori insuper rem significavit, ipsique laus cessit, Iohanni impunitas. Et hæc quidem sic se habuere. At classis Methona profecta Zacynthi portum tenuit. Vbi aquæ nacti copiam, quæ satis esset navibus ad emetiendum Ionium, & quæ alia itineri sunt necessaria, pergunt navigare. vecti tarde inertibus ventis undecimo die ad Siciliæ locum desertum pervenere, unde non longe Ætna est mons. Tam lentæ navigationi id incommodi accidit, ut aqua putresceret, præter quam Belisarius & qui mensæ ejus participes bibebant. Eam namque Belisarii conjux hac arte servabat. Amphoras è vitro aqua repletas intra coaxationem in alvo navis ad id fabricatam, quo solis radii non penetrarent, in arenam defoderat. Ita aqua incorrupta mansit. Et hæc quidem hactenus. At Belisarius, ut in insulam descendit, animo torqueri cæpit,

ignarus qui essent, & ad bella quales Vandali, in quos iret, quem in modum & unde in terram expositis inchoandum esset bellum. Maxime terrebant milites, maris prælia horrescentes, nec veriti dicere si quis se terræ imponeret, facturos quod fortium virorum esset: sin hostili classe impeterentur, capturos fugam: Neque enim se pares adversus virorum atque fluctuum simul hostilia. His anxius Procopium adsessorem suum mittit Syracusas, sciscitatum, num quæ per insulas aut in continentibus terris insidiæ essent positæ navigantibus: qui facillimi in Africam appulsus; & postquam appulissent, unde in Vandalos prosperrimi insultus. Ea ubi peregisset, jussit eum sibi ad Caucana occurrere, qui locus ducentis stadiis abest Syracusis. namque ibi cum exercitu subsistere decreverat. Sed obtentum itineri fecit mercatum ciborum, quem præbituri essent Gotthi ex pactis quæ Iustiniano convenerant cum Amalasuntha Atalarichi matre, quæ eum Gotthorum atque Italiæ regem puerum sua sub tutela educabat, ut ex iis est amplius discere, quæ de Gotthicis rebus scripsi. cum enim Theudoricho mortuo ad nepotem ejus ex filia Atalarichum, patre jam ante orbum, jus regium pervenisset, Amalasuntha & puero & regno metuens, amicitiam Iustiniani sibi parandam rata, tum in rebus aliis morem ei gessit, tum commeatus pollicita est exercitui ejus stetitque promisso. Syracusas ut venit Procopius, inopinato reperit civem ejus loci sibi veterem à pueritia amicum, cui è mari quæstus jam diu ea in urbe fuerat: ex eo quæ volebat didicit: Is enim suum ei famulum adduxit, qui proximo triduo Carthagine venerat: significabatque nullas è classi insidias metui debere. neque enim ad eos ullum venisse hostilis adventus nuntium. Tum si quid apud eos bello validum, id in oppugnando Goda occu-

ccupari. Ipſumque adeo Gelimerem, nulla belli ſu-
picione, neglecta & Carthagine & aliis maritimis lo-
is, apud Hermionen agere qui in Byzacio eſt locus,
uatuor dierum itinere mari diſtant. quare ſecuri navi-
arent, & quo ventus tuliſſet appellerent. His Proco-
ius intellectis manu hominem ducens ad portum A-
ethuſam ivit, ubi navis ipſum exſpectabat, multa in-
errogans atque percunctans. intrata navi tolli vela &
uam celerrime Caucana peti jubet. Cumque ſtaret in
ttore dominus ſervum ſibi non reddi admirabundus,
xclamans Procopius, procedente jam nave, oravit ne
l ſuccenſeret. opus eſſe, ſervus cum Beliſario loquere-
ur, duxque eſſet in Africam itineris: eo peracto Sy-
acuſas rediturum multo cum præmio. Caucana ut ad-
enerant, eos qui ibi erant magno in luctu reppere-
unt. Functus enim fato Dorotheus, qui Armeniis
ræerat copiis, ingens ſui deſiderium militibus reli-
uerat. At Beliſarius, ubi ſervum vidit, compertaque
pſi didicit, gratiis Procopio actis, ſignum navigatui
anere juſſit. Ita ſublata vela, ventumque ad inſulas
Gaulam & Melitam, quæ Ionium Tyrrheno diſcer-
unt mari. inde flante Euro feliciter intra biduum ad
Africæ littus pervenerunt loco cui Caputuada nomen
ſt, quinque dierum itinere homini expedito à Cartha-
ine. Vt littori propinquatum eſt, Beliſarius demitti
ela & jaci anchoras jubet, duceſque in prætoriam
onvocans de deſcenſu conſultat. aliis alia dicentibus,
Archelaus hunc in modum locutus eſt. Eſt quod ſu-
remi ducis noſtri virtutem prædicemus, qui cum ſu-
ra omnes ingenio rerumque peritia valeat, liberrima-
ue inſtructus ſit poteſtate, nos tamen in conſilium
dhibitos dicere cupit, quid optimum factu putemus,
um is unus & dijudicare quid ex uſu ſit poſſit, & quod
ijudicaverit ſuo jure imperare. Vos autem duces cæ-

 teri,

teri, ut libere eloquar, ſatis mirari nequeo, quod non diſſuadere deſcenſum quiſque certaveritis, cum impulſus ad pericula adeo non ſit utilis impellenti, ut ultro & accuſationi ſubjaceat. mos enim iſte eſt hominum, ſi conſilia bene cedant, aut ſuæ prudentiæ, aut certè fortunæ id ferre acceptum: Si non pro ſpe eveniant, criminari auctorem. Dicendum tamen quod res eſt, ſiquidem calumniam metuere non debet qui pro ſalute conſilium ſit daturus: Vultis ergo in terram deſcendere hoſtilem, quem portum capturi navibus, cujus eas urbis mænibus ſepturi? Non audiſtis omne id littus novem dierum itinere à Carthagine Vticam quod patet, importuoſum, ventiſque in omnem prope partem expoſitum? tum mænia per omnem Africam nulla, niſi Carthagine, Gizerichi quondam facto. Iam & locus hic aquarum egenus eſt. Tum & alia præter ſententiam ſi ceciderint, quid deinceps faciendum ſit videamus. Nam ut qui in bella eunt nihil adverſum ſibi, nihil eorum quæ humanitus accidunt, proponant animo, rerum naturæ diſſentaneum eſt. Quid ſi ergo in ipſo exſcenſu tempeſtas nos opprimat, nonne alterum eveniet, ut aut longe lateque disjiciatur claſſis, aut in hoc pereamus littore? Deinde, unde alimenta? Nemo me, annonæ diſpenſatorem, reſpiciat. magiſtratus omnis ſuo deſtitutus inſtrumento ad nomen perſonamque privati recidit. ubi arma, ubi impedimenta ponetis ituri in barbaros? Hæc quem ſint habitura exitum, etiam dicere horreo. Ego rectà Carthaginem eundum cenſeo. abeſt ab ea ſtadiis non amplius quadraginta portus incuſtoditus, claſſis totius capax: ſtagnum vocant: è quo in bellum progredi tuto dabitur. Tum vero primo impetu Carthaginem ſperem capi poſſe, præſertim cum procul abſit hoſtis: ea capta nihil de cætero difficile aut formidoloſum. Ita fert rerum natura, ut capite abla-

ablato brevi concidant cætera. Hæc vos expendere velim, commilites, & quod optimum factu est deligere. Finita Archelai oratione excepit Belisarius: Nemo me putet, collegæ, censorem aliorum dictis adesse, & in id postremum sententiam dicere, ut quicquid dixerim parendi vobis injungam necessitatem. Sed auditis quæ vos factu utilia judicastis, meum quoque erit quæ in mentem veniunt adferre, ut ex omnibus deinde quod erit optimum communiter deligatur. Illud imprimis obliviscendum non est, quam aperte milites maris pericula exhorruerint, professi visa se hostili navi fugam capturos. At nos Deum omnes precati sumus, ut sine noxa terram Africam prendere liceret: Atqui stultorum plane sit hominum, quæ votis poposceris, eadem adepta spernere atque aversari. Si vero Carthaginem navigantibus occurrat Vandalica classis, nostrique tum ex prædicto in fugam se dent, promta his erit purgatio. Nam quæ mala prædicta sunt, excusationem secum habent: nobis vero præmonitis, etiamsi salutem fors dederit, venia aberit. Cum intra naves manentibus multa exspectanda sint mala, tum vel illud maximum quo nos territant isti, qui tempestatem nobis ob oculos ponunt, nempe si ea irruat alterum è duobus ajunt futurum, ut aut Africa procul disjiciatur classis, aut littori impacta pereat. utrum igitur melius ipsis videtur; solas naves, an cum navibus & viros remque omnem, si ita evenerit, perire? Iam vero, si hosti supervenimus subiti atque improvisi, spes est egregii successus. Facilis enim de non caventibus victoria: paulo pòst, ubi parati illi fuerint, æquale periculum. Quis scit, an non & pro ipso exscensu certandum nobis sit, magnoque labore quærendum id de quo nunc, ut libero consultamus? Nimirum, si nos tum in medio navali certamine tempestas deprehendat, ut multa fortuita

tuita capit mare, hoste cæloque pariter infestis, quid restabit, præter intempestivam pænitentiam? Quare sic censeo, exscendendum jam nunc, deducendaque è navibus arma & equos, & quæ alia vitæ aut prælio necessaria. Faciendam denique fossam ac vallum militare, quæ nobis sint mænium vicem, unde velut ex oppido in bellum prodeamus. Nihil nobis deerit, si viri sumus. victis hostibus, nostra erunt, quæcunque illorum fuerint. Mos enim est victoriæ, cuncta quo se dederit rapere. Ita non salus tantum, sed rerum omnium copia in vestris manibus posita est. Hæc ubi dixerat Belisarius, facile traxit alios, statimque soluto conventu exscensio in terram facta est, tertio quam à Byzantio solverant mense. Monstratur à Belisario locus quem juncti milites ac nautæ fossa valloque circumeant, celeri opere per tot hominum manus, quas & metus ab hoste, & in ducem obsequium incitabant, ita ut omnia uno die peracta sint, fossa, vallum, & in ambitu sudes. Res mira inter fodiendum visa, aqua ex humo erumpens, ignota hactenus siticulosis ad Byzacium locis. Ea potum hominibus animantibusque abunde præbuit. At Procopius Belisario eam rem gratulatus, addidit, non tantum usus causa de aqua reperta se gaudere, sed quod significatio inesset non laboriosæ victoriæ, dato divinitus omine. Sequentem noctem intra castra milites egere, dispositis, ut mos militaris habet, excubiis: nisi quod sagittarios quinos in nave unaquaque manere custodiæ causa voluit Belisarius: dromonas autem circum classem vectari & servare ne quis ad nocendum accederet. Postera die, cum milites in agros se injicientes eorum fructibus semet exsatiassent, erronum corporibus punitis, cæteros in concionem vocatos verbis correxit. Vi, inquit, aliena rapere aliis quidem temporibus solam injustitiæ culpam habet. nunc vero tan-

tum

tum adest periculum, ut, si dicere fas est, multo posterior sit justi inspectio. Ego hoc maxime fretus in terram vos exposui, quod Afros scirem, olim Romani imperii partem, alieno esse à Vandalis animo. Sperabam enim inde futurum, ut nobis necessariæ res suppeterent, neque nocere nobis hostes possent improvisis incursibus. Quæ nunc vestra immodestia in contrarium vertit. Conciliavit quippe ea Vandalis Afros, & nos utriusque gentis objecit odio. Natura enim comparatum est, à quibus accepimus injuriam, eis ut male velimus. Ita evênit ut exiguæ pecuniæ lucro vestræ salutis custodiam, simulque rerum copiam à vobis alienaveritis, cum quæ opus erant vili à volentibus dominis possint emi, & sic, neque injustitiæ sumi dedecus, & illorum amicitia summopere servari. Nunc igitur bellum nobis est cum Vandalis & cum Afris: addiderim & cum Deo ipso, quem nemo iniqua agens opitulatorem invocat. desinite igitur aliena invadere: spernite lucrum periculis constans. Hoc enim, si unquam, tempus est, quo modestia saluti sit, licentia exitio. id si curemus, Deum habebimus nobis faventem, faventes & Afros, Vandalos autem impeti faciles. His dictis, dimisit concionem Belisarius. Atque intellecto diei itinere, qua Carthaginem itur à castris maritimum esse oppidum, Syllectum nomine, cujus muri olim diruti, sed continuatis domorum parietibus speciem quandam mænium contra Maurorum insultus sibi fecerant oppidani; Boraïden eo satellitum suorum unum, cum protectorum è numero aliis, mittit, speculaturos locum, & jussos, si admitterentur, nihil mali hominibus inferre, bona autem polliceri plurima, tanquam à libertatis ipsorum vindicibus, ut sic exercitus inire eo posset. Ad primam facem, cum in conspectum oppidi venissent, in valle noctem transegerunt. Mane primo,

cum

cum forte agreſtes cum plauſtris ingrederentur, comitati, ſilentio & abſque ullo labore oppidum tenuere: cumque luceſceret, nullo dum tumultu orto, antiſtite loci & primoribus advocatis ducis mandata enuntiavere, claveſque adituum à volentibus nacti, ad ipſum ducem miſere. Eodem die is qui curſui publico præerat ſeque & equos publicos Romanis tradidit. captum & unum eorum qui regias litteras perferunt, veredarios vocari mos habet, non modo nullo affecit malo Beliſarius, ſed & auro multo donavit, fideque accepta literas ei dedit ab Imperatore Iuſtiniano Vandalis ſcriptas, quas ille Vandalorum eximiis in manus traderet. Neque Vandalis bellare conſtituimus, nec cum Gizericho pacta diſſolvere: ſed incubantem vobis tyrannum tollere, qui ſpretis Gizerichi tabulis, juſtum regem veſtrum vinctum tenet: propinquorum autem ſuorum hoſtis, alios pridem occîdit, aliis cum & libertatem & oculos ademerit, mortem ipſam invidet, finem calamitatum. Adeſte ergo nobis, imo vobis ipſis, & tam grave jugum à cervicibus veſtris depellite. Pacem vobis & libertatem à nobis ſalvam fore, Deum teſtem facimus. Tales erant Imperatoris litteræ, quas ille à Beliſario acceptas oſtendere publice non auſus, clam amicis oſtendens, nullum fecit operæ pretium. At Beliſarius ad prælium inſtructo agmine viam capiebat Carthaginem. Trecentos autem è protectoribus bello egregios Iohanni dedit, domeſticis erogationibus præpoſito quem optionem vocant. Erat is gente Armenius, & ſollertiæ & virtutis culmen tenens. Hunc præire juſſit, viginti non amplius ſtadiorum intervallo. Et ſi quid vidiſſet hoſtile, id ſignificare illico, ne imparatos opprimeret prælii neceſſitas. Auxiliares vero Maſſagetas, eodem aut paulo majore intervallo, ſiniſtro latere ire juſſit, ipſe cum dilectis ſubſequens. Nam Geli-

limerem ab Hermione venientem brevi tergis institurum suspicabatur. At dextro à latere nihil metuendum, non procul littore iter facientibus. Et nautis præceperat, ut juxta navigantes,exercitum nunquam longe relinquerent, ideoque, si quando acrior flaret ventus,demissis velis, dolonibus (id minoris veli nomen est) uterentur: sin vero remitteret, tum quantum possent, remis conniterentur. Syllectum ut venit Belisarius, severe continuit militem, ne quid per vim aut contra decorum ageret: ipse præterea humanitatem lenitatemque vultu ac factis præferens, ita Afrorum sibi conciliavit animos, ut ex eo tanquam per sua iter faceret, nemine fugiente indigenarum, aut suas res occultante, sed paratis omnibus, tum ad vendendos commeatus, tum ad alia officia queis juvari miles poterat. Ita Carthaginem versus profecti sumus, octoginta admodum stadia in diem conficientes, noctem vero agentes, aut in oppidis, si qua erant obvia, aut intra vallum structum quam maxime ad tutelam pro præsente rerum copia. Per Leptim igitur & Adrimetum Grassam pervenimus, vicum trecentis & quinquaginta stadiis Carthagine absitum, quo in loco prætorium erat Vandalorum principis, & horti omnium quos novimus elegantissimi. ita undique irrigui erant fontibus, nemoribus distincti, pleni autem pomiferis arboribus, sub quibus milites sua tabernacula fecere, cumque de pomis ad satietatem sumerent, nulla tamen diminutio facta sentiebatur. Interea Gelimer Hermione agens, cum advenisse hostes intellexisset, Carthaginem ad fratrem Ammatam mandata mittit, ut Hilderichum & qui alii ad ipsum sanguine aut amicitia pertinentes in vinculis erant, interficeret: ipse autem Vandalos, & si quid in urbe pugnæ idoneum, in armis haberet, ut ubi Romani ad fauces advenissent apud suburbanum quod

Deci-

Decimum dicitur, eos è duabus partibus coorti velut irretitos conficerent. paruit imperio Ammatas, nec Hilderichum tantum interfecit propinquum ſuum, ſed & Evageën, & Afrorum quicunque eos amicitia contingebant: mortuo jam ante Oamere. Vandaloſque ad faciendas inſidias, ubi tempus veniſſet, paratos habuit. Sequebatur nos Gelimer ignaros, donec ea nocte, quæ ad Graſſam peracta eſt, inter ſe occurrerunt exploratores, & pugna commiſſa ad ſua quiſque caſtra redierunt: quo primo indicio compertum nobis, haud longe abeſſe hoſtem. Hac in regione conſpici à nobis naves non poterant. Altæ enim rupes multum à mari introrſum penetrantes magno ambitu circumducunt navigantes, quarum in ſummo jugo Hermes eſt oppidum. Beliſarius igitur Archelao magiſtro militum præcipit, ne Carthaginem uſque naviget: ſed ad ducenta ſtadia citerius maneat, donec ipſe eum vocet. Quarto à Graſſa die Decimum pervenimus, qui locus ſeptuaginta prope ſtadia abeſt Carthagine. Eo tempore Gelimer fratris filium Gibamundum juſſit cum Vandalis mille anteire exercitum, & ad lævum deflectere latus, ut Ammatas ipſe à Carthagine, Gelimer à tergo, à ſiniſtris partibus Gibamundus, mox inter ſe coëuntes, facta velut indagine, Romanos clauderent. Mihi vero in hoc periculo res divinas humanaſque mirari ſubit. Nam Deus quidem eminus cuncta ſpeculans definit quem rerum eſſe eventum velit. At homines neque cum errant, neque cum recta capiunt conſilia, ipſi utrum fecerint certi ſunt, ut via maneat fortunæ cuncta ferenti in partem deſtinatam. Nam niſi Beliſarius ita inſtituiſſet agmen, ut Iohannes cum ſuis anteiret, in lævum autem rejicerentur Maſſagetæ, nunquam effugiſſemus à Vandalis pernitiem. Et his quanquam optime à Beliſario proviſis, ſi tempus melius captaſſet Ammatas,

matas, neque id quarta diei parte antevertisset, non ita male actum fuisset cum Vandalis. At nunc Ammatas celerius quam oportuit circa ipsum meridiem venit ad Decimum, cum adhuc longe abessemus tam nos, quam Vandalorum exercitus: neque id tantum peccavit, quod alieno venit tempore, sed & quod cum vim præcipuam Vandalorum Carthagine reliquisset, monuissetque eam ut ad Decimum quamprimum veniret, ipse interim paucis, iisque non selectis, manus conseruit cum iis qui Iohanni aderant: & sane nostrorum egregios duodecim, ipse prima in acie pugnans dejecit, sed post eos cecidit ipse, magnum virtutis specimen. Quo interemto vertere se cæteri, suaque fuga formidinem Vandalis aliis, Carthagine ad Decimum venientibus, intulere. Veniebant illi enim non junctim & parato ad prælium agmine, sed divisis manibus triceni, viceni. Itaque conspecta popularium, quos Ammatas duxerat tam effusa fuga, rati multos esse qui tergis eorum insisterent, ipsi quoque conversi fugam ceperunt. At Iohannes & qui cum ipso, quotquot deprehenderant, occisis, ad Carthaginis portas venere, tantaque intra stadia septuaginta Vandalorum strages edita est, ut qui spectarent hominum bis mille opus esse crederent. Sub idem tempus Gibamundus cum duobus sibi attributis millibus venit in campum cui à Sale nomen, qui ad lævam est ubi à Decimo Carthaginem iturus quadraginta stadia confeceris, locum hominibus arboribus rebusque aliis vacuum, quippe tanta aquarum salsugine ut nihil ibi nisi sal gigni patiatur. ubi cum in Hunnos incidissent interiere omnes. Erat inter Hunnos, quos Græci Massagetas vocant, vir corporis & animi magnitudine præstans, sed paucorum militum ductor. Hic jus avitum habebat in omni Hunnico exercitu primum in hostes impetum facere. Neque

enim licebat Hunno cuiquam hostem ferire, antequam ab ejus generis aliquo pugnæ initium factum esset. Is, cum non longe inter se constitissent exercitus, equo proxime Vandalos, comitante nemine, provectus est. At Vandali, sive admirati fortem viri animum, sive dolum aliquem hostilem suspicantes, neque se commovere, neque ipsum telo ullo impetere ausi sunt. Credo nunquam Massagetarum prælia expertos, sed audita virtutis ipsorum fama, stetisse ad periculum attonitos. Ille igitur ad populares se referens, Deus, inquit, paratas nobis epulas hos homines præbet. Quo dicto, impetum in se facientes Hunnos non sustinuere Vandali, sed solutis ordinibus, nullo ad virtutem respectu pessime perierunt. Nos interea harum rerum ignari ad Decimum ibamus. At Belisarius locum, stadia triginta & quinque citeriorem Decimo, videns castris ponendis idoneum, vallo eum ambit pulchre facto, ibique peditem collocans concionem advocatam sic alloquitur. Certaminis jam res est, commilites. Sentio hostem prope, naves longe natura locorum disjungente, ita ut omnis salus in manibus sit. Non socia urbs ulla, muniti nihil, in quo spem liceat ponere. Sed si viri sumus, confido nos Marte superiores fore: si quid remittimus, restat ut ad victoris Vandali arbitrium male pereamus. Atqui multa nobis victoriam spondent: causæ æquitas (nostra enim repetitum venimus) & Vandalorum alienus dominanti animus. causæ æquitati Deus se dat adjutorem: infensus dominanti miles fortiter facere nescit. Ad hæc nos in Persas, in Scythas exerciti: Vandali, ex quo Africam tenent, hostem non videre, nisi Mauros, nudos corpora. Quis nescit in rebus omnibus expertis adesse peritiam, contrarium inexpertis? Vallum hoc, quamdiu differre prælium ex nostro usu est, factum optime videtis. Heic arma, heic

alia

alia quæ nobiſcum ferri nihil opus, tuto ponentur, ut cum ab hoſte revertemur non deſint nobis quæ ſunt neceſſaria. Nunc id Deum oro, ut antepartorum decorum, ut cariſſimorum, quos domi reliquiſtis, memores, intrepido animo hoſtem adoriamini. Hæc cum hortatus precatuſque eſſet Beliſarius, relicto intra vallum cum peditatu uxore, ipſe cum equite proceſſit. Neque enim præſentis temporis ipſi videbatur, toto certare exercitu, ſed prætentatis per equitem hoſtium viribus, poſtea totis copiis depugnare. Præmiſſis igitur federatorum ductoribus, ipſe eum cæteris turmis ſuoque ſatellitio ac protectoribus ſequebatur. Vt federati ſuis ſub ducibus ad Decimum venerant, vident interfectorum corpora, duodecim qui cum Iohanne fuerant, juxta autem jacentes Ammatam Vandaloſque nonnullos: & indigenarum relatu intellectis quæ geſta erant, indoluere, dubii quod iter capiendum ipſis eſſet. Sed dum hæſitant, deque editioribus locis cuncta circumſpectant, à meridie multus pulvis viſus, & ſtatim Vandalorum equitum multa vis. Quare ad Beliſarium mittunt, rogantes quam primum veniat, hoſte quippe imminente. Duces diviſi ſententiis, aliis ſuadentibus iri in hoſtem, aliis non idoneas ad id vires ſuas arbitrantibus. Dum hæc illi inter ſe diſputant, adſunt barbari, duce Gelimere, via uſi inter eam qua Beliſarius venerat, & alteram quam ingreſſi Maſſagetæ qui in Gibamundum pugnaverant. Ad latus utrunque erectum collibus neque cladem Gibamundi, neque Beliſarii caſtra ſinebat conſpicere. Vbi propius inter ſe venere, certamen enatum, utri alteris collem, qui inter cæteros eminebat, præriperent: nam & caſtris, ſi opus eſſet, locandis aptus erat, & de ſublimi pugnare utriſque optatum. Prævenere Vandali curſu, eoque ipſo terribiles facti, hoſtes in fugam impellunt. Ea fuga Ro-

ga Romani ad locum devenere, qui ſeptem ſtadia à Decimo abeſt, ubi tum forte erat Vliaris ſatelles Beliſarii cum protectoribus octingentis: cumque exſpectarent, ut Vliaris & qui cum eo, ipſos reſtare cogerent, ſimulque in Vandalos irent, contra evenit, ut hi ſe illis fugæ comites darent, effuſoque curſu ad Beliſarium ferrentur. Heic dicere nequeo, quare motus Gelimer promtam ſibi victoriam ſponte tradiderit hoſtibus, niſi forte etiam hominum imprudenter facta ad Dei conſilium referenda ſunt, qui ſucceſſus hominum corrupturus ab animo incipit, nec ſinit in mentem venire quæ uſus facto eſt. Nam ſi confeſtim inſtitiſſet fugientibus, nec ipſum Beliſarium ſubſtiturum fuiſſe exiſtimo, ſed ſecuturam rebus noſtris pernitiem. Tanta tunc credita Vandalorum multitudo, tanta eorum apud Romanos formido erat. Aut ſi properaſſet Carthaginem, interemiſſet omnes eos qui cum Iohanne erant, qui tunc ſecuri heic ſinguli, illic bini per campos ambulabant & mortuis detrahebant ſpolia, urbemque cum pecuniis omnibus ſervaſſet, naves inſuper noſtrorum cepiſſet non procul poſitas, neque victoriæ tantum, ſed & abitus nobis ſpem præcidiſſet. At ille è duobus bonis conſiliis neutrum cepit, ſed lento gradu de colle deſcendens, ubi ad plana venit, mortuique fratris vidit corpus, ad lamenta verſus & ad humandi curam, obtudit aciem occaſionis, non recuperandæ poſtea. At Beliſarius, ubi fugientes habuit obvios, ſtare eos jubet, & de more in ordines digeſtos verbis caſtigat. Vbi autem Ammatæ didicit mortem, & Iohannis res proſperas, cunctaque hoſtium & locorum percunctatus eſt, effuſis habenis in Gelimerem & Vandalos fertur. Illi disjecti atque imparati vim Romanam non pertulere, ſed quam ocyſſime poterant non Carthaginem, nec Byzacium, unde venerant, ſed in campum qui Bulæ dici-

dicitur, eamque viam quæ in Numidas fert. Reversi ad nos prima face Iohannes cum suis & Massagetæ, cum ea, quæ evenerant, didicissent docuissentque, secutam noctem nobiscum ad Decimum egere. Postera die cum ad nos & pedites venissent & Belisarii uxor, Carthaginem iter instituimus, cumque crepusculo propter venissemus, ibi noctem eam duximus, quanquam ingressum prohibente nemine. Vltro enim portas aperuerant Carthaginenses, facesque & ignes disposuerant ita, ut urbs tota colluceret, & qui Vandalorum cladibus superstites erant, supplices in templis consederant. Sed vetuit intrari Belisarius, ne nox insidias hostium tegeret, & ad rapinas licentiam militi daret. Eodem die naves Euro usæ facili venere ad illud, quod diximus, mari imminens jugum. Illis conspectis, Carthaginenses, remota catena ferrea portus, quem Madracium vocant, aditum in urbem patefecerunt. Est in ipsa regia obsitus tenebris locus, Ancona Carthaginenses vocant, cui includi mos erat regi exosos. Inter hos multi erant mercatores ex Orientis partibus: quibus mire infensus erat Gelimer, quod ab ipsis Imperatorem in bellum accendi diceret. Iamque omnes mori debuerant ex præcepto Gelimeris eo ipso die dato quo Ammatas ad Decimum, interiit. tam prope exitum res eorum venerant. Sed ejus carceris custos, intellectis quæ acta ad Decimum & classe citra montem conspecta, ipsos interrogat, omnis adhuc boni nuntii expertes, nihilque præter mortem opperientes, qua rerum jactura salutem redimere parati essent. Illis dicentibus; daturos se quicquid vellet, nullas ab eis pecunias postulavit, sed juramento eos alligavit, si evaderent, & ipsi aliquod inferretur periculum, opitulaturos quousque possent. Eam fidem cum dedissent, quo loco res essent, ipsis exposuit, submotaque tabula, quæ

maris à parte conſpectum adimebat, oſtendit illis claſſem adnavigantem: deinde emiſſos è cuſtodia comitatus exiit. Qui in navibus erant, nondum compertis rebus, quas terra exercitus geſſerat, in ambiguo erant: demiſſiſque velis in Mercurium mittunt, ubi edocti quæ ad Decimum evenerant, læti atque alacres navigant. Vento vero admodum ferente, cum ad centum & quinquaginta ſtadia prope Carthaginem veniſſent, Archelaus & milites quieſci ibi volebant ad exſpectanda ducis juſſa. obſtiterunt nautæ, teſtantes infeſtum ibi littus, & adeſſe ſtatum procellis tempus quod Cyprianea indigenæ vocant, ac prædicentes, ſi ibi ipſos tempeſtas deprehenderet, non ſuæ poteſtatis vel unam ſervare navem. Vera dicebant: Deductis igitur velis ac conſultato, Mandracium petere non audebant, tum quod Beliſarii mandata verebantur, tum quod catena de more obſeptum putabant aditum. accedebat, quod nec tantæ claſſi receptandæ par erat portus. Stagnum præferebant, ita dicebatur ſinus qui ſtadia quadraginta à Carthagine remotus nihil obicis haberet, ac præterea ad tot naves ſpatii ſatis. Ad primam igitur facem eo pervecti anchoras demiſere: niſi quod Calonymus cum nautis quibuſdam, contempto ducis imperio, aliiſque omnibus clam Mandracium ſubiit, prohibere auſo nemine, reſque indigenarum in ora habitantium & mercatorum diripuit. Vbi illuxerat, Beliſarius juſſis exſcendere qui in navibus erant, omni exercitu in aciei modum compoſito, ita Carthaginem ingreditur. metuebat enim ne quæ ab hoſtibus inſidiæ occurrerent. ibi memores factos milites, quæ bona reperiſſent, ex quo æquos ſe & benignos Afris demonſtraſſent, maxime ad ſervandam Carthagine modeſtiam hortabatur. Quippe Afros Romanis olim paruiſſe, nec volentes veniſſe ſub Vandalorum imperia, & ab illorum immani-

tate

tate dira passos, ob id bellum Imperatorem indixisse Vandalis: indignum autem fore, si quid ipsorum facto eveniret illis mali, quorum libertas bello præscriberetur. His dictis, introgressus urbem est: cumque nihil hostile appareret, in regiam conscendens, sedit in Gelimeris solio. ibi ad eum multo cum clamore concursu facto, mercatores satis multi, & quibus in littore habitatio, querebantur res sibi nautarum per licentiam exacta modo nocte ablatas. Tum Calonymum jurejurando adigit Belisarius, prolaturum in lucem rapta omnia. At ille, & dato jurejurando, & ejus spreta religione, in præsens quidem lætatus est furto, at pòst, Byzantium cum venisset, pænas impietatis dedit. stupore enim corporis animique insania tentatus, ita ut & linguam sibi mordicus avelleret, talis interiit. Et hæc quidem postea. Tunc vero Belisarius, ut meridies venerat, prandium suis præbuit, eodem loci ubi duces Vandalos epulis accipere Gelimer solebat: Delphicam Romani vocant, non suo sed Græco, quo olim usi, sermone. Nam in Palatio Romæ, quo loco Imperatores mensæ accumbunt, tripus jam olim stabat, cui pocula imponebant mensæ ministri. Tripoda autem Delphicam Romani vocant, quod Delphis primum in usu fuerit. Atque inde tum Byzantii, tum ubicunque accumbunt Imperatores, id ipsum Delphicam vocant: quomodo & Imperatoris ædes, pariter deducto à Græcia vocabulo, Palatia Latini appellant. Nam quia Pallas, vir Græcus, jam ante Ilii excidium eo ipso in loco habitans domum satis conspicuam ædificaverat, inde Palatium dici cæptum est. Et quia Augustus imperii potitus ibidem habitare dilegerat, inde omnes Imperatorum ubique ædes idem vocabulum accepere. Ad rem ut redeam, in Delphica prandebant cum Belisario exercitus primores: & forte evenerat ut

 pridie

pridie paratum Gelimeri prandium integrum reperiretur: ita ut destinatis ipsi cibis pasti simus, &, qui illi solebant, missus nobis poculaque & alia ministraverint: velut ostentante vires suas fortuna, ac probante sua esse omnia, nihil homini in vita proprium. Magnam haud dubie eo die gloriam Belisarius sibi peperit, & quantam nec ejus ævi nec veterum sæculorum duces. Nam cum duces Romani non solerent in parentes urbes sine maximo tumultu advenire, etiamsi quingentorum tantum esset comitatus, inprimis si quando improvisi aderant; hic ita in obsequio milites habuit, ut in urbe non vis ulla, ne minæ quidem sentirentur, nec quicquam opificiis esset impedimento. Itaque, mirum, in urbe capta, mutato statu, translato regno, ne ulla quidem in foro taberna clausa est, sed, ut in longa pace, milites à scribis publicis in hospitia libellis assignata introducti, ad prandium de foro quod cuique libitum emebant: Post id Vandalis qui in templa confugerant fidem de salute Belisarius dedit: curamque mœnium suscepit. Adeo enim neglecti fuerant urbis muri, ut multis locis volenti cuivis apertum in urbem aditum darent. corruerat quippe pars magna: eamque causam Gelimeri fuisse Carthaginenses ajunt, quo minus intra urbem se teneret, quod non putaret brevi tempore sarciri posse mænium ruinas. Narrabatur & vetus puerorum Carthaginensium nænia, futurum ut Gamma insequatur literam Beta, rursumque ut Beta insequatur literam Gamma: quod tunc inter joca jactatum, ac pro scirpo habitum explicavit eventus. ut enim Bonifacium ejecerat Gizerichus, ita Gelimerem Belisarius. Hoc igitur, sive forte dictum, sive oraculum, illum exitum habuit. Sed & somnium & multis & sæpe visum, ignaro hactenus quando implendum esset, hoc ipso tempore interpretationem accepit. Cyprianum, sanctitatis

ctitatis nobilissimæ virum, plurimum venerantur Carthaginenses, eique ædem, sane speciosam, struxerunt ipso in littore, præterque honorem cæterum solennem colunt diem quem Cyprianea vocant: unde & anniversariæ tempestati, cujus memineram modo, idem nomen nautæ facere, quia in illud tempus, Cypriani memoria apud Afros celebre, incidit. Ædem igitur illam Honoricho regnante Vandali vi facta Christianis eripuerant, expulsisque eorum sacerdotibus, ipsi Ariano ritu sacra ibi curabant. Id cum graviter ferrent Afri mærerentque, ajunt sæpe per nocturnam imaginem apparuisse ipsis Cyprianum, imperantem Christianis, sollicitudinem pro se deponerent: se, progrediente tempore, sibimet vindicem fore. Is cum percrebruisset apud Afros rumor, erectos animos in exspectationem ut ob sacra contemta Vandali pœnas darent: at quomodo aut quando fides constitura esset viso, conjectare potuisse neminem. Nunc vero, postquam in Africam venerat classis Imperatoris, cum postridie immineret festus Cypriano dies, iter ingresso cum Vandalis ad Decimum Ammata, Ariani purgare templum, quæ donariorum pulcherrima suspendere, aptare lucernas, depromtaque è cellis pretiosissima supellectile parata ad usum quæque suum habere. At cum ad Decimum res, ita ut narravi, evenissent, fugam ceperunt Ariani sacerdotes. At Christiani rectiora sentientes occupato jam vacante templo, accendêre lumina ac reliquas cæremonias suo more exsecuti sunt, ac sic somnii significatio omnibus patuit. Et hæc quidem sic evenere. At Vandalorum exercitus alio dicto vetere in memoriam reducto admirabundi obstupuerunt, secum reputantes homini nato nihil adeo novum ut sperari non posset, nihil adeo certum ut non posset amitti. Ejus dicti quæ origo fuerit expediam. Quo tempore pressi fame Vandali patriis sedibus exibant,

 pars

pars eorum domi mansit, quibus desidia tentis Godigisclum sectari non libuit. procedente tempore hi qui manserant rerum copia ipsos circumfluente lætabantur: & Gizerichus cum suis Africam possidebat: quo intellecto qui Godigisclum secuti non erant, hoc magis gaudere, confisi etiam in posterum terram alimentis suis abunde suffecturam: metuere tantum, ne quando illi qui Africam ceperant aut eorum posteri inde ejecti, relicta repeterent; ideo quod Romanos non semper acceptum vulnus dissimulaturos arbitrarentur. ob id legatos misere, qui ubi Gizerichi in conspectum venere, gratulari se dixerunt gentilibus res tam prosperas. Cæterum à tanta multitudine in Africam profecta desertas terras ægre defendi à se posse. Rogare igitur se, si ipsos nullus teneret veteris soli amor, rem ipsis inutilem ut sibi concederent, qui citra controversiam domini regionis facti eo promtius pro ea se morti objicerent. Æqua petere Gizericho & Vandalis videbantur. itaque parati erant annuere postulatis. Vnus senum, nobilis ortu & prudentiæ fama, consensurum se negabat. versari res humanas perpetuo turbine. Præsentium nihil certi: in futurum nihil tam incredibile, quod non aliquando conspici possit. Hoc audito concessit in ejus sententiam Gizerichus, legatosque irritos dimisit. Atque eo quidem tempore & rex ipse, & is cujus auctoritas regem traxerat, Vandalis irrisi fuere. Cum vero evenissent quæ ante narravimus, rerum humanarum suo malo peritiores facti Vandali, viri illius, ut sapientis, dictum laudibus extulerunt. Illorum autem Vandalorum, qui domi manserant, ad hanc ætatem nec memoria nec nomen exstat. Credo, aut, pauci cum essent, vi finitimorum superatos, aut volentes in aliorum quibus se miscuerant nomen transiisse. Sed nec illis quos Belisarius devicerat Vandalis subiit in antiquam pa-

triam

triam reverti. Neque enim navibus instructi erant quæ eos ita subito in Europam transponerent. Itaque eorum quæ iniqua in Romanos & in Zacynthios maxime commiserant pœnam in Africa luere. Nam quondam Gizerichus, Peleponneso inhians, Tænarum appulerat. Sed illico dejectus, multis suorum amissis indecorum receptum habuit: Vnde, iræ adhuc recens, Zacynthum adnavigavit, & multis quos repererat interfectis, quingentis vero primorum in servitutem adactis, solvit à littore, cumque jam medium teneret Ionium, quingentorum illorum corpora in frusta concisa jecit in fluctus, humanitatis immemor. Et hæc quidem olim. At hoc tempore Gelimer multos agrestium Afrorum per pecuniam & comitatem illectos impulit, ut Romanos, per agros palantes, occiderent, præmio in capita edicto. Ab his multa cædes facta est, non tam militum, quam servorum & calonum, qui, cum in vicos venirent, prædæ causa, dolo circumveniebantur: ac pro illorum capitibus promissam mercedem à Gelimere abstulerunt, qui milites totidem occisos credebat. Sub idem tempus è satellitio Belisarii Diogenes raræ virtutis opera edidit. missus enim cum viginti duobus è protectorum numero res hostiles speculatum, in agrum venerat bidui itinere distantem Carthagine. Agrestes cum illos occidere non valerent, Gelimeri significant eos illo loci agere. Atque is dilectos è Vandalorum equitatu trecentos submisit, qui illos ad se vivos adducerent. Pro magno enim existimabat Belisarii satellitem cum tot profectoribus habere in sua manu captivos. Forte Diogenes comitesque ejus in domum quandam ingressi, superna ejus in parte somnum capiebant, nihil mali suspicantes, ut qui longe abesse hostem crederent. At Vandali, luce nondum exorta cum supervenissent, effringere fores, & sic noctu domum ingredi non è re

sua

ſua arbitrabantur, metuentes ne ortâ per tenebras pugnâ ipſi inter ſe ignari in mutuas cædes implicarentur, hoſtibus vero caligine obtectis exitum darent. Nimirum formido ipſis mentem ademerat, cum nullo labore poſſent, allatis ignibus, aut etiam ſine iis, Romanos non inermes modo, ſed & nudos, in ſtragulis opprimere. At illi circum ædes præcipueque circum fores facto agmine conſtiterant: cum forte è Romanis unus militibus è ſomno evigilavit, ſtrepituque audito, quem Vandali partim inter ſe colloquentes, partim armis concuſſis fecerant, conjecit quod res erat, excitiſque ſociis periculum aperuit. Omnes ſuadente Diogene veſtibus primum ſumtis, inde & armis, deſcendunt, frænatiſque equis inſident inobſervati, & ſtantes ad oſtium ſilentio, mox prorumpunt univerſi. Magnus ibi Vandalis labor, cum Romani non ſcutis modo ſemet obtegerent, ſed & haſtarum ictibus premerent hoſtem. Ita evaſit Diogenes ſuorum omnibus ſervatis, præter duos: ſed vulnera & ipſe accepit, in collo unum, tria in ore, quæ periculum illi non procul morte tulerunt, præterea in læva manu aliud, quod minimi digiti uſum ipſi ademit. Et hic quidem iſtius certaminis exitus fuit. At Beliſarius magna in fabros & in aliam plebem mercede foſſam rari operis circumdedit muris, ſudibuſque interpoſitis fecit imperviam brevique ipſas murorum ſarcivit ruinas, dignum miratu non Carthaginenſibus modo, ſed & ipſi poſtea Gelimeri, qui, quo tempore captivus eo ductus eſt, ad operum conſpectum attonitus, negligentiam ſuam accuſavit, omnium ſibi malorum cauſam. Hæc Carthagine dum agit Beliſarius, Gelimeris interea frater Tzazo claſſe, quam ante memoravimus, in Sardiniam advectus portum Caralis iniit, exſcenſuque facto oppidum cepit impetu, ipſumque inſulæ dominum Godam, & ſi quid pugnæ idoneum ei aderat,

aderat, interfecit. Intellecto deinde Romanæ classis in Africam adventu, eorum quæ post id tempus contigerant ignarus, in hunc modum scripsit: Godam tyrannum nostris manibus periisse, restitutamque tuo, Vandalorum Alanorumque rex, imperio insulam scito, Deoque lætus gratias publice agito, nec dubita illis qui in nobis possessa hostiliter veniunt eundem fore exitum, qui olim in majores nostros bellantibus fuit. Has qui literas ferebant, Carthaginem, nihil ibi hostile suspicantes, pervecti, ut portum iniere à custodibus ad Belisarium perducuntur: Eique tum literas tradunt, tum, quæ insuper acceperant, mandata enuntiant, obstupefacti ad tam subitæ mutationis spectaculum. Belisarius nihil in illos constituit mali. Sub idem tempus & alia res evênit. Antequam classis Imperatoris Africam attigisset, miserat in Hispaniam legatos Gelimer, quorum primi Gothæus & Fuscia, ut Visigothorum ibi regem Theudin ad Vandalorum societatem perducerent. Qui ubi fretum ad Gades transvecti in terram alteram pervenere, Theudim in prædio longe à littore introrsum sito reperiunt, admissique, multa cum humanitate & opiparis epulis excipiuntur. In mensa percunctatur eos Theudis, quo loco res essent Gelimeri & Vandalis. lento autem itinere progressos legatos jam nuntius eorum quæ Vandalis improspera acciderant, prævenerat, oneraria navi, quæ eodem die quo Carthaginem Romani intraverant, inde abierat, felicibus ventis deducta in Hispaniam. ex ejus vectoribus cum didicisset acta per Africam Theudis, vetuit eos cuiquam ea de re loqui antequam fama in vulgus erumperet. Cum vero interrogati Vandalorum legati respondissent omnia bene se habere, rursum percunctatur Theudis, cujus negotii causa adessent: cumque dicerent venisse se societatem expetitum, jussit eos ad oram ire maritimam, ibi, addens,

dens, de rebus vestris certiora cognoscetis. Tacuere legati, ebrio homini putantes excidisse dictum insipiens. At cum postero die de ineundo federe agentibus eundem sermonem reposuisset Theudis, aliquid quidem novi evenisse, de Carthagine autem nihil suspicantes, eo iter instituunt: cumque prope advenissent, in Romanos milites incidentes dedunt illis se, à quibus ad Belisarium deducti, re omni narrata, dimissi sunt ab eo incolumes. Hæc illis in partibus gerebantur. Cyrillus interea cum prope Sardiniam ea quæ Godæ acciderant intellexisset, Carthaginem profectus est, ibique repertis hostium victoribus Belisario & exercitu, substitit. Ad Imperatorem autem missus est Solomo rerum felicium nuntius. At Gelimer in Bulæ campo, qui homini expedito quatuor dierum itinere abest Carthagine, fine Numidiæ non procul, eo Vandalos excivit, & si quid ipsi apud Mauros fidum. Mauri ad eum pauci iique sine ductoribus venêre. Nam quicunque in Mauritania Numidiaque & Byzacio honores obtinebant, missis ad Belisarium legatis, Imperatoris famulos se professi erant & socia arma polliciti. quidam & obsides liberos dedere, precati ut insignia imperii sibi veteri ritu transmitterentur. Mos enim est Mauris ne quis eis imperet, etiam quo tempore bellum cum Romanis habent, priusquam Romanorum Imperator ei principatus insignia dederit, quibus nunc à Vandalorum rege acceptis, non firmam putabant possessionem. Sunt autem ea, primum virga argentea aurata, deinde pileus argenteus non ille caput totum tegens sed coronæ in modum argenteis sustentatus tæniis, candidumque palliolum in dextro humero aurea substrictum fibula, chlamydis Thessalicæ in modum, tunica item candida sed variegata, & solea inaurata. Belisarius & hæc illis misit, & pecunias singulis addidit. Nec tamen ejus societatem induere,

duere, Vandalorum haud magis, otiosi ſpeculantes quo bellum eſſet exiturum. Et hæc quidem apud Romanos. At Gelimer Vandalorum quendam miſit in Sardiniam cum literis ad Tzazonem fratrem. Profectus is ad oram maritimam navem reperit eo iter habentem, conſcenſaque in Calarim portum pervectus, tradidit literas hæc continentes. Non Godas, ut arbitror, inſulam nobis abſtulit, ſed dirum quoddam fatum impendens Vandalis. Nam cum te & Vandalorum præcipuos à nobis ſubmoviſſet, ſimul quicquid erat bonorum rapuit è Gizerichi domo. Neque tu inſulam nobis ſervaturus abiiſti, ſed Africam omnem traditurus Iuſtiniano. Quæ enim fortunæ decreta pridem erant, ea nunc rerum eventibus apparent. Non magno adeo exercitu in nos venit Beliſarius. At virtus eodem tempore fugiens à Vandalis ſecum abduxit bonam fortunam. Ammatas & Gibamundus jacent per Vandalorum ignaviam. Equi, navalia, Africa cum ipſa Carthagine in hoſtium ſunt manu. Noſtri deſident, quibus non feciſſe fortiter in tempore, damno uxorum, liberûm rerumque omnium conſtat. Nobis Bulæ campus reſtat, ubi nos ſpes quam in te poſitam habemus, adhuc detinet. Tu vero Sardiniam, Sardiniæque raptorem & pertinentes eo curas ex animo delens, quam primum cum claſſe huc ades. Quibus enim de re ſumma certamen eſt, iiſdem noxium minora perſequi. in poſterum pariter ambo in hoſtem depugnantes, aut priorem fortunam recuperabimus, aut hoc conſequemur ne ſeorſim à fratre frater, ea patiamur quæ divinitus imminent. Hæc ubi Tzazo didicit, docuitque Vandalos, omnibus lamenta planctuſque exorta, non palam tamen, ſed quam maxime ſua mala clam Sardos habentes, dolorem ſilentio obtegebant. Et ſtatim quidem verſi ad præſentia, quantum res ferebant, navibus conſcenſis, tertiæ die claſſem
in

in eam Africæ partem appulere quæ Numidas à Mauris dispescit. Inde pedestri itinere venere ad Bulæ campum, ubi sociati sunt cum altero exercitu. Ibi multa tristia, quæ verbis exsequi nequeam. Nam & si quis adfuisset hostium, credo miseraturum fuisse & res Vandalorum & rerum humanarum vices. Primum Gelimer & Tzazo alter amplexi alterum dividi nequibant, nihil loquentes inter se, sed manus stringentes non sine lachrymis. Vandalorum item qui cum Gelimere erant, singuli à Sardinia venientes singulos excipiebant complexibus, idque sæpius repetebant, & ita velut conglutinati misera voluptate perfruebantur. Nec qui cum Gelimere erant de Goda, (quandoquidem eos præsens fortuna ita consternaverat, ut quæ olim cordi fuerant maxime, nunc vilissimis paria haberentur) nec à Sardinia advecti de his quæ in Africa acciderant, percunctari alii alios quicquam in animum inducebant. Satis ipse locus dabat quæ evenerant conjectare. Ne super uxoribus quidem aut liberis quærebant, manifesto quippe, si quis ibi suorum non appareret, eum aut occubuisse aut in hostium venisse potestatem. Et hæc quidem hactenus.

PROCOPII CÆSAREENSIS

HISTORIÆ VANDALICÆ

LIBER II.

POstquam vero ipſo dolore excitatos in ultionem Vandalos omnes vidit Gelimer, Carthaginem duxit, cumque eo propere advenissent, rupere canalem qua in urbem aquæ ducebantur, ſpecioſum opus, & aliquamdiu ibi morati, rurſum abiere, cum ex urbe pugnandi nemo faceret copiam. Tantum adſidentes in circumjacentibus vicis, & cuſtodiis ſeptas habentes vias, eo modo premi poſſe Carthaginem rebantur. Agrum ipſum, pro ſuo habentes, non vaſtabant, neque prædas agebant: ſperantes & proditionem tum ab ipſis Carthaginenſibus, tum à Romanis militibus Arii placita ſectantibus. Affectabant & per idoneos homines, magnis cum pollicitationibus, amicitiam & ſocietatem Hunnorum Principum, per ſe ſatis alienorum à Romanis rebus, neque diſſimulantium haud ſua ſponte ſe cum illis arma junxiſſe: Romanorum enim duce Petro quæ pacta cum ipſis juraverat ſpernente, abductos ſe Byzantium. Itaque conſenſere Vandalis fidemque dederunt ubi in rem ventum eſſet, arma ſe cum ipſis in Romanum exercitum verſuros. Hæc ſuſpicans Beliſarius, (nam per transfugas aliquid emanaverat) ſimul quia nondum perfectæ erant urbis munitiones, erumpendum ſibi in præſens non ratus, interna, quantum poterat maxime curabat. Ac primum hominem Carthagi-

thaginensem, Laurum nomine, proditionis suo ipsius scriba indice convictum, in patibulum egit in colle urbem despectante. Quo metu territi alii similia agitare desierunt.[s] Deinde Massagetas donis, mensa & omni comitate sibi devinciens perpulit, sibi ut quotidie significarent quæ ipsis mutandæ in prælio fidei præmia promitteret Gelimer. Fatebantur autem eidem barbari, etiam sponte sua, aversos sibi à prœlio animos, quod metuerent ne devictis, si ita res caderet, Vandalis, non permitterentur à Romanis in patriam redire, sed in Africa cogerentur tristem senectam ad mortem producere: tum & de præda accedere sollicitudinem, ne eriperetur sibi. Ademit utrunque metum Belisarius, fide data, si domarentur Vandali, reditum ipsis domum cum præda tutum fore. Ea lege jurejurando illos adigit, belli omnia pro virili cum ipso toleraturos. His bene provisis, perfectis & mœnibus, vocatos ad concionem suos hunc in modum alloquitur. Hortatu mihi apud vos nihil opus videtur, milites, qui jam virtutis vestræ præmium feceritis Carthaginem, Africamque omnem, ita ut fortitudo vestra stimulis non indigeat. Imminuere animos victoria non solet. Vnum prædicere ex usu temporis duco, si iidem eritis, finem instare spei Vandalis, pugnarum vobis. Quare æquum promtos vos adferre ad hoc prælium animos: sicut solet hominibus allubescere adductus jam proxime finem labor. Neque Vandalorum vos moveat multitudo, non numero, non corporum mole, sed animi præstantia bellum cernitur. Adsit modo vobis ea res quæ plurimum potest inter homines, vereri: Merito enim pudeat, si vobis ipsis sitis dissimiles, neque prioribus factis posteriora respondeant. Hostem in deteriora impellent formido malorumque memoria, quæ sensu actarum rerum ne spem quidem eas emendandi in posterum relinquent.

Fortuna

Fortuna enim quorum res corrumpit, eorum & animos dejicit. Esse autem nunc majus, quam ante, quod agitur, facile expediam. Priori prælio, si res male iisset, periclitabamur aliena non acquirere. hoc vero, nostra amittere: Quanto ergo tolerabilius est, non habuisse, quam possessis dejici, tanta nunc justior cautio. Præterea illo tempore sine pedite victoriam reportavimus, nunc quid ni, Dei ope totoque exercitu decertans, sperem castra hostium atque ipsos potiri? Positum ante oculos belli finem per segnitiem differre nolite, ne elapsam nunc occasionem postea frustra requiratis. Rejecta belli fortuna spem oblatam non reddit, præsertim si culpa eorum, quorum intererat festinari, mora intervenerit. Neque sane immerito data in præsens accipere cunctantibus irascitur Deus. Errat, si quis putat hostes, eo quod uxores liberosque suos in nostra esse norint potestate, aut ausuros supra quam fert animus, aut supra quam vires ferunt pugnaturos. Contra evenit, ut ex jactura carissimorum pignorum effervescens ira, & vires adimat, & recte uti præsentibus mentem non sinat: Hæc vos agitantes magna cum fiducia aggredi hostem par est. Hæc postquam dixerat Belisarius, equites omnes, exceptis quingentis, eodem præmittit die protectoresque & signum quod bandum Romani vocant, Iohanni Armenio commendat, concesso & pugnam prætentandi jure, si res ferret. Secutus ipse postera die cum quingentis illis equitibus omnique peditatu. Massagetæ consultato inter se, velut tam Belisario quam Gelimeri fidem servaturi, constituerant, neque pro Romanis arma sumere, neque ante suum tempus Vandalos adoriri: sed utriuscunque exercitus res male abiissent, in eum se cum victore conjungere. Talia erant barbarorum destinata. At Vandalis Belisarius supervênit, castra ad Tricamarum habentibus, qui locus

Carthagine diſſidet ſtadia centum & quadraginta. Satis longo intervallo caſtra Romani poſuere. Multum nox proceſſerat, cum oſtentum apparuit, haſtarum mucrones igne collucentes, ita ut ardere plane ſpicula viderentur. Non multis admodum ſpectatum id: ſed ſpectantium perculſæ mentes, dubiæ quis eventus portenderetur. Eadem ſpecies poſtea & in Italia viſa militi, jam experto, in victoriæ futuræ ſignificationem læte excepta eſt. At tunc ubi primum ſe obtulit commoti, ut dicere occæperam, animi, noctem eam pavidam egêre. Poſtridie præcepit Vandalis Gelimer, ut quod erat ſexus aut ætatis imbecillis, ſimulque ſupellectilem, in mediis ponerent caſtris, nullo quanquam vallo munitis. Tunc concionem ad ſe vocatam ſic alloquitur: Non de gloria tantum imperioque nobis certandum eſt, Vandali, quod foret, ſi, iſtis per ignaviam derelictis, liceret nobis vitam, domum, res alias retinere. quo ſint loco res etiam atque etiam videte. Hoſtis, ni vincimus, dominus fit harum mulierum, ac puerorum, terræ ipſius & omnium quæ habemus. nobis reliqua ſervitus & tot triſtium aſpectatio. At ſi noſter Mars ſuperior, vivemus in larga bonorum copia: & poſt mortem honeſtam manebit uxoribus, manebit liberis felicitatis hæreditas, manebit Vandalicum nomen & imperii decus. Si cui unquam populo neceſſitas fuit adeundi de omnibus quæ in vita cara ſunt periculum, ſcitote nos nunc prælio accingi ſpem omnem in manibus ferentes. Non ergo pro corporibus ſolliciti ſimus aut mori paveſcamus: ſi abſit victoria, mori lucrum erit. Nemo igitur Vandalus timide nunc agat, ſed animus cuique ſit prodigus corporis: tum malorum quæ victis inſtant pudor mortem faciat optandam. Turpia erubeſcenti adeſt non terreri periculis. Nec vos prioris prælii moveat memoria. non noſtra ibi nobis formido obſtitit, ſed fortu-

ſortunæ in nos incurſantis impetu everſi ſumus. Iam non ſolet illa eundem tenere curſum : quin vices quotidianas amat. Ecce ut hoſtes non virtute tantum ſed & numero multum ſuperamus. Si enim recte rem putamus, decupli ad illos ſumus. Addam alia, quæ nos ad fortia facinora excitare debent : majorum gloriam & traditum ab ipſis imperium : illi nos, quippe diſſimiles, tenebras obducimus : hoc, ut ab indignis, fugere minatur. Mulierum harum lamenta, puerorum lacrymas taceo : quippe quorum miſeratione tactus protendere ſermonem non valeo. Finiam igitur, unum ſi adjecero, reditum nobis ad cariſſimos affectus non fore, niſi devictis hoſtibus. Hæc figentes animo, fortes eſtote, nec dedecorate partam olim Gizericho gloriam. quæ elocutus, Tzazonem jubet fratrem proprio ad eos quibuscum è Sardinia venerat hortatu uti. ille collectis ſuis paulum à latere caſtrorum, ſic loqui orſus eſt : Vandalis omnibus, commilites, quantis de rebus inſtet certamen, rege dicente cognoviſtis. Vos autem præterea vobiſcum ipſis certare debetis. Viciſtis modo cum de imperio ageretur, totamque inſulam rei Vandalicæ reddidiſtis : quo majora nunc vobis edenda ſunt virtutis documenta. quibus enim de ſummis rebus periculum imminet, iis opus eſt ſumma in hoſtem audacia. Nam qui pro imperio depugnant, ſi forte ſuccumbant, non illis excidunt, quæ maxime ſunt neceſſaria : at qui de rebus ſuis certant omnibus, his vita ad belli exitum regenda eſt. Tum vero, ſi nunc viros vos præſtatis, generi oſtendetis humano, quod Godam imperio exuiſtis, virtutis fuiſſe opus. Quod ſi nunc torpeſcetis, etiam illa vobis gloria, tanquam non veſtra, abjudicabitur. Ad hæc vos decet eximium hoc in prælio ſupra cæteros Vandalos decus acquirere. Nam quibus ſemel res male cecidit, eos non mirum, adverſa fortuna ſi exterreat.

 At

At qui nihil experti ſunt contrarium, integram fiduciam ad certamen adferunt. Ne hoc quidem fruſtra addiderim: ſi victores erimus, vos potiſſima laurus manet: vobis Vandalorum gens ſalutem debebit ſuam. Nam qui juncti prius infelicibus ad victoriam pervenerunt, meliorem fortunam jure ſibi aſſcribunt. Hæc ſi, ut oportet, cogitabitis, licebit imperare uxoribus atque liberis lamenta ut deſinant, bonaque cum ſpe Deum advocent propitium. Veſtrum autem erit, ingenti animo ferri in hoſtem, præire popularibus. Talia elocuti tum Gelimer tum Tzazo, eduxere Vandalos, atque ipſo prandii tempore, Romanis menſas parantibus, adſunt improviſi,& in ipſa ripa aciem ſtruunt. eſt enim eo ipſo in loco amnis, perenne labens quidem, ſed tam tenuis ut ne nomine quidem dignatus ſit ab indigenis, velut torrens foret. alteram ejus ripam Romani obtinebant, qui videntes ſe in prælium cogi, aciem ſic ordinavere. In lævo cornu erant Martinus, Valerianus, Ioannes, Cyprianus, Althias, Marcellus & qui alii federatis duces. Dextro ſtabant Pappus, Barbatus, Aïgan & cæteri turmarum præfecti. Media acie Ioannes Beliſarii ſatellitibus ac protectoribus imperabat, magnum ſignum ſecum habens. Eodem cum tempus videbatur ipſe Beliſarius ſe contulit, quingentis cum equitibus. tergum pediti reliquerat. Seorſim Hunni conſtiterant, more ſemper gentis, ne Romanis miſceantur, tunc & conſilio, ut ante diximus, res ſuas ab exercitu alio ſegregandi. Ea Romanis erat acies. Vandalorum in cornibus tribuni erant, ſuo uterque cum milite. In medio Gelimeris frater Tzazo, tergum Mauris tenentibus. Ipſe Gelimer obiens exercitum, nunc hic nunc illic imperio & hortatu aderat. prædictum Vandalis erat, ne jaculo aliiſve telis, præterquam gladio, uterentur. Cum temporis multum exiret, & prælium pars neutra ordiretur,

Iohan-

Iohannes cum dilectis suorum Belisarii jussu transiit amnem, mediosque hostes invasit. Tzazo facto impetu sic eos impulit ut fuga effusa castra repeterent. sequentes eos Vandali, ingressi amnem, non tamen transierunt. vicissim Ioannes è Belisarii protectoribus numero majore assumpto, eos insiliit: sed repulsus retulit & ipse pedem in castra. Tertium cum omnibus pæne & satellitibus Belisarii & protectoribus, simulque exercitus signo, magno cum clamore ac strepitu irruit. ibi barbaris fortiter repugnantibus, solo gladiorum usu, acris fit pugna. cadunt Vandalorum & multi & optimi & ipse Gelimeris frater Tzazo. Id conspicati Romani inferunt se universi, transgressique amnem invadunt hostem. Cæpta à media acie ingens Vandalorum fuga, tum cæteros oppositi quique facile fuderunt. Videbant hæc, nec enim procul abstiterant, Massagetæ, & ut destinaverant, victoribus additi victos urgent. Nec longe tamen insecuti. nam Vandalis breve in castra perfugium, & ibi requies fuit. Romani cum receptum intra vallum hostem oppugnandi spes non esset, spoliatis qui aurum ferrent mortuis, in sua & ipsi castra recesserunt. Occubuere hoc prælio Romanorum quinquaginta admodum: Vandalorum quingenti. At Belisarius ut peditatum ad se recepit, vesperascente jam die, quam celerrime potuit cum omni exercitu oppugnatum ivit Vandalorum castra. Gelimer, ut turmas & cohortes hostiles in se venire cognovit, nulla voluntatis suæ significatione edita, nullo præcepto relicto, in equum insiliens Numidiam cursu petit, comitibus propinquorum & domesticorum paucis, metu ac silentio præsentia tegentibus. Aliquantum ignorata fuit Vandalis Gelimeris fuga. Postquam vero id innotuit, & jam adventantes hostes spectabantur, exsurgit virorum tumultus, clamor puerorum,

planctus mulierum. Nulla rerum quæ aderant cura: nulla proximorum lamentantium miseratio. sibi qua poterat quisque fugam capiebat. Ita vacua castra omnemque pecuniam ac supellectilem Romani habuere: neque eo minus noctem totam insequendo ducentes, viros, quoscunque nacti, interficiebant: feminas & puerilem ætatem mancipia faciebant. Nunquam in ullo loco militi tantæ opes repertæ, quantæ illis castris. Nam Vandali pridem Romanas terras populati multa secum in Africam tulerant. Deinde ipsum Africæ solum uber & quorum maxime vita indiget fæcundum: quo evênit, ut qui inde percipiebantur reditus non mercatu ullo alias in oras transportarentur, sed ipsi apud se agrorum domini eos custodirent per annos quinque & nonaginta, quot Vandalorum in Africa mansit potentia. Tanto tempore auctas in immensum divitias una dies in Romanorum manus pertulit. Ita pugnatum, disjecti Vandali, capta eorum castra tertio postquam Romani Carthaginem venerant die, finiente Decembri. Videns Belisarius redeuntem à victoria absque cura, absque ordinibus exercitum, indoluit, per omnem quæ secuta est noctem metuens, ne ad bonam mentem reversi recollectique hostes male eum tractarent. Quod si quo modo accidisset, neminem arbitror Romanorum futurum fuisse qui salvus præda frueretur. Milites enim ad id tempus valde inopes, ita subito pecuniarum eximieque formosorum corporum facti domini, neque statum mentis servare, neque satiare se præsentibus poterant. Ebrii dulci fortuna quisque cum partis rebus reverti cupiebant Carthaginem: partim non conferti, sed singuli aut terni palabantur qua spes tulerat, omnia circum rimantes, per saltus atque avia, etiam si qua alicubi specus esset aut periculis & insidiis obnoxius locus. Non illos metus ab hoste,
non

non Belisarii reverentia, neque res ulla tenebat alia, præter prædæ sitim. hac abrepti nihil de cætero curabant. considerans hæc Belisarius dubitabat, quid adferre posset remedii: Luce tamen orta in colle propter viam consistens revocabat amissam modestiam, multa militem, nec duces pauciora castigans. moti qui propius aderant, ii præcipue qui ex Belisarii erant domo, quæ ipsis obvenerant res ac servitia per contubernales suos Carthaginem mittunt, ipsumque ad ducem accedentes præbent se imperatis. Is Iohanni cum ducentis injungit Gelimerem sequi, neque aut nocte aut die quiescere donec vivi ejus aut mortui potirentur. Amicis vero qui Carthagine erant præcepit, ut Vandalos, qui in suburbanis locis templa supplices insederant, fide data, & armis, ne quid novi auderent, ademtis, in urbem ductos custodirent, donec veniret ipse. cum his quos secum retinuerat, nunc hæc nunc illa obiens loca, militem ad labores excitabat, Vandalis autem quotquot repererat, fidem de salute dabat. neque enim alii restabant qui caperentur, præter eos qui ad sacra loca confugerant. Eos armis exutos sub custodia misit Carthaginem, omnia evellens turbarum semina. quibus provide curatis, & ipse cum majore exercitus parte conciso gradu Gelimerem sequitur. Iohannes interim, qui continuis diebus ac noctibus quinque eundem Gelimerem insecutus erat, tam prope eum venerat, ut prælio certaturus esset postridie. Sed quia in fatis non erat ab Iohanne Gelimerem capi, adversum quid intercidit. Comitabatur Iohannis agmen Vliaris Belisarii satelles. erat is vir, erecto quidem animo, neque minus hac parte quam corpore validus, sed seria minus quam vinolentiam & joca amans. Is Vliaris die itineris sexto circa Solis ortum videt avem arbori insidentem, raptoque derepente arcu sagitta eam petit.

Et avem quidem non attigit, Iohannem autem prope stantem in cervice ignarus ferit lethali vulnere, ex quo obiit, ingens sui desiderium Iustiniano ac Belisario Romanisque & Carthaginensibus relinquens. Nam cum virtute & militari & aliis excelleret, lenitate morum & comi congressu qui se vinceret habebat neminem. Sic fatum Iohannes explevit. Vliaris ubi à consternatione ad se rediit, in vicum proximum capta fuga, ibi in templo supplicum ritu consedit: At militibus Gelimerem insequendi non ultra studium: Iohanni primum vivo quæ poterant officia, mox mortuo justa præstabant: inque loco manentes, tristem casum significabant Belisario, qui ut audiit, venit ad Iohannis tumulum, ibique & publicum damnum & suum multis mæstitiæ indiciis prosecutus, & rebus aliis & reditu ad tutelam ejus annuo monumentum decoravit. Vliari tamen nihil nocuit, testantibus qui morienti adfuerant militibus, gravissima se ab ipso adactos jurejurandi religione, ne qua ultio sumeretur de homine non sponte in id piaculum prolapso. Sic illa die evasit captivitatem Gelimer. At Belisarius insequi perseverans, ubi ad urbem maritimam Numidarum pervenit, decem dierum itinere à Carthagine, cui nomen Hippo regius, discit superato Papua monte Gelimerem effugisse Romanas manus. In ultima Numidia est is mons, abruptus plurimum, difficilique aditu ob circumdatas cautes. Habitant Mauri, gens barbara, amica tunc & fida Gelimeri. In monte extimo oppidum est antiquum, sed carens nomine, in quo cum comitibus Gelimer à malis suis respirabat. Belisarius itaque (neque enim tentare montis adscensum hyems, quæ jam aderat, permittebat, neque nutantibus adhuc rebus longe à Carthagine abscedere tutum) dilectos milites, Phara duce, obsidendo monti reliquit. Erat Pharas vir strenuus, magnæque

que diligentiæ ſpectatæque virtutis, quanquam Herulus gente. Eſt autem ut rarum ita ſumme laudabile ſi quis Herulus pro perfidia & vinolentia, gentilibus vitiis, honeſta induerit. Neque Pharas tantum æqui & modeſtiæ memor, ſed & qui ſecum erant Herulos exemplo in eadem traxerat. Hunc virum Beliſarius per hyemem adſidere montis pedi juſſerat, id ſollicite curantem, ne aut abire à monte poſſet Gelimer, aut neceſſaria eo portari. Exſequitur id Pharas. Beliſarius interim Vandalos, qui nobilitate & honoribus inter potiſſimos Hippone regio ad templa ſupplices fugerant, vitæ certos abduxit inde, & datis cuſtodibus miſit Carthaginem. Novi aliquid ei ſub id tempus evênit. Inter Gelimeris domeſticos Bonifacius erat Afer à Byzacio, fidus regi imprimis. Eum Gelimer circa belli initia celerrimæ navi impoſitum, quæ ſimul regiam gazam veheret, juſſerat Hippona regium, ſi res ipſi ſequius caderent, atque inde, cum opibus ſibi creditis in Hiſpaniam navigare ad Theudim Viſigotthorum principem, quod & ipſe ſibi perfugium, adverſante forte Vandalis belli fortuna, animo deſtinaverat. Manſerat Hippone regio Bonifacius quamdiu rebus Vandalorum ſpes aliqua ſupererat. Poſtquam vero in Tricamaro pugnatum, & alia quæ narravimus evenerant, velis factis navigaverat quo à Gelimere juſſus erat. Sed ventis pertinaciter adverſantibus nolens relatus eſt Hippona regium unde venerat. At in propinquo eſſe hoſtem intelligens multa precatus, multa pollicitus, urgebat nautas nihil operæ omitterent, quo in aliud littus aut inſulam perveniret. At cum nequirent, augeſcente quippe tempeſtate, qua Tyrrheni maris fluctus mirum quantum attolli ſolent, & Bonifacio & nautis incidit cogitatio, Deum Romanis opes illas donare cupientem non pati navem altum prehendere. vix

portu

portu egressi magno cum periculo navem anchoris advinciunt: mox ubi Hippona regium pervenerat Belisarius, mittit ad eum de suis Bonifacius, eosque in templo desidere jubet ac nuntiare, missos se à Bonifacio custode opum Gelimeris. Non dictum ubi esset, donec fide accepta certus fieret se pretium tantarum divitiarum quas traderet habiturum vitam & res suas salvas. Lætus hoc nuntio juramentum, ut petebatur, dedit Belisarius: perque familiares gazam Gelimeris accepit, Bonifacium vero dimisit rerum suarum compotem & eorum quæ ex Gelimeri possessis non pauca subduxerat. ut Carthaginem rediit, Vandalos omnes parat vere novo Byzantium mittere & recuperare armis, quæ Romanorum quondam imperii Vandalis etiam tunc tenebantur. In id Cyrillum multo cum milite Sardiniam petere jubet, Tzazonis caput ferentem. Namque ejus insulæ habitatores adduci facile haud poterant ut Romanas res sequerentur metu Vandalorum, & ne falsa essent quæ de eorum clade ad Tricamarum ferebantur. Eidem Cyrillo præceptum, partem quam ut exercitus in Corsicam mitteret, & hanc quoque Vandalorum exemtam imperio Romanis redderet. Cyrenus ei insulæ nomen vetus, situs Sardinia non longe. ille Tzazonis capite Sardis ostenso utramque insulam sub Romana tributa redegit. Interim Cæsaream Mauritaniæ mittitur à Belisario Iohannes, pedestres eo copias ducturus. triginta dierum itinere Carthagine distat homini celeri, Gades versus & Herculis columnas eunti, mari adsita, magna antiquitus & populo frequens. Alium Iohannem, suorum satellitum unum, ire jubet Belisarius ad Gaditanum fretum & Herculis columnarum alteram, Septam castellum inde non longe occupaturum. At in eas quæ à faucibus Oceani non ita multum abjacent insulas Ebusam, Majoricam, Minori-

noricam indigenæ vocant, ire jubetur Apollinaris. Is Italia ortus adoleſcens admodum in Africam venerat, multaque liberalitate Hilderichi, qui tum Vandalis imperabat, auctus, poſtquam is rex & dejectus imperio, & in vincula ut narravimus datus eſt, cum Afris aliis Hilderichi partium, ad Iuſtinianum Imperatorem ſupplex ſe contulerat. comes inde expeditionis in Gelimerem & Vandalos, fortem operam tum alibi, tum ad Tricamarum maxime navarat. Pro quibus meritis, quas dixi inſulas regendas ei dedit Beliſarius. Idem Tripolim exercitu miſſo ad ſublevandos Pudentium & Tattimuthem adverſus urgentes Mauros, Romanam potentiam ibi quoque reſtituit. Non idem in Sicilia ſucceſſus: rejecti quippe qui Lilybæi caſtellum inſeſſuri venerant, velut & illud Vandalici fuiſſet juris, negantibus id Gotthis, omnemque Siciliam ſuo juri vindicantibus. quibus auditis ad eos qui illis locis præerant ſcripſit Beliſarius: Lilybæum caſtellum Vandalorum, quos jure belli ſervos fecimus Imperatoris, cum nobis negatis, facitis quod iniquum eſt, & veſtro principi noxium, cui longe alia volenti Imperatorem, quantum in vobis eſt, hoſtem concitatis, quem ille ſibi amicum multis laboribus paravit. Nonne fas hominum violatis, qui Gelimeri permiſiſtis id habere caſtellum, Iuſtiniano autem domino facto Gelimeris rem ad ſervum ipſius pertinentem non conceditis? Ne quæſo: ſed cogitate amicitiam, dum manet, multis offenſarum cauſis velum oppandere: Inimicitiæ morem eſſe nec minima diſſimulare, ſed radicitus injurias exſequi, neque hoſtium ex alieno pati potentiam. etiam proavis erepta repetit: quod ſi auſis excidat, nihil ſui amiſit: ſi adſit fortuna, victos iniqua dedocet. Eligite ergo mali nec quicquam ultra facere nobis, nec à nobis pati. Nolite hoſtem Gotthico generi ſumere magnum Imperatorem,

torem, quo uti propitio optandum vobis. Pro certo habete, si hoc castellum retentatis, non de uno Lilybæo bellum fore sed de omnibus quæ non jure insidetis. Talis erat epistola, quam lectam Gotthi ad matrem Atalarichi cum retulissent, ab ea jussi, hunc in modum rescripserunt: Quæ nobis scripsisti, maxime Belisari, monita, per se sunt non mala, sed ad alios quosvis potius quam ad Gotthos pertinent. Nihil nos Iustiniani rerum possidemus. Absit nobis ea insania. Siciliam jure nostram dicimus. Ejus extimarum partium una est Lilybæi castellum. quod si Theuderichus, cum sororem in matrimonium Vandali regis collocaret, reditus ex hujus loci mercatu ei in dotem dedit, nihil inde vobis juris accessit. Æquum feceris, si eorum quæ vobis contradicimus disceptationem non ut hostis, sed ut amicus susceperis. Amicorum est arbitriis, hostium armis agere. Nos Iustiniano Imperatori permittimus ut, quod æquum ipsi & justum videbitur, judicet. Rogamus optima ei ut consulas, aut certe ut Imperatoris sententiam quam citissime cognoscamus. Is tenor erat literarum, quas scripserant Gotthi. quibus lectis rem Belisarius ad Imperatorem rejecit, continuitque se, donec, quæ ei placita, disceret. At Pharas hyberna obsidione fessus, nec spem videns eliciendi ad prælium Mauros, magno animo Papuam parat adscendere. bene armatis qui sequerentur, in superna molitur gradum. sed opponentibus se Mauris, quos juvabat loci præceps, facilis in enitentes noxa. cum Pharas vi contra tenderet, centum & decem suorum amisit: ipse cum cæteris repulsus, recepit se, neque ex eo, natura locorum obstante, adscensum tentavit. sed acribus custodiis sepsit montem, sperans fame exprimere deditionem: Itaque nec fugere inde quenquam, nec quicquam eo importari sivit. Inde Gelimeri, fratrumque liberis ac patrue-

truelibus ejus, quique aderant nobilibus, calamitas incidit, major quam quæ verbis poſſit exprimi. Vandalis gens vix ulla mollior, aut Mauris pauperior. Nam illi ex quo tenebant Africam, quotidie balneis uti ſoliti, menſas autem habere omnibus quæ terra quæque mare aleret inſtructiſſimas. Aurum in ornatu: Veſtis, Medica quam nunc ſericam vocant. In theatro, in circo ac ludicris, præcipue in venatibus plurimum vitæ. Non ſaltatores, non mimi aberant, quæque alia oblectandis oculis aut auribus luxus invênit. Habitabant fere omnes in hortis irriguis, omne genus arborum oſtentantibus. crebra convivia: multa Veneris licentia. contra Mauri per æſtatem, per hyemem, arctis in mapalibus vitam agunt. non inde ejiciunt ingeſtæ nives, non ſolis æſtus, non alia naturæ mala. Humi cubant felices ſe judicibus, ſi pellem habeant ſubſtratui. Nec veſtes mos temporibus mutare. Craſſa lacerna, tunica villoſa, perpetui indutus. Non panis, non vinum, non aliud ex humaniore victu. Tritico, arinca, hordeo, non cocto, non farinæ aut polentæ in modum, ſed ut nata ſunt, aliorum animantium exemplo, veſcuntur. Cum Mauris eo more viventibus Gelimer ejuſque comites morati diu, nec ſine dolore è ſueta mollitie in tantas ærumnas trajecti, poſtquam paulatim & neceſſaria defecerant, non ultra tolerare. præ his & mors ſuavis, & ſervire non fædum videbatur. quorum gnarus Pharas, hæc ad Gelimerem ſcribit. Sum barbarus & ipſe, neque ad literas, neque ad dicendum inſtitutione aut uſu comparatus. Sed quæ me hominem natum ſcire opus, rebus ipſis edoctus perſcribo. Quid te movit, mi Gelimer, ut & te & gentem tuam in tantum malorum gurgitem implicares? Ne ſervias, forte. Scilicet jactantiæ res eſt, tantique nomen libertatis, ut quavis miſeria emendum ſit. Non tu Mauris jam ſervire te ſentis, quibus, ut optima jam tibi proponas,
vitæ

vitæ eris debitor. At quis non malit inter Romanos egestatem cum servitute pati, quam Pappuæ & Mauris vel Imperare? Adeo tibi indignum videtur communem cum Belisario sortem pati? Nos quoque, Gelimer, magna orti domo Imperatori tanto obsequi etiam gloriæ ducimus. Iam & Iustiniano constitutum intelligo, te & senatui asscribere, & in eum qui summus est honorem patriciatus attollere: multis præterea terris, multis pecuniis munerari. hæc tibi paratum, fide quæ sanctissima, promittere Belisarium. Tu igitur quæ fortuna tulit adversa ut divinitus immissa, vales perpeti. quod si quis suadeat dura illa bono aliquo temperare, non id accipias volens? Nonne tam bona quam mala divinitus dari censes? contrarium ne stultissimo quidem in mentem venerit. An tibi merso calamitatibus ne prudentia quidem suppetit, ut solet desperatio attonitos homines etiam de statu mentis emovere? quod si manet tibi ratio, neque fortunæ irasci quam ea uti mavis, & utilia sumendi & mala fugiendi est tibi facultas. Non sine lacrymis hæc cum legisset, rescripsit Gelimer. Consilii tibi gratiam habeo. Hosti in me injurioso servire non tolerem: de quo ultionem sumere, si Deus faveat, velim. Quippe is non facto, non verbo à me læsus, belli sine causa in me movendi consilia cepit, immissoque nescio unde Belisario, in hæc me tristia conjecit. At & ipsi & homini & regi, qualis ego sum, non incredibile est accidere multa posse quæ nolit. Vltra quod scribam non habeo. abripit cogitationes fortunæ impetus. Vale mi Phara & tantum citharam, panem unum & spongiam mitte horum indigenti. Hæc ubi legerat Pharas hæsitavit diu ultimorum verborum sensum non assequens, donec idem qui tulerat explicavit: panis spectandi gustandique desiderium incessisse Gelimeri, quod ex quo Pappuam ascenderat nullum vidisset:

diſſet: ſpongiâ opus quod oculorum alter longa illuvie intumuiſſet. fidicen autem cum eſſet optimus, feciſſe eum carmen ad deflendam præſentem fortunam, quod lugubribus citharæ modis aptare vellet. Audierat hæc Pharas ac cum dolore humanas vices miſeratus paruit literis miſitque poſtulata. de cuſtodia interim adeo nihil remittens, ut etiam obſidionem intenderet. Ejus tertius jam finiebat menſis. Simulque exibat hyems, unde metus Gelimeri conjectanti, non diu impetum dilaturos obſeſſores. Iamque & puerorum ipſum ſanguine tangentium corpora pædore vermiculabantur. dolor ipſi undique, nec præter mortem quicquam in votis. duravit tamen tolerans, donec durum ſe objecit ſpectaculum. mulier Maura tritici pauxillum nacta, offulam ut faceret, in ferventem foci injecerat cinerem. Id enim Mauris eſt pro panis coctione: aſſidebant foco pueri duo, gravi inedia tentati: alter mulieris filius quæ offulam indiderat: alter fratre natus Gelimeris: avidi ambo rapere cibum ſimul coctus videretur. Feſtinantior occupavit Vandalus ferven ſque adhuc & obſitum cinere alimentum fame ſtimulante in os tulit. Alter capillis eum trahens, modo impingens alapas, modo tundens colaphis, vi multa coegit rejicere offam ex ipſis faucibus. Non tulit facti invidiam Gelimer, omnia quippe anxie obſervabat, fractuſque animo abrupta mora ſcribit ad Pharam. Si cui antehac evenit ut duriſſima perpeſſus, conſilia in contrarium flecteret, talem me Phara eſſe rere. Tua nunc mihi ſuccurrunt monita, quæ nolim ſpernere. neque enim ultra par ſum contra fortunam luctari, aut fato obniti; quo ducit, ſequor: Fidem tantum Beliſarii expecto, impleturum Imperatorem quæ ſignificabas. eam nactus me, propinquos, & qui mecum ſunt Vandalos dedam. Hæc literæ Gelimeris continebant. At Pharas & his & illis quas prius

inter ſe commutaverant literis ad Beliſarii perductis notitiam, ſcitatus eſt quid voluntatis ejus foret. Beliſarius quem magna tenebat cupido Gelimerem Imperatori vivum tradendi, lætatus perlectis literis, Cyprianum federatis præpoſitum Pappuam ire jubet comitibus additis : qui Gelimeri jusjurandum daret de vita ipſi ipſumque ſectantibus ſervanda : ipſi præterea honoratum apud Imperatorem locum reique nullius indigum fore. Vbi hi ad Pharam venere cum eo proceſſerunt ad locum qui eſt ſub montis radices. Advocatus eo venit Gelimer, fideque accepta ivit cum illis Carthaginem. Degebat forte in ſuburbano Beliſarius quod Acla vocant. ibi eum adiit Gelimer in riſum prorumpens fortem ac ſonorum. Spectantium multi triſtitiæ immenſo demotum eum de naturali ſtatu judicabant : ac more delirantium ſine cauſa in riſum diſſolvi. At qui eum norant interius, acris ingenii hominem, ajebant reputantem domo ſe natum regia, regni potitum, à prima ætate ad devexam uſque multa vi, multiſque pecuniis circumdatum, ſubito incidiſſe in fugam ac formidinem, ac poſt tot habitati Pappuæ mala, poſtremo captivum trahi, ſumma atque infima vitæ ſuæ curſu emenſum, proinde exiſtimare res humanas non alio quam riſu digniores. Sed de Gelimeris riſu judicet quiſque ut volet favens aut adverſus. Beliſarius indicio Imperatori facto, Carthaginem veniſſe captum Gelimerem, ut cum eo Byzantium proficiſci poſſet orabat, ipſum interim Vandaloſque alios in honorata habens cuſtodia & quæ opus erat ad navigationem parans. Multa in omni ævo ſupra ſpem evenere atque evenient quamdiu eædem vices res hominum verſabunt. Nam & quæ ratio deſperaverat, opere impleta ſunt : & quæ ſæpe tentata ad exitum perduci nequire apparuerat, aliquando ſucceſſum reperientia in ſtuporem homines dedere. An vero pares narratis

ratis modo rebus ullas tempora attulerint, cunctor dicere. Gizerichine abnepotem, regnumque divitiis & vi militum florens ab advenarum quinque millibus, quo appellerent non habentibus, tantillo tempore everſum? Neque enim major erat equitum numerus Beliſario, quorum manibus omne hoc bellum confectum eſt. id ſive fortuna ſive actum eſt virtute, ſubit utrumvis mirari. Ego unde abieram redeo. Sic quidem Vandalico bello finis erat impoſitus. At invidia magnis felicitatibus adhæreſcens, jam in Beliſarium, quanquam cauſas omnes ſollicite vitantem, parturire opera ſua cæperat, ducum nonnullis calumniam affectati Imperii in nihil tale meritum apud Imperatorem ſtruentibus. clam id habuit Imperator, ſpernens delata, quod ſic conducere arbitraretur. Sed miſſo Solomone liberum fecit Beliſario venire cum Gelimere, an eo miſſo in Africa adhuc vellet ſubſiſtere. At ille (neque enim ignorabat impactum ſibi à ducibus regni quæſiti crimen) Byzantium ire feſtinabat, tum purgandi ſui cauſa, tum ulciſcendi calumniatores. Quomodo autem ad criminationum notitiam pervenerit, jam pergo dicere. qui crimen illud confinxerant, metuentes ne mari forte obrutus literarum portator conſilia illorum diſturbaret, duobus exemplis perſcriptas literas duobus hominibus dedere, qui navibus ſingulis aulam peterent. Alter horum ignotus navigavit: alter ex ſuſpicione aliqua in Mandracio captus, traditis in eorum manum qui ſe ceperant literis, rem ſimul omnem patefecerat. Atque inde edoctus Beliſarius ad Imperatoris, ut diximus, conſpectum properabat. Quæ dum Carthagine aguntur, Mauri quibus in Byzacio quibuſque in Numidia ſedes, defectionem nulla de cauſa incipiunt, ſpretiſque federibus arma inferunt Romani imperii populis, nihil ea in re alienum facientes ſuis moribus, quippe ſueti nec

Deum nec homines vereri. non jurisjurandi ulla religio, non obsidum cura, etiamsi principum inter ipsos liberi sint aut fratres: nec quicquam apud illos aliud pax, quam hostium metus. Federa cum ipsis Belisario quod initium, quem finem habuerint memorabo. Vbi classem in Africam venire cognitum est, Mauri ne quid inde mali acciperent, timentes, muliebre responsum expetivere: neque enim mos vaticinari viros. feminæ sacrificio limfatæ canunt ventura: earum dictis eadem quæ priscis oraculis fides. Tunc, ut narratum, consulentibus, prædixere mulieres, ex aquis exercitum, excidium Vandalæ gentis, cladem Maurorum, ubi imberbis dux Romanis foret. His Mauri auditis postquam ex mari terram attigerat classis, perciti formidine, Vandalorum societatem abnuerunt: sed missis ad Belisarium legatis, pace, ut ante diximus, firmata, quærunt intenti quem exitum arma essent habitura. Collapsis Vandalorum rebus, misêre in castra Romana, visum ecquis in ducibus barba careret. ubi omnes conspexere barbatos, non in præsens sed in futuras ætates pertinere præsagium arbitrabantur, interpretationem quo optabant trahentes. statimque animus erat rumpere federa: sed terrebat Belisarii fama: qui donec adesset, de Romanis victoriam sperare non audebant. sed simul abire illum una cum satellitibus ac protectoribus, impleri his, nec minus Vandalis captivis naves audierant, sumtis repente armis, nulla vi in Afros abstinuere: milites enim pauci diversis in finibus, necdum parati satis ab iis quæ bello necessaria, incumbentibus undique barbaris obsistere non poterant, neque incursus crebros, sed furtivos, prohibere. Ita cæsi passim viri, mulieres puerique in servitium ducti, præda ab omni limite rapta, fuga undique ingens. Hæc Belisario jam naviganti nuntiata, reverti ipse non poterat: sed regendam Africam Solomoni

moni tradidit, attribuitque ei maximam partem ſatellitum ac profectorum, qui ſub ejus ductu pœnas de Mauris perduellibus, perpetratorum in Romanæ ditionis homines exigerent. Alium mox ei exercitum Imperator ſubmiſit, ſub Theodoro Cappadoce & Illigeri qui Antoninæ erat gener ejus quam in matrimonio habebat Beliſarius. Quia vero reperire non erat agrorum tributa in cenſualibus libris deſcripta ex veteri Romanorum inſtituto, ut quos regni initio corruperat aut confuderat Gizerichus, miſſi ab Imperatore Trypho & Euſtratius, ut cuique oneris quantum æquum eſſet, imperarent, ſed ea Afri prægravia nec ſe tolerando, querebantur. Byzantium cum Gelimere ac Vandalis ut venit Beliſarius, honores tulit quos veteres Romanorum duces qui maxime illuſtres laureas domum deportarant. Tranſierant anni prope ſexcenti, quod nemo ad id decus pervenerat, præter Titum, Trajanum alioſque in ſumma potentia barbarorum victores. Spolia enim captivoſque oſtentans media in urbe triumphum egit, hoc uno antiquis diſparem quod pedibus ivit ſua è domo in circum, atque inde eum in locum ubi ſolium eſt Imperatoris. In ſpoliis erant ea quibus ſolitum miniſtrari regi Vandalo, ſedes aureæ & pilenta quæ regiam matronam vectaverant, gemmarum præterea incredibilis ſplendor, ex auro pocula quæque alia regiæ menſæ oſtentamenta. Tum vero argenti centena aliquot millia pondo, pretiique ingentis alia, quæ Romano quondam Palatio direpto, ut ante meminimus, Gizerichus abſtulerat. In his & illa quæ captis olim Hieroſolymis Romam pertulerat Titus Veſpaſianus. Quæ ipſa Iudæus quidam conſpicatus, ut Imperatori familiarium cuidam adſtiterat: Hæc, inquit, in palatium Byzantinum inferri non ex uſu judicem. Neque enim fas ea alibi cerni, quam ubi ea Solomon Iudæorum rex rite

collocavit. neque aliam ob causam datum Gizericho spoliare Romæ palatium & Romanis res Vandalorum evertere. Tetigit ea res nuntiata animum Imperatoris, ita ut res illas sine mora deferri Hierosolyma juberet in ædem quæ ibi est Christianorum. Inter Marte captos ipse erat Gelimer, purpurea veste velatus humeros, & consanguinitas ejus tota, & qui Vandalorum procero aut pulchro corpore spectabiles. in circum ut venerat Gelimer, viditque in sublimi sede Imperatorem, & ad latera stantem populum, simul quo ipse venisset malorum considerans, neque ad lachrymas, neque ad lamenta prolapsus, tantum illud ex sacris Hebræorum literis protulit: Vanitas vanitatum, vanitas. Prope sedem ut ventum est, eum qui ducebant detracta purpura cogunt ad venerationem Imperatoris procumbere. Fecit idem Belisarius, velut consors supplici. Imperator Iustinianus & Theodora Augusta Hilderichi filios ac nepotes, Valentiniani sanguinem, egregiis opibus munerati sunt: & Gelimeri speciosa in Galatarum terris prædia dederunt, quæ cum propinquis habitaret. Patriciatus tamen dignitatem adeptus non est, quod ab Ario placitis nollet discedere. Non multo post Belisario quod ei ex veteri more ad triumphi speciem deerat accessit. consul enim factus, captivorum portatus humeris, curruique impositus, inde missilia sparsit in vulgus de Vandalorum spoliis. Plebs argentea vasa, Zonas aureas, multaque regii luxus instrumenta rapiens lætata est reddito per Belisarium antiqui consulatus spectaculo. Hæc tunc Byzantii agebantur. At in Africa exercitui præpositus Solomo rebellantibus ut diximus Mauris, incertis & aliorum animis, anxius hærebat quæ his malis remedia adferret. Nam in Byzacio quoque ac Numidia barbari, militibus interfectis, rapere omnia ac vastare ferebantur. Præ cæteris commovere ipsam totam-

totamque Carthaginem quæ Aïgani Maſſagetæ, quæque Rufino Thraci in Byzacio evenerant. Auctoritate valuerant ambo, tam in domo Beliſarii, quam apud exercitum: Aïgan in ſatellitio Beliſarii pugnare ſolitus, alter, ut animi vir ingentis, ducis ſignum ferre, quod munus obeuntem Romani bandophorum vocant. Hi duo illo tempore apud Byzacium equitatum regentes, cum à Mauris viderent prædas agi, ipſaque Afrorum corpora in ſervitutem trahi, anguſto in tranſitu cum dilectis ſuorum obſervant cuſtodes prædæ à Mauris additos, iiſque obtruncatis, quos illi captivos ſecum traxerant abducunt. fama poſtquam barbarorum principes contigit, Cuzinam, Eſdilaſam, Iuphruthen & Mediſiniſam non procul à dictis faucibus agentes, omnem feſtini exercitum inumbrante veſpera in Romanos rapiunt. Nequierunt ſe tutari Romani, pauci numero, arctis in locis oppreſſi à multis hoſtium millibus. quoquo ſe verterent, tergum vulnerabantur. Ibi cum paucis Rufinus & Aïgan in proximam rupem eniſi vim barbarorum à ſe arcebant. Qui quamdiu telis uti potuere, non auſi ad manus venire barbari, haſtis tantum eos impetebant. Poſtquam conſumpta Romanis tela, intulere ſe cominus Mauri: atque illi ſe gladiis, quantum poterant, tutabantur. ſed ſuperfuſi barbarorum ſunt multitudine. Aïgan totus fruſtratim conciſus, ibi jacuit. Rufinum captum abigebant milites: ſed principum unus Mediſiniſa metuens ne elapſus faceſſeret pericula, caput abſcidit, idque domum ferens oſtendit uxoribus tam magnitudine ſui quam multo capillitio inſigne. Quando ad Mauros nos hiſtoria deduxit, congruens nos exponere, unde orta gens in Africa ſedes fixerit. Quo tempore egreſſi Ægyptum Hebræi jam prope Palæſtinæ fines venerant, mortuus ibi Moſes vir ſapiens, dux itineris. Succeſſor imperii factus Ieſus Navæ fi-

væ filius intra Palæstinam duxit popularium agmen, & virtute usus supra humanum modum, terram occupavit gentibusque excisis urbes ditionis suæ fecit & invicti famam tulit. Maritima ora quæ à Sidone ad Ægypti limitem extenditur, nomen habebat Phœnices. rex unus imperabat ut omnes qui res Phœnicias scripsere consentiunt. In eo tractu numerosæ gentes erant, Gergesæi, Iebusæi, quosque aliis nominibus Hebræorum annales memorant. Hi homines ut impares se advenæ imperatori videre, derelicto patriæ solo ad finitimam primum venere Ægyptum. sed ibi capacem tantæ multitudinis locum non reperientes, erat enim Ægyptus jam ab antiquo fæcunda populis, in Africam profecti, multis conditis urbibus, omnem eam Herculis columnas usque, obtinuerunt: ubi ad meam ætatem sermone Phœnicio utentes habitant. Etiam in Numidia castellum posuere quo loco nunc urbs est dicta Tingis. Hic duæ stant è lapide candido columnæ propter magnum fontem, inscriptæ Phœnicias literas, quarum ex sermone Phœnicio hæc est interpretatio. Nos illi sumus qui prædonem effugimus Iesum Navæ filium. Antè aliæ colebant Africam gentes, quæ ob vetustatem habitationis terrigenæ nuncupantur. Inde est quod Antæus, qui Afrorum rex cum Hercule Clupeæ luctatus est, Terræ filius dicitur. secutis temporibus qui cum Didone Phœnicem reliquerant ad cognatos veteres Africam tenentes advenere, ab iisque permissi sunt Carthaginem condere & habitare. cum tempore processerunt Carthaginensium multitudo viresque. commisso cum finitimis, quos Palæstina egressos Maurosque vocari diximus, prælio Carthaginenses victores quam longissime eos ab urbe sua submoverunt. His omnibus validior armis Romana vis Mauros in extima Africæ redegit: Carthaginem Afrosque alios imposita tributi lege

lege ſibi ſubdidit. Propioribus ad noſtram ætatem temporibus Mauri, prælio ſuperatis non ſemel Vandalis, Mauritaniam quæ nunc dicitur à Gadibus Cæſaream uſque pertinentem, nec hanc tantum, ſed & extra eos fines Africæ partem magnam tenuere. ita ſe de Maurorum adventu proceſſibuſque in Africa res habet. Solomo intellectis quæ Rufino & Aïgani evenerant, bellum parans, interim hæc ſcripſit ad Maurorum principes. Accidit antehac aliis, ut & mala conſilia in mentem illis venirent, & poſt male verterent, nulla præ ſe ſigna habentibus quo exitura ipſis eſſet ſtultitia. At vos, quibus à vicinis Vandalis exemplum prope eſt, quid agitis quod magno Imperatori infertis arma, veſtramque ipſi ſalutem projicitis, idque cum & teſtes ſanctiſſimi jurisjurandi tabulas & filios veſtros dederitis pactorum obſides? An id vobis propoſitum, palam facere nec Dei, nec vitæ, nec veſtrarum neceſſitudinum, nec veſtri vobis, neque ullius denique rei eſſe curam? Atqui, ſi Deum eo loco ponitis, unde opem contra ſummam toto orbe potentiam ſperatis? ſi in pernitiem veſtræ prolis arma capitis, qui erunt, pro quibus pericula ſubeunda judicatis? quin ſi qua vos inceſſit improvide cæptorum pænitentia, ſcribite. Sin manet inſania, accipite à Romanis bellum, quæque federum juratorum ruptoribus, ſuæque ſobolis proditoribus debentur. Ad has Solomonis literas reſponderunt Mauri. Beliſarius nos pollicitando circumventos perpulit in obſequium Iuſtiniani Imperatoris. Deinde amicitiæ ac ſocietatis Romanæ pretium famem, adeo boni nihil accepimus. Quare ſi fidem mutavimus, voſmetipſos, non nos accuſate. Frangunt federa, non qui acceptas injurias palam dequeſti palam deficiunt, ſed qui ſub falſo federis nomine vim inferunt. ſic & Deum ſibi hoſtem conciunt, non qui, ut ſuis fruantur, armis

arcent externos: sed qui, dum aliena cupiscunt, utramque partem in belli pericula implicant. Pro liberis anxii estote, quos unius uxoris necessitas devinctos tenet. Nobis, quibus vel quinquaginta, si opus sit, patent conjugia, nunquam posteri deerunt. His lectis Solomo vi tota in Mauros certandum ratus, rebus Carthagine ordinatis, exercitum in Byzacium ducit. Vbi ad Mammæ regionem venit in qua Maurorum quos dixi principes castra habebant, vallum & ipse suis circumdat. montes ibi sunt in altum editi, ad quorum pedem æqua planities. in ea barbari promti prælio sic aciem struxere. orbe è camelis structo, qualem & Cabaoni structum pridem diximus, ordines eorum faciunt duodenos. mos illis feminas cum pueris nonnullas habere exercitus comites. Has in medium recipiunt locum, multum viris utiles. hæ plures singulis vallum ubi opus, hæ tabernacula struunt: equos eædem sedulo curant: pascunt camelos. quod ferri est in armis acuunt, magnoque ad bellicos labores sunt levamento. Ipsi pedites pone camelos stabant cum scutis ac gladiis & quas jaciebant hastis. Pars equestris seorsim in montibus quietam se tenebat. At Solomo partem illam orbis, montem quæ spectabat, reliquit liberam, nullo opposito milite, metu ne de monte descendentes qui superne erant; quique intra orbem erant convertentes sese, interceptos utrinque telis haberent obnoxios. Toto igitur in aversam à monte orbis partem directo exercitu, cum eum videret ex Aïganis ac Rufini casu nonnihil exterritum, his verbis animos ipsi ad audendum addidit. Ne quis vos, veteres Belisarii milites, ab his hominibus metus incessat, nec si quinquagena Maurorum millia Romanos quingentos obruerunt, id vobis in exemplum trahatur: Vestræ potius mementote virtutis, illud cogitantes, Mauros à Vandalis victos, à vobis nullo labore Vandalos. Æquum autem

autem non eſt, invalidiores ab iis metui, qui validioribus ſuperiores fuere. Iam Mauris communi omnium judicio nihil minus ad bella idoneum: nuda pleriſque corpora: ſcuta ſi quibus ſunt, brevia, facta imperitè, nec arcendis inſultibus. poſt jactas haſtas duas, ſi fefellerint, præter fugam nihil reliquum. eoque promtum vobis, primo barbarorum impetu declinato capere victoriam. Arma illorum & noſtra quantum intereſt? Accedunt ad hæc animus ad virtutem duratus, corporum vires, belli peritia, ex prioribus ſucceſſibus fiducia, pro nobis: Mauris contraria omnia, boni nihil præter numerum. Paucis autem bene paratis inſtructiſque ingentem quamvis, at inconditam bellique artium expertem multitudinem vincere, quam vinci facilius. Bono quippe militi ex ſe audacia: turbæ confiſos ſæpe anguſtiæ locorum eo redigunt, ut pro paucis ſint: Camelos iſtos quam libet ſpernere? qui nec prohibere hoſtem valent, &, ſi vulnerentur, ſtrepitu, metu, ordinumque diſſolutione turbant omnia. Favebit vobis & ipſe hoſtis impetus priori felicitate provocatus. Audacia enim, ſicut utilis eſſe poteſt, intra virium modum, ita ſi eum exeat, præcipites homines in pericula agit. Hæc ſi cogitaveritis, hoſtemque contempſeritis, rudem atque indigeſtam multitudinem ſilentio ac levi labore ſuperare dabitur. Talia fuere Solomonis verba. Nec ſegnes Mauri principes hortando & ipſi ſuis animos addere, quos videbant perculſos ad conſpectum tam bene ordinati hoſtilis exercitus. Romanis qualia cæteris hominibus eſſe corpora, ferro non impenetrabilia didicimus, commilites, cum his diebus primores eorum partim haſtis confoſſos proſtravimus, partim captos poteſtatis noſtræ fecimus. Tales cum noritis, videtis ſimul quantum hoc tempore numero præſtemus. Magna res certatur, Africæne omni imperemus, an illis

lis hominibus ipſi ſerviamus. Quare in præſens excitanda virtus. quibus enim cara omnia periclitantur, remiſſe agere noxium. Nec eſt quod illa vos armatura terreat. Id ipſum ſi pedibus in nos veniant, oneri erit, nec patietur Maurorum ab ipſis celeritatem æquari. equis ſi uti malint, eos in pavorem dabit camelorum inſuetus aſpectus, eorundemque barritus omnem militarem ſonum exſuperans turbabit, ut credibile eſt, imperia. Si quis de Vandalis victoriam reputans, invictos hoſtes exiſtimat, multum à vero aberrat. momenta belli in virtute ſunt ducis. Dux tunc fuit Beliſarius, tot proſperis cauſa, quem nunc favens nobis amovit Deus. Tum & nos ipſi, Vandalorum vi ſæpe aut fracta aut circumciſa, Romanis eos dedimus vinci faciliores. Quare & hos nobis ceſſuros certa ſpes eſt, ſi quid vobis eſt animi. His dictis Maurorum duces cæpere pugnam. Ac initio magna Romanis perturbatio inceſſit. equi primum camelorum viſu audituque attoniti excutere fræna, ac dejectis equitibus effuſo curſu fugere. Tum vero Mauri impreſſione facta, adactis quas manibus ferebant haſtis, tantum terroris intulerunt, ut ſoluta acie inultus miles feriretur. Queis Salomo conſpectis, ipſe ab equo deſiliens idem cæteros facere jubet; ac poſtquam deſcenderant, cæteris imperat, ut quieti prætentis ſcutis, tela reciperent hoſtilia, nihil ordinibus immutatis. Ipſe autem milites aſſumens quingentos, in partem facti ab hoſtibus orbis incumbit, ſtanteſque ibi camelos gladiis ad mortem fodi jubet. Fuſis qui extra erant Mauris, camelis deinde occiſis prope ducentis, ad interiora fit aditus Romanis, qui continuo meditullium invaſere, ubi Maurorum erant mulieres. Pavidi inde barbari in montem qui proximus, ſe ferunt. Sparſos fuga ac ſegreges inſecuti Romani, quot poſſunt, interficiunt. Decem millia Maurorum eo certamine occubuiſſe traduntur;

tur;

tur: muliebris turba in captivitatem acta est: itidem puerilis ætas: cameli quoque si qui superfuerant prædæ militi fuere. His cum spoliis Romani Carthaginem ibant, festos ibi ob victoriam dies acturi. At barbari magis accensi clade quam dejecti, nemine domi relicto, universi in Romanos iterum movent: Byzaciique agrum populantes, nulli sexui ætative parcunt. ingresso jam Carthaginem Solomoni novus barbarorum motus, provinciæque Byzacenæ vastitas nuntiatur, nec mora, it cum omni exercitu vindicatum. Vt Burgaona venit, ubi castra erant hostium, per dies aliquot & ipse sedit, tempus prælii exspectans, ubi se hostes in planum dedissent. At illis in monte se continentibus, quod poterat, prælio parabat exercebatque militem. Mauris vero constitutum neutiquam in æqua loca & pugnam descendere: tantus eos pavor invaserat: una in monte fiducia. Is pleraque arduus, cæterum qua Solem spectat orientem, accedi invius. pars sola quæ ad occasum pertinet supinior aditum admittebat. colles quoque juxta se attollebant duo, convallem in medio facientes arctam, sed multum in profundum demissam. Iugum montis barbari deseruerant, nihil inde metuentes hostile. reliquerant vacua & quæ ad pedem erant montis, qua eum parte adiri diximus. media tenebant, ut si pugnam inciperent hostes, de loco superiore in eos ingruerent telis. multi illis in monte equi erant, in utranque fortunam parati, seu fuga opus, seu fugientes insequi. Solomo, ut vidit hosti loca æqua ad prælium vitari, & Romanus miles desertis in locis moram trahere, fatigabatur, rem ad certamen deducere ipso in monte constituit. Sed observato exterritum militem tanto majore quam in priori prælio fuerat hominum numero, hunc in modum, concione advocata, ei malo mederi aggressus est. Vestri metus apud hostem milites, nullius

lius extra teſtimonio indiget. Satis ipſe ſe prodit. videtis tot hominum millia collecta undique vitare planitiem, ne manus conſerere nobiſcum cogantur. Nulla illis in ſemet, tota in loco fiducia: ideo perfugium invia quæſivere. ita ut vos adhortari ſupervacuum ſit. Nam quos res ipſa & hoſtium formido ad audendum impellit, ad eos, ni fallor, verborum ſuaſu nihil opus. Suffecerit moneri vos, ſi feliciter hoc prœlium transegerimus, reliquum eſſe nihil, niſi ut devictis Vandalis Mauris ſecutis Vandalorum fortunam, vos, ſine ulla hoſtis cogitatione, in poſterum Africæ bonis fruamini. Ne vero de ſublimi urgeant hoſtes, vobiſque loci poſitus noceat, ego providero. Dixerat Solomo, ſimulque Theodorum jubet excubitorum principem cum peditibus mille, ſigna ſecum aliquot habentem, die jam ad veſperam inclinante ire ortum verſus, ibique Burgaonem, qua erectus maxime & vix adiri patiens ſtat, furtim aſcendere. deinde ubi prope verticem veniſſet, ibi noctu quieſcere, poſtridie autem prima luce ex ipſo cacumine cum ſignis oſtendere ſe ſupra hoſtium capita, atque inde in eos dejicere tela. fecit imperata: multaque jam nocte qui cum eo erant per ardua prope ſummum eniſi ſunt, non Mauris tantum ſed & Romanis ignorantibus. Emiſſi enim erant tanquam exploraturi ne quod malorum inopinum in caſtra irrueret. Ipſo diluculo Solomo cum toto exercitu parte averſa in hoſtes ſcandit. mane procedente Mauri ut propinquum adeo ſibi videre hoſtem, nec ut ante nudum montis jugum, ſed viris ſigniſque Romanis refulgens (jam enim illuxerat) anxii hæſere. At ubi inſuper qui erant manus movere cæperunt, intellexeruntque Romani inde ſibi auxilium, Mauri autem medios inter hoſtes clauſos ſe teneri, vulnera utrinque, neque ea arcendi facultatem, non ultra hi vires ſuas reſpicere, ſed fugam

gam quam celerrime capere: cumque nec ad Burgaonis ſe jugum recipere poſſent, quod hoſtes tenebant, neque per montis pedem in plana degredi, oppoſita ibi maxima hoſtium vi, in convallem colliumque alterum curſum rapiunt, eques, pedes. Atque, ut fieri ſolet ubi ingens multitudo ingenti in motu ac trepidatione eſt, premendo alii alios enecabant: tum vero qui in vallem, ut diximus, profundam primi inciderant, moriebantur, inſequentibus ignaris ejus mali. At poſtquam acervo hominum equorumque aggerata vallis fuit, ex Burgaone ad collem alterum datus tranſitus multis fugientium ſalutem attulit, per ipſa interemptorum corpora gradientibus. Mauros hoc prælio interiiſſe ad quinquagena millia, ſuperſtites eorum affirmavere. Romanorum non modo nemo interiit, ſed nec vulnus accepit, nec ab hoſte nec caſu alio. adeo ſincerum illis fuit victoriæ hujus gaudium. Duces barbarorum evaſere omnes, demto Eſdelaſa, qui ſe fide accepta Romanis tradidit. Feminarum ac puerorum tantum in præda Romanis fuit, ut ovis pretio puer liceret. Tunc demum reliquiis Maurorum in mentem venit mulierum oraculum vetus, fore ut genti eorum ab imberbi homine excidium adventaret. Romanorum igitur exercitus cum præda atque Eſdelaſa Carthaginem iter cepit: Barbarorum qui cladi ſuperfuerant iis in Byzacio manere non placuit, ne paucos numero obruerent Afrorum finitimi. In Numidiam cum principibus iëre, ſupplices Iäbdæ facti, qui Auraſium habitantibus Mauris imperabat. Solus Maurorum Byzacium incoluit cum ſuis Antalas, qui fidus per hæc tempora Romanis, intactum malis ſe ac populares ſervavit. Dum iſta in Byzacio geruntur, Iäbdas interim, quem Mauris Auraſii præfuiſſe dixi, viros plus tricies mille ductans, militaris ætatis ac virium, omnes Numidiæ agros populabundus, plurimos

mos Afrorum captivos trahebat. in castellorum proximo, quod Centuriæ dicitur, præsidium agebat Althias. Is captivorum notos eripere hosti studens, cum Hunnis sibi parentibus, septuaginta admodum, castello exiit: secumque expenso, non posse tantillo cum numero in Maurorum turbam ingentem pugnari, arcta quærebat loca, per quæ iter facientibus hostibus captivos eriperet. Cumque nihil tale appareret, æquis circum spatiis camporum, hoc utitur commento. Tingis non longe erat, bene munitum oppidum, fontem habens egregium in angustiis. eum fontem antecapere laborat Althias, conjectans siti coactos hostes eo adventuros, id quod nulla in propinquo alia esset aqua. Insana videbatur cogitatio hæc militi, hostium multitudinem animo figuranti. At evenit ut Mauri partim per itineris laborem, partim per æstivi solis calorem contracta, ut fit, siti maxima, nihil mali suspicantes ad fontem currerent. Qui ubi insideri aquas ab hoste viderunt, stant diu anxii, magna jam virium parte absumta per potus inopiam ac desiderium. tandem collocutus cum Althia Iäbdas, tertiam prædæ partem promisit, ut Mauri bibere omnes sinerentur. Non accipit is conditionem, sed singulare cum ipso certamen poposcit. Accipiente provocationem Iäbda, convenit, ut si vinceretur Althias Mauris potandi esset copia. Lætabatur omne Maurorum agmen, plenum bonæ spei, quod Althias corpore erat gracili, nec magno satis, Iäbdas vero Mauros inter tam robore quam forma eminebat. Ambo in equis erant. Prior hastam emisit Iäbdas: quem in se venientem Althias tantum valuit ut dextera nihil minus exspectantem apprehenderet, læva interim, ut erat æquimanus, telum de arcu jaculans Iäbdæ equum interemit: Eo collapso, alterum duci suo equum adferunt Mauri: quo conscenso fugam arripuit ipse, secutique

exem-

exemplum Mauri confusim. Althias præda captivisque abductis magna ex eo fama per Africam egit. Hæc quidem illis in locis agebantur. Inter quæ Solomo, non multo tempore acto Carthagine, Aurasium versus montem in Iäbdan ducit exercitum, incusans eum quod occupato circa Byzacium Romano milite, Numidiæ complura loca populatus esset. vera erant. sed insuper in Iäbdan incitores Solomoni erant alii Maurorum principes duo, Massonas & Orthajas, propriis de causis inimici. Massonas, quod patrem ejus Iäbdas, quanquam affinem suum, interfecerat dolo, alter vero, quod idem cum Mastina (is in Mauritania barbaris præerat) ipsum ipsique subditos Mauros ejicere finibus avitis proposuerat: Romanus ergo exercitus, duce Solomone, & una quod Maurorum Romanis fidum, castra posuere ad Amigam flumen, quod Aurasium montem prælabens rigat vicina. Iäbdæ non ex usu visum apertis in campis certare prælio: in Aurasio se immuniit, qua is parte durissimus adeuntibus. A Carthagine abest is mons trium dierum itinere, montium qui noscuntur maximus. Tridui enim homini expedito iter circuitu patet: accessu difficilis atque horridus: in summum ubi veneris, effundit se in campos planities irrigua fontibus, amnes de se edentibus: hortorum mira amœnitas. Fruges ac poma dupla magnitudine quam in Africa omni. Sunt & castella, sed neglecta diu, quippe nullo usui credita habitantibus. Nam ex quo Aurasium Mauri abstulere Vandalis, nihil ibi metuerant. Etiam Tamugadin urbem, quæ monti ad ortum, quà campi incipiunt, objacet, populo quondam plenam, vastam fecerant Mauri, quin & solo æquaverant, ne hostes castris ponendis haberent locum, aut illecti opportunitate urbis ad montem propinquarent. Iidem qui montem Mauri, etiam ad occasum suppositam monti re-

gionem late patentem atque uberem tenebant. Longius alia Maurorum genera, queis Orthaïas præerat, quem Solomoni Romanisque socium venisse narravimus. ab ipso didici, ultra sui imperii fines vacuas hominibus in longum protendi terras: inde alias hominum feraces, quibus non ut Mauris cutis atra, sed candida corpora, rutilumque capillitium. Et hæc quidem de illis locis accepimus. At Solomo Maurorum auxiliis egregia dona largitus, hortatusque eos multa, omni cum exercitu Aurasium prælio paratus ascendit, sperans quippe eo sibi die pugnandi cum hoste copiam fore, fortunamque in utram vellet partem rem dijudicaturam. Parum enim alimentorum sibi & equis attulerant milites. difficili sterilique itinere quinquagena in diem stadia conficientes, noctu interquiescebant. sic die septimo locum advenere, in quo castellum vetus & perenne flumen. Clupeæ montem Latini vocant. ibi consedisse hostes fuerat nuntiatum. Vbi rebus bene exploratis nihil hostile apparuit, castris positis, ita ut prælio expedita haberentur omnia, triduum ibi permansum est. Ne tum quidem quicquam de hoste intellecto, cum jam deficere victus inciperet, suspicio Solomoni militique incidit, ne forte ficta Maurorum societas insidias occultaret. Nam cum nota ipsis essent longo usu Aurasii itinera, atque inde facile conjecturam capere de consiliis hostium, multa quotidie pollicebantur Romanis, sed speculatum missi sæpius nihil scitu dignum retulerant. quod eo factum opinabantur Romani, ne ipsi omnia edocti, majore parato commeatu Aurasium scanderent, quæque optima factu expedirent. Has sequius de sociis sentiendi causas augebat vetus fama de fluxa Maurorum fide, præsertim ubi Romanorum aliarumve gentium commilitio in Mauros alios bellandum sit. Inter tam tristes cogitationes,

pressi

pressi & fame, re infecta abire properant, in camposque subjacentes ubi venerant, vallum sibi circumdant. Post vero Solomo cum partem exercitus custodiendæ Numidiæ reliquisset, hyemante jam anno, Carthaginem cum cætero milite petiit. ibi cuncta cogitabat parabatque ut in ver novum majore vi, &, si posset, sine Mauris rursus Aurasium bello peteret. simul duces, exercitum, classem mittebat in Sardiniæ Mauros. Magna illa ac felix insula duplum ad Siciliam spatium obtinet. Viginti enim dierum cito homini iter ambitu suo facit: Romamque inter & Carthaginem media, vexatur à Mauris eam incolentibus. Irati enim quondam barbaris Vandali paucos cum uxoribus eo portatos insula clauserant. At illi processu temporis occupatis ad Caralim montibus furtiva primum in finitimos latrocinia exercuere. postquam ad ter mille excreverant, latere indignati, palam de vicinis prædas agebant, barbaricini ab indigenis dicti. In hos igitur Mauros classem Solomo ipsa hyeme struebat. Tales Africæ res erant. Non minora interim per Italiam agitabantur. Belisarius in gentem Gotthorum regemque eorum Theudatum missus erat ab Iustiniano Imperatore. Navibus in Siciliam vectus facile eam tenuit, quo autem modo, pòst explicabitur, ubi me ad Italicas res historia deduxerit: Neque enim incongruens arbitror, pertextis quæ in Africa evenere, post id narrationem ad Italiam & Gotthos vertere. Hyems ergo illa Belisario Syracusis, Solomoni Carthagine acta est: quo tempore hoc ostentum observatum est. Sol ad anni exitum, absque radiis, Lunæ in modum luxit, delinquenti similis, non purum exhibens nec quo solet aspici jubar. id ex quo apparuit, non bellum homines, non fames, non quæ alia mortem ferunt reliquere. Decimus is erat annus Iustiniano imperanti. Vere novo, quo tempore Pa-

ſchale feſtum Chriſtianis agere mos, ſeditio per Africam militibus inceſſit. Ea unde orta, quem ad finem proceſſerit, dicere jam aggredior. devictis prælio, ut ante narravi, Vandalis, uxores eorum ac filias Romani milites ſibi pro uxoribus habuere: Harum quæque viro auctor erat, ea rura invaderent quæ ipſarum juris ante fuerant. Indignum enim, ſi quæ Vandalis quondam nuptæ poſſediſſent, ea Vandalorum victores nactæ maritos, amitterent. His impleti animos milites, parere Solomoni nolebant, Vandalica prædia in fiſcum & Auguſtæ domus rationes referre cupienti. quod diceret, mancipia quidem & pecunias in prædam militi cedere haud abſonum vero: ac terras vero eſſe Imperatoris, reique Romanæ, quæ ipſos aleret militumque nomine ac honore ornaret; non in id ut ſua privatim facerent quæ Romani juris invaſoribus barbaris ademiſſent, ſed ut ea publico quærerent, unde & ipſis & aliis annona ſuppeteret. Ad hanc tumultus cauſam acceſſit & alia, quæ non minus priore, ſi non & validius, res Africæ turbavit. Erant in Romano exercitu Arii ſequentes placita milites non minus mille, barbari plerique, magna pars Heruli. Hos præcipue Vandalorum ſacerdotes ad res novas exſtimulabant. Neque enim licebat ipſis honorem de more Deo habere: ſacris ceremoniiſque omnibus arcebantur, quod haudquaquam permitteret Iuſtinianus Chriſtianum hominem non recta ſentientem baptiſmum alioſve ritus uſurpare. Maxime autem eos moverat Paſchatis ſolenne, quo nec infantes ſacro baptiſmo tingere, nec quicquam ejus temporis agere permittebantur. Et tanquam hæc non ſufficerent fortunæ Romanas res pervertere agitanti, ſupervenit & aliud ſeditioni incitandæ additamentum. Vandalos quos Byzantium perduxerat Beliſarius, in quinque turmas diſtributos Imperator voluerat vitæ reli-

reliquum per Orientis urbes explere: ideoque eos equites, vocatos de gente Vandalos, jusserat navibus in Orientem portari. Et venit illuc pars eorum maxima, digestaque in numeros, ut fuerat imperatum, in Persas militat. Quadringenti ferme, ut Lesbum attigerant, turgentibus velis coëgere nautas Peloponnesum appellere. Inde in Africam vecti, littus qua vacuum erat, attigere, navibusque ibi relictis, postquam vasa collegerant, Aurasium montem Mauritaniæque terras adveniunt. Hoc casu ferociores milites, quibus cordi seditio erat, crebriores inter se coierunt. sermones primum, mox & conjuratio in castris. ubi festum tempus advenerat, irritati prohibitu sacrorum Ariani, impellere alios. Placebat primoribus eorum in ipso templo die sacratarum prima, quæ Magna dicitur, occidi Solomonem. Latuit proditum à nemine consilium. cum enim multi essent, sæva meditantes animo, quanquam per complures circumlatus sermo in neminem aversantem inciderat quin & Solomonis satellitum ac protectorum deque domo ejus non pauci in seditionem assenserant, agrorum cupiditate. Vbi condicta venerat dies, consederat in templo magnis malis proximus Solomo. Accessere qui eum occidendum sumserant, jamque per nutus signo inter se dato, moverant enses. Nihil tamen effecere, sive sacra quæ tum agebantur venerationem sive clara viri fama pudorem incusserant, sive divina providentia intercessit. Postquam autem peractis ejus diei sacris domum quisque revenerant, ibi alii aliorum mollitiem incusare, ac eadem in postera die cudere consilia. verum & ea die sospites in templum cum venissent, exiere infecta re, in forumque congressi, apertis conviciis inter se certarunt, alter alterum segnem sociorumque proditorem vocantes, præcipueque exprobrantes obsessos animos Solo-

monis reverentia. Nec tutam ſibi amplius moram Carthagine rati, evulgato arcano, quidam quam primum relicta urbe, villas & arva populabantur, hoſtes Afris quotquot invenerant: Alii in urbe hærentes, diſſimulando participes ſe fuiſſe conjurationis, ſilentio quærebant impunitatem. At Solomo auditis quæ per agros à militibus cæptabantur, multum periculi videns, non deſtitit iis qui in urbe erant clementiam Imperatoris oſtentare. Et videbantur initio non aſpernari ſermonem. At die quinto cum eos qui extra urbem erant pro lubidine agere omnia comperiſſent, in circum collecti probra in Solomonem rectoreſque alios aperta jaciunt. miſſu Solomonis Theodorus Cappadox mitigare animos oratione aggreditur, nihil audientes: occulta ſimultas Theodoro cum Solomone erat, & quædam inſidiarum illius in hunc ſuſpicio. ob id ingenti clamore, exuto jam obſequio, miles Theodorum ducem pronuntiat: armiſque eum cingens properat ad Palatium. ibi alium Theodorum, qui excubiis præerat occidunt, eximiæ virtutis virum & bello valde utilem. Hac cæde imbuti, addunt alias, non Afri, non Romani diſcrimine, maxime ſi quem Solomoni carum aut pecuniis divitem credebant. Inde ad prædam verſi, intratis domibus, niſi quas ſanior miles tuebatur, pretioſa quæque rapiunt, donec nox temulenta finem labori attulit. In magnum templum quod in Palatio eſt clam fugerat Solomo, quo & Martinus ſub veſperam venit. in ſoporem jam datis qui res moverant, ambo è templo in ædes veniunt Cappadocis illius Theodori: qui recuſantibus inſtare non deſtitit, donec ut cænarent efficeret. cænatos ad portum deduxit impoſuitque in lembum qui tum forte Martino paratus fuerat. Sequebantur Procopius qui hæc ſcripſit & è Solomonis domo quinque. confectis ſtadiis ferme trecentis venere

Miſ-

Missuam, quod Carthaginensium est navale. simul in tuto se viderant, jussit Solomo Martinum in Numidiam ire ad Valerianum & qui cum illo erant militum rectores, ac dare operam si quos haberent militum notos sibi, largiendo aliisque modis in obsequium Imperatoris reducerent. Theodoro scripsit, Carthaginem ut servaret, & cætera quantum res ferret optime moderaretur. Ipse cum Procopio Syracusas it ad Belisarium eique per Africam acta memorat, obsecrans quam celerrime iret Carthaginem, neque tam scelerata militum adversus Imperatorem ausa inulta pateretur. Hæ curæ erant Solomonis. At qui magis magisque efferabantur milites, raptis Carthagine quæ libuerat, congregati in Bulæ campum Stotzam è satellitibus unum caput sibi faciunt, acrem ac ferocem virum, ut, exactis quos Imperator dederat ducibus, Africæ omni dominarentur. Ille octo millia in exercitus speciem componens, in Carthaginem ducebat, facile eam, ut spes erat, subacturus. misit & ad Vandalos tum qui Byzantio navibus aufugerant, tum qui Belisarium secuti non erant, seu quod laterent, seu quod à conquisitoribus non tanti putarentur. mille admodum erant, qui sine mora castris Stotzæ se adjunxerunt. advenere & servitia. Vt Carthaginem propinquatum est, mittit qui deditionem postularent, ut mala civitati imminentia vitarent. Respondere non consultato & Carthaginenses & Theodorus, Imperatori urbem servari. legatoque ad Stotzam Iosephio (is custodum Imperatoris nobilis scriba & de Belisarii domo ob negotia Carthaginem missus fuerat) orant ne ultra molestus ipsis esset. Stotza id ubi audierat & Iosephium occidit, & ad obsidionem se comparat. His exterriti Carthaginenses in animo habebant seque & urbem sub pactis Stotzæ permittere. Talia militi per Africam agebantur. At Belisarius è satelli-

 telli-

tellitibus ac protectoribus centum assumtis, simulque Solomone, una nave circa primam facem Carthaginem proficiscitur, cum postridie sibi urbem traditum iri obsessores crederent, inque eam spem intenti noctem agerent insomnem. Vbi illuxit, intellectusque adesse Belisarius, deserta obsidione, incompositi turpem capessunt fugam. Ex his bis mille Belisarius verbis donisque mulcens in fidem restituit, insecutusque cæteros deprehendit ad Membrissam oppidum, quod stadia trecenta & quinquaginta abest Carthagine. ibi castris pars utraque positis prælium adornabat. vallum Belisario ad Bagradam flumen positum: illi in loco sublimi nec ad accessum prono metabantur. oppidum neutri sibi sumserant, ideo quod mænibus careret. Postera die ad pugnam constitere, fisi turba Stotzæ milites: Belisarius autem suo cum exercitu spernentes hostem vecordem atque impatientem regi. idque amplius etiam infigere suorum mentibus volens Belisarius convocatos sic affatur. Spe quidem votoque pejus se res Romanæ & Imperatoris habent, commilites. In prælium accingimur, de quo victoriam nisi luctuosam sperare non possumus, armati in consanguineos & contubernales. Hoc malæ sortis solatium est, quod non à nobis cæpit dissidium, sed arcendam ad vim in pericula trudimur. Quicunque enim amicitiam perfidia, pravisque facinoribus jus sanguinis diffuit, is, si quid ei eveniat, non ab amicis interfici censendus est, sed ut pessimus hostis pænas pendere iis quos læsit debitas. Hos quibuscum pugnaturi sumus, & hostes esse & barbaros, & si quid pejus dici potest, non Africa tantum testatur, vastata illorum rapinis, & Afri contra fas trucidati, sed magna Romanorum militum multitudo, quos illi non odio, sed libidine, crudeli exitio dare sustinuerunt, unius criminis reos, quod fidem in Romanum

manum Imperium ſervaſſent. His ultores venimus, illis facti alieni, amicis quondam. Quippe natura homines hominibus neque addicti neque infeſti ſunt. Facta cujuſque aut connexu ſocietatem, aut diverſitate inimicitiam provocantia, alios nobis caros, alios exoſos faciunt. Ire igitur nos adverſum impios ac perduelles ſatis demonſtratum eſto: ſupereſt ut & contemnendos oſtendam. ab hominum turba qui non lege ac moribus, ſed ad injurias coiere, fortia facta quis exſpectet? Neque enim pati poteſt virtus cum ſceleribus habitare: longe à ſe improbos ſpernit. Sed neque diſciplinam hi ſervabunt, neque Stotzæ dictis parentes erunt. Novam enim dominationem, nondum audendi jus conſecutam, à vulgo contemni neceſſe eſt. Neque enim aut caritate honorem aſſequitur, per ſe odioſa: neque metu tenet ſubditos, non habens ipſa præ formidine imperandi fiduciam. Faciles autem vinci, quibus imperium & virtus abeſt. quare magno animo, ut in nihili homines, eundum eſt. non enim pugnantium numero, ſed diſciplina ac fortitudine bellica vis metienda. Hæc erant Beliſarii hortamenta. Ex adverſo Stotzæ ad ſuos talia: Vos qui mecum Romanam ſervitutem exuiſtis, ne recuſate oppetere mortem pro libertate, quæ vobis virili animo egregiis cum laudibus parta eſt. Neque enim tam grave eſt cum ſuis malis ſeneſcentem mori, quam in ærumnas ſemel vitatas recidere. medium enim tempus guſtatæ felicitatis haud mirum eſt, ſi minus tolerabilem calamitatem facit. Hæc cum ſic ſe habeant, id vos præcipue velim meminiſſe, cum veſtris manibus victi ſint Vandali primum, deinde & Mauri, labores vobis obtigiſſe, prædam & commoda aliis. Tum illud ſimul cogitate, milites cum ſitis, omne ævum vobis inter belli pericula tranſigendum, aut pro Imperatore, ſi veterem ſervitutem denuo in vos reci-

 pitis,

pitis, aut pro vobis ipsis, si libertatem arreptam retinetis. Vtrum horum cunque melius existimabitis, ejus datur optio, prout vobis aut timidis nunc esse aut fortibus libebit. Nec illud ignorandum, captis semel in Romanos armis, si sub ipsorum imperia reditis, imminere vobis dominos neutiquam æquos, neutiquam misericordes: crudelissima patiemini, &, quod ad mala accedet, merito vestro. At hoc in loco si cui mors eveniet, eveniet gloriosa: victoribus vita libera ac opulenta: victis acerba, &, ne peiora ominer, spes omnes in illorum miseratione positas habens. congrediemur minime æquis viribus. Numero multum superantur hostes, & in nos trahuntur magis quam veniunt, sibi si relinquantur, optaturi haud dubie partem in communi nobiscum libertate. Talis erat Stotzæ oratio. cum in pugnam processum utrinque esset, ventus vehemens exortus est, ora Stotzæ militum feriens: unde noxium sibi existimarunt prælium eo in loco incipere, id maxime timentes ne violentior ventus hostilia tela in ipsos dirigeret, suorum autem vim retunderet. mutantes igitur locum ibant in obliquum. ita sperabant hostibus, si & ipsi, ut credibile erat, ne à tergo circumvenirentur, mutassent locum, ex adverso ventum fore. At Belisarius ut eos sine arte solutisque ordinibus circumferri vidit, rem illico ad manus deduci jubet. Inopinum id adeo Stotzæ militibus accidit, ut exterriti sparsique sibi quisque fugam quærerent. Sed in Numidiam ut pervenerant, recollegerunt se, paucis in illo conflictu amissis, iisque magnam partem Vandalis. Persecutus enim eos non erat Belisarius pro modico exercitu satis habens hostes & vicisse & longe amovisse. Castra autem hostium diripienda militi dedit, qui viris vacantia intravere. Multæ ibi pecuniæ repertæ sunt, multæ & feminæ, quarum ergo susceptum hoc bellum fuerat. His rebus actis Belisarius

lisarius Carthaginem rediit: ubi ei ex Sicilia venit nuntius, seditione militum ea insulá agentium metui res novas, ni ipse repentino adventu prohiberet. ordinatis igitur, quantum tempora ferebant, Africæ rebus, Carthagine vero Ildigeri permissa ac Theodoro, Siciliam abiit. At in Numidia Romanorum præfecti, ubi Stotzam restituto agmine ad se venire intelligunt, prælio se parant. Federatis præerant Marcellus & Cyrillus: equitem Barbatus regebat: peditem Terentius & Rarapis: sed ita ut summum in omnes esset Marcelli imperium, quippe Numidiæ curandæ impositi. Is postquam in Gazophylis, loco bidui iter distante à Constantina, cum non ita multis suorum esse Stotzam comperit, antevertere eum cupiens priusquam omnem militem colligeret, citus in eum ducit. postquam propinqui inter se fuere exercitus, nec aliud quam prœlium exspectabatur, procedens Stotza partis adversæ milites sic alloquitur. Inique agitis, commilites, qui in populares sociosque vestros infesto venitis exercitu, armaque in eos fertis, qui vestris miseriis inclementibusque in vos imperiis commoti bellum in Imperatorem ejúsque sectam sequentes sumsimus. Adeone excidit, fraudatos vos debitis stipendiis, præterea hostium spoliis, quæ militarium periculorum præmia esse lex belli vult? Itaque alii victoriæ bonis per omnem vitam ad luxum abuti, sibi vindicarunt. vos eos, ut vilia mancipia, sequimini. Si ob hæc mihi succensetis, licet vobis in hoc corpore iras satiare, neque in alios piaculum committere; sin quod irascamini nihil est, monet tempus ipsi pro vobis ut arma capiatis. Probabant Stotzæ verba Romani milites, multoque favore excipiebant. Quo notato duces silentio se subduxere, confugientes ad id quod in Gazophylis erat templum. Sed junctis exercitibus validus eoque trux Stotza in eos it, inque templo repertos, cum
fide

fide ſalutis data eduxiſſet, contra fidem trucidat. Imperator hæc ubi audierat, Germanum, conſobrinum ſuum, patriciæ dignitatis miſit cum paucis, quos inter & Symmachus & Domnicus erant, ſenatores ambo, ille præfectorius & magiſtri militum titulo erogationes curaturus, legionibus præfuturus alter, Iohanne per morbum exſtincto qui eum honorem fungebatur. Poſtquam Carthaginem ventum eſt & militem recenſuit, adhibitis & ſcribarum commentariis, quibus numeri omnes ac nomina continebantur, reperit tertiam eorum qui fuerant partem Carthagine aliiſque in oppidis reſtare: cæteros omnes ſub Stotza adverſa Romanis arma ſumpſiſſe. ob id prælio abſtinuit, exercitui curando intentus: & conjectans, quod res erat, eorum qui deſciverant propinquos & veteres contubernales eſſe Carthagine, multa illis grata dixit: miſſum ſe ab Imperatore in Africam ut fidos milites tutaretur, vindicaret in eos à quibus inciperet injuria. quibus ad ſe nuntiatis fuêre è defectoribus qui alii poſt alios redirent. Eos Germanus benigne excepit urbe, ac fide data inſuper in honore habuit, perſolutis etiam ejus temporis ſtipendiis quo adverſus Rempublicam militaverant: quæ fama ubi ad cæteros pervaſit, plures indies deſerto Stotza Carthaginem adventabant. Ex eo jam pares hoſti vires ſuas Germanus exiſtimans cuncta ad prælium componebat. Senſerat malum Stotza, metuenſque ne pluribus transfugiis minor ac minor ipſi fieret exercitus, rem & ipſe in diſcrimen dare & celeritate uti ſtatuit. Neque enim ſpes aberat, poſſe & eos qui Carthagine erant ad ſe tranſduci, ſi in conſpectum ipſis veniſſet, eaque ſpe vulgata ſuorum animos confirmans, rapido agmine petit Carthaginem. Triginta & quinque ſtadia ab urbe cum abeſſet, mari non longe poſuit caſtra. Neque ſegnior Germanus armare ſuos & ad pugnam

gnam instruere. quos ubi extra urbem eduxerat, haud ignarus eorum quæ Stotzæ agitabantur, sic concionabundus alloquitur. Nihil esse quod de Imperatore queramini, aut ejus in vos facta accusetis, scitis ipsi milites, nec quenquam contradicturum arbitror: Ille est qui vos peram habentes & tunicam ex agris in urbem regiam perductos tales effecit, ut res Romanorum in vestris sint manibus. Pro hoc merito indigne ipsum contumelioseque habitum, nec id ignoratis. Ea commissa quo vos melius meminissetis, ipse condonavit, pro tali clementia non aliam gratiam exigens, quam anteacti pudorem. Hoc magistro fidem vos denuo addiscere par est, & priorem vecordiam bonis factis redimere. matura enim errorum pœnitentia placat læsos, & præstitum in tempore officium delet ingrati animi notam. Id pro certo habetote, si nunc vos Imperatoris amantes præstabitis, nihil mansurum offensæ. Solet enim omnis actio ab exitu æstimationem nomenque accipere. Quod perperam actum est, id nullo tempore infectum fiat: sed compensatum factis eorundem hominum melioribus per honestum silentium ad oblivionem deduci solet. Quod si nunc in hos sceleratos segniter agitis, etiamsi in posterum maxima bella ex usu gloriaque Romani nominis confeceritis, non æque erga Imperatorem officium explesse videbimini. optima purgatio est, in qua peccaveris materia, in eadem præclara facta edere. Et hæc quidem Imperatorem quod attinet, cogitanda vobis relinquo. Ego vero nulla in vos injuria, contra omni benevolentia usus, nunc in hoc vobis conjunctus periculo, unum rogatos volo. Nemo invitus nobiscum militet. Si cui ista magis cordi sunt, transeat cum armis in hostium castra, hoc unum nobis præstans, ne clam, sed aperte in nos sit injurius. Ideo non Carthagine, sed in hostis conspectu verba ad vos facere volui,

lui, ne quem transfugere cupientem retinerem. En tutum vobis quo in Rempublicam ſitis animo oſtendere. Hæc ubi dixerat Germanus, perſtrepere Romana acies, dum pro ſe quiſque Imperatoris caritatem, vultu, geſtu, jurejurando ſanctiſſimo affirmat. Aliquamdiu contrarii inter ſe moram fecere exercitus. At defectores, ubi Stotzæ prædicta vident non procedere, ſpe irrita in metum verſa, ſolutis ordinibus diſcedunt Numidiam verſus, ubi mulieres & prædam reliquerant. Eodem nihil cunctatus venit cum exercitu Germanus, tum cætero paratu egregio, tum currus plurimos ſecum trahens: repertoque hoſte in loco quem Scalas veteres Romani vocant, hunc in modum ordinavit aciem. currus conſertim locavit & ante eos pedites, Domnico regente, quo terga tuti audentiores eſſent. Ad lævam ipſe cum lectis equitum & quos comites Byzantio adduxerat. reliquo militi datum cornu dextrum, non conglobato, ſed in partes diſtributo tres, quarum primam Ildiger, alteram Cappadox Theodorus, tertiam, quæ maxima, ductabat Iohannes Pappi fratrum quartus naſcendi ordine. Talis erat forma aciei Romanæ. contra ſtetere defectores, verum non ex arte compoſiti, ſed ſparſi magis barbarum in morem. Non longe eos ſequebantur multa Maurorum millia, quibus tum alii tum Iabdas & Ortaias imperabant. Hi non omnes fidi Stotzæ erant: ſed multi, miſſis ſuorum ad Germanum, polliciti fuerant, ubi ad rem ventum eſſet, ſe arma cum Romanis in perduelles verſuros. Neque tamen omnino credebat illis Germanus, ob inſitam Mauris in omne externum perfidiam. Et ſane ſeorſim à defectoribus ſtruxerant aciem, ac pone ſe tenebant, non alio conſilio, quam ut fortunam partium ſpeculantes, atque ei dantes ſe, conjunctim cum victoribus in victos incumberent. hic erat animus, cur impermixti Stotzæ militi-

bus

bus ex intervallo eos ſequerentur. Stotzas vero ut ad hoſtes proxime venit, viditque Germani ſignum, hortamentis ad ſuos pro tempore uſus in hoſtem ferebatur. ſed qui cum eo erant Herulorum non ſequi modo cunctabantur, ſed omni modo conſilium illud diſſuadebant, quod dicerent, ſibi quidem Germani vires non eſſe percognitas: cæterum pro comperto ſe habere, qui in dextro eſſent hoſtium cornu impetum, ſi in ipſos fiat, non toleraturos, quin & ex eorum fuga perturbari poſſe reliquum exercitum. contra ſi ab ea parte in qua Germanus ipſe curabat inſultus repelleretur, iis qui cum Stotza certam imminere pernitiem. motus his Stotza in Germanum quidem alios immittit: ipſe autem quod erat roboris in Iohannem eique attributos milites rapit: qui vim non ſuſtinentes, neque diſciplinæ neque pudoris memores, in fugam ſe dant: fuſos, captis & ſignis, inſequuntur defectores: pars eorum in legiones invadunt: Et hi cæperant ordines diſſolvere, cum educto enſe Germanus, cæteriſque circum ſe idem faciendi auctor, magno labore ſibi oppoſitos pepulit. inde curſu ipſum in Stotzam fertur. cumque ei ſe conjunxiſſent qui cum Ildigere ac Theodoro erant, ita permixti ſunt hoſtes hoſtibus, ut defectorum multi dum à ſe fuſos inſequuntur à ſociis ſuis ignaris intercepti peremptique ſint. cumque magis & magis inter ſe confuſi implicarentur, Germanus nonnihil ceſſim iit, inde incubuit acrius. At defectores metu augeſcente, non ultra ſpem in manibus habere. Sed manebant indiſcreti, non ſuis, non hoſtibus noti: quippe ſonus linguæ unus, paria arma, non vultus, non ſpecies ulla alia quæ diſtingueret. ob id Germani juſſu qui Imperatori militabant eos in quos inciderant interrogabant eſſentne de Germani exercitu. & ſi affirmarent, ſignum militiæ ex more dicere jubebantur: qui dicere nequiret, ſine mora interficie-

ficiebatur. Inter hos actus equum, cui Germanus insidebat, clam hostium quidam conficit, labensque humi Germanus in periculo erat, ni propere satellites subvenissent, cinctumque armis alteri imposuissent equo. in hoc tumultu, Stotzæ paucisque cum eo effugium fuit. Germanus incensis suorum animis in castra hostium vadit. obstitere ii defectorum quibus valli custodia obtigerat. Acris ibi pugna, parumque abfuit quin oppugnatores pellerentur. Sed Germanus è comitatu suo misit qui aliam castrorum partem assilirent. ubi, nemine defensante, facile penetratum. Eoque conspecto versi in fugam defectores: omnique cum exercitu castra ingressus est Germanus. Irruens in paratam prædam miles, non ducis imperia, non hostium reliquias curabat. tanta erat pecuniæ sitis. propterea metuens Germanus ne recollectus hostis damnum daret, ipse cum paucis in aditu castrorum stetit, multa obtestans, diuque surdos ad obsequium revocans. nacti suum tempus Mauri fugientes defectores & ipsi insequebantur, seque cum Imperatoris milite ad diripienda victæ partis castra conjungebant. At Stotza primum in Mauris spem repositam habens, ad eos se conferebat, retentaturus belli fortunam. Verum compertis quæ ab ipsis agebantur vix centum suorum comitantibus evasit periculum: Iterumque non pauci ad eum se aggregantes, manus cum hoste conferre ausi sunt. Sed acrius etiam quam ante repulsi, ad Germanum transiere omnes. Ita Stotza solus, paucis tantum cum Vandalis, ad gentem Maurorum se recepit, ibique ducta in matrimonium principis filia hæsit. is ejus seditionis fuit exitus. In Theodori Cappadocis satellitibus homo erat pravi animi, Maximinus nomine. Is milites clam conjuratos secum multos habens sibi dominationem parabat, pluresque sibi volens adjungere, consilii & alios participes

fece-

fecerat, & Asclepiaden, ortu Palæstinum, domo nobilem, Theodoro intimum inter primos. Asclepiades re cum Theodoro communicata, mox omne negotium Germano enuntiat: qui cum rebus adhuc nutantibus novos ciere motus nollet, beneficiis virum quam pœnis aggredi statuit, ac jurisjurandi eum religione obstringere ad fidem Imperio Romano servandam. Mos erat vetus Romanis ut satelles virorum principum nemini quisquam fieret, nisi gravissimis exsecrationibus se & illi & Imperatori devovisset. Accitum igitur Maximinum virtutisque ergo laudatum inter satellites alligit. lætatus eo honore (est enim magnus apud Romanos) tanto sibi promtius processura destinata existimavit. Itaque & jurisjurandi verba dixit, & postquam admissus fuit nihil minus curavit quam stare juratis, intentus semper in spem concupitæ potentiæ. Agebat festum diem civitas, multique è Maximini factione sub prandii tempus in palatium venerant munus suum functuri. Germanus eo tempore familiares suos epulis excipiebat, adstante inter satellites Maximino. ut potari cæptum largius, intrat qui Germano nuntiat, milites satis multos nulla cum reverentia ad fores stare & longi temporis æra poscere sibi publicitus debita. Ille fidissimis satellitum imperat Maximinum ut custodirent, eo astu, ne id agi ipse sentiret. Qui Maximino studebant milites, minaci tumultu in Circum procurrunt, ac brevi qui ejusdem consilii participes erant alii è domibus eodem se ferebant. quod si coire factio tota potuisset, vix, credo, fuisset eorum conatus reprimendi facultas. Nunc antevenit Germanus, missis in eos militibus quos Imperatori sibique bene velle noverat, dum adhuc ex Maximini parte plurimi desiderabantur. Illi qui coierant ab his quos Germanus miserat ferro se peti prius quam crediderant sensere: cumque non appareret

Maximinus, dux ad pericula ſperatus, nec is ipſorum eſſet numerus, quem conventurum animo præceperant, vi præterea inopina ſuperfuſi, & ob id ipſum contemti, non difficulter prælio victi, inque fædam alii aliorſum fugam acti ſunt. multi occiſi, nec pauci ad Germanum vivi perducti ſunt. Quibus vero ad Circum perveniendi tempus interclusum fuerat, ſociata cum Maximino conſilia ſilentio vultuque compoſito premebant. Neque Germanus inquiſivit, id tantum ſciſcitans, perſtitiſſetne in propoſito inſidiarum Maximinus ex quo ipſi juraverat. Evicto per teſtes, acrius eum urſiſſe deſtinata poſtquam inter ſatellites lectus fuerat, proxime Carthaginis mœnia patibulo eum ſuffixit: atque ita novæ ſeditionis impetum diſcuſſit. Hunc finem Maximini tentamenta habuerunt. Advocato ad ſe Germano, ſimulque Symmacho & Domnico Imperator, ſummam Africæ iterum Solomoni permiſit, decimum tertium jam annum Imperii agens. Exercitum ei mandavit, duceſque addidit tum alios tum præcipuos Rufinum & Leontium filium Zanæ, nepotem Phareſmanæ, Iohannemque Siſinnioli filium. Nam Martinus & Valerianus jam ante Byzantium revocati ierant. Solomo Carthaginem ut venit, liberatum ſe gaudens à Stotzanæ ſeditionis metu, comem ſe præbuit, Africæ interim cuſtodiendæ vigil, ordinandæque militiæ. Si quos ſuſpectos habebat, Byzantium & ad Beliſarium mittebat, ſupplens vacua novis dilectibus: Vandalorum autem reliquias, etiam feminas eorum, omni ejiciebat Africa: oppida mœnibus ambiebat ſingula: legumque vindex indefeſſus, ſervabat provinciæ ſtatum. Fuitque non alio tempore Africa aut pecunioſior aut felicior. Internis bene curatis, in Iäbdam & Auraſii Mauros arma iterum vertit: præmiſitque cum juſto agmine Guntharim, ſatellitum ſuorum unum,

bello

bello egregium. Is ad Abigam ut venit, amnem Bagaim propter, desertum ab hominibus oppidum, posuit castra: ibique conserto prælio ab hoste victus, cum intra vallum se recepisset, etiam obsidione à Mauris premi cœperat. Ipse Solomo cum reliquo militis postquam prope Guntharis castra intervallo stadiorum sexaginta advenerat, vallo facto in loco substitit: deinde auditis quæ Gunthari advenerant, auxit eum de suis copiis, jussitque resumtis animis in hostem pugnare. Mauri autem ex quo victoria jam narrata ipsis obtigerat, hæc fecerant. Abigas flumen Aurasio monte ortum in subjecta labens irrigat humum pro colentium arbitratu. Sunt enim multa ibi conceptacula, in quæ scissus amnis, omnibusque se impertiens sub terras occultatur, iterumque unus emergit. Et cum divortia illa per omnes late se campos fundant, in accolarum jure est, aut claudendo ea objectis molibus, aut iisdem ruptis emittendo derivare aquam quo usus poscit. Tunc vero Mauri obturatis alveis stagnare coegerant amnem circa Romanorum castra: Brevique gurges factus est adeo profundus atque impervius, ut Romanis non minus terroris quam difficultatis attulerit. Hæc audita Solomonem impulerunt eo locorum ut properaret. metum id Mauris reposuit, quo tacti ad Aurasii pedem cum se recepissent, castra fecere in regione quam Babosiri vocant: Cum omni milite secutus Solomo manu conserta facile victor, in fugam hostes vertit. Ex eo Mauri aperto Marte in Romanos certare non ex usu suo judicantes, ut qui victoriam spondere sibi non auderent, salutem ab Aurasii inviis petiere, sperato, moræ intolerantes illos brevi, ut antehac, discessuros. multi ad interiora Mauritaniæ gentesque barbaras ad austrum Aurasio objacentes se contulerant. Iäbdas cum viginti Maurorum millibus in loco mansit, castelloque ædificato in ipso monte

Aurasio, cui Zerbulæ nomen fecit, ibi quietum se tenuit. Solomoni longum tempus in obsidionem impendere non placebat. Sed intellecto frugum copiam esse Tamugaden apud oppidum, eo duxit exercitum, atque inde circumsita populatus, ad Zerbulæ obsidium rediit. Sed dum Romani agrum vastabant, Iäbdas, Maurorum idoneis ad castelli custodiam relictis, ipse cum exercitu in verticem scandit Aurasii, ne tantam multitudinem in castello conclusam alimenta deficerent. locus in cacumine montis erat, præceps undique, prætereа rupibus cinctus abruptis, Tumar nomine, ibi morari ipsi visum. Tertium jam diem Zerbulen obsidebant Romani, usique telis multos pro muris, neque sane editi erant, stantes vulnerarant. Et fortuna adfuit, ut Maurorum principes omnes graviter icti occumberent. Triduo exacto, cum nox adventasset, Romani, quibus de principum morte nihil compertum erat, deserere obsidionem parabant. potius enim visum Solomoni in Iäbdan & Maurorum vim maximam ire, existimanti si eos expugnare posset, deinde alios qui in Zerbule erant sponte se dedituros. At barbari pertæsi obsidionem pati, ducibus sublatis, fuga se eripere è castello decreverant. Silentio igitur, ita ut hostes laterent, subduxerant se. Romani ubi illuxerat, abitum molientes, cum in discessu suo de mœnibus nemo defensorum appareret. mirabundi quid causæ esset, ambigui inter se dissertabant. in hâc dubitatione obeuntes castellum, portam inveniunt patentem, per quam Mauri fugerant: ingressique reperta diripiunt. Non tamen placuit insistere hostium vestigiis, armatorum leviter, & quà eundum erat loca pernoscentium. prædæ saturi, custodibus in castello relictis, pergunt pedestri itinere. Vbi ad Thumar pervenerant, quo in loco hostium reliqui se incluserant, castra propinqua posuere, sed in loco sibi incommodo,

modo, ubi nec aquæ niſi pauxillum, nec victus erat copia. abeunte tempore ſatis multo, neque erumpentibus barbaris, obſeſſores non minus, ſi non & magis obſeſſis, fatigabantur, maxime premente potus inopia, ſi quid humoris repertum id ſibi ſervante Solomone, nec impartiente alios niſi calice uno in diem. quos ubi ægre id perpeti vidit, moram abrumpere & aſſilire caſtellum, quanquam difficile adiri, cupiens, ſic ſuos hortatus eſt: Quandoquidem Mauros in Auraſio tenere obſeſſos nobis datum eſt divinitus, factu arduum imprimis, nec facile fidem reperturum niſi apud eos qui res noſtras oculis uſurpaverint, Deo nunc quoque ſe offerente, non indignos vos per virtutem debetis oſtendere. Audentia tantum ſolita opus, ſuſtinenda ad pericula, ut per ea veniatur ad res ſecundas, honeſtarum actionum frugem. Occaſionem apprehendere primum eſt in rebus humanis: at ſi quis obviam fortunam elabi deſes paſſus ſit, viciſſim derelictus, non ipſam ſed ſe accuſet. cernitis Maurorum ſpes ultimas ac miſeras, qui vitam ægre caſtello, cui ſe incluſerunt, tuentes, etiam ad vitam neceſſariis carent. alterum de duobus eligendum vobis eſt, aut ut deditionis tempus patienter opperiamini, aut ut propinqua cum periculo quam tuta cum mora malitis. quid ſi barbaros armis aggredi non magnificentius modo, ſed & tutius evincam? Ita eſt: fame fracta hoſtium corpora, nec pugnam auſura arbitror. Hæc infigite animo ut ad quæ vos hortor promte exſequamini. Dixerat Solomo, ac veſtigare undique cæpit, quæ optima daretur ad irrumpendum via, multum antequam aggrederetur ſollicitus, tot circum præruptis. Sed anxium fortuna expediit viæ monſtratrix. In pedeſtri militia numeri ſui Optio quidam erat Gezo nomine, qui per ludum an ſerio, an divino inſtinctu, ſolus eniti in ſublime cæpit, paucis haud longe militibus

 factum

factum admirantibus. Tres Mauri ad cuſtodiendum aditum poſiti, vim parari ſuſpicantes, contra procurrunt, ſinguli, ut anguſto in loco, properantes. cadentem forte primum non impiger Romanus occîdit, deinde alterum tertiumque: Hoc viſo animati, qui ſpectaturi conſtiterant, magno ſtrepitu ac clamore invadunt in barbaros. manavit ad omnem exercitum forte exemplum. non claſſicum exſpectantes, non in ordines digeſti, ſibi quiſque dux, ingentibus & ipſi clamoribus ſe mutuum incitantes, in hoſtem ſe inferunt. Magna ibi Rufini virtus Leontiique, Xaunæ filiorum, Pharegmanis nepotum, apparuit. Hinc tantus Mauros inceſſit metus, præſertim cum & excubitores viderent interfectos, ut digreſſi qua cuique ſperabatur via, multi etiam in anguſtiis non patente effugio, occiſi ſint. Ipſe Iäbdas femoris quanquam ex jaculo vulnere tardatus, properavit fugam, receptumque in Mauritaniæ penetralia habuit. Direptis hoſtium caſtris Romani conſtituunt non dimittere Auraſium montem: caſtelliſque juſſu Solomonis ibi ſtructis, diligenti cuſtodia cavent ne eo reditus Mauris pateat. Eſt in eodem monte Auraſio inter præcipitia eminens ſaxum abruptum, quod Petram Geminiani accolæ vocant. in eo parvam turrem ſtruxerant veteres,ut locus natura tutus eo receptu firmior fieret. Huc paucis ante diebus Iäbdas mulieres gazamque contulerat, cuſtode ſene addito, nunquam ratus eo perventuros hoſtes, & ut perveniſſent, nullo unquam tempore expugnaturos. Sed Romani dum invia Auraſii ſcrutantur, huc quoque cum veniſſent, militum quidam velut ludibundus ad turrim cæpit ſcandere, ridente ſene ac feminis inſaniam hominis adeo non ſperanda conantis. At ille manibus pedibuſque in proxima eniſus, gladio clam educto ſeni ſubito inſultu cervices præcidit ita ut caput humi caderet. Id exemplum ſecuti

ſecuti milites magna vi alius adjuvantes alium ſcanderunt, mulieresque & Gazam ingentem abſtulerunt, è cujus pecunia Solomo multis poſtea per Africam oppidis mænia reſtituit. Idem Mauris Numidia, ut narravimus, ejectis Zaben regionem ultra montem Auraſium ſitam, cui caput Sitiphis, Romanis vectigalem fecit. Eſt altera Mauritaniæ pars, cui caput Cæſarea: hanc terram cum Mauris tenens Maſtinas ſua ſub tributa omnem redegerat, demta tantum Cæſarea, quam pridem, ut ante retuli, Romanæ rei reddiderat Beliſarius. eam navibus adeunt Romani, terreſtri itinere per Mauros intercepto. Ex eo quæ Romanis paret Africa multa in pace, belli ſecura vivebat: ſatis etiam ſuo judicio felix, dum præfuit Solomo, dubium modeſtior an ſapientior. Quarto anno mutavit fortuna, quantumque boni fuerat, tantum mali acceptum eſt. Erat is regnantis Iuſtiniani decimus & quartus, quo tempore Bacchi (Solomonis frater erat) filios duos regendis Africæ partibus miſit Imperator, Pentapoli Cyrum natu majorem, Tripoli Sergium. Tunc Mauri, Levatæ appellati, Leptim magnam (neque enim longe abſunt) cum exercitu venere, palam dicentes adeſſe ſe ut dona expeterent, pacis ſervatæ præmia & vincula in poſterum. Sergius conſilio Pudentii Tripolitani, quem in Vandalos ab initio belli militaſſe Imperatori ſupra memoravimus, octuaginta lectos barbarorum in urbem admiſit poſtulata ſe impleturum pollicitus, cæteros jubens ſuburbanis in locis ſubſiſtere. tum vero eoſdem octuaginta fide data ad epulas etiam vocat. At barbaris ajunt, cum in urbem venirent, propoſitum fuiſſe inſidias ſtruere vitæ Sergii. In colloquium admiſſi tum alia criminari cæpere, tum quod agri ſui contra jus diriperentur. contemnens ea Sergius ſurrexit è tribunali, diſceſſum parans: ſed Chlamyde apprehenſa retinuit eum Maurorum

 unus:

unus : cæterique eo ſigno excitati cum tumultu eum circumſtitere. Videns id è Solomonis ſatellitibus vir acer, gladio è vagina liberato Maurum illum interficit, commotaque, ut par credi eſt, domo tota, cæteri itidem Solomonis ſatellites cæteris Mauris vitam adimunt. Vnus, ut cædem popularium vidit, è conclavi ſe ſubripiens, Mauris extra urbem agentibus narrat quæ evenerant. Illi concurſu ad caſtra facto, hoſtiliter inde ſe contra urbem movent. propinquantibus cum Romano exercitu occurrunt Sergius Pudentiuſque. pugna commiſſa primum proſpera Romanis fuit, multis hoſtium interfectis, captis eorum caſtris, mulieribus, pueris, gaza. Sed victoriæ fiducia incautior Pudentius ab hoſtibus circumventus occiditur: Sergius ſe cum exercitu (jam enim veſperaſcebat) Leptim magnam recipit, Poſt aliquot tempus majori molimine barbari in Romanos feruntur. Tunc Sergius Solomonem patruum adiit, orans ut exercitu cum majore ipſe belli in Mauros dux veniret. fratrem Cyrum ibidem loci reperit. Barbari, ut Byzacium pervenere, rapinis per agros graſſati ſunt. At Antalas, quem ſupra memoravi fidum Romanis rebus & ob id unum relictum Mauris in Byzacio principem, in Solomonem jam hoſtilia induerat, querens ab eo ablatas ſibi frumentationes, quibus ipſum Imperator honeſtaverat: fratrem ad hoc interemtum tumultus in Byzacenos ſuſcitati crimine. His de cauſis Antalas barbaros lætus excepit, ſocietatemque armorum pollicitus dux fit eorum in Solomonem & Carthaginem belli. quibus Solomo auditis, omni vi in eos vadit, aſſecutuſque apud Tebeſten, ſex dierum itinere Carthagine diſtans oppidum, ibi metatur caſtra, cum fratris ſui filiis tribus, Sergio ac Cyro quos memoravimus, & minori Solomone. Sed multitudinem barbarorum expaveſcens mittit ad Levatharum principes, expoſtu-

expoſtulans quod contra federum fidem in Romanos arma inferrent: ſimul paci firmandæ juramentum religioſiſſimum offerebat, inulta fore quæ hactenus admiſerant. irriſa hæc barbaris, dicentibus haud dubie Chriſtianorum oracula juraturum, quæ Euangelia mos vocari: quæ ipſa juratus antehac fidem ſibi habentes interfeciſſet. Velle igitur ſe re in prælium deducta experiri, quam vim ea oracula in perjuros haberent, ut ſi iis viderent ſe poſſe confidere, integrarent pacta. Relata hæc Solomoni effecere ut de prælio tantum cogitaret. Poſtridie partem hoſtilium copiarum prædæ divitem incidens, pugnaque ſuperior, prædam omnem aſſervavit: iratoque & minaci militi quod non ipſis eam daret, dixit exſpectandum belli finem: tunc ſe bello capta pro meritis inter ipſos diviſurum. Cum iterum omni exercitu ſuo barbari prælio adeſſent, Romanorum quidam ſe ſubduxere, cæteri neutiquam ſolita alacritate pugnam cepere. Dubia aliquamdiu hæſit fortuna: numero præpollentibus Mauris, multi è Romanis fugam cepere. Solomo cum iis qui proxime ipſum erant, vi hoſtium aliquamdiu ſuſtentata, mox ea ſuperurgente, fugam & ipſi celerarunt, donec ad rivi alveum pervenere, ubi equo prolapſo cecidit Solomo, ſubitoque à ſatellitibus ſublevatus inque equum impoſitus eſt: ſed præ dolore fræna impar retinere, ab hoſtibus interceptus occiditur & cum eo equitum non pauci. Eum vivendi finem Solomo habuit. Africæ regimen juſſu Imperatoris Sergius accepit, arcta propinquitate innexum Solomoni, fratre quippe ejus genitum, memoravimus. ab eo magna malis Africæ cauſa. Gravabantur ejus imperium præfecti, quod imprudens & ſenſu non minus quam ætate rudis, inſigni ſuperbia agebat, nullis de cauſis deſpiciens alios & contumeliis onerans, divitiarum potentiæque fiducia: milites non

minus aspernabantur ut segnem ac pavidum: infesti & Afri, quod æque mulierum pecuniæque avidus, hanc in prædam, illas in libidinem verteret. Sed super omnes Sisinioli filius Iohannes dolebat, quod bello egregius famaque clarus, sub ingrati hominis potentiam cecidisset. Et hic & multi alii arma in hostem sumere abnuebant. Antalam Mauri prope omnes sectabantur, & rogatus ad eum è Mauritania Stotza venerat. Hi nemine hostium obviam eunte, raptabant omnia pro lubidine. Deinde ad Imperatorem Iustinianum Antalas hujus tenoris literas scripsit. Majestati tuæ proprium me mancipii jure nec ipse negaverim. Mauri à Solomone contra federa indigna passi ad arma nolentes trusi sunt. Ea non in te sumta sunt, sed inimici ulciscendi voto, à me præcipue, cui ille non frumentationes tantum eripuit, pridem à Belisario mihi constitutas, abs te diu datas, sed & fratrem vita orbavit, nullius facinoris compertum. injuriæ igitur ab illo ortæ vicem exsolvimus. quod si tibi cordi Mauros habere, ut antehac, inservientes & promtos obsequio, Sergium Solomonis propinquum hinc ad te revoca: alium mitte qui Africam regat. Neque enim deesse tibi possunt viri prudentes, & cuncta Sergio meliores. Is dum exercitui tuo præerit, nulla pax Romanos inter & Mauros speranda est. Hæc Antalas scripserat. Neque tamen his lectis, cognitoque omnium in Sergium odio, Imperator ei magistratum auferre voluit, reverentia adversus virtutem Solomonis, vitæque ipsius exitum. At frater Sergii Solomo creditus cum Solomone periisse, nec fratri nec aliis curabatur. ceperant autem eum valde adolescentem Mauri: & cum ex ipso, quis esset, percunctarentur, Vandalum se gente dixit, servum Solomonis. cæterum amicum sibi esse in Laribo vicino oppido Pegasium nomine, qui pro se pretium li-
bertatis

bertatis non esset recusaturus. Mauri prope oppidum cum venissent, Pegasio ad se evocato monstrant Solomonem, rogantque an redimere eum vellet. cum velle dixisset, aureis quinquaginta, tradiderunt ei Solomonem. Ingressus is intra mœnia irrisit Mauros, ut ab adolescentulo deceptos, Solomonem se esse Baccho natum, fratre Solomonis præfecti prætorio Africæ. Mauri & irati & dolentes quod obsidem Sergii ac Romanorum in manus nacti ita neglectim dimisissent, veniunt obsessuri Laribum, ut & oppidum simul & Solomonem caperent. oppidani perhorrescentes obsidionis mala, hoc magis quod victui necessaria in urbem inferre non providerant, quæsito cum hoste colloquio, pecuniæ multum promisere si ab oppido statim discederent. Atque illi desperantes vi oppidum capere se posse, oppugnandi artium inexerciti, & deesse alimenta ignari, accepta conditione, numeratis triginta aureorum millibus, obsidionem solverunt. Levatæ inde omnes ad sua concessere: Antalas & Mauri in Byzacio resuscitabant vires, queis cum Stotza erat, paucos secum milites, nonnullos & Vandalos habens. Adversus hos collecto exercitu ivit Sisinioli filius Iohannes, motus Afrorum precibus. cohortibus per Byzacium Thrax Himerius præerat: quem is Iohannes jussit omnibus sub se ductoribus militibusque contractis venire in Nephosen Byzacii locum, jungendas ad copias. Postea vero edoctus eo in loco castra esse hostium, scripsit Himerio quid intervenisset, monens alium ut in locum coirent, pariterque, non seorsim, hosti occurrerent. mala fortuna evenit, ut quibus eæ traditæ erant literæ alia via uterentur, Himeriusque ignarus in totum agmen hostium incidens captivus fieret. Erat inter Romanos milites juvenis Severianus nomine, Asiatico patre, Phœnix domo, ab Emesa urbe, turmæ rector:
qui

qui ſolus comitantibus ſuorum quinquaginta, cum hoſtibus manum conſerere non formidavit. ſuſtentarunt aliquamdiu: ſed hoſtium ſupervadente immenſa multitudine in collem propinquum ſe receperunt, ubi cum caſtellum eſſet defendi non idoneum, ſemet dedere coacti ſunt. occiderunt barbari neminem, ſed captorum Himerium in cuſtodia habuere: milites tradiderunt Stotzæ, qui omnes promtam in Romanos militiam polliciti ſunt. Himerio, ni promiſſa impleret, mortis minæ intentabantur. Promiſerat autem ſe Adramyttum, maritimam urbem, ſollerte commento ipſorum ditionis facturum. cumque perſtaret promtum ſe oſtendere, cum ipſo Adramyttum verſus ivere. proxime urbem ut ventum, Himerium præmiſere cum nonnullis Romanorum quondam militum, qui nunc Stotzam ſectabantur, Mauros velut captos trahentem, ſequebantur ipſi. juſſerant autem Himerium dicere portarum Adrymetti cuſtodibus, victorem prælio fuiſſe Imperatoris exercitum: ac jamjam Iohannem adfore cum immenſo captivorum grege. Apertis inde portis intrare cum iis quos ſecum habebat. Fecit: deceptique hoc aſtu Adrymettini (neque enim fidem negare audebant, omnibus in Byzacio militibus imperanti) patentibus portis hoſtem admiſere. Vbi intraverant Himerii comites, gladiis eductis, non paſſi ſunt portas à cuſtodibus claudi, ſed intra urbem accepere omne Maurorum agmen. Direpta urbe, nec multis qui ſervarent eam relictis, digreſſi ſunt barbari. Romanorum captivorum fuga reperta, quidam Carthaginem venerunt. in his Severianus erant & Himerius. Erat enim tanta Maurorum negligentia, ut ſe volentibus eripere non eſſet difficile. multi cum Stotza manſere non inviti. Aliquanto poſt tempore Paulus ſacerdos, cui ægrotorum cura incumbebat, cum primoribus urbis collocutus,

cutus, se ire dixit Carthaginem, cum bono, ut speraret, Imperatoris exercitu brevi rediturum. Ipsorum fore officii in id eniti, ut recipi intra urbem exercitus possit. illi eum noctu funibus nexis de mœnibus demisere. Qui ad littus ut pervenit, lembum piscatorium ibi reperit, usumque à dominis emercatus navigat Carthaginem. Eo pervectus, copiamque nactus videndi Sergii, cogitata aperit, exercitumque postulat justum, recuperandæ Adramytto. Difficili ad hoc Sergio, quod non multus Carthagine miles esset, paucos saltem dari sibi orans, accipit tantum octuaginta, & hunc astum comminiscitur. Navibus scaphisque plurimis coactis nautas multos & Afrorum alios imponit, eo indutu quo Romani milites uti solent, velisque factis Adrymettum versus quantum potest properat. Vt propinquaverat, mittit clam qui primoribus urbis significent Germanum Imperatoris sorore natum recens venisse Carthaginem: eo curante adesse, qui Adrymettinos liberet, exercitum: restare ut ipsi noctu portam panderent: Haud secus factum: Paulusque cum suo comitatu intra mœnia admissus hostes occîdit omnes, Adrymettumque Imperatori restituit. Fama de Germano ibi nata Carthaginem usque pervasit. Quibus auditis Mauri, Stotza, quique cum illis erant, pavidi primo Africæ ultima fuga petebant. At ubi rei veritas patuit, indignari quod Adramytteni, quorum vitæ ipsi pepercissent, hanc ipsis reddidissent vicem. Ex eo, quaqua irruerant, pessime tractare Afros, nullius ætatis aut sexus misericordia: planeque in solitudinem redacti eo tempore sunt agri, Afrorum aliis in urbes, aliis longius Siciliam usque cæterasque insulas fugientibus. eximii Byzantium profecti omnes, in quibus & Paulus Adrymetti Imperatori redditæ decus secum ferens. Ex eo ulciscente nemine, Mauri multo quam ante securius agebant,

bant, raptabantque omnia, magnæque apud eos auctoritatis Stotza erat, quem non ſpernenda Romanorum manus ſequebatur, pars transfugæ, pars bello capti, ſed qui partes caſu oblatas volentes prætulerant. Iohannes cujus clarum apud Mauros nomen, Sergio infenſus, quietum ſe continebat. Interea alium imperator ducem belli per Africam non multo cum milite mittit Areobindum, virum Senatorium & ortu nobilem, ſed rerum militiæ inexpertum, cumque eo Athanaſium recentem ab Italiæ præfectura, paucoſque Armenios, queis Artabanes & Iohannes præerant, Iohannis ambo filii, genus Arſacidæ, ſed qui è Perſico exercitu ad Romanos cum Armeniis aliis nuper transfugerant. Aderat Areobindo ſoror, aderat & uxor Præjecta cui mater Vigilantia Iuſtiniani ſoror. Neque tamen Sergium revocarat, ſed & hunc & Areobindum præeſſe voluerat Africæ, diviſis finibus militibuſque. Sergio in barbaros qui per Numidiam, Areobindo in Mauros qui in Byzacio, bellum mandaverat. Ex hoc præſcripto, ſimul claſſis Carthaginem advenerat, Sergius cum ſibi attributis copiis in Numidiam abiit. Areobindus vero comperto Antalam & Stotzam caſtra habere ad Siccam Veneriam, quod oppidum tridui iter abeſt Carthagine, Siſinnioli Iohannem eo jubet ire, cum alterius exercitus flore quem ipſe legiſſet. Sergio vero ſcripſit ut Iohanni ſe conjungeret, ut pariter hoſtem invaderent. Sergio & has literas & totum negotium ſpernente, coactus fuit Iohannes cum immenſa hoſtium multitudine pugnam conſerere. Acre illi jam olim in Stotzam odium erat, & ſumma votorum utrique mori poſſe, ubi alterum interfeciſſet. Tunc ergo, ubi incaluerat prælium, extra aciem ambo inter ſe concurrunt. Iohannes arcu tenſo adventanti ad ſe Stotzæ in dextrum inguen adigit vulnus tanta vi, lethale ut fuerit;

fuerit. cécidit enim Stotza, non illico moriens, sed parum supervicturus. subvenerunt proprii comites & Mauri & tenues trahentem spiritus reliquias in arborem inclinaverunt: iraque concepta, in hostem irruentes, Iohannem & Romanos, numero prævalidi, in fugam facile vertunt. Tunc dixisse Iohannem ferunt, suavem jam sibi mortem fore optati in Stotzam potito. Erat in via declivis locus, ubi equus eum procumbens effudit. reponere se parantem nacti hostes occidunt, virum virtutis famæque egregium. Tantum vita Stotzæ duravit, ut solatio hoc accepto testaretur gaudentem se mori. In eodem prœlio Iohannes occubuit Armenius, Artabanis frater, insignibus in hostem factis editis: Imperator ubi hæc ei nuntiata sunt, miseratus infortunatam Iohannis virtutem, non ultra è re judicavit in duos Africæ regimen partiri, sed Sergium inde abductum in Italiam cum exercitu misit: Areobindo res Africæ curandas dedit. duobus mensibus posterius quam inde Sergius abscesserat, Gontharis viam ad dominatum in hunc modum affectavit. Præerat per Numidiam legionibus, illisque in locis agens clam Mauros adversus Carthaginem suscitabat. Nec mora: ex Byzacio Numidiaque vis hostium conglobata Carthaginem properat. Numidas regebant Cutzinas & Iäbdas: Antalas Byzacenos: aderat & Iohannes defectorum dux, in Stotzæ locum militari licentia suffectus. motu hoc cognito Areobindus duces cum copiis tuendæ Carthagini mittit, inter eos Gontharim, cui comes cum Armeniis Artabanes. Iussus cum omni exercitu in hostem ire Gontharis, cum suam ad bellum operam large pollicitus esset, hæc machinatur: E servitio suo Maurum, arte coquum, in hostilia castra jubet ire, & apud alios simulare fugitivum: soli Antalæ dicere, velle cum ipso Gontharim partiri Africæ regnum. paruit coquus.

Lætus

Lætus auditis Antalas hoc unum reſpondit, magna negotia per coquos tractari non ſolere. Gontharis accepto hoc reſponſo, fidiſſimo ſuorum ſatellitum, Vlitheo nomine, ad Antalam miſſo, adhortatur, eum quam proxime Carthaginem accederet. Vt Areobindus è medio tolleretur, ſibi curam fore. Vlitheus clam barbaros alios, pacta cum Antala conficit, ut Antalas Byzacium ſibi, partemque alteram pecuniarum Areobindi, militeſque Romanos haberet mille & quingentos: Gontharis regium nomen Carthaginemque & Africæ cætera. Re confecta rediit ad caſtra Romanorum, quæ pro mœnibus Carthaginis poſuerant, diſtributis inter ſe urbis quoque portarum cuſtodiis. Barbari non multo poſt capto urbem verſus itinere, ad Decimum caſtris vallatis, poſtridie propius etiam acceſſere. Quidam Romanorum illis obvii manus miſcuerunt, non ſine Maurorum cæde. revocavit eos Gontharis crimini dans, quod improvida audacia rem Romanam in periculum dediſſent. Inter hæc ad Cutzinam miſit Areobindus, clam ei proditionis præmia oſtentans. Et promiſit Cutzinas, ubi ad pugnam ventum eſſet, ſe in Antalam & Byzacii Mauros arma verſurum. Ita enim eſt Maurorum ingenium, nec in alios nec inter ſe fidem colunt. Hæc Gonthari Areobindus retulit, ille rem diſturbare aut prolatare cupiens, ſuadet Areobindo ne Cutzinæ fidem habeat, niſi liberis ejus obſidibus acceptis. Neque eo ſegnius arcana Areobindum Cutzinamque inter colloquia de inſidiis in Antalam commeabant. At Gontharis miſſo iterum Vlitheo Antalæ aperit quæ agebantur. Antalas neque tentandum ſibi quicquam contra Cutzinam, neque ei ſignificanda quæ compererat ratus, perſeveravit promere, quæ ſibi cum Gontharide convenerant. Ita inter ſe ſuſpecti inimicique, fallaci ſocietate, contra amicum quiſque ſuum gradiebantur.

bantur. ſub his tam diverſi animi ducibus petebat Carthaginem Maurorum exercitus. Areobindo necem ſtruebat Gontharis: ſed ne affectati regni manifeſtus fieret, in ipſa acie dolo rem conficere deſtinabat, ut aliorum quidem crederentur fuiſſe in ducem inſidiæ, ſe autem ad Africæ imperium vocaret exercitus. ore igitur & ſermone ad fallendum compoſito, excitat Areobindum, ſimul ut in hoſtem eant ſatis jam propinquum Carthagini. Placuit poſtero mane rem aggredi. At Areobindus imperitia belli, an formidine, præter tempus cunctabatur. dum conſultat quæ arma & quomodo induat, dum molitur exitum, pars major diei abiit. Itaque in alium rurſus diem rem prolatans quietum ſe tenuit. Gontharis conſulto moras eum nectere ratus, his quæ clam agitata fuerant cognitis, conſtituit præſidium ab audacia mutuari, apertaque vi & ducem trucidare & dominatum invadere. itaque orta die hæc agit: apertis portis quarum ipſi cuſtodia obvenerant, in limine ſaxa ponit grandia, ne claudendi copia eſſet. multos præterea homines loricatos, inſtructos arcubus, ad pinnas mœnium conſtituit. Ipſe itidem loricam indutus ſtabat media in porta. Neque hæc ideo agitabat ut Mauros intra urbem acciperet. infidum enim Mauri genus multum in omnes ſuſpicionibus indulgent. neque id ratione caret. quiſquis enim perfido in alios eſt ingenio, adduci non poteſt ut fidat alteri, ſed neminem non ſuſpectum habere cogitur, de ſuis moribus metiens alienos. quare nec Mauros exiſtimabat Gontharis eouſque ſibi credituros, ut mænia intrarent: ſed Areobindum ſperabat ingenti pavore attonitum conſilia capturum fugæ, ſubitoque relicta Carthagine Byzantium properaturum. Nec multum à vero abibat conjectura, niſi hyems interceſſiſſet. Areobindus vero, compertis quæ fiebant, Athanaſium aliosque è primoribus ad ſe

 vocat.

vocat. Aderat & Artabanes cum aliis duobus è castris veniens, auctorque erat Areobindo, ne percelleretur neque audaciæ Gontharidis cederet, sed illico adversus iret cum quot posset sectatoribus, opprimeretque inimicos conatus, priusquam in pejus procederent. Sed ante omnia Areobindus familiarem quendam suum Fredam nomine, ad Gontharim misit, qui animum ejus tentaret. Dum vero Fredas redit ac renuntiat abjecta dissimulatione Gontharim sibi Africæ imperium deposcere, atque in id venire ut de eo prœlio cernat, interea Gontharis apud milites Areobindum obtrectabat ut imbellem, quique partim hostium metu, partim ut ipsos stipendio fraudaret, fugam cum Athanasio strueret, à Mandracio jamjam navigaturus, militesque objecturus fami simul & Maurorum gladiis: quærebatque an volentibus ipsis esset, dari utrunque in vincula. Hac arte sperabat se effecturum, ut aut intellecta in se militum ira aufugeret Areobindus, aut interceptus à milite causa inaudita trucidaretur. pollicitis largus, promittebat militi pecuniam quanta à publico debebatur. Dictis animum milites applicuere. sed interim adventarat cum Artabane aliisque sui studiosis Areobindus: pugnatumque tum in muris, tum inferius ad portas, qua parte stabat Gontharis, æquo Marte. Neque longe aberat quin conglobati è castris, quibus integra in Imperatorem fides, nondum enim omnes Gontharis corruperat, vi comprehenderent eos qui res novas cæptabant. Sed Areobindus ut sanguinem fusum vidit, expers ad id tempus talis spectaculi, externatus pavore, nec ultra cernere patiens, fuga se abripit. Est intra mœnia Carthaginis in littore templum, quod habitant homines severis sub institutis divina meditantes, quos monachos vocari mos habet. Non diu erat, quod id templum ædificaverat

verat Solomo, circumjectiſque muris caſtelli in modum firmaverat. Huc inſiliit fugiens Areobindus: eodem uxorem ſororemque præmiſerat. Tum & Artabanes loco ceſſit, & qui cum eo erant ſibi quiſque, ut poterant, digreſſi conſuluere. Gontharis cum ſuis victor tenebat palatium, portaſque & portum diligenter cuſtodiebat. Athanaſium ante alios ad ſe duci jubet: atque is multa cum aſſentatione probantis ſpeciem præbebat. Poſtquam vero juſſerat urbis antiſtitem Areobindo ſignificare, ut fide accepta in palatium veniret, ni faceret, illico venturum ſe obſidio: ne tunc ſalutis pacta aut loci ſanctimoniam, ſed vim & necem exſpectaret: antiſtes Reparatus nomine, quo magis omnem ei metum à Gontharide demeret, parendique imponeret neceſſitatem, etiam jusjurandum ei obtulit, quo promiſſa minaſque ſanciret. Exterritus Areobindus ſecuturum ſe promiſit quo vellet antiſtes, ſi is rite ſacratis Chriſtiani lavacri aquis, per eas deinde fidem juratam ipſi daret, vitam ſalvam fore. quod cûm feciſſet antiſtes, ſequitur eum Areobindus palliolum amictus non duci, ne militi quidem, ſed aut ſervo aut plane plebejo homini conveniens, quod caſulam latini vocant. Vbi palatio appropinquatum eſt, ſacrum codicem ex antiſtitis accipiens manibus, ita ſe Gontharidi oſtendit, pronuſque jacuit diu, ſupplicis inſignia, divina oracula protendens, puerumque recens ab antiſtite ſacra aqua tinctum, per quam ipſi, ut diximus, antiſtes juramentum perhibuerat. Poſtquam ipſum ſurgere juſſit Gontharis, vix tantum elocutus eſt, quo Gontharidem per omnia ſacra obteſtans interrogaret, ſalvane ſibi vita eſſet. Gontharis metum ponere eum jubet: nihil triſte paſſurum: quin poſtridie cum uxore & pecuniis exiturum Carthagine: dimiſſoque Reparato & Areobindum & Athanaſium cænæ in palatio adhibet, multis in

Areobindum honoris oſtentamentis: priorem enim accubitum illi dedit. Sed cænatum non dimiſit, verum deduci juſſit in locum ubi ſolus cubaret: ibi Vlitheum alioſque nonnullos in eum immiſit, qui multa gementem lamentantemque & fruſtra miſericordiam cientem verbis, conficiunt. Athanaſio pepercere, reveriti ſenectam credo. poſtridie Areobindi caput ad Antalam miſit Gontharis, ſed de pecuniis & milite, nihil eorum quæ promiſerat præſtare conſtituit. Antalas tum indigne ferens quod ſecum pacta non implerentur, tum cogitans qualia Areobindo Gontharis juraſſet, exhorreſcebat, qui tanta ſacra contemſiſſet ſibi fidum fore non ſperans. multis in omnem partem volutis, Iuſtiniani res ſequi eligit. ob id non multo poſt abit, edoctuſque Marcentium, qui legiones in Byzacio rexerat, ad inſulam quandam ei oræ objacentem fugiſſe, miſſo ad eum qui res omnes narraret, fidemque daret, perſuadet ad ſe ut veniat. Ex eo Marcentius cum Antala in caſtris fuit. Qui in Byzacio milites fidem Imperatori ſervabant, Adrymetti tutelam inter prima curæ ſuæ ducebant. At qui Stotzæ partium fuerant, mille admodum, cognitis quæ evenerant, Iohanne duce ad Gontharim curſitabant. is eos lætus in urbem recepit. Erant horum Romani ferme quingenti, Hunni octuaginta, pars reliqua Vandali. Et Artabanes accepta fide in palatium cum Armeniis veniens, promiſit ſe imperata Gontharidi facturum. clam interim necem ei machinatur, cujus conſilii participes fecerat Gregorium ſororis filium & Artaſirem ſatellitum ex ordine. Gregorius eum magis etiam incitans hæc locutus eſt. Dat tibi ſe occaſio, Artabanes, Beliſarii gloriam non tantum adipiſci, ſed & longo ſpatio ſupergredi. ille enim ingentem exercitum, immenſas pecunias ab Imperatore habens, huc venit, multos ſecum præfectos, multos conſilio adjutores ducens, claſſem

præ-

præterea quantum vix aliam aditu percepimus, equitatum insignem, arma cæteraque omnia, ut compendio dicam, pro Imperii Romani majestate. tali apparatu multis cum periculis Africam Romanis reddidit: iterumque sic amisit ut ex æquo Romanis esset non quæsivisse: nisi quod de victoria Belisarii restant illis hominum rerumque damna, & documentum, parta tueri eos fuisse impares. Hæc omnia nunc restituere Imperatori, in tuo est animo arbitrio ac manu. cogita te veteri stirpe Arsaciden: à tanta nobilitate fortia facinora semper & ubique exspectari. Multa antehac pro libertate stupenda egisti. Adolescens Acacium Armeniorum principem & Romanorum ducem Sittam occidisti: inde Chosroi regi cognitus, adjuvisti ipsius in Romanos arma. Nunc tantus cum sis, ut tuum sit non perpeti Romanum imperium premi à temulento cane, age ostende quæ antehac edidisti facta ab ortu regali, parique animo profecta. Ego & hic Artasiris, omnium quæ jusseris pro viribus ministri erimus. Hæc Gregorii dicta flagrantem jam ante animum, multo acrius in Gontharim accenderunt. Areobindi interim conjugem & sororem Gontharis castello eductas in conclavi manere compulit, non verbo, non re gravis, nullius ad usus necessariæ rei indigas, nec quicquam contra animi sententiam coactas aut dicere aut facere, nisi quod Præjectæ imperatum ad avunculum ut scriberet, honorate se à Gontharide haberi: purum eum à cæde mariti sui. Vlithei id esse facinus, non probante Gontharide. Hæc eum in modum agebat Gontharis Pasiphili suasu, viri in seditione Byzacena eximii, & quo ille maxime auctore invadendum ad dominatum impulsus fuerat. Is namque Pasiphilus affirmarat Gontharidi, si ita rem institueret, libenter Imperatorem illi puellam nuptum daturum cum magna dote, ob sanguinis propinquitatem.

tem. ſimul Artabanem cum exercitu mitti contra Antalam & in Byzacio Mauros ſuadebat. At Cutzinas palam inimicus Antalæ eo relicto Gontharidis ſe addiderat partibus, cui pignora fidei dederat filium, matremque. Nec mora: it duce Artabane bellaturus in Antalam exercitus. Aderat ei Iohannes, Stotzæ quondam militum ductor, & ſatelles Vlitheus: & Maurorum qui Cutzinam ſectabantur. Adrymettum prætergreſſi, eſſe illis in locis hoſtem intelligunt, caſtriſque non longe munitis noctem tranſigunt. poſtridie manſere ibidem Iohannes & Vlitheus cum militis parte. Artabanes & Cutzinas in hoſtem movent: quorum non tolerato impetu quos Antalas ſecum habebat Mauri fugam parabant, ni dolo corrumpens victoriam Artabanes converſo ſigno reduxiſſet exercitum: ob quod eum Vlitheus reverſum in caſtra occidere volebat. ſed deprecans Artabanes, metuiſſe ſe dicebat, ne ex Adrymetto Marcentius hoſtibus ſuppetias ferens magnam ederet ſtragem. Gontharim debuiſſe vi omni ipſum hoſti adverſum ire. Prima conſiliorum Artabani fuerant transferre ſe Adrymettum, atque ibi ſe ſuoſque cum Imperatoris exercitu jungere. Rem diutius putanti potior viſa ſententia, tollendo è rebus humanis Gontharim, Imperatorem atque Africam multis malis abſolvere. rediens ergo Carthaginem, ſignificat Gontharidi, copiis ſibi majoribus in hoſtem opus. ille exquiſito Paſiphili conſilio conſtituerat omnem quidem armare exercitum, ſed ipſe ei præeſſe, relictis tantum qui ſufficerent ad Carthaginis cuſtodiam. Occidebat multos quotidie ex ſuſpicionibus, etiam cauſas non habentibus. Paſiphilo, hunc enim tuendæ urbi elegerat, abiturus imperavit Græcos ut nullo diſcrimine omnes interficeret. ſed pridie quam diſcederet, rebus jam omnibus ordinatis volebat familiares epulis excipere. Locus ſumtus con-

vivio

vivio in quo lecti esse tres solebant. in primo lecto ipse, ut par erat, accubuit, unaque Athanasius & Artabanes aliique interioris cum Gontharide amicitiæ: sed & Petrus Thrax gente, ex Solomonis antehac satellitio. in aliis lectis Vandalorum eximii. At Iohannem, qui Stotzæ quondam militem regebat, propria cæna excipiebat Pasiphilus: alios itidem alii Gontharidis amicorum, ut cuique libuerat: Artabanes ad convivium vocatus, id tempus opportunissimum cædi exsequendæ judicans, finem destinatis imponere decreverat. Re communicata cum Gregorio, Artasire & satellitum tribus, satellites jubet cum gladiis intrare in conclave: (mos enim magistratibus epulantibus ad pedes stare satellites) ingressos, ubi primum videretur se dare occasio, constituta peragere, incipiente Artasire: Gregorio præceptum dat dilectos Armeniorum acerrimos in palatium duceret in manibus gladios habentes; (neque enim armis aliis per urbes permissum magistratus sectari) illisque in porticus aditu relictis, ipse, cum satellitibus Artabanis, palatium intraret: neque vero eos conscios propositi faceret, sed hoc illis diceret tantum, suspectum sibi Gontharim, ne forte ad cænam vocatione malum aliquod in Artabanem occultaret: velle propterea se, ut juxta Gontharidis excubias intra palatium constitutas starent & ipsi, ludentiumque præbentes speciem quæ illi habebant scuta tractarent vibrarentque, & modo sursum modo deorsum versarent: Turbarum autem strepitusque si quid exaudissent, ne cunctarentur scutis arreptis accurrere. uti jusserat Artabanes curavit omnia Gregorius. Artasires hoc commentum de suo adjecit. Fragmenta sagittarum divisarum in duo à sinistræ manus junctura cubitum usque recta disposuit, arcteque loris colligata obvelavit vestis injectu. id eo fecerat, ut si quis ense ictum inferret, evitaret plagam lævi brachii

 obtentu,

obtentu, retuſumque ferrum, incuſſu in lignum, ſine corporis noxa abiret. Hoc igitur conſilio id quod dixi fecerat Artaſires. Artabani autem hæc dixit. Ego quidem præclarum cogitatum metu me non corrupturum, & hoc gladio tacturum Gontharis corpus, ſatis confido. de cætero nihil affirmare auſim, Gontharidiſne injuſtam dominationem peroſus Deus meis ſit futurus conatibus adjutor, an in meas culpas animadvertens in hoc facto oppoſiturus mihi ſit numen ſuum. Tu vero ſi Gontharidem videas non letifero à me vulnere percuſſum, hoc ipſo meo gladio me vitæ exime, ne gravitate cruciatuum adactus fateri te auctore me id conſciviſſe facinus, & ipſe peſſimis modis peream & te nolens perdam. His dictis Artaſires cum Gregorio unoque præterea ſatellitum lectis appropinquans, pone Artabanem ſtetit. Reliqui juxta Gontharidis excubitores ſe tenebant, præceptorum memores. Iam incipiente primum cæna Artaſires flagrabat deſtinata exſequi, manumque admoverat acinacis capulo: ſed repreſſit Gregorius indicans Armenio ſermone, adhuc ſuæ mentis eſſe Gontharim, vino ſcilicet nondum captum. ingemuit Artaſires, & quam pulchre me inquit animatum, teſtari id in præſens prohibes? allubeſcente potu irrigatior jam Gontharis ſatellitibus de cibis appoſitis dedit, ut comem ſe præberet. Has illi ut ſeorſim veſcerentur de conclavi exierant, relictis apud Gontharim ſatellitum tribus, quorum erat Vlitheus. Exierat & Artaſires, ut cum cæteris guſtaret de dapibus. ibi in mentem ei incidit, ne forte ducere enſem volenti impedimento eſſet aliquid. Foras igitur progreſſus abjecit vaginam, nudumque ſub axilla acinacem chlamyde velans, ad Gontharim properavit, velut arcanum habens quod diceret. Quod ut vidit Artabanes, partim ira calens, partim periculi reſpectu anxius, motare caput,

put, & varios vultu colores induere cœpit, plane ut magnitudine rei quæ agebatur appareret attonitus. inde Petrus conjecit quod erat, neque tamen enuntiavit cuiquam, quod ipsi, Imperatoris amanti, placebat consilium. At Artasiren, prope Gontharim cum accessisset, è servitii turba forte trusit aliquis, & cessim euntis conspexit ensem vagina exutum, protinusque exclamavit. O tu, quid hoc est rei? ibi Gontharis ad dextram aurem admota manu, ore converso ipsum intuitus est. Artasires interim incussu gladii partem cerebri cum digitis abstulit. Simul Petrus elato clamore hortabatur Artasirem, nefarium hominem ut conficeret. erigentem se Gontharim videns Artabanes, ut proximus accumbebat, ancipitem machæram, quæ ei ad femur magna pendebat, in sinistrum Gontharidis latus capulo defossam, ibi reliquit. neque minus ille surgere conabatur, sed viribus mortifero vulnere deficientibus collabitur. At Artasiræ Vlitheus impegit gladium, caput petens: ille vero lævam prætendens capiti, solertiæ suæ, tempore maxime necessario, fructum tulit. hebetato enim gladio in Sagittarum partes brachio oppositas, illæsus ipse, Vlitheum facile interfecit. Petrus vero & Artabanes ensem uterque alienum, ille Gontharidis qui fuerat, hic eductum Vlithei prostrati de corpore, arripientes, satellitum reliquis vitam adimunt. Orto hinc, ut facile creditu, strepitu & clamore ingenti, ut eum perceperant Armenii, qui juxta Gontharidis excubitores adstabant, sumtis, ut imperatum fuerat, scutis, ad lectos cursitant, Vandalosque omnes & alios Gontharidi familiares perimunt, obstante nemine. Tunc Artabanes Athanasium obtestatus est, palatii ut curam gereret: ibi namque esse omnia, quæ Areobindo fortuna reliquisset. excubitores Gontharidis, ut finem ejus cognovere, Armeniis se addiderunt. Erant enim multi

de Areobindi domo. Concordes igitur, Iuſtinianum victorem clamant. Ea vox à multis procedens cum late ſonuiſſet, totam in urbem manavit : inde exciti quibus integra in Imperatorem fides erat, inſultantes in ædes hominum partis alterius, alios ſomno incubantes, cibum ſumentes alios, multos metu de mente emotos, nec quid agendum eſſet cogitare valentes, ſubito trucidant : quorum ſortem & Paſiphilus expertus eſt. Iohannes enim cum Vandalis nonnullis in templum confugerat: quos Artabanes, fide data ut exirent perſuaſos, Byzantium miſit, magnam adeptus gloriam Carthaginis Romano Imperio ſervatæ, cuſtoditæque. Hic finis Gonthari di, die ex quo dominatum invaſerat, ſexto & triceſimo, quo tempore Iuſtinianus regnandi annum agebat undeviceſimum. Ex eo inclytus apud omnes populos Artabanes, eique Præjecta, Areobindi quæ fuerat, magna cum dote in matrimonium data eſt. præterea Africæ regendæ eundem impoſuit Imperator : rogantemque poſtea Byzantium reverti ut ſibi liceret, aſſenſit precibus, ſucceſſoremque ei moderandæ Africæ toti dedit Iohanni Pappi fratrem. is Iohannes ſimul in Africam venit, commiſſo cum Antala Mauriſque prælio victor, non hoſtes modo plurimos morti dedit, ſed & ſigna quæ Solomonis fuerant erepta ei, cum ipſe interiit, è barbaris recepta, miſit Imperatori, hoſteſque longe ſubmovit à Romanis finibus. aliquo poſt tempore Levathæ magno agmine è Tripolitana regione in Byzacium ſe intulere, Attalæque ſe junxere copiis. Quibus occurrens Iohannes improſpera pugna multis ſuorum amiſſis fugit ad Laribos. Tum vero hoſtes Carthaginem uſque per agros effuſi, quoſcunque Afrorum inciderant, inhumanis modis tractavere. Sed recollectis militum ſuorum reliquiis Iohannes, Mauriſque, non illis modo qui cum Cutzina erant, ſed aliis inſuper in
ſocie-

ſocietatem allectis, prælio iterum congreſſus, barbaros præter opinionem fudit. Sparſim fugientibus inſtantes Romani partem eorum occiderunt. reliquis Africæ ultima receptum & ſalutem dedere. Ita factum eſt, ut paucis & rerum egenis, qui in Africa remanſerant, otium tandem contingeret. Hæc Romanis per Africam acta nunc belli cum Gotthis ſcriptionem retro ordior.

PROCOPII CÆSAREENSIS

GOTTHICÆ HISTORIÆ

LIBER PRIMVS.

IS quem dixi rerum per Africam fuit exitus. Nunc in Gotthos bellum narrare aggredior, ſi prius ea commemoravero, quæ ante hoc bellum Gotthos inter atque Italos evenere. Quo tempore ſub Zenone erat Oriens, Occidentis in partibus regnabat Auguſtus, is quem minuente vocabulo Auguſtulum vulgus appellabat, quia puer ad imperium pervenerat, quod pater ipſius Oreſtes, vir prudens, adminiſtrabat. Aliquanto antè Romani Scirros & Alanos & alias nationes Gotthicas in ſocietatem attraxerant, unde ea illis ab Atalaricho & Attila acciderunt, quæ à nobis alibi ediſſertata ſunt. Quanto autem major vis barbarorum fuit, tanto Romani militis attrita eſt dignitas, ſic ut ſub auxiliorum ſpecioſo nomine externis ſerviretur: qui elati tum alia injunxere nolentibus, pudore nullo, tum eo pervenerunt ut dividi poſtularent Italiæ agros, partemque tertiam

tertiam ab Oreste suis usibus assignari. non assentientem, sine mora interfecerunt. Erat barbarorum unus Odoacer nomine, Imperatoris satellitio accensus, qui se præstiturum petita promisit, si per ipsos imperii potiretur. Eum in modum jus summum adeptus, Imperatori non ultra nocuit, quam quod in privati ordinem eum redactum post id haberet: tertiaque agrorum parte distributa, barbaros eo beneficio ita sibi devinxit, ut decem per annos imperium tenuerit. Eadem tempestate Gotthi, qui concessu Imperatoris Thraciam habitabant, arma in Romanos sumserunt, Theudericho duce, qui & ad patriciatus honorem & ad consulares fasces Byzantii pervenerat. At Zeno Imperator, gnarus rebus uti ut dabant tempora, Theudericho hortator est, ut in Italiam iret, Odoacroque dejecto, sibi ipse ac Gotthis pararet Occidentis regnum. Quippe satius homini in senatum allecto, Romæ atque Italis imperare, invasore pulso, quam arma in Imperatorem cum periculo experiri. accepta conditione, Theuderichus sequentibus se Gotthis Italiam petit. Imposuerant curribus mulieres puerosque, & quantum ferri poterat supellectilis. Ad Ionium mare ut venerant, destituti ad transvehendum navibus, oram obeuntes ad Taulantios finitimasque gentes pervenerunt. qui cum Odoacro erant in occursum cum se tulissent, præliis aliquot victi, suo cum duce Ravennæ sese & aliis circum locis, quæ munita maxime, inclusere. Obsidentes Gotthi alia aliis modis oppida ceperunt. At Cæsinam oppidum, trecentis stadiis Ravenna dissitum, Ravennamque ipsam, ubi se tenebat Odoacer, neque pactis neque vi potestati suæ subdere potuerunt. Iacet enim Ravenna in plano, qua desinit Adria, ipsa ne mare attingat duorum stadiorum intervallo prohibita, neque classe neque terrestri exercitu adiri facilis. Naves enim ad illud littus ne accedant, impe-

impedimento ſunt obtenta littori brevia, ſpatio ſtadiorum triginta admodum, quo fit ut cum ea ora proxima videatur navigantibus, longe tamen abſit, vadorum circumductu. Neque magis terra acceſſus eſt hoſtibus. Padus quippe, quem Eridanum vocant, è Gallicis montibus delapſus, aliique & ipſi navium patientes amnes & lacus, urbem undique circumfluam faciunt. Res mira quotidie illis in locis ſpectatur. Mane amnis in modum effuſum mare, quantum die uno vir expeditus iter faciat, terræ operit, & eam qua continens eſt facit navigabilem, iterumque circa veſperam dimittit alveum, & aquas iterum in ſe reſorbet. Quare quicunque inferre aut exportare res ſuas volunt, ſive mercandi ſive alia de cauſa, imponunt eas navibus deductis in eam planitiem quæ aqua ſuperari ſolet, ibique æſtus reditum exſpectant: qui ubi advenerit, paulatim attolli ab humo navigia ac vehere incipiunt, ſtatimque ſe nautæ accingunt operi: idque non ibi tantum, ſed per omnem illam fit oram, uſque Aquileiam: non tamen omni tempore eundem ad modum. nam cum tenue lucet Luna, minus etiam mare procedit. ab eadem dividua ad dividuam alteram, fertur majore impetu. Ita ſe illa naturæ pars habet. Cùm jam in tertium annum Gotthis ac Theudericho traheretur obſidio, Gotthi aſſidere mænibus feſſi, Odoacri milites rerum quibus vivitur penuria tentati, pacificante Ravennæ antiſtite, ita inter ſe comparant, ut pari jure Ravennæ imperent & Theuderichus & Odoacer. manſit pactis aliquamdiu fides: ſed eventus is fuit, ut Odoacrum, inſidiarum, ut quidem dicebatur, compertum, ad epulas vocatum Theuderichus dolo occideret. Is ex eo, conciliatis ſibi qui de hoſtibus ſupererant, Gotthos Italoſque moderatus eſt, Imperatoris Romani neque vocabulo neque inſignibus aſſumptis, rex contentus vocari, quod Imperii apud barba-

barbaros nomen est. Ita autem sibi parentibus præfuit, ut vere Imperatori conveniens decus nullum ipsi abesset. Iustitiæ magnus ei cultus, legumque diligens custodia. Terras à vicinis barbaris servavit intactas, solertiæ fortitudinisque summus. Injuria subditorum quenquam nec afficiebat ipse, nec affici ab aliis sinebat, demto quod partem agrorum, quam Odoacri milites possederant, inter se Gotthi partiti sunt. Verbo igitur invasor, reipsa Imperator & clarissimis quibus id nomen obtigerat, nulla parte minor, multum à Gotthis, æque ab Italis amabatur, more scilicet humani ingenii, quo fit ut cum in imperio gerendo alii alia sequantur instituta, statim placeat regimen, quibus res è voto eveniunt: grave sit illis, quibus non è sententia res cadunt. Adeptæ potentiæ post annos septem & triginta, vivendi fecit finem, tam hostibus semper formidatus, quam ingens sui desiderium subditis relinquens. Mors ejus quem in modum acciderit, dicam. Symmachus & Boethius ejus gener, nobilissima stirpe orti Senatores & consulatum adepti erant: ambo sapientiæ studiis exerciti, ambo juris observantes supra quam dici posset erant: multis civium, multis & externis promti solari inopiam, fama insignes, inde sibi acerbissimorum hominum invidiam peperere: His calumniam in illos appetitarum rerum novarum struentibus fidem habens Theuderichus vitam utrique ademit, bona redegit in fiscum. Non multis diebus post cænanti regi appositus à ministris est piscis magni caput: id Theuderricho caput visum occisi nuper esse Symmachi, dentibusque in labrum inferius impressis, sævumque & horrendum intuens minas ipsi intentare. Portentoso visu exterritus ingentique percussus frigore cursu cubiculum petiit: jussisque insterni sibi multis vestibus, quievit. Post id Elpidio medico re omni enuntiata, in Symmachum ac Boe-

Boethium quod peccaverat deflevit: pœnitentiæque ac doloris magnitudine non multo post obiit. Id illi injuriæ in subditos primum ac postremum fuit, quod non adhibita, ut solebat, inquisitione de viris tantis statuerat. Mortuo in regnum successit Atalarichus, filia ejus genitus annorum octo, quam educebat mater Amalasuntha, patre pridem ademto rebus humanis. Non multum intercessit temporis, cum Byzantii ad imperium pervênit Iustinianus. Amalasuntha interim tutelam pueri regnique gessit, ingenio ac justitia excellens, animo plane virili. Quæ dum regimen tenuit, Romano nulli aut corporis aut bonorum pœnam irrogavit, & Gotthos vexare eos cupientibus non concessit: quin & liberis Symmachi & Boethii paterna reddidit bona. volebat autem Amalasuntha institui Atalarichum in modum quo Romanorum primores solent: itaque & ludi magistrum ei dederat, & de Gotthis tres elegerat senes, quos sollertia & æqui cultu præstantes noverat, quibuscum assuesceret. Non probabantur hæc Gotthis, qui, cupiditate licentiæ in subditos, barbaricum regimen præoptabant. forte evenerat, ut peccantem aliquid in cubiculo puerum mater alapa admoneret, qui lachrymans in partem ædium viris sepositam se proripuit. qui in eum inciderunt Gotthi, graviter id tulere. Etiam criminabantur Amalasuntham, ut quæ filium optaret quam primum vitæ eximi, quo ipsa alii viro nuberet, eoque socio & Gotthis & Italis dominaretur. Congregati qui eorum eximii erant, ad Amalasuntham ubi venerant, expostulabant, non recte puerum, neque ut Regem deceret, educari. multum abesse à virtute literas: & senili institutione dejici plerumque & ad metum incurvari indolem. Qui magna ausurus, qui bello decora sit quæsiturus, debere liberum à magistrorum metu, armis tractandis erudiri. Ne Theudericho quidem placuisse,

cuisse, ullos Gotthorum pueros ad ludum literarium mitti: quippe solitum dicere, fieri non posse, ut qui didicissent flagra extimescere ad contemtum ensium hastarumque assurgerent. Cogitandum ipsi Theuderichum, tanto terrarum domito, in regni, nisi jus armorum spectetur, alieni possessione mortuum, qui literas ne auditu quidem attigisset. Quare tu quoque, ajebant, regina, literatores istos jube valere. Atalaricho autem sodales da coævos, qui cum ipso ad majorem ætatem pervenientes, auctores ipsi sint imperandi, ita ut mos est nobis barbaris. Non placebant hæc Amalasunthæ: sed insidias Gotthorum metuens, assensum simulavit, probavitque cuncta quæ petierant. Ita abactis senibus, pueri Atalaricho omnis vitæ socii facti sunt, nondum plenæ pubertatis, ita tamen ut haud longe abessent, qui eum, simul adoleverat, in vinolentiam ac stupra incitantes, brevi pravis moribus imbuere, matrique, per stuporem ingenii, non modo immorigerum fecere, sed & ita ejus securum, ut aperte in eam conjurantibus barbaris nihil id pensi faceret, ne tum quidem cum eam omni exuta reverentia de penatibus regiis excedere juberent. At Amalasuntha, neque exterrita Gotthorum in se coitione, nec quicquam muliebriter remittens, sed animi vere regii magnitudinem tunc quoque ostendens, tres barbarorum præcipuos factionisque in se principes jubet in ultima Italiæ ire, non eandem in partem omnes; sed longissimis intervallis. prætextus erat, ut terram ab hostium insultu tutarentur. Haud eo minus tres illi consilia inter se junxere amicis cognatisque internuntiis, qui, magno quamvis itinere, convenerant malum Amalasunthæ struentes. horum intolerans mulier, nova consilia capit. mittit ad Byzantium ex Iustiniano Imperatore sciscitaturos, placeretne ipsi venire ad eum Amalasuntham Theuderichi filiam: velle enim

eam

eam quamprimum Italia excedere. Imperator nuntio gavisus, hortatus est ut veniret, atque Epidamni ædes pulcherrimas paratas haberi jussit, ut ubi advenisset Amalasuntha, ibi diverteret, & quantum vellet morata, pergeret Byzantium. Quibus Amalasuntha cognitis, lectos è Gotthis viros acres sibique intimos mittit in cædem eorum trium quos factionis in ipsam duces fuisse modo memoravi. Simul impositis in navem pecuniis, præterque cæteras auri quadragies mille pondo, hominibus fidis imperat ea conscensa ferri Epidamnum. ubi appropinquassent, consistere in portu: ut si tres illi perirent, maneret ipsa navemque revocaret, absoluta ab inimicorum metu: si quis vero evasisset trium, adempta sibi spe bona omni, properaret navigare, receptumque sibi & pecuniis apud Imperatoris terras prehendere. Hoc Amalasuntha proposito navem Epidamnum miserat. ubi in portum pervenerant, quibus illa navem commiserat, stetere imperatis. Non multo post Amalasuntha, cædibus ex optato confectis, nave revocata Ravennæ manens, potentiam sibi omnibus modis firmavit. Erat in Gotthis, Theudatus nomine, Amalafridæ filius, quæ Theuderichi soror fuerat, provectæ homo ætatis, in Latino sermone Platonisque dogmate institutus, militiæ imperitus, animo minime excitato, rei faciendæ supra modum intentus. Hic multorum per Thusciam prædiorum dominus, etiam quæ ipsi non obtigerant per vim adimere possessoribus in animo habebat. vicinos enim habere maximum ei malum videbatur. Hanc illius cupiditatem reprimere volebat Amalasuntha. ea illi in ipsam gravis odii causa. quo impulsus Thusciam Iustiniano statuit tradere, ut magnis acceptis pecuniis, & senatorio nomine, vitæ reliquum degeret Byzantii. Hæc dum ille agitat, legati à Byzantio ad Romæ antistitem veniunt, Ephesi antistes Hypa-

tius, Philipporum vero Macedoniæ provinciæ Demetrius, ob ea quæ inter ſe controverſa Chriſtiani habent. Ea vero quæ ſint, quanquam percognita, memorare me tædeat. Inſanæ enim temeritatis eſſe exiſtimo naturam Dei qualis ſit ſcrutari. Homini quippe nec humana, quantum ego exiſtimo, plane in aperto ſunt. tantum abeſt ut ei pateant ea quæ ad æternum numen pertinent. Liceat ergo mihi impune de talibus ſilere, non commoventi ea quæ aliis ſancta habentur. Ipſe hoc tantum de Deo quod dicam habeo, eſſe eum omnino bonum, ejuſque poteſtate omnia contineri. qui plus ſcierit, plus de eo dicat, ſive in ſacerdotum eſt ordine, ſive in plebe. At Theudatus clam cum legatis illis locutus, rogavit ut ſibi deſtinata, de quibus ante diſſerui, ad Iuſtinianum perferrent. Interim Atalarichus ex quotidiana crapula in tabem inciderat. Id anxiam habuit Amalaſuntham. Nam neque pueri in ſe animo fidere poterat,eo vecordiæ delapſo: Et ſi è rebus humanis exiret Atalarichus, non credebat vitam ſuam extra periculum fore inter tantas Gotthorum principum offenſas. Propter hæc Gotthorum Italiæque dominatum volebat Iuſtiniano tradere, inveniendæ ſaluti. Cum Demetrio & Hypatio vir Senatorius Alexander venerat. Nam poſtquam Amalaſunthæ navigium in Epidamni portum perveniſſe cognoverat Iuſtinianus, ipſam autem multo jam tempore moram trahere, Alexandrum miſerat, ut quæ Amalaſunthæ agebantur, ſpeculatus, renuntiaret. Cæterum obtendebatur materia legationi, quod ob Lilybæi negotium, narratum mihi alibi, ſucceſeret Imperator: quodque Hunni decem, caſtrorum in Africa deſertores, in Campaniam profugi, ab Vliari Neapolis præfecto, non nolente Amalaſuntha, recepti eſſent: quodque Gotthi in Gepidas circa Sirmium agentes in bellum impliciti Gratianam urbem in Illyrici finibus

finibus hostiliter tractassent. Has querelas habens Imperator, & literas de iis perscripserat, & legationem de iis injunxerat Alexandro. Qui ubi Ravennam perductus in conspectum venerat Amalasunthæ, clam ei mandata Imperatoris significavit, literas autem & palam tradidit, quarum hic erat tenor. Lilybæi castellum quod nostri est juris, vi tenes. barbaros militiæ meæ fugitivos intra fines tuos admisisti, neque induci hactenus potuisti, ut redderes. Gratianam Imperii mei urbem nihil ad te pertinentem inclementer vexasti. quo hæc eruptura sint omnia, serio cogitandum tibi est. perlectis literis hunc in modum mulier respondit: Regem & potentem & honesti amantem decet magis pupillo, rerum quæ geruntur ignaro, opitulari, quam sine causa lites serere. Gloriosa nemini nisi ex æquo stanti victoria est. crimina in Atalarichum quæris, Lilybæum, & exsules decem, & militum in suos hostes euntium culpam adversus amicam civitatem errore commissam. Noli talia, noli Imperator. Id te cogitare æquius, cum Vandalis bellum immitteres, non modo non obstitisse nos, sed & viam & commeatus emendi jus promto dedisse animo: ad hæc tum alia, tum equorum copiam, maximum ad Victoriam momentum. Socium, ni fallor, & amicum recte voces, non eum tantum qui aperte arma in hostem jungit, verum & qui bellanti ea subministrat quibus bellum indiget. Iam & illud reputa, classem tuam neque extra Siciliam habuisse quo è mari appelleret, neque sine iis rebus quas in Sicilia emistis, potuisse in Africam navigare: ita ut causæ ad vincendum potissimæ à nobis venerint. nam qui difficultates expedit, in successus accepto ferri rationis est. quid autem homini suavius, Imperator, quam de hostibus lauream reportare? Satis hoc ipso damni patimur, quod non bellicæ societatis lege in partem prædæ vocamur. Tu

vero insuper Siciliæ Lilybæum, pridem Gotthicæ ditionis, abripere nobis vis, Imperator, rupem unam, nullo in pretio censendam: quam æquum fuerat, si tui fuisset imperii, Atalaricho abs te dari, pro officiis quæ vobis fecit tempore vestro maxime necessario. Hæc palam scripsit Imperatori Amalasuntha. in arcano Italiam se omnem promisit ei in manus daturam. Legati, ut Byzantium venerant, intellecta sibi ad Imperatoris notitiam pertulerunt, Alexander quæ Amalasuntha mandaverat, Demetrius & Hypatius quæ ex Theudato audierant: addebantque hi, maximam in Thuscia esse Theudati potentiam, agros ab eo teneri plurimos, ita ut quæ cuperet effecta dare ei in facili esset. Lætus his Imperator, mittit in Italiam Petrum, ortu Illyricum ex Thessalonica, ex oratorum Byzantii ordine, magna sollertia hominem, lenitate non minori, & persuadere quæ vellet efficacem. Hæc dum aguntur, ex Thuscia multi Theudatum apud Amalasuntham accusant, quod vim in omnes inferret, nullisque de causis agros raperet, tum possessorum, tum ipsius domus regiæ quam patrimonium dici mos habet. ob hæc vocatum in jus Theudatum manifestissimaque probatione ab arguentibus convictum, restituere coëgit quæ per injuriam abstulerat, atque eum cum dimisisset, gravem in ejus animo offensionem reliquit, mansitque ei discors, cupiditate in iram accenso, ut qui speratis excidere cogique non didicisset. Sub idem tempus adesus morbo Atalarichus mortalitatem explevit, adepto imperio octo per annos superstes. At Amalasuntha (quam fato mala manebant) nec ingenium Theudati expendens, nec quæ ipsa in eum nuper fecerat, nihil se ab ipso passuram mali credidit, si majore eum beneficio muneraretur. Vocatum ad se, ut venit, aggressa blanditiis, pridem præsagisse se ait imminentem filio exitum, tum judicio medicorum talia

noscen-

noſcentium, tum quod ipſa corpus ejus in dies attenuari ſenſiſſet. ſimul deprehenſum ſibi, ipſum Theudatum, Theuderichi proximum ſanguine, tum apud Gotthos tum apud Italos non in optima eſſe fama: cogitaſſe, quemadmodum ei iſtam elueret maculam, ne quid ad regnum adipiſcendum impedimento ei eſſet. motam ſe & æqui reſpectu, ne ſi qui injuria ſe, ut nuper, affectos quererentur, non haberent ad quem gemitus ſuos deferrent, & in durum inſuper inciderent dominum. Nunc purgatum omnibus ad regnum à ſe vocari. ſed ita, ſi jurisjurandi ſanctiſſima fide ſe obſtringeret, contentum imperii nomine ſe Amalaſunthæ relicturum quantumcunque habuerat hactenus potentiæ. Hæc poſtquam audierat Theudatus, jusjurandum Amalaſunthæ, quale conceperat ipſa, dedit, fallendi animo, prius in ſe commiſſorum non immemor. Sic Amalaſuntha ſuopte conſilio, & Theudati perjurio decepta, in imperio inimicum collocat, remque per legatos ſignificat Iuſtiniano. ille ſimul regni compos fuit, cuncta agit contraria & illius exſpectationi & promiſſis ſuis. Nam eorum quos Amalaſuntha occidi juſſerat cognatos (ii & multi erant & magnæ apud Gotthos exiſtimationis) honoribus attollit, & Amalaſunthæ familiares ſubito nonnullos necat, & ipſam, priuſquam legati à Byzantio redirent, dat in cuſtodiam. Eſt in Thuſcia Volſinienſis nomine lacus, inque eo perpetua inſula parva, ſed firmiſſimum habens caſtellum. ibi incluſam Amalaſuntham Theudatus ſervabat. Sed præmetuens ne quod evenit, Imperatorem ea res offenderet, viros Senatorios, Liberium & Opilionem, cumque his alios miſit, placando omnibus modis Imperatori, juſſos affirmare nihil à ſe factum Amalaſunthæ nolenti quod eſſet, quanquam ab ipſa graves acceperat injurias. Eumque in ſenſum & ipſe ſcripſit Imperatori, & Amalaſuntham,

 ut

ut ſcriberet, coegit. Hæc eum ſe habebant in modum. At Petro præſcripſerat Imperator, clàm ut Theudatum conveniret, exactaque ab eo jurisjurandi fide occultandi arcani, de Thuſcia conficeret negotium. Neque minus cum Amalaſuntha ſecreto colloquio efficeret, ut de omni Italia tradenda ex utriuſque uſu conſtitueretur. In aperto de Lilybæo & quæ alia ſupra nobis memorata ſunt, Legationi prætenderet. Nondum enim aut Atalarichi mortem aut Amalaſunthæ calamitatem Imperator intellexerat. Petrus iter ingreſſus, primum Amalaſunthæ legatis obvius, diſcit regnare Theudatum. Poſt ubi Aulona pervenerat, Ionio adjacentem mari, cum in Liberium ibi & Opilionem incidiſſet, rem omnem cognovit, Imperatorique indicio facto, ibi ſubſtitit. Iuſtinianus ea poſtquam perceperat, committere Gotthos & Theudatum volens, ad Amalaſuntham dedit literas, quibus ſignificabat, ipſius ſe curam quam maxime gerere, idque factis oſtenſurum. Petro vero præcepit, ne id conſilium ſuum occultum haberet, ſed & Theudato & Gotthis notum palam faceret. At ex Italia legati, alii quidem ubi Byzantium venerant, rem, ita ut erat, Imperatori narrarunt, Liberius maxime, vir honeſti ſtudioſus & tenax veri: ſolus Opilio pertendebat aſſerere, nihil à Theudato nocitum Amalaſunthæ. Cum Italiam attigiſſet Petrus, mors evenit Amalaſunthæ. Propinqui enim eorum quibus illa vitam ademerat, Theudatum adierant, neque ipſi neque ſibi dicentes in tuto vitam fore, niſi quamprimum eximeretur rebus humanis Amalaſuntha: concedente ipſo ſine mora ad inſulam profecti Amalaſuntham interimunt. graviter id tulere & Itali omnes & Gotthorum cæteri. Fuerat enim æqui & boni perquam amans mulier, ut à nobis alibi demonſtratum eſt. Petrus igitur Theudato Gotthiſque publice denuntiavit Imperatorem tam ſævum

vum facinus in ipſos bello vindicaturum. At Theudatus præ animi vecordia, cùm in honore haberet maximo eos qui Amalaſunthæ nece ſe cruentaverant, Petro interim ipſique Imperatori perſuaſum volebat, ſe nolente, adeo non probante, cædem peractam. Interea parta Beliſario fuit de Gelimere & Vandalis victoria. Itaque Imperator, ubi Amalaſunthæ exitum cognovit, omnia paravit bello, annum jam imperandi nonum habens. In id Mundum Illyrici exercitus ducem in Dalmatiam mittit parentem Gotthis. ac dare operam jubet Salonas ut caperet. Erat is Mundus ortu barbarus, cæterum fidus Imperatori ac bello egregius. Beliſarium autem navibus proficiſci jubet, milites habentem è legionibus ac federatis quater mille, Iſaurorum ter mille admodum. Præerant his clari ductores Conſtantinus & Beſſus è Thracia: Peranius ex ea Iberia quæ Medos attingit, natus quidem ex illis erat Iberis qui Perſarum regi parebant, ſed, non inſolito Perſis, ad Romanos tranſierat. Equitem regebant Valentinus, Magnus, Innocentius: legiones Herodianus, Paulus, Demetrius, Vrſicinus: Iſauris ductor Ennas. Sequebantur & auxilia, Hunni ducenti, Mauri trecenti. Vniverſo exercitui liberrima cum poteſtate Beliſarius imperabat, ſatellitibus protectoribuſque & multis ſtipatus & egregiis. Aderat & Photius Antoninæ Beliſario nuptæ filius è priore conjuge, ejus ætatis qua naſci barba incipit, ingenio ac ſollertia ſupra annos. Beliſario præceperat Imperator, famam ut ſpargeret petentis Carthaginem. at ubi in Siciliam ventum eſſet, velut neceſſitate adactus exſcendere, tentaret, ſpeſne eſſet ſubigendæ ſub ditionem inſulæ. quod ſi faciles ſe darent ſucceſſus, occupatam ne dimitteret: ſi nimis id arduum, in Africam pergeret, conſilium illud diſſimulans. Etiam ad Francorum principes Imperator ſcripſit hunc in modum.

Gotthi rapta Italia, quæ noſtri haud dubie eſt juris, non modo reddere eam non curant, ſed & aliis inſuper nos laceſſierunt injuriis, atrocibus nec ferendis. quibus exciti arma in eos ſumimus. Vos æquum eſt in partem venire belli, conjunctos quippe nobis & vera de divinis ſententia, quando Arii placita vos quoque damnatis, & in Gotthos odio. Literis dona mulcendis Francis Imperator addit, majora pollicitans ubi arma ſumſiſſent. Strenuos ſe in bello ſocios promiſerunt. Mundus interim, quique cum eo exercitus, in Dalmatiam ut venerant, cum Gotthis congreſſi prælio, victoreſque Salonas ceperant. Beliſarius in Siciliam pervectus Catinam fecit ſuæ poteſtatis. Inde pergens, Syracuſas urbeſque alias conditionibus ſibi adjunxit, dempta Panormo quam acriter ſervabant Gotthi, fiſi mœnibus, quibus firmis defendebatur: neque tantum paciſci cum Beliſario abnuebant, ſed ultro eum jubebant abſiſtere. Ille expenſo, non poſſe terra oppidum capi, claſſem immittit portui qui mænia attingebat, cætera extra oppidum projectus, hominumque vacuus. ubi navibus appropinquatum, mali earum ſupra mœnia eminebant. ab horum faſtigio navium lembos omnes ſuſpendit, plenos Sagittariis. inde de loco ſuperiore icti hoſtes, magna formidine ſunt perciti: ac confeſtim cum Beliſario pacti oppidum tradiderunt. ex eo Siciliam Imperator, ut olim, ſub tributi lege ſibi obnoxiam habuit. Hoc tempore Beliſario res ſupra modum proſpera evênit. quem enim ob devictos Vandalos acceperat conſulatum, eum gerens Siciliam omnem cum perdomuiſſet, ultimo magiſtratus die Syracuſas invectus eſt, magno militum, magno & Siculorum plauſu, nummoſque de more aureos jecit in vulgus. Neque id deſtinato ei curatum, ſed forte ita congruerat, ut idem dies confecto Siciliæ ſubigendæ labore Syracuſas eum duceret,

ceret, consulatumque Byzantii in ipsa curia deponi solitum ibi clauderet. Et hoc quidem Belisario feliciter, ut dixi, cecidit. Hæc postquam intellexerat Petrus, instare magis ac magis, ac perterrere Theudatum. is vero metu vecors, non minus quam si cum Gelimere captus & ipse traheretur, clam cæteros cum Petro agitatis colloquiis, rem ad pacta deduxit, ut Siciliam Imperatori concederet Theudatus, aureamque ipsi quotannis mitteret coronam, pendentem trecentas libras: Gotthos præterea ter mille pugnæ idoneos petenti daret: ne liceret Theudato aut sacerdotum aut Senatorum quenquam morti, aut bona eorum fisco addicere, Imperatoris impermissu: si quem suorum vellet Theudatus, aut ad patriciatus culmen, aut ad dignationem Senatoris evehere, id ne ipse faceret, sed Imperatorem ut faceret, rogaret: inque festis acclamationibus populus Romanus tum in Theatro, tum in Circo ante Theudati nomen Imperatoris nomen celebraret: neve ulla effigies ex ære aliave materia Theudato soli, sed unà & Imperatori poneretur, & ita, ut dexter Theudato staret Imperator. His conscriptis pactionibus, legatum Theudatus dimisit. At non multo post animi infirmitas hominem in metus conjecit incredibiles, mentemque emovit ad ipsum belli nomen trepidantem, quotiescunque cogitabat, si Imperatori inter se Petrumque conventa non probarentur, Marte utendum arbitro. Revocatum igitur Petrum, qui jam Albam pervenerat, arcana ad colloquia, interrogat, placiturane pacta crederet Imperatori? cum is ita se existimare diceret, quod si tamen non placeant, inquit, quid erit? Restat, ait Petrus, ut pugnes vir bone. At justane hæc, carissime legate, inquit Theudatus? At Petrus quî non justum sit, ait, vir optime, in suis cujusque animum immanere institutis. quid hoc sibi vellet quærenti Theudato, sic explicat:

 tibi

tibi ſapientiæ ſtudia colere, proprium: Iuſtiniano fortiter agere. multum autem hæc inter ſe differunt. ſapientum ſectanti inſtituta cauſam præbere hominum neci, præſertim plurimorum, non convenit: præſertim ei qui ex Platonis ſit diſciplina, quam profitentem vel una cæde pollui nefas. At illum non dedecet repetere terram, quam conſtet fuiſſe ejus, quod ipſi commiſſum eſt imperii. His monitis in animum admiſſis Theudatus, promiſit ſe Imperatoris Iuſtiniani in gratiam de principatu exiturum. In id & ipſe & uxor ejus jusjurandum dedit. Petrum viciſſim jurejurando obligarunt, non prius hæc aperta facere, quam Imperatori videret repudiari, quæ prius convenerant. Ad commendanda illa pacta priora Ruſticum ſacerdotio fungentem, civem Romanum, ſibi valde familiarem una miſit Theudatus, additis literis. Petrus igitur & is Ruſticus Byzantium cum perveniſſent, ita ut præceperat Theudatus, priora conventa Imperatori nuntiarunt: & poſtquam is illa accipere neutiquam volebat, oſtendunt quæ poſterius perſcripta fuerant. Eorum hic erat tenor. Non ſum, Imperator, aulæ advena: natus ſcilicet in avunculi regia, edoctuſque ut tali genere ortum educi par erat. bellorum turbida non didici. Literarum tactus cupidine, in illis trivi ævum: atque ob id hactenus à præliorum ſtrepitu longiſſime me removi. Quare indecorum mihi ſit, illectum honoribus regni vitam cum periculis ſumere: cum utroque liberari liceat, neutrum magni ducentem: non illud, quia ſatietate pretium amiſit: ſolet enim res quamvis dulces ex copia faſtidium ſequi: neque hoc, quia inſuetum omne percellit animum. Si mihi prædia dentur, quorum obventiones ad auri pondo mille ducenta pertingant, non illis regnum mihi erit carius: tibi Gotthorum Italorumque tranſſcribam regimen, præoptans in otio ruſticari, quam

in

in regali vivere ſollicitudine, pericula ex periculis proſeminante: Tu quam ocyus virum mitte, cui Italiam cæteraque regni tradi cupias. talia ſignificabant Theudati literæ. At Imperator mirum in modum his lætatus, ita reſcripſit: Prudentem te fama audieram: nunc rerum documentis talem novi: cum belli exitum opperiri noluiſti, quod qui fecere alii, graviſſimis ſe malis implicuerunt. Te non pœnitebit amicos nos quam hoſtes maluiſſe. Non ea tantum quæ poſtulas obtinebis, ſed & honores quos mos Romanus novit maximos. Nunc Athanaſium Petrumque miſi, ut conventionibus mutuis res firmetur. Veniet mox ad te Beliſarius, qui conventa perficiat. His Imperator ſcriptis Athanaſium fratrem Alexandri ejus quem ad Atalarichum functum legatione alibi memoravi, Petrumque oratorem eundem quem ante, mittit, præcipiens eis, ut regalis domus prædia, patrimonii quæ vocantur, Theudato permittant: conventa autem & literis muniant & jurejurando. Tum è Sicilia advocent Beliſarium ut regiam omnemque Italiam in manus accipiat cuſtodiatque. Beliſario autem imperavit, advocatus ſine mora eo ſe conferret. Dum hæc agit Imperator, & in itinere Italiam verſus occupantur legati, Gotthi tum aliis ducibus, tum præcipuis Aſinario & Grippa, magno cum exercitu in Dalmatiam venere. ubi Salonas prope ventum eſt, occurrit ei Mauritius Mundi filius non cum multis, quippe non ad pugnam ſed exploratum progreſſus. Acri facto prælio, Gotthorum nobiliſſimi ac fortiſſimi cadunt, Romani exercitus propemodum omnes & ductor ipſe Mauritius. Quod ubi intellexit Mundus, dolore ac ſimul ira percitus ſubito in hoſtem rapit incompoſitum agmen. Pugnatoque iterum, Romanis victoria, ſed quæ Cadmea dicitur, obtigit: Hoſtium enim pleriſque occiſis egregium partum eſt decus. At Mundus

dus cædi insistens, & quacunque poterat hostem persequens, adeo præ luctu amissi filii sui compos non erat, à fugientium aliquo vulneratus interiit. isque insequendi Romanis finis fuit: diremtique exercitus. Tunc Romanos memoria subiit Sibyllini versus qui diu cantatus ingens prodigium significare credebatur. indicabat enim oraculum futurum ut, si teneretur Africa, exitium immineret Vniverso ejusque generi. Non tamen is erat qui putabatur sensus vaticinii: sed prædicto, rursum Africam sub Romanis fore, subjiciebatur eodem tempore periturum cum filio Mundum: Hæc enim erant verba. Africa capta est: Mundus & ejus nate peristis. At quia latino sermone, quo editum erat id vaticinium, Mundus hanc universi compagem significat, inde plerique rerum omnium interitum augurabantur. Hoc ita se habuit. At Salonas intravit nemo. Rediere enim ad sua Romani, duce destituti: Gotthi vero, nullo sibi primorum superstite, tacti formidine, proximis se castellis tenebant. Neque enim aut Salonarum mœnibus satis fidebant, neque Romanorum ibidem habitantium in se animo. quæ ubi comperit Theudatus, legatos, qui jam advenerant, nullo in loco ducere. erat enim ingenium illi ad perfidiam proclive, minimeque sibi constans animus: sed semper eum præsens fortuna contra rationem ac dignitatem modo in immodicum impellebat pavorem, modo in præcipitem arrogantiam. Inde factum ut tunc Mauritii Mundique cognita morte, spiritus sumeret non pro modo eorum quæ contigerant: legatosque ad se admissos multis modis offenderet, cumque Petrus criminatus eum esset ut violatorem eorum quæ cum Imperatore pepigerat, advocato ad se utroque sic diceret. legatorum venerandum est nomen & apud gentes omnes honoratum. Sed tamdiu sui reverentiam sibi salvam præstant legati, quamdiu mode-

stiam

ſtiam ſibi cuſtodem adhibent, ne legatis decôra egrediuntur. Alioqui ſi legatus regem contumeliis inſultet, ſi alienum lectum polluat, etiam interfici eum jure poſſe, conſentit humanum genus. Iaciebat hæc in Petrum Theudatus, non quod is adulter eſſet, ſed ut oſtenderet ad necem legati quaſdam cauſas valere. Ad hæc reſpondent legati. Non ita ut ais, Gotthorum princeps, res ſe habet: ſed cave inania obtendens nefas in homines legatos admittere. Adulteria quærere legato nec ſi velit datur, cui vix aquæ ſit copia, niſi volentibus cuſtodibus. Quæ autem mittentis juſſu verba enuntiat, eorum culpam, ſi quid peccatur, non ipſi, ſed ei qui imperavit, æquum eſt imputari: cum legato obſequii incumbat neceſſitas. Nos igitur omnia dicemus, quæ nobis, cum nos mitteret edixit Imperator, tuum erit ea æquo audire animo: ne ſi tibi is turbatus ſit, legatorum ſanctimoniam violes. Tempus eſt tandem implere ut velis, quæ Imperatori es pollicitus: ejus ergo venimus: Quas tibi ſcripſit Imperator literas, jam habes. ad Gotthorum proceres ſcriptas non aliis quam ipſis trademus. verùm iſta dicente Petro Gotthorum primores, aderant enim, deſtinatas ad ſe literas Theudato tradi poſtulant: iis hæc continebantur. Curæ nobis fuit vos noſtro complecti imperio: quod lætum vobis eſſe debet. coaleſcetis enim in noſtrum corpus, nulla re imminuti, cum dignitatis etiam incremento. Nec ad peregrina aut incognita Gotthos invitamus. Inſueviſtis olim iiſdem, quanquam poſtea divortium intervênit. Eam ob cauſam miſſi iſtuc ſunt Athanaſius & Petrus, quibus vos opitulari æquum erit. Hic erat literarum tenor. At Theudatus, his quoque lectis, nihil eorum quæ Imperatori ſpoponderat, implere conſtituit, legatoſque ipſos in dura habet cuſtodia. Poſtquam & hæc & quæ in Dalmatia evenerant, percepit Iuſtinianus,

Con-

Constantianum, qui equisonibus ipsius præerat, in Illyricum mittit, cum mandatis ut exercitum ibi colligeret & in Salonas, si quid posset, experiretur: Belisarium vero jubet quam primum in Italiam transgredi, & Gotthos hostiliter habere. Constantianus Epidamnum venit, ibique moratus nonnihil, contraxit militem. Interea Gotthi, Grippa duce, & ipsi novo cum exercitu Dalmatiam ingressi, Salonas intravere. Constantianus vero, ubi cuncta expedita habuit, ex Epidamno cum omni classe solvens Epidaurum attigit, quæ urbs Adriam penetranti ad dextrum est latus. Agebant iis in locis exploratores quos Grippas miserat. quibus & classem & exercitum Constantiani conspicientibus, visa terra, visa maria plena militum. Hi ad Grippam reversi, venire immensa hominum millia cum Constantiano renuntiant. unde in metum ingentem conjectus ipse, obviam ire invasoribus non ex usu suo duxit: neque minus cavit obsideri ab exercitu Imperatoris, adeo potentis etiam mari. Imprimis autem eum terruerant Salonarum mænia magna parte hiantia ruinis, suspectaque in Gotthos ibidem habitantium fides. Quapropter abducto inde quam celerrime exercitu, consedit campo, qui Salonas inter Crotonemque est. At Constantianus, cum navibus universis Epidauro navigans, Lysiam advenit eidem Adriæ adsitam urbem. Inde comitum suorum aliquos misit ut Grippæ res quo essent loco, quid is ageret, ad se referrent. ab his cuncta edoctus, sine mora Salonas navigat. ubi appropinquaverat, exposito in terram exercitu, ibi quievit. At quingentos suorum lectos, duce dato Siphylla suo è satellitio, jussit ire & capere angustias quæ sub urbem erant. exsecutus imperium est Siphyllas. Postridie terra simul marique adductis copiis ingressus est urbem Constantianus: statimque curam ad mœnia adjicit, reparandis quæ corruerant.

ruerant. Salonis in Romanam redactis potestatem, septimo post die Grippas Gotthorumque exercitus iis ex locis se auferentes Ravennam ivere. Eum in modum Constantianus Dalmatiæ potitus Liburnæque oræ, quicunque ibi larem fixerant Gotthos suis partibus adjunxit. Sic se habentibus Dalmatiæ rebus, hyems clausit annum primum hujus belli quod à Procopio describitur. Belisarius tum Syracusæ, tum Panormi relictis præsidiis, cum cætero exercitu Messena Rhegium transiit, ubi fretum est Scylla & Charybdi, poëtarum fabulis, celebre. Eo multi quotidie ad ipsum confluebant, partim diffisi custodiæ oppidorum à multo tempore mænibus carentium, partim Gotthorum odio, gravati, ut fieri solet, præsentia. sed & à Gotthis ad Belisarium transfugit Ebrimor cum suo comitatu, Theudati gener, filiæ quippe ejus Theudenanthæ conjugio sociatus, missusque ad Imperatorem, tum alia consecutus est præmia, tum patriciatus dignitatem. A Rhegio pedestris exercitus per Brutios & Lucanos ibat: sequebatur classis, quantum poterat oram legens. In Campaniam ut ventum, oppidumque maritimum Neapolim, firmum per se ac multo Gotthorum præsidio, naves Belisarius in portu extra telorum jactus jubet consistere. ipse prope oppidum positis castris, suburbanum statim castellum conditionibus accepit. Tum rogantibus oppidanis permisit de suorum primoribus in castra mittere, ut & dicerent quæ opus, & à se vicissim audita civitati renuntiarent. Stephanum Neapolitani misere, qui ubi Belisarium adiit, sic elocutus est. Non æquum facis, dux egregie, qui in Romanos, homines nulla tibi injuria cognitos, armatus venias. Nobis & oppidum est exiguum, & barbari custodes, id vero est, domini, ita ut nec si velimus nostræ sit potestatis quicquam adversus eos admittere. Tum vero custodes illi liberos, con-

conjuges & quicquid carum est, in Theudati manibus reliquere cùm ad agitandum hic præsidium mitterentur. Quare si quid hic vobiscum agent, non tam oppidum quam se prodent. quod si licet tutumque est nihil dissimulando verum eloqui, ne ex vestro quidem usu est quod nos impetitis. Roma si vobis capietur, accedet nullo negotio & Neapolis: Quod si inde, ut credibile est, rejecti fueritis, ne hujus quidem loci diuturna vobis erit possessio. spe igitur inani in hanc obsidionem tempus insumetis. Respondit Belisarius: Rectone consilio huc venerimus an secus, ea de re judicium Neapolitanis non permittimus. sed quæ vestri sunt arbitrii iis vos expensis volumus id constituere quod è re vestra ducetis maxime. Accipite igitur Imperatoris militem, qui in has terras venit ut vobis Italisque cæteris libertatem daret, nec quæ in rebus humanis tristissima sunt in vos accersite. Nam qui ut servitutem aut alia fœda effugiant, arma induunt, hi, sive bene ceciderit certamen, bis felices sunt, & ipsa victoria & malorum vitatu: sive res sequius eveniat, habent victi solatium, quod pejora non sponte elegerint: contra qui, cum sine pugna libertas se offerat, ad firmandam servitutem suam pericula subeunt, hi, etiamsi obtingat victoria, damnum faciunt rei inter homines maximæ: quod si fortuna contra spem eorum decreverit, ad priores ærumnas cladis accessionem habent. Et hæc quidem Neapolitanis dicta sunto. Gotthis qui vobis adsunt damus optionem, aut nobiscum sub magni Imperatoris signis militandi, aut sine noxa abeundi domum. quod si & illi & vos, spretis quæ offerimus, arma nobis opponitis, restat ut, si ita Deo visum est, & nos adversos nobis tractemus hostilem in modum. quod si Neapolitanis visum fuerit res Imperatoris sequi, & externo tam gravi jugo se subducere, fide optima polliceor vobis,

bis, ea fore omnia quæ Siculis dedimus, qui fidem nostram nulla in parte incusant. Hæc erant quæ Stephanum populo referre volebat Belisarius: ipsi privatim multa commoda promittens, si Neapolitanos in obsequium Imperatoris pertraheret. Stephanus in oppidum ut venit, Belisarii verba pertulit, addiditque sententiam suam, non ex usu esse ipsorum bellare in Imperatorem. Assentientem sibi habuit Antiochum, Syrum ortu, sed pridem Neapoli habitantem ob transmarina commercia, egregium fama prudentiæ justitiæque. Erant in eodem oppido oratores duo, Pastor & Asclepiodotus, magna auctoritate apud Neapolitanos, sed Gotthis amici, minimeque optantes immutari præsentem statum. Hi, cum inter se consultassent, quomodo quæ agebantur interturbarent, suadent populo ut & multa & magna poscant, eaque sibi servatum iri Belisarium jurejurando alligent. Ea omnia perscripta in libello, nulla spe à Belisario obtinendi, traduntur Stephano. qui ubi in castra rediit, libellumque ostendit Belisario, rogans an illa omnia à Neapolitanis expetita sponsu & jurisjurandi religione firmare vellet, ille omnia rata sibi fore asseverans, remittit hominem. Neapolitani id ubi ad se relatum est, læti nuntio, admitti intra portas illico Imperatoris exercitum jubent. Nihil enim sibi ingratum eventurum esse satis credebant, ducta à Siculis conjectura, qui cum quondam Iustiniani imperium Gotthica servitute mutassent, nunc liberi, malorum immunes, tumultuum securi viverent. Iamque ad portas aperiendas concurrebat vulgus. Gotthi quibus hæc non probabantur, impedire cum non possent, abstiterant: At Pastor & Asclepiodotus tam Gotthis quam Neapolitanis ad unam concionem convocatis hæc dixere. Plebem eo rapi ut se oppidumque periculis induat nihil mirum, præsertim ubi re cum primoribus

non deliberata omne rerum arbitrium ſibi vindicat. At nos, qui vobiſcum, ſi hæc procedant perituri brevi ſumus, æquum eſt ultimum civitati munus dare, ſalubre conſilium. Videmus igitur, populares, feſtinare vos ut Beliſario urbem voſque ipſos prodatis, multa vobis bona pollicenti, parato & jusjurandum addere. Si & hoc ſpondere vobis poteſt, ad ſe perventuram victoriam, nemo contradicit quin expediat hæc facere. magna enim ſit amentia non parare ejus gratiam quem dominum habituri ſimus. At ſi hoc in incerto eſt, nec quiſquam hominum rei à fortuna pendentis ſponſor eſt idoneus, videte in quæ mala voſmetipſi præcipitetis. Nam ſi Gotthi hoſtibus ſuperiores erunt, in nos, tanquam perduelles, peſſima meritos vindicabunt. quippe non adacti neceſſitate, ſed ſponte veſtra defectionem molimini. Et hanc ipſam forte ob cauſam Beliſario, ſi is vicerit, ſuſpecti eritis, ut fluxæ in regentes fidei: & ut ſervi fugitivi ſolent, acri ab Imperatore, ut credibile eſt, tenebimini cuſtodia. Nam cui proditoris uſus contigit, in præſens quidem gaudet beneficio ob victoriam: in poſterum autem, ex rebus actis enaſcente ſuſpicione, eum à quo beneficium accepit & odiſſe & metuere incipit, habens apud ſe malæ ipſius fidei documenta. Quapropter ſi nunc Gotthis præſtamus fidem, fortique animo pericula ſuſtentamus, ſi ipſi vicerint, inſignem referent gratiam: Beliſarius quin & ipſe ſi ad eum ſe verterit victoria, ignoſcet. Fides enim, quanquam infortunata, pænæ, niſi apud imperitos, non ſubjacet. Iam vero quæ cauſa vos cogit extimeſcere hanc obſidionem, qui nullius rei ad vitam utilis egentes, multo minus à rebus intercluſi neceſſariis, domi deſidetis, mœnia habentes & hos cuſtodes ad veſtri tutelam? Ne Beliſarium quidem ad has conditiones venturum fuiſſe credimus, ſi vi capiendi oppidi ſpem habuiſ-

buisset. qui, si quod æquum est nobisque conducens facere voluisset, non Neapolitanos territare debuit, neque ex nostro in Gotthos malo facinore suas augere vires, sed cum Theudato Gotthisque manum conserere, ut sine nostro periculo, sine nostro scelere, victorem sequeretur Neapolis. His dictis Pastor & Asclepiodotus etiam Iudæos in medium adduxere, qui asserent nihil quod esset necessarium civitati defore. Animati per hæc Neapolitani Belisarium jusserunt quam primum inde facessere. Igitur ad obsidionem se parat. Sæpe assultatis mœnibus, dejectus est, multis suorum amissis, & illis maxime, quibus virtus cordi. Sunt enim Neapoleos mœnia partim contiguo mari, partim locorum difficultatibus ad vim inaccessa: &, ad insidias quo minus pateant, arduus positus facit. Etiam canalem, qua fertur in oppidum aqua, cum diruisset Belisarius, haud commovit oppidanos ea res, quod putei intra mænia ad potus usum sufficientes mali sensum avertebant. Inter hæc Theudatus bellum neutiquam parabat, suopte ingenio secors, ut ante memoravi. narratur & aliud accidisse quod eum magis etiam turbavit, & in pavorem dejecit, me quidem non credulo, quod tamen qualecunque est fide auctorum hic tradetur. Theudatus & ante proclivis ad fidem habendam iis, qui divinos se profitentur, hoc vero tempore præsentibus anxius, quo vel maxime quærendos ad vates impelli homines solent, consultavit Hebræum, talium fama nobilem, qualis cæptum bellum maneret exitus. ille porcorum tres decurias tribus includi haris jussit, nomenque imponi discretum cuique decuriæ, huic Gotthorum, alteri Romanorum, tertiæ Imperatoris militum. atque ita quietè servari per definitos dies. Fecit ut præceptum Theudatus, atque ubi dierum finis venerat, ambo ad haras accedentes contemplantur por-

 cos.

cos, ibi invenere eorum quibus Gotthorum fecerant nomen, duobus demtis, mortuos omnes: viventes prope omnes quos Imperatoris milites vocaverant. At quibus, Romanorum vocabulum, iis omnibus defluxerant pili, in vita autem manſerat eorum pars dimidia. Hæc conſpicanti Theudato atque inde belli eventum auguranti, magnam ajunt obortam formidinem, velut certo Romanorum partem alteram perituram, inopiam ad omnes perventuram: Gotthorum gentis devictæ ſuperfuturos paucos admodum. Imperatorem levi ſuorum damno victorem fore. Hinc factum ajunt, ut Theudato nullum ſtudium fuerit ſe ad certamen cum Beliſario parandi. ſed de his, ut cui plus minuſve eſt credulitatis, ita loquatur per me licet. At Beliſarius cum terra marique circumdediſſet Neapolitanos, anceps conſilii eſſe cœpit. Nam neque ad pacta venturos ultro credebat: nec ſpem habebat capiendi, tam adverſo ſibi, ut diximus, loci ſitu. Dolori erat & temporis diſpendium, metuenti, ne hyberno tempore ſibi adverſus Theudatum Romamque urbem eundum eſſet. Iam exercitui colligere vaſa præceperat, conſtitutum habens inde quamprimum diſcedere. multum ſollicito fortuna inſperatum invenit exitum. Iſaurum quendam cupido inceſſit introſpectandi canalis opus, & quo modo inde aqua in urbem fluere ſoleret. Ingreſſus longe ab oppido, ubi eum diruerat Beliſarius, nullo negotio ſubter proceſſit, cum aqua ex quo ruptus ille fuerat deficeret. ubi prope mœnia ſucceſſit, rupem invenit, non hominum manu ſed ab ipſa natura ibi locatam. Huic rupi canalis opus, qui eum ædificaverant primi, continuaverant, atque per eam cuniculum duxerant, qui ad hominis quidem tranſitum non ſatis pateret, ſed ad aquam emittendam eſſet idoneus. ita factum ut non idem ubique canalis eſſet latitudinis, ſed in ipſa rupe angu-

angustiæ eum comprimerent, homini præsertim loricato ac scutum portanti imperviæ. Hæc consideranti Isauro spem fecere posse intra urbem induci exercitum, si cuniculus iste amplior aliquanto fieret. sed gregalis ipse, nullique notus procerum, cogitata Paucari aperit Isauro & huic, inter Belisarii protectores claro. Paucaris ad Belisarium illico rem retulit. Is vero post longum mœrorem tunc primum gaudio respirans, multasque pecunias præmium pollicens, instigat ultro, Paucarimque jubet confestim assumtis Isauris ire scindendæ rupi, sed ita ne quem molitionis suæ sensum hostibus præberent. Paucaris cum Isaurorum potissimos legisset ad opus bene instructos, clam iniit canalem. ut eo perventum, ubi rupes in arctum cogebat, laborem cæptant, non asciis secantes aut securibus, ne sono proderentur, sed ferramentis acutis assiduum radentes. Ita brevi quod volebant peractum est, viroque & loricam induto & scutum gestanti via patuit. omnibus ex voto se habentibus, subiit Belisarium cogitatio, si belli jure Neapolim intraret exercitus, internecionem hominum secuturam, quæque alia sunt captarum urbium mala. Stephanum itaque ad se advocatum ita alloquitur. Iam sæpe vidi captas urbes, rerumque talium non imperitus vivo. Puberes obtruncantur omnes: mulieribus occidi rogantibus, ne id quidem contingit, sed in ludibrium tractæ coguntur nefanda ac miseranda tolerare. Iam pueri non educantur, non instituuntur ut spes fuit, sed serviant necesse est, & quidem infestissimis, illis scilicet quorum in manibus paternum sanguinem vidêre. omitto jam flammam, mi Stephane, quæ res alias & imprimis urbis ornamenta abolet. Hæc jam pati Neapolim velut in speculo ante captarum urbium dum contueor, non ipsorum tantum sed & nostri me miseret. Talia jam structa sunt nobis machinamenta ut eva-

evadere manus noſtras nequeat. Ego vero oppidum antiquum, Chriſtianis & Romanis antiquitus habitatum, eo calamitatum decidere, me præſertim Romanum ductante exercitum, nolim. Accedit ad cætera, quod in hoc exercitu multi ſunt barbari, qui fratres aut propinquos ad hæc mœnia admiſere. horum ego frænare iram, ſi vi irrumpatur oppidum, par non ſum. Nunc, dum vobis quæ ſaluti ſunt & eligere & facere licet, ſumite meliora, fugite tantorum malorum congeriem, quæ ſi vos obruat, quod jam imminet, erit cur non fortunam, ſed veſtrum conſilium accuſetis. Cum his verbis Stephanum dimiſit Beliſarius. Is ad Neapolitanum populum ivit, cum lacrymis atque lamentis nuntiatum quæ ex Beliſario audiverat. At illi (neque enim viſum Deo ut ſine noxa Neapolitani ad Imperatoris obſequium redirent) quaſi metuendum eſſet nihil, cum Beliſario convenire noluerunt. Tunc demum Beliſarius quæ ad intrandum oppidum erant, hunc in modum diſpoſuit. lectos quadringentos primis tenebris, ductoribus Magno equitum magiſtro & Enna Iſaurorum præfecto loricas indui, gladiiſque & ſcutis armatos quieſcere jubet, uſque dum ipſe ſignum daret. Beſam advocans ſecum manere juſſit. velle ſe cum eo conſilium capere de exercitu. Poſtquam multum nox proceſſerat, Magno & Ennæ primum edicit quæ ad ipſos pertinebant, locum commonſtrans ubi ipſe canalem jam ante ruperat. quadringentis præcepit, eos præire in oppidum cum facibus: addiditque duos peritos tuba canere, qui poſt intratum oppidum, & hoſtibus trepidationem injicerent, & ſibi boni ſucceſſus ſignum cantu darent. Ipſe ſcalas jam ante factas in parato habebat. illi igitur per canalem in oppidum gradiebantur. Ipſe cum Beſa & Photio loco ſe tenebat, illis adjutoribus res gubernaturus. miſſis ad caſtra aliis, per-

pervigilare in armis militem jubet, audacissimo quoque ad se accito ad usus subitos. Sed eorum qui in oppidum fuerant ituri pars major, periculum exterrita, retro venit: quos cùm Magnus, ut se comitarentur nulla ratione potuisset permovere, rediit & ipse cum iis ad Belisarium. Exprobrata his multum ignavia Belisarius, ducentis de suo comitatu lectis imperat cum Magno ut eant. ipse se his addebat ducem Photius, jamque in canalem desilierat, cum à Belisario retentus est. Tantum tamen valuit & Belisarii ipsius & Photii severa increpatio, ut qui periculum refugerant, ei se rursum ingerentes viam cum aliis caperent. At Belisarius, præmetuens ne tentamenti sensus ad hostes turris canali imminentis custodes perveniret, ipse eo vadens, Besæ præcipit Gotthico sermone barbaros alloqui, ne quis armorum strepitus ad aures eorum pertingeret. Besa magno clamore eos hortatur Belisario ut se adjungerent, multa & eximia pollicens. irridebant illi, nec in Belisarium ipsumque Imperatorem contumeliis abstinebant. Et hæc quidem Belisario ac Besæ agebantur. canalis vero ille oppidi Neapolitani non tantum extra mænia tegmen habet, sed celso fornice latens in multum oppidi procurrit. cum igitur jam intra mænia esset Magni Ennæque comitatus, nec ubi essent terrarum conjectare poterant, nec scire qua exeundum esset, donec primi ad eum pervenere locum, ubi canalis superne apertus esse incipit. Domus juxta erat deserta, feminæ habitata uni, eique pauperi. super canalem enata erat olea arbor. illi ut cælum conspexere, seque in medio oppido, egredi quidem volebant, sed modum non inveniebant quo armati se è canali expedirent. Erat enim sublimis ea pars domus nulloque adscensu. multum hæsitantibus anxiisque militibus, eoque magis quod turba sequentium à tergo premebat, ausus unus

eſt viam experiri. poſitis igitur armis, manibus pedibuſque multo cum labore eniſus, venit in feminæ cubiculum, mortemque ei, ni ſileat, interminatur. illa præ metu tacente, validum reſtem de arboris, quam dixi, trunco nectens, altera ejus fine in canalem dejicit. Hac militum proximus apprehenſa, ægre ſe ſuſtulit, mox alius atque alius, donec omnes evaſere, quarto ferme noctis reliquo. Procedunt in mœnia, turriumque cuſtodes duos incautos obtruncant, qua ad Septentrionem vertebantur mœnia: ad quam partem cum Beſa ac Photio adſtabat Beliſarius, ſollicite eventum opperiens. illi tubis ſocios in mœnia vocant. Beliſarius ad mœnia, circum applicatis ſcalis, ſcandere milites jubebat. ſed evenerat, ut ſcalarum nulla ad murorum ſummum pertingeret. nam quia clam eos fecerant fabri, exactam menſuram capere nequierant. Binis igitur inter ſe devinctis, ex altera in alteram ſcandentes milites, ſic muros ſuperarunt: ita ad id latus cui aderat Beliſarius res tandem proſpere evenerat. At ea parte mœnium quæ mari obverſa Iudæis in cuſtodiam ceſſerat, neque ſcalis uti, neque alio ullo modo aſcendere licuit. Quippe Iudæi, gnari meritos ſe iram hoſtium quos prohibuiſſent ſine ſanguine oppido potiri, atque ob id deſperata venia, eo ipſo tempore dum capiebatur oppidum, pugnabant fortiter, hoſtilemque impetum vi magna ſuſtinebant. Die orto & qui alibi aſcenderant in eos venere; atque ita, nec tergo tutis, nihil præter fugam reliquum fuit. totumque oppidum in poteſtatem venit, apertis quippe jam & portis ad ingreſſum exercitus. At qui ad oppugnandas portas ſolis ortum ſpectantes poſiti fuerant, ſcalis deſtituti, ipſas portas incuſtoditas igne uſſerunt. nam eam mœnium partem vigilum fuga nudaverat. Fit magna cædes. infenſi quippe animis, maxime ſi quis fratrem aut propinquum inter

inter oppugnandum amiſerat, obvium quemque nullo ætatis diſcrimine, trucidabant. deinde in ædes effuſi pueros ac feminas in ſervitutem, bona in prædam trahebant, rapaciſſimis omnium Maſſagetis, qui ne templorum quidem ſanctimoniam veriti, eorum qui eo confugerant ſanguinem fundebant: donec obiens ſingulos Beliſarius vetuit ultra ſævire & in concionem vocatos ſic admonuit: Quando victoriam decuſque ingens nobis Deus conceſſit, oppido quod nemo antehac expugnaverat in manus noſtras tradito, noſtrum eſt non ingrate accipere Dei munus, ſed tum aliis rebus, tum in victos clementiâ oſtendere merito nos horum factos victores. Nolite itaque ſine fine iraſci Neapolitanis, ultraque fas belli odia extendere. Non eſt victoris iraſci victis. Si quos poſthac morti datis, non jam hoſtium ſed ſubditorum accidetis numerum, Imperii damno. Nequid ergo ulterius iſtis nocete, neque iræ tam ſævæ gratificamini. indignum quippe cum homines vincas, vinci ab animi impotentia. Bona virtuti veſtræ præmium, ſufficiant. Feminas pueroſque conjugibus & parentibus reddite, ut rebus ipſis diſcant à nobis ſuperati, quales amicos quam imprudenter mutaverint. His dictis Beliſarius muliebrem ſexum, pueros, ipſa quin & ſervitia, nihil injuriæ perpeſſos, reddidit Neapolitanis, ipſiſque reconciliavit militem. ita Neapolim habitantibus eadem dies amiſſæ fuit ac recuperatæ libertatis & eorum quæ homines cariſſima habent. Nam & ſi qui aurum aut alia majoris pretii habuerant defoſſa ea ſub terram, cum primam violentiam effugiſſent, poſt cum ipſis ædibus recepere. Hunc exitum obſidio habuit tracta viginti per dies. Repertos ibi Gotthos prope octingentos Beliſarius non modo intactos præſtitit, ſed & pari cum ſuis militibus in honore habuit. At Paſtor, qui populum ut ante dixi, de-

mentaverat, ut urbem captam vidit, ſtupore letali attonitus ſubito interiit, nullo ante morbi ſenſu, nec quicquam à quoquam mali paſſus. Aſclepiodotus vero qui ei omnium auſorum ſocius fuerat, cum primorum ſuperſtitibus, Beliſarium adiit, ubi conſpectum talibus ludibriis inſectatur Stephanus. Vide hominum peſſime, quo miſeriæ patriam conjeceris, dum Gotthorum gratiæ popularium donas ſalutem. Ergo ſi barbarorum res ſuperiores fuiſſent, illis meruiſſes tu, nos autem, ſuadentes meliora, proditæ Romanis patriæ poſtulaſſes. Iam vero cum oppidum in poteſtatem venit Imperatoris, nos autem hujus viri ſervavit clementia, accedere ad hunc Romani exercitus ducem non es veritus, tanquam nihil in exercitum, nihil in civitatem peccaſſes. Hæc concitus doloris æſtu in Aſclepiodotum ejectabat Stephanus. at illi quod reſponderet non defuit. Non vides quid agas, Stephane, laudum mearum præco es, dum meum pro Gotthis ſtudium memoras. Fidem periclitantibus dominis nemo præſtet, niſi cui conſtans ſit animus. me qui nunc Neapolim tenent talem habebunt amicum, qualem qui modo tenebant habuerunt: quippe cui inſita penitus eſt fides, is pro fortuna partes non mutat. Tu autem, ſi quando res aliter ceciderint, apertas habebis aures ad oppugnantium verba. nam quiſquis levitatis morbo laborat, ſimul pertimuit, fidem in cariſſimos fallit. Talis erat Aſclepiodoti oratio. At Neapolitanorum populus ut eum inde abeuntem vidit ingenti turba ingruens, omnia quæ ipſis acciderant ei exprobrabat: nec prius abſtitit quam vitam ei eriperet, corpus quoque ipſum membratim diſcerperet. Tunc quoque multi in Paſtoris domum irrumpentes eum quærebant, nec mortuum affirmantibus famulis credidere, donec mortui oſtenſum eſt corpus, quod abreptum Neapolitani in ſuburbano loco patibulo affixere.

id

id justæ iræ datum Belisario cum excusarent, non difficulter veniam adepti sunt. atque hunc in modum Neapolitanis res cecidere. At Gotthorum quod Romæ circumque erat, mirati & ante Theudati veternum, qui tam propinquis hostibus non iret obviam, magis indies intra se suspectare eum cæperunt, tanquam res Gotthorum sponte prodentem Iustiniano, nec quicquam pensi habentem, nisi ut in maxima pecuniarum affluentia segne otium duceret. At ubi & Neapolim captam fama attulit, prorumpere omnes, palamque hæc eum criminari. Sic animati, in locum coëunt, ducentis & octoginta stadiis Roma dissitum, qui Regeta dicitur Romanis, quod eam castris sedem optimam judicarent, multis circum campis ad equorum pabula, allabente & amne, quem indigenæ Latina voce Decemnovium vocant, quod decem & novem emensus lapides, quæ mensura ferme centum & decem stadia conficit, inde mari se misceat apud Tarracinam municipium : unde non longe Circæum mons in quo cum Circe vixisse Vlyxem narrant : mihi tamen id non facile persuadent, quod habitationem Circes in insula Homerus locat: nisi quod Circæum multum in mare procurrens insulæ habet instar, juxtaque navigantibus, aut in littore ambulantibus, insula videtur, donec in ipsum locum perductus quis deprehendit falsa se specie deceptum : atque ob eam forte similitudinem Homerus insulam dixerit. Nunc unde abieram illuc redeo. Gotthi ut in Regeta venerant, sibi atque Italiæ regem imponunt Vitigim, hominem non clara ex domo, sed conspicuum fortibus ad Sirmium factis, quo tempore in Gepidas Theudericho bellabatur. His Theudatus cognitis celerem fugam Ravennam intendit. nec eo segnior Vitigis Octarim illico mittit, Gotthum hominem, cum mandatis, vivum adduceret Theudatum aut adferret exanimem. Erat

autem

autem is Octaris per se quoque Theudato infestus, quod amatam sibi virginem & pulchram & dotatam abstulisset Theudatus, pecuniisque persuasam in aliud matrimonium collocasset. Ita non sibi minus id quam Vitigi præstans, magna celeritate non diu non nocte intermissa persequitur Theudatum, cumque eum iter facientem oppressisset, resupinatum victimæ in modum trucidat. Hic vitæ & imperii, quod per tres annos duraverat, finis Theudato fuit. Interea Vitigis, assumptis qui aderant Gotthorum, Romam properaverat, cognitoque Theudati exitu lætatus, filium ejus Theudegisclum in vincula dedit. Cumque ipsi non satis ad bellum paratæ res Gotthorum viderentur, Ravennam ire primum duxit, ut structis quæ erat opus, totis deinde viribus certaret. Quare concionem advocatam sic alloquitur. Res maximæ, commilites, prudentia quam celeritate peraguntur. multis intempestiva festinatio spes pulchras retro egit. Facilius quippe imparati, quantumvis multi, in certamen ruentes vincantur, quam qui numero minores, provisu rerum majore in hostem vadunt. Ne nos igitur justo avidiores in præsens gloriæ, mala insanabilia in nosmet accersamus: Quanto satius brevi pudore perpetuum decus emere, quam ignominiam, dum temporariam fugimus, æternam pati? scitis præterea robur Gotthorum armorumque vim maximam in Galliis Venetiis aliisque longinquis locis detineri. Ad hoc nobis nihil isto levius in Francos bellum est: quo non composito in aliud se inducere, nullius sit consilii. Nam quibus utrinque pericula, nec quem respiciant hostis unus, eos succubituros credibile est. mihi placet jamjam Ravennam proficisci: conciliatisque Francis & bene digestis rebus omnibus, mox toto in Belisarium ire Gotthorum exercitu. Ne quisquam hunc abitum erubescat, aut fugam vocet. Nam multis formi-

formido in tempore ſumta fortunam reſtituit: multis fortis animi nomen, non ex uſu quæſitum, male cecidit. Sapientis eſt, non vocum ſono, ſed rerum utilitatibus trahi; Laus virorum non initiis ſed fine ſpectatur. Hoſtem fugere dicendi ſunt, non qui mox paratiores in eum ſunt ituri, ſed qui nihil aliud quam vivere curantes ob id cedunt. Neque vos urbis hujus capiendæ ab hoſte terror ſubeat. Nam ſi bene in nos animatus eſt Romæ populus, ſervabit urbem Gotthis, neque ei neceſſitas imminet, quando nos brevi eo redituri ſumus. quod ſi quid infeſti abſcondunt, minus nocebunt accepto in urbem hoſte. nam qui clam inimici ſunt, in eos aperta vi agi nequit. Tamen ne quid tale eveniat, ego cavero. Viros enim multos & prudentem Præfectum relinquemus, urbis cuſtodiæ futuros pares. Ita & quæ nunc agimus bene procedent, nec quidquam in poſterum ex hoc diſceſſu incommodi ſequetur. Dicta Vitigis probantes Gotthi ad iter ſe accinxere. Tum Silucrium urbis antiſtitem, ſenatumque ac populum multa hortatus Vitigis, Theuderichi æquum imperium ut meminiſſent, fidemque in Gotthos ſervarent, etiam jurisjurandi eos ſanctimonia obligavit: lectiſque militum quatuor millibus, & iis impoſito Leuderi, multa ætate viro, multa & ſollertiæ fama, tutandam ad urbem, cætero cum exercitu Ravennam petit, Senatorum nonnullos, ſpecie honoris, reipſa obſides, ſecum trahens. Eo ubi venerat, Mataſuntham Amalaſunthæ filiam, maturam jam virginem, in matrimonium aſſumit invitam, ut ſibi imperium nexu cum Theuderichi domo firmaret. Dein contractos Gotthos omnes digeſſit, inſtruxitque armis & equis in turmas diſtributis, ſolos qui in Galliis agebant Gotthos, Francorum metu accire non auſus. Franci illi, veteribus Germanorum cogniti nomine, quomodo atque unde in Gallias advenerint, Gotthiſque diſcordes facti

facti sint, dicere non abs re erit. Intranti ex Oceano fretum, ubi Gades sunt, dextra quæ jacet terrarum pars, ut in aliis libris memoratum nobis est; Europa dicitur. objecta pars, Africa primum, ubi multum processeris, Asia vocatur. Africæ ultima exacte describere non habeo. vacua hominum loca ibi pleraque, unde fit ut ignorentur Nili fontes, quem inde in Ægyptum ferri fama est. Europa jam ab initio peninsulæ habet speciem, utrunque latus mari succincta. quæ prima ad Occasum regio Oceano adjacet Hispania vocatur ad Alpes usque Pyrenæas. Alpes illius tractus homines appellant montium, qua transeuntur, fauces. inde ad Liguriæ fines Gallia est nomine, suis & ipsa Alpibus à Liguribus disterminata. Latius Gallia quam Hispania patet: nec mirum, à primis angustiis in immensum paulatim spatium patescente Europa. Tam hæc quam illa regio Septentrionalia Oceano pulsatur, in austrum obversa Tyrrheno mari. Galliam tum alii amnes, tum clari Rhodanus, Rhenusque perluunt, contrariis cursibus, ille Tyrrhenos ad fluctus labens, hic in Oceanum se advolvens. Iuxta lacus sunt quos Germani jam olim accolunt, gens barbara & obscura, donec Francorum nomen famamque accepit. Hos ultra Arborichi cum omni Hispania Galliaque Romani ab antiquo pars Imperii. magis ad Orientem solem Thuringi, itidem barbari, datas ab Augusto sedes tenent: nec his procul, sed propiores Austro, Burgundiones. Super Thuringos, Suevi & Alemanni, nationes validæ, agunt vetustis in finibus ac libertate. Posterioribus temporibus evênit ut Visigotthi in Romanum imperium impetu facto, Hispaniam, & quod Galliæ ultra Rhodanum est, tributi lege sibi subjicerent. militabant id tempus Romanis Arborichi, quos Germani, ut vicinos sibi & libertatis avitæ desertores, sua sub jura trahere volentes, populatione omnibusque

busque belli injuriis vexare. per quæ nihil concussa in Romanos fide Arborichi, viros se eo in bello præstitere. cùm vis non procederet, Germani eos federibus sibi & connubiis illigare aggrediuntur. Volentibus id Arborichis fuit. Christiani enim, & hi, & illi erant. ita in unam gentem coaliti magna incrementa virium sumsere. A Romanis milites alii ad proxima Galliarum tutanda missi sunt, qui cùm non viderent viam redeundi Romam, neque hostibus Ariano dogmate contactis vellent accedere, se cum signis, & quam tenebant regione, Arborichis & Germanis ita dedere, ut sua servarent, moresque avitos retinerent, permanentes ad nostra usque tempora. Nam & hodie cognoscuntur legionum, in quas distributi fuere, nominibus, suisque sub signis ineunt prælia, & legibus vivunt quibus olim, habitumque Romanum servant, etiam pedum tegmine. Quamdiu mansit qui fuerat Romanæ urbis status, Imperatores Galliam Rhenum usque habuerunt. ut oppressa ab Odoacro Roma est, concessu ejus Galliam omnem, Alpes usque eas quæ Liguriam à Gallia dividunt, Visigotthi habuere. Postquam cecidit, Odoacer Thuringi Visigotthique Germanorum vim augescentem metuentes (nam & multitudo ingens sobole crescebat, & obvii quique vi illorum sternebantur) Gotthorum sibi & Theuderichi amicitiam parare magni duxere. Nec ille aspernatus societatem, addidit insuper societatis vinculum. Alaricho enim minori, Visigotthorum ea tempestate principi, filiam suam virginem despondit Theudichusam: Nermenofrido vero Thuringorum principi Amalobergam sororis suæ Amalafridæ filiam. Ex eo Franci à vi in eos Theuderichi metu destitere: in Burgundiones vero verterunt arma. Postea Francis & Gotthis societas inita belli in Burgundiones, ut, excisa gente, terras eorum possiderent. convenerat, ut utri com-

commilitio defuiſſent, pænam victori penderent, terras vero Marte captas nihilominus partirentur. Germani igitur pactis ſiſi magno exercitu Burgundionum gentem impetivere. Theuderichus interim ſpeciem præbebat auxilia molientis : reipſa exercitus exitum in dies morabatur, ſpeculaturus futuros eventus. Tandem miſſo milite, ducibus præcepit tarde iter facere : &, ſi victos audirent Francos, ultra non pergere : ſi victores eos intelligerent, de cætero feſtinare. Et illi quidem ut à Theudericho juſſi erant, fecere. Soli interim Germani cum Burgundionibus conſeruerant infeſtas manus : gravique prælio multa utrinque cædes & anceps diu fortuna. Ad ultimum fuſos Burgundiones Franci compulere in ultima poſſeſſarum ipſis terrarum, ubi multa illis munimenta erant. cæteras victores tenuere. His compertis Gotthi gradum addidere, ſociiſque criminantibus, difficultate itinerum ſe excuſarunt : pœnaque perſoluta, terrarum bello captarum partem à victoribus, ita ut convenerat, acceperunt. cognita multis rebus Theuderichi prudentia etiam hoc facto apparuit, qui nullo ſuorum amiſſo non multa pecunia agri hoſtilis dimidiam partem emerat. In hunc modum Galliarum partem cum Gotthis Germani aliquamdiu habuere. Sed poſtea auctiores viribus Germani, Theuderichi reverentia metuque exuto, in Alarichum & Viſigotthos hoſtilia cæptarunt. quod ubi vidit Alarichus, Theuderichum ſtatim in auxilium vocavit. atque is magno cum exercitu opitulatum veniebat. Sed interea temporis Viſigotthi, poſtquam Germanos Carcaſſonem obſidere intellexerant, eo profecti juxta ſederunt caſtris. Tractæ ibi per aliquod tempus moræ tædio, & quod ager ipſorum raptaretur irati, tandem nec probris abſtinuere in Alarichum ut hoſtium metuentem, & in ſocerum ejus ut tardum opitulatorem. Solos ſe ſufficere

re pugnæ, & facile, participe nemine, reportaturos victoriæ decus. Per hæc coacto, priusquam adessent Gotthi, virium periculum facere Alaricho, Germani prœlio superiores & ipsum & cum ipso Visigotthorum permultos interfecerunt: Galliæque plurima tenentes premebant obsidione Carcassonem. nam regiam gazam ibi esse intellexerant, Romæ spolia, quæ major olim Alarichus inde abduxerat: in queis & Solomonis Hebræorum regis ornamenta erant spectanda multo Sapphiri virore, quæ ab Hierosolymis jam olim Romani abstulerant. Qui cladi superfuerant Visigotthorum, Giselichum Alarichi minoris filium, non ex matrefamilias, in principatum perduxere, quod Amalarichus Theuderichi per filiam nepos per ætatem impar esset. Cum jam adventaret Theuderichus magnum ducens Gotthorum exercitum, metu ejus Germani ab obsidione discesserunt: Galliæ interim possessioni, quæ à Rhodano ad Oceanum tenditur, inhærentes. Inde cum expellere eos nequiret Theuderichus, sivit eos illa habere, satis ducens Galliæ cætera retinere: mortuoque Giselicho effecit ut ad suum è filia nepotem Amalarichum Visigotthorum principatus transiret, cujus admodum pueri ipse tutelam suscipiens, pecunias, & quæ cara alia Corcassone erant, Ravennam abstulit subito: mittensque tum magistratus tum exercitus in Galliam atque Hispaniam, non segniter id agebat sibi ut id imperium perpetuo firmaret. Tributum etiam, quotannis sibi à primoribus mitti jussit, ac ne id in avaritiæ crimen traheretur, donativa inde misit annua Gotthorum ac Visigotthorum exercitui. Ab hoc initio cum processu temporis, Gotthi & Visigotthi, unius imperio parentes, contiguis & terris, filias inter se nuptum dantes sanguinem miscebant. Post evênit ut Theudas Gotthus gente, quem armis per illa loca Theuderichus præfecerat,

in Hiſpania uxorem duceret, non de Viſigotthorum genere, ſed è domo divite indigena, nec pecuniis tantum opulentam, ſed & latis per Hiſpaniam poſſeſſionibus: unde conductis militibus ad bis mille, ſatellitium quoque ſibi circumdans, nomen quidem habebat fungentis mandatam à Theuderícho poteſtatem, at rem non obſcure dominantis. Et Theuderichus, ut erat ingenio rerumque uſu valens, metu, ne ſi in ſubditum ſibi armis certaret, aut Franci, quod credibile erat, ſe interjicerent, aut aliquid in ſe novi molirentur Viſigotthi, non amovit imperio Theudam, ſed & exercitum ductare, quoties opus erat, ei permiſit. Cæterum primoribus Gotthorum præcepit, ipſi ut ſcriberent, facturum rem æquam dignamque prudentia ſua, ſi ſalutandi Theuderichi ad officium Ravennam veniret. Theudas à Theudericho imperata cuncta implebat: nec mittendis tributis unquam deerat: Ravennam vero neque ivit, nec iturum ſe amicis promiſit. Poſtquam mortalitatem explevit Theuderichus, Franci, nemine jam ſatis valido ipſis ut reſiſteret, in Thuringos bellum movent, occiſoque eorum principe Hermenefrido, gentem ipſam ſuæ ditionis faciunt. Ejus Hermenefridi uxor ad fratrem Theudatum (namque is tum Gotthis præerat) cum liberis profûgit. Poſt id Germani perſecuti Burgundionum reliquias, prælioque victores, principem eorum in caſtello quodam vinctum habuere: ipſos ſua ſub imperia compulſos in poſterum ſua ſequi ſigna victoriæ jure coëgerunt: quam illi tenuerant terram ſibi fecere vectigalem. Amalarichus Viſigotthorum princeps ad juſtam ut venit ætatem, Germanorum vim veritus, ipſorum principis Theudiberti ſororem connubio ſibi ſociat: Galliamque cum Gotthis & eorum principe Atalaricho conſobrino ſuo dividit, ita ut quæ cis Rhodanum ſunt haberent Gotthi, ultra Viſigottho-
rum

tum esset imperium. Convenit præterea, ne post id temporis tributum perferretur ad Gotthos quod Theuderichus descripserat: quæque è Carcassone idem rex avexerat, ea Atalarichus Amalaricho fide quæ optima reddidit. multis inter gentes duas contractis affinitatibus liberum jus cuique marito qui ex altera gente matremfamilias haberet factum est, aut transeundi in gentem uxoris, aut illam traducendi ad suam. Plurimique fuere tum qui in feminas jure suo uterentur, tum qui feminis non inviti accederent. Serius aliquanto Amalarichus iritato suæ conjugis fratre sibi malum accersivit. Namque uxorem rectiora sentientem, ipse Arii addictus placitis, non sinebat uti suetis sacris, nec pro animi sui arbitratu Deum venerari: quin & renitentem sibi ea in re morem gerere, sæve habuit. Quorum non tolerans mulier fratri fecit indicium. Hinc commissi inter se bello Germani & Visigotthi: gravique prœlio victus Amalarichus cum multis suorum & ipse interiit. Theudibertus sororem, quæque ejus erant, & quantum Galliæ Visigotthi tenebant, abstulit. Victæ gentis qui superfuerant, cum uxoribus liberisque è Gallia profugi ad Theudam, aperte jam Hispanias sibi vindicantem, abeunt. Sic Gotthi ac Germani Galliam soli habebant. Post hæc princeps Gotthorum Theudatus, cum jam in Siciliam venire Belisarius audiretur, paciscitur cum Germanis, ut, præter ea quæ tenebant, accepta parte Galliæ à Gotthis hucusque possessa, & auri libris bis mille in belli imminentis societatem venirent. Sed is, nondum pactis fine imposito, supremum explevit diem. Itaque Gotthorum potissimi magno numero Marcia duce partem illam Galliæ adhuc custodiebant. quos inde avocare non audens Vitigis, simulque prospiciens non pares se futuros Francis Galliam Italiamque ut credibile erat incursaturis; simul ipse Romam cum exer-

citu petiiſſet, vocato quod Gotthorum maxime ſincerum erat, ſic loquitur. Neceſſaria quam læta, viri populares, vobis dicturus huc vos excivi, rogoque primum benigne ut audiatis, poſtquam audiveritis, conſilium ut capiatis tempori conſentaneum. Nam quibus non ex voto res procedunt, his ſequi alia, quam quæ præſcribunt fortuna ac neceſſitas, exitiale. Ad belli paratum quæ opus, bene diſpoſita ſunt omnia. Sed à Francis periculum eſt, quibus, pridem hoſtibus, reſiſtere nec corporibus nec pecuniis parcendo ita demum poſſimus forte, ſi nulla vis aliunde metuenda eſſet. Nunc in alios ire cum cogamur, cum ipſis bello ut liberemur, curandum eſt: primum quod manentibus odiis Beliſario ſe adjuncturi ſunt. nam quibus idem eſt hoſtis, eos inter amicitiam ac ſocietatem res ipſæ conciliant: deinde, quod ſi diverſi in hos & illos hoſtes arma expedimus, reſtat ut utrobique vincamur. Satius igitur levi jactura redimere ſummam imperii, quam nimia cupiditate & imperium hoc & noſmetipſos in ruinam dare. cenſeo igitur ſi Germanis demus contermina ipſis Galliæ loca, & quod ad hæc pecuniarum Theudatus promiſerat, non tantùm eos odia dimiſſuros ſed & in hoc bellum adjutores fore. Nec nunc veſtrum cogitet quiſpiam quomodo rebus bene cadentibus Galliam aliquando recuperaturi ſumus. Subit mihi animum dictum vetus: hoc age. Audita hæc proceres Gotthorum utilia judicarunt fierique juſſerunt. Nec mora, mittuntur ad Germanos legati, qui conceſſione Galliæ pecuniæque largitione armorum ſocietatem conficiant. Regnabant eo tempore apud Francos Childibertus, Theudibertus, Chlotharius: hi pecunias Galliæque reliquum partiti inter ſe ſunt eiſdem quam in regno habebant portionibus: amicitiamque Gotthis ſuam addixere: ſed auxilia clam miſſuros, nec è Francis, ſed è ſub-
ditis

ditis Francorum imperio gentibus. Apertam enim in Romanos ſocietatem facere non poſſe, qui nuper Imperatori in hoc ipſum bellum ſociales operas ſpopondiſſent. Legati eum in modum rebus confectis Ravennam redierunt: ſtatimque Marciam parenteſque ipſi milites ad ſe vocat Vitigis. Quæ dum illi aguntur, Romam iter interea parabat Beliſarius. Trecentis igitur peditum dilectis, eiſque impoſito Herodiano mandat Neapolis cuſtodiam. miſit & Cumas quot præſidio ſufficere crederet. nam præter Cumas ac Neapolim nihil firmi habebat Campania. Cumæ illæ ſunt, ubi ſpecus Sibyllæ vaticiniis celebrata oſtenditur, adſitum mari oppidum, à Neapoli ſtadiis centum octo & viginti. Dum exercitum Beliſarius inſtruit, Romani metu ne quæ Neapolitanis evenerant paterentur, melius duxere Imperatoris militem intra urbem admittere, præcipuo ad id ſuadendum Silverio urbis antiſtite. miſſo igitur Fideli, Mediolano in Liguribus orto, qui apud Atalarichum quondam adſidendi honore functus erat, vulgus quæſturam appellat, Beliſarium Romam advocant, parati ſine ſanguine urbem tradere. ille Latina via duxit exercitum, ad lævam relinquens Appiam, quam nongentis ante annis Romanus conſul Appius ſtraverat, dederatque nomen. Protenditur Appia in quinque dierum iter homini expedito, à Roma videlicet Capuam: patet quantum obviis inter ſe curribus ſatis eſt, rari operis ſpectaculum. Molares ſunt præduri lapides, quos longe advehi fecit Appius, cum in propinquo nullus naſcatur. Hos lapides æquatos lævigatoſque & ad normam cæſos inter ſe junxit, nullo æris aliove vinculo. Et tamen ita inter ſe preſſim cohærent, ut non compoſiti, ſed unum natura videantur ſpectantibus: cumque tot per ſæcula innumeris quotidie curribus atque omne genus animantibus tranſeantur, indiſſoluta compage ipſi

nec corrupti nec minuti manent, ne ſplendore quidem amiſſo. Hæc de Appia dixiſſe ſufficiat. At Gotthi qui Romæ præſidium agebant, cum in propinquo hoſtem & quæ Romanis ſententia comperiſſent, anxii erant animo, cum ad urbem tutandam, pugnandumque in hoſtes numerus non ſufficeret. Gratum accidit, quod Romanorum conceſſu abire ipſis licuit. Ravennam ſe contulere. ſolus Leuderis præfectus ipſorum ibi manſit, pudore credo triſtis fortunæ. Eodem die Beliſarius, cum exercitu Imperatoris, urbem iniit porta Aſinaria: aliaque porta cui Flaminiæ nomen, egreſſi ſunt Gotthi: receptaque eſt Roma ſexageſimo anno, menſe eodem, poſtquam à barbaris inceſſa fuerat, cum undecimum imperandi annum haberet Iuſtinianus. Leuderim igitur præfectum, urbiſque claves ad Imperatorem miſit Beliſarius: ipſe, mœnium pridem diffluentium curæ intentus, pinnarum quamque angulatam formabat, adjecto ad lævum latus tranſverſo inſuper opere, ut à ſiniſtra quoque tuti quam maxime eſſent contra oppugnantium tela defenſores. foſſam quoque muro profundam magnique uſus circumduxit: Romani prudentiam ducis & circa pinnas artis peritiam laudibus attollebant: mirantes interim non ſine formidine quærebant intra ſe, intraſſet ne urbem cum opinione futurum ut obſideretur, quæ patiendæ obſidioni non eſſet idonea per commeatuum penuriam, mari quippe diſſita & tanto mœnium ambitu, in plano præterea jacens, &, quod ſequitur, adiri facilis. Non ignorabat dici hæç Beliſarius, neque eo ſegnius inſtabat operi. Frumentum etiam quod è Sicilia navibus advexerat, publicis horreis cuſtodiendum credidit. Romanos ad hoc coëgit, quanquam gravatos eam neceſſitatem, cuncta quæ uſui eſſe poterant, ex agro in urbem comportare. Hoc ipſo tempore veniens è Samnio vir

Got-

Gotthus, Pitza nomine, ſe & habitantes ſecum Gotthos Samniique maritimi partem dimidiam in poteſtatem tradidit Imperatoris, amne tenus qui regionem eam interſecat. At qui ultra amnem ſedes habebant Gotthi, neque Pitzam ſequi, neque parêre Imperatori in animum induxerunt. At illi Beliſarius milites non multos dedit qui cum ipſo ea loca cuſtodirent. Paulo ante Calabri quoque & Apuli, Gotthos enim apud ſe nullos habebant, ſponte ſe dediderant Beliſario, tum qui in ora maritima, tum qui interius habitant, ubi & Beneventum eſt oppidum, mutato in ominatius vocabulo, cum à ventorum ſævitia Maleventum priſcis diceretur. Nam in Dalmatia, quæ terra illi ex adverſo trans mare ſita eſt, flare ſolet aſper ac nocens ventus, qui ubi ſurrexit, neminem iter facientem ultra reperire eſt: domi omni aditu clauſo ſe quiſque ſervant. Tanta enim flatus eſt violentia, ut equitem cum equo rapiat ſublimem, multumque per inane circumlatum, ubi poſtremo dejicit, perimat. Beneventum vero, cum ut dixi contra jaceat, & quidem editis in locis, partem fert iſtius incommodi. oppidi conditor celebratur Tydei Diomedes poſt captum Ilium ejectus Argis. Is ſui monumentum reliquit oppido dentes Calydonii apri, Meleagro quondam ipſius avunculo venatus præmium: qui nunc etiam manent, miri ſpectatu, trium palmorum non minus craſſitudine, lunata ſpecie. Hic Æneæ ab Ilio venienti fama eſt congreſſum Diomedem & ex Minervæ oraculo dediſſe ei ſimulachrum Deæ, quod, explorator cum Vlyxe, nondum capto à Græcis Ilio, miſſus, inde abſtulerat. Narrant enim, cùm in morbum incidiſſet poſtea, remediumque à cæleſti ope poſceret, reſponſum ei, non aliam mali fugam, niſi Trojano alicui ſimulacrum illud redderet. Id ipſum ubi nunc ſit, negant ſe ſcire Romani: ſed figuram ejus

monſtrant inſculptam lapidi: quam nunc quoque videre eſt Fortunæ apud templum, ante effigiem Minervæ, quæ ſub dio ſtat à templo orientem verſus. illa in lapide figura ſpeciem præfert bellatricis, haſtam ut in prælio protendentis: tunica ad pedes demittitur. facies ipſa non qualis in Græcorum imaginibus, ſed qualem veteres Ægyptii fingere ſolebant. Ipſum ſimulachrum Byzantini à Conſtantino ſub terram defoſſum credunt in foro quod de ejus Imperatoris nomine appellatur. Et hæc quidem hac de re digredienti dixiſſe licuerit. Iam omnem Italiam quæ intra Adriam eſt Romam & Samnium uſque tenebat Beliſarius: quæ ultra id mare ſunt Liburnos uſque ſubegerat, ut memoratum antea eſt, Conſtantinianus. Priuſquam pergo, quem ad modum habitetur Italia dicere non tædebit. Ionium mare in terras multum ſe inſinuans Adriam facit, qui non ut ſinus alii fine ſui terras penetrans in anguſtum cogit. Nam Criſæus qui dicitur ſinus in Lechæum deſinens, Iſthmum in quo eſt urbs Corinthus facit, quadraginta patentem ſtadia. Pari ſpatio Cherroneſi in faucibus Iſthmum Helleſpontus exhibet, quem ſinum Nigrum hæc ætas vocat. Contra à Ravenna, ubi Adria deſinit, ad Tyrrhenos fluctus non minus octo dierum iter eſt homini expedito. cauſa eſt quod quo magis procedunt undæ in dextram partem violentius incumbunt. intranti Adriam primum oppidum occurrit Hydrus, cui dextera Calabri, Apuli, Samnites & his finitimi Picentes Ravennam uſque tenent. Ad lævam Hydrunti Calabrorum pars eſt reliqua, Bruttiique & Lucani: quos excipiunt Campani Tarracinam uſque: unde fines Romæ urbi attributi incipiunt. Hæ gentes maris ſuperi inferique oram & interius recedentia habitant, cui omni terræ Magnæ Græciæ ob originem vetus nomen fuit. Nam in Brutiis Locri ſunt Epizephyrii & Crotoniatæ

niatæ & Thurii. Vltra ſinum Adriaticum Epirotæ, Græci & ipſi, Epidamnum uſque maritimum oppidum. Annexa huic Precalis dicta terra: poſt eam Dalmatia totius Occidentis robur credita. Hinc Liburnia, Iſtria, Venetorumque ager qui Ravennam uſque pertingit. Et hi quidem populi mari adſident. ſuperius Siſcii & Suevi alii ab aliis quos Franci regunt, mediis in terris, ſuperque hos etiam Carnii & Norici, quorum dextrum latus Dacæ claudunt & Pannones ad Danubium uſque effuſi, quorum urbes inter alias ſunt Singidon & Sirmium. in has gentes ultra Adriam ſitas imperium erat Gotthorum quo tempore hoc bellum inchoatum eſt. ſupra Ravennam lævam Padi ripam colunt Ligures: ab his Septentrionem propius Albani ubere agro quam Langi villam vocant. Ad occaſum his Galli, ulteriusque Hiſpani. Dextro Padi latere Æmiliæ Thuſcique populi rurſus ad Romani agri confinia ſe porrigunt. ita ſe Italia habet. At Beliſarius circumjecta Romæ Tiberim uſque ſervabat diligenter: rebusque bene ordinatis, multos ſatellitum ſuorum, nonnullos & protectorum, in quibus Zanterem, Chorſomanum & Æſchmanum Maſſagetas, éque aliis militibus exercitum Conſtantino tradit, mandans in Thuſciam ire illiusque tractus loca in poteſtatem redigere. Beſæ ſingulatim injunctum Narniam ut caperet validum Thuſciæ oppidum. Erat hic Beſas Gotthus, ex illis qui in Thracia jam olim habitaverant, nec Theuderichum ſecuti fuerant cum Italiam iret occupatum: vir acer, belloque idoneus, dux ingenio, miles manu. Hic Beſas Narniam, volentibus oppidanis, in fidem accepit. Eadem facilitate Conſtantinus Spoletium, Peruſiam aliaque oppida ſibi adjunxit, ſponte eum Thuſcis in mœnia admittentibus. Præſidio relicto Spoletio, ipſe Peruſiæ, quæ Thuſciæ caput eſt, interquievit. Hæc ubi compererat

rerat Vitigis, mittit in eos exercitum, ducibus Vnila & Pitza: quibus occurrens Constantinus suburbano Perusiæ agro in prælium implicatur, quod anceps diu præcellente barbarorum multitudine, tandem Romanis victoriam dedit, ruptisque ordinibus fugientes hostes pæne omnes occisi. Duces capti atque in vita servati, munus Belisario mittuntur. His quoque auditis Vitigis non ultra Ravennæ sibi cunctandum existimavit. sed morabantur eum Marcias & cum Marcia milites qui nondum è Galliis illuc venerant. Ad Dalmatiam Gotthorum reddendam imperio ingentem mittit exercitum, ducibus Asinario & Vlisigisalo, jussitque ut conductis etiam circa Suevorum fines copiis properarent deinde in Dalmatiam ac Salonas ire. misit cum illis etiam longas naves magno numero, ut Salonæ mari non minus quam terra obsiderentur. Ipse Belisarium Romamque petere constituerat cum omni exercitu in quo centum & quinquaginta erant millia peditum equitumque, gravi armatura plerique, ut & equi ipsi. Asinarius in Suevorum terris legebat barbarum militem. Solus interim Vlisigisalus per Liburniam præerat Gotthis, qui apud Scardonem forte cum Romanis pugna congressi, victique, Burnum refugerant ejus regionis oppidum. Ibi deinceps collegam Asinarium exspectabat Vlisigisalus. At Constantianus intellecto quid agitaret Asinarius, Salonis metuens, ex omnibus circum præsidiis evocat militem, fossaque ducta ambit mœnia, cuncta tolerandum ad obsidium sedulo parans. mox multo cum milite barbaro venit Burnum Asinarius: ubi conjunctus Vligisalo & Gotthis, simul cum iisdem Salonas contendit, castraque mœnibus circumdat impletisque milite navibus intercludit ab aditu eam mœnium partem quæ mari alluitur. ita illi Salonas terra ac mari obsidebant. At Romani improvisi in hostium

ſtium irrunt naves easque in fugam agunt: mergunt multas cum hominibus ipſis: vacuas alias capiunt. Non ideo tamen ab obſidione Gotthi deſtitere, imo arctius etiam eos qui intra oppidum erant Romanos preſſere. Hæc Romanorum atque Gotthorum exercitibus per Dalmatiam agebantur. At Vitigim, cum ab iis qui Roma adventabant intelligeret cum Beliſario modicas eſſe copias, Romæ derelictæ ſubiit pænitentia: nec ultra ſui potens, ſed ira percitus eo ferebatur. in itinere obvius ei fit quidam è Romanis ſacerdotio fungens: ab hoc magno clamore ſciſcitatum ajunt Vitigim, eſſetne Romæ etiam nunc Beliſarius: metuebat ſcilicet ne eum opprimere non poſſet fuga elapſum: reſpondiſſe illum, exueret hanc curam: ſponſorem ſe, non abiturum Beliſarium, ſed manſurum in ipſius adventum. Vitigim, id ubi audierat, multo etiam magis feſtinaſſe, id optantem unice Romæ ut mœnia conſpicere ipſi liceret. At Beliſarius, ut Gotthorum quantum erat in ſe venire comperit, conſilii ambiguus hæſit. Nam neque Conſtantinum & Beſam ſegregari à ſe volebat, tenuem habens ſecum exercitum, & nudare Thuſciæ præſidia intutum videbatur, ne ea ipſa Gotthis contra Romanos munimento eſſent. Rationibus apud ſe exputatis, Conſtantino Beſæque præcipit, in locis maxime neceſſariis ut militem qui tutelæ ſufficeret relinquerent: ipſi ſe Romam cum reliquis comitarentur. Conſtantinus dicta exſecutus eſt: nam Peruſiæ & Spoletii relictis præſidiariis cætero cum milite Romam properabat. Tardior apud Narniam res curare Beſa: itaque evênit ut illac tranſitum capientibus Gotthis plenus hoſtium eſſet ager ſuburbanus. Hi erant totius quam Vitigis ductabat exercitus anteſignani: quibuſcum pugnam auſus Beſa, ſibi proximos fudit, multaque cæde peracta, cum multitudini par non eſſet, Narniam rediit: ibidemque cuſtodibus relictis, ut Beli-
ſarius

ſarius imperaverat, quam maxime poterat feſtinum iter Romam intendit, jamiam hoſtes adfore nuntians. Nam Roma ab oppido Narnia abeſt ſtadiis admodum trecentis & quinquaginta. Vitigis nec Peruſiam nec Spoletium aggredi ex uſu duxit, firma loco oppida, ipſe moræ omnis impatiens, dum unum illud ſtudet, Beliſario ut ſuperveniret nondum ab urbe digreſſo. Quanquam vero & Narniam à Romanis inſideri audierat, ne ibi quidem quicquam tentandum cenſuit, gnarus acceſſu difficilem, ſitu arduam. ſtructa enim eſt in monte edito. Nar amnis, qui oppido nomen dedit, montis radices prælabitur: Ad aſcenſum viæ duæ ſunt, altera ad orientem Solem, ad Occidentem altera. illa Arcto difficilis prærupta inter ſaxa, ad hanc veniri non poteſt, niſi ponte qui amni incumbens det tranſitum. Eum olim pontem Cæſar fecit Auguſtus, conſpicuum ſane, quippe altiſſimum fornicatorum quæ novimus operum. Vitigis ibi tempus terere aſpernatus, inde abiens Romam per Sabinos vadit. ut prope urbem ad ſtadia venit quatuordecim, pontem fluvii Tiberis invenit, in quo non multo ante turrim ædificaverat Beliſarius, addideratque portas & præſidio militem, non quod alibi tranſitus hoſti nullus eſſet: nam multi pontes multaque navigia in eo ſunt flumine, ſed quod iter quam tardiſſimum hoſtibus facere vellet, tum quod ab Imperatore novas copias expectabat, tum ut longior Romanis facultas eſſet neceſſaria in urbem importandi. Nam ſi ab hoc loco depulſi barbari tranſire pararent aliquem eorum qui alibi erant pontium, biduum non minus periturum judicabat: quod ſi navigia in Tiberim contrahere mallent, aliquanto etiam majus, quantum conjicere erat, temporis diſpendium fore, Hæc cauſa Beliſario fuerat præſidium ibi collocandi. ibi unum diem caſtra Gotthi habuere, quid agerent incerti, plerique turrim poſtridie

op-

oppugnandam existimantes. quo tempore venere ad eos perfugæ viginti & duo, gente barbari, militia Romani, è turma cujus ductor erat Innocentius. consilium Belisario erat ad Tiberim ponere castra, quo magis transitum hosti impediret, simulque fiduciam suarum virium ostentaret. at milites qui in ponte præsidium, ut diximus, habebant, attoniti conspecta Gotthorum multitudine & imminente periculo, nocte, deserta in qua excubabant turre, fugam ceperunt, Romamque vitantes in Campania latuere, metu supplicii ab Imperatore, an commilitibus conspici erubescentes. postridie Gotthi, perfractis ad turrim portis, resistente nemine, facilem habuere transitum. Belisarius ea quæ ad pontem evenerant ignorans, cum equitum mille comitatu ad pontem ibat, speculaturus locum quem castris maxime eligeret idoneum. ut processere, occurrunt hostibus jam pontem transgressis, neque id cogitantes prælio miscentur, equestri utrinque. Tum vero Belisarius, cautus antehac, exuto ducis munere inter primos ut miles pugnare voluit. Non leve in eo periculum adiit res Romana, cum in uno illo summa belli verteretur. Equo forte vectabatur, assueto bellis, edoctoque è periculis servare equitem, cui cætera corporis fusca, frons narium tenus candebat. quod genus equi Græci balios, corruptius barbari valas vocant. In hunc equum insidentemque Belisarium hastas telaque alia conjiciebant plerique Gotthorum, tali ex causa. Perfugæ qui pridie ut diximus ad Gotthos transierant, ut in prima acie pugnantem videre Belisarium, haud nescii, si ipse caderet, exitium Romanæ rei impendere, clamore omnes hortantur ut valæ vulnera ingerant. inde per omnem Gotthorum exercitum manavit ea vox: quid ea causæ haberet ut in tanto rerum æstu ac strepitu inquirente nemine: itaque, ignari quamvis illum esse Belisarium,

tan-

tantum conjectantes non frustra percrebuisse dictum illud, omissis aliis in Belisarium omnes tela jactabant. Quibus major audacia gloriæque cupiditas, cominus tangere avidi, magna cum violentia hastas, gladios ingerebant. Belisarius modo huc se, modo illuc vertens, multos morti dabat, magnumque in eo periculo fructum tulit satellitum suorum ac protectorum in se amoris. Nam circumstantes eum undique fortitudinis facinora ediderunt quanta quisquam in eum diem mortalium. Ducem quippe equumque scutis obtegentes, modo tela excipiebant omnia, modo ingruentes Gotthos facto impetu depellebant. Ita circa unius viri corpus totum constiterat prælium. in hoc certamine Gotthi non minus mille occiderunt, & quidem eorum qui inter primos dimicabant. Multi & è Belisarii domo ac ferme fortissimus quisque, mortem oppetivere, in quibus Maxentius satellitum unus, spectatissimæ in hostem virtutis. mira eo die Belisarii fortuna fuit, ut cum de ipso tota esset certatio, nullum vulnus, nullam corporis offensam acceperit. Ad ultimum vicit Romana virtus, hostesque compulit dare terga. quorum ingens multitudo ruens non ante constitit quam ad sua pervenisset castra. ibi Gotthorum pedites à labore integri fessos hostes facile sustinuernnt primum, deinde depulerunt. cumque iisdem etiam recentia equitum subsidia adessent, à Romanis fuga facta est non minus effusa, donec in colle proximo stari cæpit. Sed & huc secutis hostium turmis, ortum est prælium equestre: in quo Valentinus equiso Photii, ejus cui mater Antonina, eximium edidit virtutis specimen. Nam solus in medium agmen hostium insiliens, illorum retudit impetum, suisque saluti fuit. ita elapsi ad urbis mænia se contulere, insecutique eos barbari eodem veniunt propter portam quam ex eo tempore Belisariam vocare

mos

mos habet. At Romani metuentes ne cum ſociis hoſtes una ſe intra mænia infunderent, aperire portas noluerunt, quanquam jubente, quin & minas addente, Beliſario. neque enim eum hi qui ex turribus proſpectabant, dignoſcere quiverant. Ita faciem caputque omne pulvis ſudorque & aſperſus cruor fædaverant. Accedebat, quod nec ad aſpectum ſatis lucis aderat, ſole jam occidente. Ne ſupereſſe quidem ducem credebant Romani. quod qui ex prima fuga eo venerant dimicantem inter primores Beliſarium vivendi finem feciſſe nuntiaſſent. Ergo Gotthorum agmen ingens numero, ingens animis huc undique confluens, tranſire foſſam, inſtare fugientibus, parabant. Romani mænia foſſamque inter denſos ſe conglobaverant. Qui vero intra mœnia erant, deſtituti duce, imparati, ſibi, urbi metuentes, opem ſociis ferre in tanto periculo conſtitutis non audebant. Tunc Beliſarius ab ingenio & audacia præſidium mutuatus ſervavit inſperato res Romanas. imperio enim ſuis dato, ſubitus cum iis in hoſtes erumpit. illi, ne ante quidem ſervantes ordinum, ut inſequentibus fugientes ſolet evenire, jamque & tenebræ ſupervenerant, ut repente eos qui modo fugiebant in ſe irruere ſentiunt, creditoque veniſſe in auxilium ipſis alium ex urbe exercitum, correpti metu univerſi fugam rapere. Nec ultra ſecutus Beliſarius, ſatis habuit intra mœnia regredi, quo eum comitumque ejus Romani, jam animo ſedatiores acceperunt. Tam prope exitium Beliſarius reſque Imperatoris venerant. mane cæperat prælium: nocte deſiit. Decus inde maximum retulere, Romanorum Beliſarius, Gotthorum Viſandus Vandalarius, qui cum pugna circum Beliſarium orta eſt, in primore parte locatus, non deſtitit bene facere, donec vulneribus tredecim perfoſſus caderet: credituſque periſſe, neglectus à ſuis, quanquam victoribus, inter mortuos jacuit:

jacuit: tertia demum die cum proxime muros urbis castra posuissent barbari, misere qui mortuorum corpora humo justisque deposcerent. Hi, dum exanimes scrutantur, Visandum bandalarium reperiunt adhuc spirantem: & sociorum quidam vocem ut sibi ederet rogabat: verum is id non poterat: adeo ipsi viscera fame & campi squalore inarserant. Tandem innuit aquam sibi in os ut darent. potu refotum, paulatimque ad se redeuntem portavere in castra. Magnum ex eo nomen in Gotthis Visandus bandalarius obtinuit, eximiaque in claritate diu supervixit. Hæc tertia die quæ evenere dicere occupavi. Cæterum vitato cum suis periculo Belisarius, milites & urbanum vulgus pœne omne in mœnia compellens ignes accendi, noctemque insomnem agi imperat: atque ipse obiens mœnia, tum alia curabat, tum portarum cuique præfectum addidit qui custodiret. Besas vero, cui portæ Prænestinæ obvenerat tutela, misit ad Belisarium qui nuntiaret teneri ab hostibus urbem non ea ex parte ingressis qua Tiberis flueret, sed per aliam portam cui nomen à Paneratio celebratæ sanctitatis viro. His auditis qui Belisario aderant vitæ quamprimum consuli capta fuga per remotam inde portam suadebant. At nihil ille territus falsa dixit quæ nuntiabantur. statimque trans Tiberim misit equites qui cuncta speculati nihil adversum urbi accidisse retulerunt. missis igitur aliis ad portarum præfectos significat, si diversam in partem incumbere hostem audirent, ne illis opitulatum irent, neve statione decederent, sed loco sibi mandato inhærerent: sibi cætera curæ fore. Causa consilii, ne iterum mendaci rumore turbarentur. At Vitigis, dum recens adhuc Romanis consternatio, portam ad Salariam mittit è præfectis virum clarum Vacin nomine, qui eo ut venit, Romanos ob fluxam in Gotthos fidem accusat, proditores quin & patriæ

patriæ ſuique ipſorum appellat, qui Gotthorum vires mutaſſent Græculis ad tutelam ipſorum invalidis, unde antehac neminem vidiſſent venientem in Italiam præter tragædiarum actores, mimos, furaceſque nautas. Hæc & his ſimilia cum jactaſſet Vacis, ac nemo reſponderet, ad Gotthos ſuos Vitigimque ſe retulit. Beliſarius vero riſum civit Romanis, cum ægre manus hoſtiles elapſus, magno omnes eſſe animo, nihilque facere barbaricam vim juberet: quippe certo ſibi ſe de iis bello victorem fore. Vnde edoctus hoc aſſeveraverit, ſuo loco memorabitur. Iam multum provecta nocte jejunum adhuc Beliſarium uxor & qui amicorum aderant ægre perpulere paulum panis ut veſceretur. Sic nox illa utriſque tranſiit. Poſtera luce Gotthi, ſpe pleni impetu poſſe capi urbem tam late diffuſam, Romani vero ad defenſionem parati, hunc in modum conſtitere. Sunt in urbis ambitu portæ quatuordecim juſtæ, minores aliæ. Gotthi vero cum caſtra circumducere toti urbi nequirent ſenis per intervalla caſtris poſitis, quinque portarum aditus clauſerant, à Flaminia ſcilicet Prænestinam uſque, ita ut omnia caſtra illa cis Tiberim eſſent. Sed metuentes ne Romani rupto Milvio ponte invia ipſis facerent loca quæ ab amne mare uſque ſpectant, atque ita ab urbe obſidionis incommoda averterent, ſeptima adjecere caſtra Tiberim ultra, Neronis in hortis, ita ut jam pluribus caſtris pons eſſet medius. Sic evenit ut aliarum quoque duarum portarum impedirentur aditus, Aureliæ quæ nunc à principe Chriſti Apoſtolorum Petro nomen habet, & Tranſtiberinæ. Atque ita Gotthi alteram ferme mænium partem caſtris obduxerant, ut, non prohibente flumine, in quamcunque vellent partem circumferre bellum poſſent. Iam quo modo prioribus ſæculis Romani in utraque Tiberis ripa mœnia ſtruxerint dicere aggredior. Ab initio obliquo agmine Tiberis

veterum mænium partem maximam præfluebat. Ager ipſe, cui ſuperſtructa mænia ad amnem pertingebant, planus acceſſuque facilis. At in oppoſita Tiberis ripa ſurgebat collis non exiguus Ianiculum, in quo molæ urbis ab antiquo erant ideo quod multa aqua per canalem collecta in collis faſtigium inde magno ſe impetu dejiciebat. Quapropter Romanis viſum, collem, & quod à Tiberi interiacebat, muro amplecti, ne qua hoſti facultas eſſet molas corrumpere, aut amne tranſito ex inſidiis urbem adoriri. Ergo cum ponte ſtraviſſent Tiberim, produxere mænia multiſque in ulteriore ripa ſtructis domibus medium urbis amnem fecerunt. Sed hæc jam olim. Gotthi vero nunc caſtrorum vallis foſſam præducere, egeſtam humum conferre atque ea vallum interius attollere, imponere ſudes acutas, ut jam firmiſſimis caſtellorum munitionibus caſtra illa nihil cederent. Caſtra Neronis in hortis quæ erant regebat Marcias, cum iis quos adduxerat: jam enim è Gallia venerant. cæteris præerat Vitigis ipſe & duces quinque, ſingulis ſinguli. His rebus conſtitutis Gotthi diruunt canales, ut quam minimum aquæ urbs acciperet. Sunt autem canales aquæ ductuum urbis Romæ numero quatuordecim coctili latere, tam profundi latique ut equo inſidens homo tranſvehi poſſit. At Beliſarius quæ tutandæ urbi judicavit expediit in hunc quem dicturus ſum modum. Ipſe Pincianam portulam & quæ huic ad dextram eſt portam Salariam nomine curabat. nam hac maxime oppugnationi obnoxia erat urbs, contraque ad eruptiones ex urbe eadem pars maxime oportuna. Præneſtinam Beſæ cuſtodiendam dedit: Conſtantino Flaminiæ quæ ad alterum Picenæ eſt latus: portaſque clauſas intus obſtruxit è magnis lapidibus facto opere ne quis remoliretur. Nam hac parte maxime, quod propinqua eſſent hoſtium caſtra, inſidias ſuſpectabat. Portis aliis im-

impoſuit cohortium ductores. Præterea canalem quemque cuſtodiri juſſit, pleriſque & munimenta imponens, ne qua fraus externa illac penetraret. Quoniam vero ruptis, ut dixi canalibus, non ultra molas aquæ verſabant, nec animalium labor ſuccurrere poterat, ob pabuli penuriam, ne neceſſarios quidem ad belli uſus equos alere ſufficientis, rem novam comminiſcitur Beliſarius. Pro ponte quem non longe mœnibus abfuiſſe dixi, ab utraque ripa nexos tendens funes, ab iis, interque ſe lembos devinxit duos duum pedum intervallo, quam ad partem maximus à curvatura pontis aquarum ſe ferebat impetus: molaſque lembis imponens binas, inter utrunque machinam ſuſpendit verſandis molis idoneam. Tum alia deinceps acatia diſpoſuit certo ordine anteriora ſemper alligata poſterioribus, interpoſitis eundem ad modum machinis. Aquæ igitur ſuapte violentia machinas aliam poſt aliam, machinæ molas motabant, quæ urbi quod ſatis erat molebant. Hoſtes, ubi id perfugarum indicio cognoverant, machinis corrumpendis hunc adhibent modum. Magnas arbores Romanorumque recens interfectorum corpora confertim in amnem devolvunt, cujus curſu delata in naviculas pars eorum major machinas frangebant. Sed Beliſarius & huic incommodo remedium invenit. Longas catenas ferreas ponti aptavit totum per Tiberim pertingentes, quo cum delapſa eſſent quæ fluminis impetu ferebantur, ibidem adhæreſcebant, retentaque porro ab iis quibus id curæ erat ad terram trahebantur. Neque id inſtituit, molis duntaxat cavens, ſed metu ne hoſtes naviculis tranſmiſſo ponte improviſi in urbem penetrarent. Sic barbari à ſuo conatu ſucceſſum non habente abſtiterunt: libereque in poſterum uſi molis Romani: ſed aquarum inopia balneis arcebantur: potui ſufficiebat etiam humor his qui amne longius ab-

erant, puteis suppeditantibus. contra cloacas, queis purgamenta urbis receptantur nulla cautione habebat opus, quando in Tiberim exeuntes omnes ad insidias hostium urbem non aperiunt. Hæc erant quæ contra obsidium Belisario agebantur. Quæ per tempora Samnites pueri patriis in locis pecora pascentes, de suo grege insignes corpore duos deligunt, vocatosque joculari vocabulo hunc Belisarium Vitigim alterum, lucta congredi jubent. Diu graviter certato, cecidit Vitigis: eumque per ludum coævi de arbore suspendunt. Forte ibi tum lupus apparuit, quo exterriti pueri aufugêre. Priusquam redirent mora cruciatus is qui Vitigis dicebatur interiit. Samnii homines ubi rem cognovere, nullum exegere de pueris supplicium, ac velut certo omine victorem bello fore Belisarium animo præcepere. Ea res sic abiit. At Romani & bellorum & obsidionis insueti, illuviem præterea rerumque aliarum penuriam pertæsi, & quod insomnes servare mœnia cogebantur; suspicantes quoque non diu futurum quin urbs caperetur, interim spectantes agros atque alia populabundo hoste diripi, cum dolore indignabantur, quod nullo suo crimine in obsidii mala ac tot pericula induerentur. sæpe & conglobati probra in Belisarium aperta jaciebant, quod non acceptis ab Imperatore copiis; quantis erat opus, bellum in Gotthos auderet. Eadem Senatores, sed in arcano, criminabantur. quæ postquam intellecta Vitigi, incendere si posset odia, turbandæ rei Romanæ studens, legatos ad Belisarium mittit, quorum princeps erat Albes. Hi postquam in conspectum Belisarii venere (circumfusus is erat Senatoribus primisque exercitus) hunc in modum prolocuti sunt. Iam olim, Belisari, prudenter distributa sunt per homines rebus nomina. Exemplo sit quod aliud temeritas, aliud fortitudo dicitur. illa cum dedecore periculum: hæc comitem virtu-

tis

tis gloriam reportat. alterum ex his te huc egit, utrum vero jam rebus ostendes. Si fortitudine fretus Gotthis arma intulisti, vides de muris eorum exercitum: virtutem demonstrandi abunde ibi copia est. sin temerario raptus impetu in nos irruisti, superest ut te improvidi ausus pœniteat. Præferoces enim animi, ubi in discrimen res venit, mutari solent. Noli igitur ultra Romanis prolatare miserias, quos Theuderichus & liberaliter & molliter habuit: noli Gotthorum Italorumque domino te opponere. Nonne enim à ratione abhorreat, te ita inclusum, hostesque exterritum, Romæ sedere, regem autem horum locorum cogi in castris viventem subditos suos afficere belli malis? Nos tibi & tuis omnibus abeundi, si vultis, libertatem dabimus, rebus vestris salvis. Nam insultare ad bonam mentem redeuntibus neque fas neque humanitas sinit. vellemus ut ex his Romanis percunctari, quas de Gotthis querendi causas habeant quod eos seque pariter prodiderint. qui antea quidem benignitatem experti nostram, jam quæ vestra sint auxilia experiundo discunt. Dixerant legati. Ad ea Belisarius: Pugnandi tempus à vobis non petemus. neque enim mos est bellum gerere ex hostis sententia: sed sua quisque disponere solet quemadmodum suo ex usu existimat. Tempus vobis venturum spondeo, cum spinis capita obtegere volentibus id non dabitur. cum Romam cepimus nihil cepimus alienum Sed vos invasores olim ad vos nihil pertinentium nunc justis dominis ea reddere repetentibus abnuitis. At quisquis vestrum Romam adipisci sperat sine sanguine, multum animo fallitur. Tantam rem Belisarius vivus quidem non amittet. Belisarii talis fuit oratio. At Romani metu defixi vasto cum silentio sedebant, nihil ausi respondere legatis, quamvis ob desertos Gotthos gravibus probris impeterentur: nisi quod

jurgari cum illis cæpit Fidelis, qui tum prætorio præfectus aderat Belisario, proximus ipsi in Imperatorem obsequio creditus. His ita actis legati in castra rediere: è quibus cum sciscitaretur Vitigis, quis vir esset Belisarius, quæ ejus de abitu esset sententia, responderunt, errare Gotthos si eum hominem ullo modo perterreri posse sperarent. Ex eo Vitigis ad oppugandi artes verso animo hæc impetendis mœnibus machinamenta adhibuit. E materia turres fecit ad mœnium altitudinem, haud falsus mensuræ quam ex lapidum suggestu non semel ceperat. His infra ad quemque angulum rotæ suberant, quibus circumactis, quo oppugnantibus visum esset, agerentur. trahebantur advinctis bubus. Tum scalas parat & multas & quæ ad murorum usque pinnas pertingerent, & machinas quatuor id genus quos arietes vocant. Est autem structura talis. Trabes erectæ quatuor pares inter se & adversæ statuuntur. his octo adfiguntur transversim, superne quatuor, infra totidem: ita velut conclavi facto quadrangulo pro muro aut parietibus coria circumtendunt, ut & levior portatu sit machina, & qui intus sunt tutiores sint ab hostium telis. inde in medio hoc opere transversam aliam suspendunt trabem laxis catenis, cujus partem extimam acuunt ferroque armant ad modum sagittarum cuspidis: interdum & quadrato ferro, incudis instar, præducunt. Pendet hæc trabs de rotis quatuor, quæ annexæ sunt totidem erectis illis quas dixi trabibus. movent viri intus non minus quinquaginta, qui ubi eam mœnibus incutere volunt, pensilem trabem factis ad hoc instrumentis retrorsum trahunt, deinde vi magna in murum ferri sinunt, quod cum sæpius repetitur nihil est quod non dejiciat aut rumpat. Inde nomen machinamento, quod ejus rostrum incursu suo arietum cornua imitetur. Tales sunt arietes qui dicuntur. At Gotthi vim magnam fascium

è li-

è lignis arundinibusque paratam habebant, ut ea injecta in fossas viam æquarent per quam machinæ vectarentur. Contra Belisarius muris imposuit machinas quas balistas vocant: Arcuum habent speciem. infra uncus eminet mobilis, recto ferro incubans. His, cum ferire hostem tempus est, funiculi tortu brachia, quæ velut cornua sunt arcus, contrahunt, impositumque unco telum, velut ex arcu fieri solet, eiaculantur. Est autem telum longitudine dimidia vulgarium: latitudine quadrupla: pinnas non habet, sed eorum usum ac sagittæ figuram implent ligna tenuia lateribus aptata. Spiculum affigitur magnum & crassitudini respondens. Instrumentis ad hoc utrinque positis stringitur, uncoque se reducente tanto cum impetu exit telum ut bis tantum spatii transeat quam quod arcu jacitur, & si in arborem aut lapidem impegerit facile dirumpat. Talis est quæ à jactus violentia nomen invenit balista. Alias item in mœnium pinnis machinas posuere lapidibus jaciendis, quas fundis non absimiles onagros vocant: in portis qua foras spectant posuere quos lupos vocant, in hunc factos modum. Trabes duas in terra defigunt quæ ad pinnas usque pertingant. Ligna deinde dolata alia superponunt aliis, partim recta, partim transversa, ita coagmentata ut in intervallis velut foramina appareant. in quaque compage rostrum quoddam prominet crassi stimuli in speciem. Hinc transversa lignorum aliis trabibus imponunt quæ altitudinis aliarum ad dimidium perveniant, easque trabes in portas resupinant. At ubi hostes accessere propius, qui intus sunt summas eas trabes nonnihil subducunt. ita tabulæ in subeuntes derepente illapsæ rostris illis prominentibus quoscunque attigerant facile occidunt. talia Belisarius tuendæ urbi struxerat. octavo decimo obsidionis die Gotthi, ducente Vitigi, circa solis ortum velut mœnia oppugnaturi

turi apparent : nec parum Romanos commoverat insueta turrium arietumque species. At Belisarius, ut incedere cum machinis hostile vidit agmen, risit suosque milites cessare jussit otiosos, donec signum daret. cur rideret tunc quidem in obscuro fuit, apparuit autem postea. Romani vero simulari ab eo risum putantes, probris eum impetere ut nullius frontis hominem, irasci etiam, quod procedentes hostes non laboraret repellere. Sed ubi jam fossæ Gotthi successerant, primus ipse Belisarius arcum intendens, è ducibus quendam loricam indutum in collum ferit : atque is statim accepta morte in dorsum cecidit. Tum vero Romani omnes ingentem tollere clamorem, læti velut fausto omine. iterumque jaculante Belisario, par successus adfuit: majorque priore de mænibus clamor surrexit, quasi victis hostibus. ibi Belisarius suis omnibus præcepit uti arcubus: qui vero se circumstiterant eos in solos boves jussit dirigere vulnera. dejectis in terram bobus omnibus, jam Gotthi nec provehere ultra turres, neque, ut erant perculsi subito malo, remedia comminisci potuere. Tum demum cognita est Belisarii prudentia, qui non obstitisset hosti adhuc è longinquo adventanti, nec sine causa irrisisset barbarorum stoliditatem, sperantium ita improtectos boves tuto ad mœnia posse perduci. Hæc ad eam portam agebantur, cui Belisariæ nomen factum diximus. Vitigis, ejus spei irritus, multos adhuc ibi milites relinquit, & ex eis facta phalange, densa admodum, præfectis imperat, ne assiliant mœnia, sed ibidem se tenentes loci jaculis impetant pinnas, ne tempus Belisario esset aliud tutari mœnium latus, quod ipse oppugnaturus esset numero militum majore. Hoc curato, Prænestinam versus portam it, ad eam mœnium partem quam Vivarium Romani vocant, ubi plurimorum simul impetum locus capiebat. Iamque aderant præmis-

sæ

ſæ turres, arietes & ſcalarum quod ſatis. Eodemque tempore alia Gotthorum oppugnatio in portam Aurelianam cæptabatur hunc in modum. Eſt extra eam portam Adriani qui Romanis imperitavit monumentum, à mœnibus abſitum lapidis jactu, digniſſimum ſpectatu opus. Factum enim è Pariis eſt ſaxis ita inter ſe coaptatis, ut, nullo quamvis coagulo, velut concreta appareant. quatuor ambitus latera æqualia inter ſe: altitudo muros urbis ſuperat. Hoc opus majores Romanorum decreto publico è mœnibus duplici brachiorum projectu velut partem mœnium fecerant. Putet qui eminus cernat, magnam eſſe turrim portæ tutandæ prætentam. Huic firmiſſimæ munitioni cuſtodem Beliſarius dederat Conſtantinum: eidemque & contiguam mœnium partem curandam commiſerat, quæ tenui admodum præſidio ſervabatur: nam quod ob præfluentem amnem id latus urbis ad vim minime pateret, ideo oppugnationis inde ſecurus paucos milites Beliſarius ei loco attribuerat, quippe non multum habens copiarum, quorum pars maxima locis magis neceſſariis abſumebatur. Nam ultra quinque millia non habebat Imperatoris exercitus, quo tempore cæpta obſidio eſt. At Conſtantinus (audierat enim trans Tiberim hoſtes tranſitum moliri) metuens illi mœnium parti ipſe cum paucis celeriter ſubvenit: ſuorum pluribus portæ & monumenti quod deſcripſimus mandata cuſtodia. Nec mora. Gotthi portam Aureliam, ſimulque monumentum Adriani aggrediuntur, nullas quidem machinas ſecum habentes, ſed ſcalarum vim ſatis magnam, telorumque. Sperabant enim metum ſe hoſtibus ut paucis facile injecturos, ac ſic loci compotes fore. Ibant autem vela ſibi prætendentes illis ſimilia quæ Perſæ Derres vocant. Prope advenerant improviſi, quod eos porticus abſconderet quæ ad Petri templum ducit. unde

ſubito emergentes vim cæptavere, cum nec baliſtis in eos uti poſſent defenſores (quippe earum jactus non niſi ex intervallo eſt in adverſos) nec telis eos depellere velis arcentibus. Rem ſtrenue gerentibus Gotthis, cum in pinnas perpetuo jacularentur, jamque & mœnibus ſcalas admoverent, interim monumenti illos propugnatores, qui antè ipſorum quoquo iverant terga ex obliquo impetebant, corona propemodum cinxiſſent, initio conſternati Romanis animi ſpem ſalutis vix videntibus: mox in mentem eis venit ſimulachra pleraque eximiæ magnitudinis diffringere, raptaque inde ſaxa ingentia manibus binis in capita oppugnantium jactare. id Gotthorum labefecit animos, cumque paulatim ceſſim irent, confirmatiores Romani jam & clamorem tollere, & lapidum jactu & ſagittis vindicare ſe, poſtremo & machinamentis uti cæptantes, plurimum terroris intulere. Non diu certatum hic fuerat, cum adeſt ibidem Conſtantinus, qui tranſitum fluminis tentantes facile perterruerat amoveratque deceptos ſpe ſua quod incuſtoditam illam partem reperturos ſe exiſtimaſſent. Sic ad portam Aureliam periculum vitatum. Ad tranſtiberinam vero portam, cui à Pancratio vocabulum, nihil dignum quod memoretur ab hoſtibus factum ob loci firmitatem. Ardua enim ibi, nec quæ adiri ſe patiantur urbis ſunt extima, quorum cura Paulo & cohorti ejus obvenerat. Flaminiam portam nec aggreſſi ſunt, quippe quæ & ipſa loco ſita abrupto arcet aditum: Cohors ibi præſidium habebat cui militare vocabulum reges, duce Vrſicino. Hanc inter portam portulamque Pincianam, ut diximus, appellatam, pars muri jam olim diſceſſerat, non quidem ad ſolum uſque, ſed ad dimidium à ſummo, non ut corrueret, aut corrumperetur, ſed ita in diverſum nutaret, ut pars extra reliqua mænium, pars intra eadem
eſſe

esse videretur: unde Romani rupturam suo sermone locum vocaverant. Hanc partem pridem diruere ac instaurare conantem Belisarium, religione prohibuerant Romani, affirmantes Petrum Apostolum pollicitum se ejus custodem fore. Eum enim Apostolum eximio honore venerantur Romani. Nec aliter quam opinatum fuerat re evênit. Nam nec isto die nec omni eo tempore quo Romam obsederunt Gotthi, aut hostium eo advenere copiæ, aut aliquis ibi tumultus exstitit: mirantibus nobis quod ea pars hosti in mentem non venisset, cumque multa experirentur oppugnatione diurna, insidiis nocturnis, locus mansisset intentatus: unde nec in posterum quisquam sarcire ausus fuit, sed in hunc diem hiat murus. Hæc quidem sic se habuere. Ad portam vero Salariam vir procerus, lorica corpus, caput tectus galea, non obscuri inter Gotthos nominis, non inter cæteros ordines constitit, sed adscensa arbore restem in pinnas murorum jecit. Hunc forte virum machina in turre urbis ad lævam posita verberavit. Telum trans loricam hominisque corpus actum plus media parte insedit arbori, talique eum vinculo tenuit in arbore suspensum, jam fugiente vita. quod ut visum Gotthis, exterriti, extra jactum in ordinibus quidem constitere, sed ut defensores non lacesserent. At Besa & Peranius ad Vivarii regionem acriter incumbente Vitigi Belisarium advocarunt. Is illi maxime metuens mœnium parti (erat enim ad oppugnationem, ut diximus, præ cæteris exposita) ipse quam celerrime subsidio venit, suorum quendam ad Salariam relinquens. conspicatusque pavescere milites ad hostilem impetum & multitudine & animis acrem; jussit contemni Gotthos, ipse audendi exemplum. Erat plana ibi humus eoque insultibus oportuna. Tum vero accedebat, quod fluxa ibi mœnia ægre cohærente

late-

laterum compage. Sed campi æquor extra mœnia jacens parietibus ſepſerant jam olim Romani, non ad loci tutelam (neque enim aut turrium firmamenta, aut pinnæ aderant, aut alia ſolita adverſus vim hoſtium reperiri defenſandis mœnibus) ſed in uſum voluptatis quem non laudaverim, ut leones quæque alia feri ingenii ſunt animalia illis clauſtris continerent. unde & Vivarii nomen, quomodo Romani vocant cuſtodiendis id genus beſtiis loca. Vitigis igitur, tum alibi machinas admoveri jubet, tum Gotthos adoriri id ſeptum, exiſtimans eo penetrato vim proſperam in mœnia futuram, quæ ibi imbecilla eſſe intellexerat. At Beliſarius videns ab hoſtibus perfodi Vivarium, diverſiſque in partibus aſſiliri mœnia, neque repugnare milites ſuos, neque ad pinnas manere niſi paucos ſivit, quanquam ipſe flos exercitus apud ipſum erat: ſed infra ad portas paratos eos ſtare juſſit, tectos lorica, ſolos pro armis gladios habentes. Vbi dirutis parietibus intra Vivarium conſtiterant Gotthi, Cyprianum & cum eo alios ſubito immittit, manibuſque rem gerere jubet. Tantus ex eo metus Gotthos invaſit, ut neque defenderent ſe, & ipſi augerent ſibi mortium cauſam, in exitus anguſtiis alius alium comprimentes. Improviſum hoc multum conſternationis & in cæteros tulit, qui nulla ordinum cura vim vagam huc illuc circumferebant: impulitque Beliſarius, è portis emiſſo repente omni exercitu. Tum Gotthi ſalutem non virtute ſed fuga quo cuique viſum quærere: perſequi eos Romani & quotquot deprehenderant occidere: diuque inſtitum fugientibus, quod longe à caſtris urbem oppugnatum venerant Gotthi. Et machinas hoſtium incendi juſſit Beliſarius, unde, ut fit, proxima quæque corripiens flamma duplicavit perculſis pavorem. Eodem tempore ad portam Salariam res eundem in modum

dum gesta est. apertis & ibi portis in barbaros incautos proruptum: illique omissa defensione terga dantes trucidati, incensæ itidem machinæ, ita ut multis simul è partibus muri flamma collucescerent: latiusque manante pavore, quicquid usquam circum urbem erat hostium, fuga se proriperet. Ingens utrinque clamor, hinc de muro persequentes adhortantium, inde in castris calamitatem tantam deplorantium. quippe eo die triginta Gotthorum millia periisse, ducum ipsorum affirmatione accepimus. vulneratorum quoque ingens turba. nam ut in numeroso agmine non aberrabant tela de mœnibus missa, & qui excurrerant inulta cæde in pavidos & fugientes grassabantur. Hunc finem sero vespere habuit mane cœpta oppugnatio. Noctem insequentem insomnem egerunt pars utraque: Romani in mœnibus ovantes, faustisque attollentes ominibus Belisarium, incliti mortuorum spoliis: Gotthi refoventes suorum vulnera, ob amissos mœsti lugentesque. mox literas ad Imperatorem mittit Belisarius hoc significatu. Venimus in Italiam ut jusseras, multumque terrarum, postremo & Romam cepimus, depulsis barbaris: quorùm ducem Leuderim non ita nuper ad te misi. sed accidit nobis ut, dum ad Siciliæ ac munitorum quæ in Italia potiti sumus custodiam dividimus militem, exercitus ad quindecim millia sit imminutus. At vero hostes in nos veniunt centies & quinquagesies mille. Et primum quidem cum speculatum ad Tiberim progressi essemus, nosque necessitas egisset in prælium, minimum abfuit quin hastis obrueremur. Post cum in mœnia undique toto agmine insilîssent barbari, ingenti & machinarum paratu, tantillo minus & nos & urbem primo cepere impetu. Bona fortuna id malum evasimus. quæ enim negotii cujusque naturam superant, ea non humanæ industriæ, sed potentiæ superiori acce-

accepta ferre æquum eſt. ſed ſive fortuna, ſive virtus vocanda eſt, quæ hactenus nobis evenere, pulchra ſunt. velim & ventura ſint ſpe meliora. cæterum quæ me ſuadere teque efficere deceat, non diſſimulem: ſat gnarus ferri res humanas quo Deo placitum: at eos qui rebus præſunt, prout eorum actus fuerint, ita laudem aut culpam referre. Arma ergo militeſque mittantur nobis tanti, ut in poſterum ex æquo nobis conſiſtere contra hoſtem liceat. Neque enim cuncta fortunæ permittenda ſunt: ut quæ non ſoleat ſemper efficere res ejuſdem modi. Hoc cogita, Imperator, ſi nunc barbari de nobis victores fiunt Italiam tuam amittes, & una hic peribit exercitus, ſupraque damnum accipietur ingens dedecus. omitto dicere quod cauſa exitii Romanis dicemur, qui tuæ cultum Majeſtatis, ſuæ ſaluti præpoſuere: & ipſa hactenus proſpera, nihil fient aliud quam ad maximam calamitatem via. Nam ſi Romam, Campaniam, Siciliam denique amittimus, non vacabit nobis deplorare quod de alieno diteſcendi nobis ſit elapſa occaſio. Iam vero illud expendas velim, nunquam antehac Romam diu, niſi multis hominum millibus, cuſtodiri potuiſſe, quod & ipſa multa complectatur ſpatii, & , ſi à mari intercludatur, multis carendum habeat neceſſariis. Et adhuc quidem ſtudent nobis Romani: At ſi mala in longum, ſicut credibile eſt, protrahantur, vertent animum ad utiliora. Nam qui recentes partibus acceſſere, ita perſtant in fide ſi beneficia ſentiant, non ſi in miſerias detrudantur. vel invitos multa facere ſubiget fames. Scio me etiam mortis tibi Imperator eſſe debitorem: ideo vivum hinc me nemo extrahet. ſed quam tibi famam allaturus ſit talis Beliſarii exitus, tu videris. His Beliſarii literis non leviter motus Imperator militem ac naves magna diligentia contrahebat: Valerianumque & Marinum celerare juſſit.

jussit. Circa pulsus hyberni tempora missi hi erant, cum novo exercitu in Italiam navigaturi. Sed cum ad Græciæ oram pervecti essent, haud ultra pertendere navigando potuere, sed coacti sunt per Ætoliam atque Acarnaniam hyemem illam agere. Hæc ab Imperatore Belisario nuntiata multo & ipsum & milites ad munia cuncta alacriores reddidere. Interim quid Neapoli evenerit expediam. Stabat in foro Theuderichi Gotthorum principis effigies ex calculis minimis sed omni colorum genere variis composita. Hujus statuæ caput quondam delapsum est vivente Theudericho, sponte dissoluta lapillorum compage. statim insecuta est mors Theuderichi. octo post annis subito diffluxere qui ventrem conformabant lapilli: vitamque finiit Atalarichus ex Theuderichi natus filia. Nec ita multo post decidunt & quibus genitalia effingebantur: simulque mortalitatem explet Amalasuntha Theuderichi filia. Hæc quidem prius venerant. At cum jam Romam obsedissent Gotthi corrupta sunt ea quæ à femore ad pedes pertinebant & sic tota ex eo loco statua disparuit. unde sumta conjectura Romani bello superiorem fore Imperatoris exercitum credidere, interpretati non aliud esse Theuderichi pedes à Gotthorum populo, cui is imperavit: idque illis non leve ad bonam spem incitamentum fuit. sed & Romæ è Senatoribus nonnulli Sibyllæ carmina proferebant, inde colligentes Romæ periculum ad Iulium mensem nec ultra duraturum. Tunc enim Imperatorem exstiturum, post cujus tempora nihil Romæ à vi Getica esset metuendum. Nam Geticam gentem Gotthos esse ajunt. Verba vaticinii sic habebant.

Quinto mense novus Cæsar tibi Roma, nec ultra
Experiere Getas.

Quintum enim mensem Iulium exponunt, seu quod Mar-

Martio menſe initium ceperat obſidio, à quo menſe quintus eſt Iulius, ſeu quod ante Numæ regnum cum decem ſoli Romanis eſſent menſes, primuſque eſſet Martius, qui nunc eſt Iulius, tunc ab eo quem tenebat ordine Quintilis vocabatur. ſed his nihil inerat ſolidum. Neque enim novus Romanis Imperator obtigit, & ſerius ſoluta obſidio eſt, & Totila Gotthis imperante in eadem mala Roma recidit, ut ſuo tempore nobis memorabitur. Quare non hunc barbarum incurſum ſignificari putem fatidico carmine, ſed alium qui aut ante fuerit, aut nunc quoque ſit futurus. quippe ita exiſtimo, Sibyllinorum effatorum quis ſit ſenſus ante exitum mentem humanam non valere aſſequi. Cauſas dicam ipſa lectione edoctus. Sibylla neque certo ordine neque perpetuo ſermonis nexu res eloquitur, ſed verbo dicto, de Africæ puto malis, tranſit ad actus Perſarum. hinc Romanorum mentione facta, ad Aſſyrios continuo ſe transfert: rediensque ad Romanos, repente ad Britannorum calamitates canendas delabitur. ob id antequam res ipſæ evenerint, homini quid Sibylla ſignificet intelligere non eſt datum. dies, ubi verba probaverit eventus, ſola eſt dictorum interpres. ſed de his quiſque ut volet exiſtimet. Ego unde digreſſus eram redeo. Dixi poſtquam ab oppugnatione rejecti erant Gotthi, & ipſis, & Romanis pervigilatum ea nocte. Poſtridie edixit cunctis Romanis Beliſarius, ut quod imbellis ſexus ætatiſque erat, id omne Neapolim transferrent, ſervitia quoque, præter ſi qua ad urbis cuſtodiam neceſſaria, ne in victus egeſtatem inciderentur. idem facere juſſit milites ſi cui ſervus aut ancilla. Neque enim ſibi eſſe unde ſolita alimenta obſeſſis ſuppeditet. ipſis quoque manſuris opus ut partem mercedis alteram quotidie in edulibus ſumant, in pecunia alteram. Nec ſecus factum. it in Campaniam ingens nume-

numerus, alii navigiis quæ in portu Romano nacti, pedibus alii via Appia: nec ab obsidentibus periculum aut metus sive hoc sive illo itinere. Nam hostes neque urbem totam operibus circumplecti ob spatii immensitatem potuerant, nec audebant pauci numero longius se amovere à castris, ne in excursores inciderent. propter eaque diu obsessis liberum fuit, & urbe egredi & quæ ad vitam sunt usui in eam importare. Noctu præcipue ingens barbaros pavor intra castra continebat diligentibus excubiis. in causa erant Mauri & cum his alii crebro exeuntes urbe, ut quos segreges in somno aut in itinere deprehenderant, ut in magnis exercitibus sæpe id accidit, tum ob alias necessitates, tum ut equis, mulisque & quæ humano cibo serviunt animantibus pabula quærantur, occiderent, detractisque spoliis, si hostis adventaret superante numero, cursu se servarent, nati ad celeritatem & indutu leves, nunquamque cunctabundi ad fugam. ob his multi Roma exeundi facultatem habuere, pars Campaniam, pars Siciliam petentes, alii quo cuique proximum aut tutissimum videbatur. Belisarius cum militum videret numerum imparem tutando mœnium ambitu (quippe ut dixi pauci erant milites, nec iidem insomnes noctes diu tolerabant. plebs autem inops & rerum etiam necessariarum egens, ut quibus omnis in quotidiano opificio fortuna, nunc ex obsidione sine quæstu otium) milites paganosque miscuit, locaque assignavit excubiis, dicta & paganis diurna mercede, quorum & manipulos fecit qui custodiæ sufficerent. in eos manipulos per noctes vigiliæ distribuebantur, vicibus in orbem redeuntibus. Eum in modum utrorumque malis subvenit Belisarius. Suspicione orta in Silverium Romanum antistitem, tanquam pararet urbem Gotthis prodere, ipsum in Græciam misit: nec multo post alte-

rum ei ſuffecit Vigilium nomine. quoſdam & Senatorum paribus cauſis amotos, poſtea cum ſoluta fuit obſidio, domum revocavit: in iis fuit & Maximus, poſterum unus ejus Maximi qui Valentiniano Imperatori necem ſtruxerat. Tum metuens ne qua in parte vigilum fides labaſceret, externis ſi forte pecuniis tentata, bis menſe claves omnes in aliam figuram mutabat, excubitoresque in longe alia quam obtinuerant mittebat loca: etiam præfectos mœnibus in quamque noctem novans, quibus injunctum mœnium obire partem ſibi aſſignatam, vigilumque nomina annotare: ſi quis abeſſet, illico ſufficere alium: poſtridie autem in emanſorem militari pœna animadvertere. Poſuit & gnaros talium qui vocalibus inſtrumentis per mœnia noctu canerent. militum dilectos Mauros maxime, miſit qui extra mœnia apud foſſam excubarent: caneſque addidit, qui eminus ſi quis ad mænia vaderet, perſentiſcerent. Fuere & Romanorum, qui clam vi admota recludere Iani portas conarentur. Ianus hic inter veterum Deorum eſt primus, quos ſuo ſermone Romani Penates vocant. Templum habet in foro ante Curiam, ubi tres Parcas aut ut alii vocant tria fata tranſieris. Id æneum eſt quadratum, non majus tamen quam ut Iani ſimulacrum tegat. ipſum quoque ſimulacrum ex ære in cubitos quinque aſſurgit, cætera humanam ad figuram, niſi quod duæ capiti frontes, altera Orientem Solem ſpectans, altera Occidentem. Reſpondent utrique fronti portæ quas rebus lætis altaque pace Romani claudere olim ſoliti, belli temporibus aperire. Ex quo Chriſtianum dogma Romani majore quam populus quiſquam ſtudio ſectari cæpere, deſierunt has portas, quamvis in tumultu, pandere. At in hac obſidione quidam, veterum ut credo ſententiarum tenaces, tentarunt eas clam recludere: ſed perficere id non potuerunt:

manet

manet tamen conatus vestigium, hiantibus inter se portis. Latuere qui id aggressi fuerant: neque ulla in tanto rerum salo inquisitio facta est, nec mirum, cum res ad magistratuum notitiam non pervenisset, ne vulgi quidem, nisi ad paucos. Vitigis primum desperatione quadam rerum suarum in iram accensus, missis Ravennam de suo satellitio nonnullis, Romanos Senatores quos belli initio secum abduxerat, occidi imperavit. quorum aliqui cum id rescissent, fuga prævenere, in quibus Bergantinus fuit & Romani antistitis Vigilii frater Reparatus, qui duo in Liguriam pervecti, ibi mansere. cæteri interfecti omnes. At postea Vitigis, videns liberum hactenus obsessis & quæ vellent emittere, & quorum indigerent terra marique importata nancisci, Portum, (id locus & est, & proprio nomine sic dicitur,) invadere statuit. Abest is ab urbe centum & viginti sex stadia, quo intervallo Roma à mari dispescitur: Tiberi illic se evolvente. is namque fluvius Roma elapsus, ubi quindecim stadiis à mari abest, bifariam divisus insulam facit quam Sacram vocant. Ea insula cum progressu amnis se explicat ita, ut latitudinem habeat tandem longitudini æqualem ad stadia quindecim, medio inter duos alveos situ. Navigii patiens in utranque partem Tiberis dextra in portum fertur, cujus in ripa ulteriore Romani oppidum jam olim struxere firmis munitionibus, cui & ipsi Portus nomen à vicinitate. Ad lævam priusquam in mari se ejicit Tiberis ripa ulteriore jacet Ostia oppidum antiquitus nobile, nunc sine mænibus inhonorum. Viam quæ à Portu Romam ducit, diu est quod Romani æqualem facilemque fecere, remotis quæ exstabant. In ipso Portu actuariæ stant multæ, paratusque in contiguo boum numerus non exiguus. Ergo cum è mari primum appulere negotiatores, è suis navibus quod habent mercimonii in actuarias transpo-

nunt, ac ſic per Tiberim Romam vectantur, nullo velorum, nullo remorum auxilio: neque enim ventorum impulſus juvat, quia perpetuis it flexibus nuſquam ſe corrigens amnis: nec adverſus præcipitantis ſe fluminis impetum remigio niti datur. ſed ab actuariis reſtes boum collis alligant, quibus plauſtrorum ad inſtar Romam pertrahantur. At latere altero ab Oſtia Romam eunti ſilvoſa atque inculta eſt via, longiuſque à ripa abeſt: unde nec ulla ibi actuariarum tractio. illud vero portus oppidum, cum incuſtoditum Gotthi repeririſſent, ex improviſo cepere, non ſine multa Romanorum ibi habitantium cæde: ſimulque ipſe fluminis exitus in eorum venit poteſtatem. mille ſuorum ad loci tutelam relictis, cæteri in caſtra receſſere. Ex eo obſeſſis nihil è mari adferri potuit niſi per Oſtiam, in quo, ut ex jam dictis intelligi poteſt, plurimum erat tum laboris, tum periculi. Iam enim non eo amplius appellere naves audebant, ſed Antium ſe conferebant, quod oppidum diei itinere abeſt Oſtia. ibi onera tollebant qui Romam magnis cum difficultatibus portarent. Horum malorum cauſa erat militum paucitas. mœnibus enim Romanis metuens Beliſarius, Portui ſimul conſulere nequierat. nam ſic exiſtimo, ſi trecenti modo locum ſervaſſent per ſe firmum, nihil ibi auſuros fuiſſe barbaros. Hæc tertio die effecta ſunt à Gotthis quam à mœnibus repulſi fuerant. Viceſimo die poſt captum Portum & ei cognomine oppidum, adſunt Martinus & Valerianus equitum duces mille & ſexcentorum, quorum pars maxima Hunni, Sclavi, Antæ erant, è gentibus ultra Danubium non ita longe à ripa ſedes habentibus. lætus eorum adventu Beliſarius, jam omni vi in hoſtes certandum cenſuit. Poſtridie igitur è ſuis ſatellitibus virum animo fortem, validum corpore, Trajanus vocabatur, adſumtis equitibus ducentis eorum

eorum ex numero qui protectores vocantur, ire propere in barbaros jussit, &, ubi castris appropinquassent, colle superato conquiescere: cujus locum monstrabat, addito si hostis adventaret, ne ad manus rem perducerent, ensève aut hasta uterentur, sed sagittas jacere satis haberent: tum quisquis pharetram sibi vidisset vacuam, ne erubesceret fugam quanto posset cursu in castra intendere: Ipse ad majores jactus machinamenta & gnaros tractandi in parato habebat. Ibat cum ducentis Trajanus è Salaria porta hostium castra versus. illi re inexspectata commoti vallum extra occurrebant, ut quemque voluntas aut fors tulerat: Tum qui cum Trajano erant in præceptum à Belisario collem enisi, inde sagittis se ulciscebantur, quæ cum in densam barbarorum inciderent turbam, facile aut hominem aut equum vulnerabant. ubi sagittæ defecerant, cursu se proripientibus inhærent persequentes Gotthi, donec propius mænia ventum, machinasque libratores excutere cæpere. metu earum retro se tulere barbari. in eo certamine mille Gotthi non minus absumti traduntur. Non multis mediis diebus Belisarius Mundilam satellitem sodalemque ejus Diogenem, belli egregios, cum protectoribus trecentis, missos jubet eadem illa facere. Fecerunt, hostiumque se objicientium non pauciores, si non & plures quam priore conflictu, eodem modo perierunt. Tertium etiam misit cum trecentis equitibus Oïlam, hunc quoque è satellitibus, ut priorum facta imitaretur, idemque successus adfuit. Tribus his quos narravi, excursibus hostium quatuor ferme millia interemta sunt. Hæc edoctus Vitigis, nec satis intelligens quantum utraque armatura bellique meditamenta differrent, speravit & sibi expeditum fore hosti nocere plurimum, non magna immissa manu. Equites igitur mittit quingentos & subire mœnia jubet,

acceptaque à paucis mala toti hoſtium agmini reddere. miſſi edito in loco, urbe non procul, quantum ſpatii vitandas ad ſagittas ſatis erat, conſtitere. Beliſarius dilectis mille, impoſitoque iis Beſæ imperat in hoſtem progredi. Hi eorum quos indagine circumvenerant, terga impetentes morti dedere multos: cæteroſque compulerunt in planum deſcendere: ibi ad manus res deducta, iniquo certamine: Gotthi periere plerique: paucis in caſtra ſuffugium fuit. quos Vitigis ut ſegnitia victos incuſans, cladem que promittens brevi ſe novo decore penſaturum, in præſens interquievit. Triduo exacto ex omnibus caſtris dilectos quingentos jubet virtutis documenta edere. Hos ut propinquare vidit Beliſarius, mille & quingentos in adverſum mittit, præfectis Martino & Valeriano. Sic in prælium equeſtre implicitis utriſque, Romani, ut qui numero validiores eſſent, facile Gotthos pepulere, quin & interfecere prope omnes. Dolere Gotthi adeo inimicam ſibi fortunam, ut ſive multi irent à paucioribus hoſtibus vincerentur: ſive paucis dilectiſque pugnarent, ſic quoque damnum acciperent. Beliſarium Romani non immerito admirati laudibus maximis publice celebrabant. privatim autem cum eum rogaſſent familiares, quo ductus argumento eo ipſo die cum hoſtium vim fugeret, non dubitaſſet aſſerere belli ſe victorem fore, reſpondit, ab initio ſtatim, ut cum paucis hoſtium congreſſus experimentum ipſorum fecerat, conſideratum ſibi, quid exercitus exercitu differret: eoque viſo pro certo habuiſſe, ſi ratione provida pugnas iniret, nihil quamvis magnam hoſtium multitudinem ſuæ paucitati nocituram. differentiam autem hanc eſſe, quod Romani eorumque auxiliares Hunni optime ex equo ſagittis utuntur, quæ militia Gotthis inexercita eſt, haſtis tantum brevibus gladiiſque eorum utuntur equites: ſagittarii vero ipſorum pedi-

pedites ſunt, nec niſi à gravi armatura protecti in prælia veniunt: Eo fieri ut equites Gotthi, pugna ardeſcente, cum nullum contra hoſtilia tela tutamen habeant, facile vulnerentur atque intereant. pedites autem excurſibus in equitem impares haud dubie. His fretus conjecturis Beliſarius ſpem victoriæ de Gotthis non inanem præſumſerat. At Gotthi ad ea quæ ipſis acciderant ſtupentes, neque poſt id paucos ſuorum auſi in mœnia immittere, neque Romanos erumpentes inſequi, vallo eos contenti arcere. Poſt hæc Romani ſucceſſibus elati vehementer expetere cæperunt totis viribus & in aperto cum Gotthis prælium. At Beliſarius, copiarum adhuc diſcrimen quantum eſſet expendens, cunctabatur rem ſummam in periculum dare, præoptans excurſibus hoſtem carpere ac fatigare. Fractus tandem & militum & Romanorum quotidianis exprobrationibus, ſtatuit toto quidem agmine decernere, ſed de improviſo. Impeditus aliquoties iis quæ intervenerant, rem in dies rejecit. verum poſtquam conſilium ſuum perfugarum indicio cognitum hoſtibus, ipſoſque paratos comperit, non aliud reliquum videns, quam ut aperto Marte cerneretur, volentibus hoc & barbaris, ubi promti utrique conſtiterant, hunc in modum ſuos hortatur. Non veſtræ virtuti diffidens, milites, non hoſtium vim veritus, prælium diſtuli: Sed quod per excurſus rem nobis bene provenire ſenſeram, omittere nolui proſperorum cauſas. Nam quibus præſentia pro voto eunt, iis inutile exiſtimabam ad alia transferri. Nunc vero videns periculum adeo non timere, ut ultro in id rapiamini, impleor bonæ ſpei, neque impetus veſtros diutius moror, gnarus quippe maxima belli momenta in pugnantium animo verti, & plerunque alacritati bonos ſucceſſus dari. Paucis, quibus virtus comes, ingentem ſæpius hoſtium multitudinem procumbere,

nemo eſt veſtrum qui non dicam audiendo, ſed experiendo didicerit. Nunc ne fædetis aut mei antehac imperii decora, aut ſpem quam iſte promittit ardor, in veſtris eſt manibus. quæcunque in hoc bello à nobis acta ſunt hactenus, ab hujus diei eventu dijudicabuntur. Tempus ipſum pro nobis eſſe video: quod per clades priores prædomitis hoſtium animis faciliorem nobis, ut credi par eſt, præbebit victoriam. prælia promto animo aggredi non ſolent, qui ſæpe adverſam eorum fortunam experti ſunt. Equo, miſſilibus, armis parcere nolite: Ego videro ut in eorum locum quæ pugna abſumet, ſuppetant alia. Talia poſtquam dixerat Beliſarius, eduxit agmen Picena portula, paucos porta Aurelia in campos ire jubet, Neronis quondam hortos, ſub ductu Valentini turmæ præfecti, addito imperio, ne pugnam cæptaret, caſtrave hoſtium propius accederet: invaſuri interim præberet ſpeciem, ne qui ea in regione erant Gotthi, trajecto ponte illis qui alia ſervabant caſtra opitulatum irent. cum enim Neronis in campis, multi ut dixi hoſtes ſemet tenerent, ſatis ei viſum hos ab uſu prælii cæteroque exercitu diſtinere. Romanorum è vulgo quoſdam ſponte arma ſumentes in ordinibus non collocavit, metuens ne in medio conflictu territi periculo turbarent omne agmen, vilibus ſueti opificiis ac bellorum penitus expertes: ſed ad portam Pancratianam trans Tiberim proprio cuneo quietos ſtare juſſit, donec ſignum à ſe acciperent: conjectans, quod res probavit, ſi & hos & illos cum Valentino ſpectarent Gotthi qui Neronianam planitiem inſederant, non auſuros, ſuis caſtris derelictis, in prælium ſe ſuorum cæteris aggregare. non modicum autem in eo pretium operæ fore, ſi tot numero viri ab exercitus corpore divellerentur. Solo equitatu eo die pugnare propoſitum Beliſario erat, quando & peditum plurimos videbat

bat ſua militia non contentos, cum equos è præda hoſtium nacti eſſent, equitare cæpiſſe, ne ante quidem ejus rei imperitos: qui reſtabant peditum ita pauci ut inde juſtum agmen fieri non poſſet, nunquam auſos hoſti reſiſtere, ſed ad primam impreſſionem ſuffugia ſpectare ſolitos, intutum judicabat procul caſtris collocare, rectius foſſam propter ſtaturos, ut ſi eques terga verteret, ſubſidio ipſi eſſent, unaque recentes vim ſiſterent hoſtium. Sed Principius vir inter ſatellites eminens, Piſida ortu, cumque eo Tarmutus Iſaurus, idem ducis Iſaurorum Enni frater, colloquio Beliſarii poſtulato hæc dixere: Noli, ducum optime, exercitum, qui tibi præ hoſtium copia parvus eſt, lacerare abductis cohortibus. neque crede dignum qui contemtim habeatur peditatum, cujus præcipue ope rem Romanam modicis ab initiis in tantam magnitudinem excreviſſe didicimus. Si quid in hoc bello antehac immemorabile fecerunt, nulla in eo manipularium culpa. ductoribus id omne imputandum, qui ubi pugna imminet, ut ſoli equo vehi amant, ita & ſoli communibus ſe periculis fuga, ſæpe & ante certamen, ſubducere feſtinant. Vides omnes cohortium præfectos equites factos ſocietatem pugnæ cum militibus ſibi commiſſis dedignari. Hos ergo, quando ita volunt, inter turmas loca; peditatus ductum in hoc prælio, nobis manda. nos inter ipſos, pedites & ipſi, barbarorum multitudini corpora armaque objectabimus, cum ſpe egregia edituros nos ea in hoſtem de quibus gratias Deo agere liceat. Beliſarius hæc cum audîſſet, primum non aſſenſit, quod & illos duos, ut viros eximie fortes, diligeret, & peditum ſuorum paucitatem periculis exponere timeret. Tandem victus illorum conſtantia, paucos peditum cum Romanis apud portas pinasque ac machinas reliquit. cæteros Principio Tarmutoque ducibus ſtare juſſit in tergo

agminis, ne, si qua formido incidisset, tota acies turbaretur: tum ut si qua pars equitum pelleretur, ne longa illis esset fuga, sed peditis subsidio restituti in hostem se referrent. sic Romana ex parte structa acies. At Vitigis omnibus Gotthis arma capere jussis, nihil in castris relinquens, nisi quod imbelle, Marciæ præcepit Neronianis in campis ut consisteret, intentus pontis ad custodiam, ne illac hostis irrumperet: ipse ad se vocatos cæteros sic alloquitur. Quidam me forte de imperio sollicitum putent, ob id & comem in vos fuisse antehac, & nunc ad audendum incitamenta adferre. neque multum ab humani ingenii more abhorret ea conjectura. Solent enim qui rerum imperiti sunt, his quorum opera indigent, quanquam multum infra se positis, blandiri, in alios difficiles esse, quibus se opus non habere existimant. Ego vero neque pro vita neque pro potentia retinenda sum anxius. Velim hanc hodie exuere purpuram ea lege ut eam alter induat Gotthus. Theudati vero exitum etiam beatum judico, cui datum est popularium manibus cum regno animam amittere: Nam propria calamitas gente tota incolumi, apud sapientes solatio non caret. verum ubi Vandalorum casus & Gelimeris ultima specto, nihil mediocre mentem subit: sed Gotthos contueri videor cum parvis liberis servientes: tum vero uxores vestras, hominibus maxime infestis fœdissima præstantes obsequia: me vero, & Theuderichi ex filia nepotem, agi quocunque visum victoribus. Hæc vos ne eveniant timentes in hoc prælium accingi cupiam. Sic enim in pugnæ loco mortem quam vitam accepta clade potiorem habebitis. unum enim viri fortes malum existimant, ab hoste vinci. Mors autem, subita præsertim, etiam qui ante infelices fuere beatos facit. Hæc vos si effata animis imprimentes pugnam capessitis, facile hostibus superiores eritis, pau-

cis

cis primum, deinde Græculis aut Isauris: facile illos ulciscemini, à quibus cœperunt injuriæ contumeliæque. Nos si virtute, si numero, si rebus omnibus momentum ad bellum habentibus præstare dicamus, nihil mentiamur. illi nunc nostris malis inflati ferociunt, unum habentes præsidium, nostram incuriam, pascitque inanes animos sine merito felicitas. Hæc prolocutus Vitigis ordinavit & ipse aciem, sic ut medium locum tenerent pedites, cornua equitatus. Vtrosque castra quam potuit proxime posuit, ut ubi pulsi essent hostes, major strages ederetur, multum per spatium insequente victore. Nam illud quasi certum præceperat, si locis æqualibus consisteretur, Romanos ne tantillum quidem restituros, fallace ductus argumento, quod multo minores suis essent hostium copiæ. Primo mane commissi exercitu, suos à tergo ad audendum excitantibus, tum Vitigi, tum Belisario. Initia Romanis prospera, dum barbari missilibus crebri procumbunt. neque tamen fuga capta est, in tanta Gotthorum multitudine facile in cadentium locum aliis se substituentibus, ita ut damnum ne sentiretur quidem. Et Romani tanto pauciores satis habebant depulisse periculum, cumque jam prope meridiem pugnam sub hostile vallum perductam tolerassent, non levi in eos strage edita, in urbem reverti, tuto modo possent, avebant. in hoc conflictu viros se egregios tres præstiterunt, Athenodorus domo Isaurus in Belisarii satellitio merens, clari vir nominis, Theodoretusque & Georgius Martini, satellites & ipsi, Cappadoces ambo: qui de fronte agminis sæpius egressi plurimos barbarorum hastis confoderant. Et ista quidem ea in parte gerebantur. At in planitie, cui Neronianæ vocabulum manere diximus, diu adversi inter se stetere utrique, tantum per excursus hastarumque jactus Mauris Gotthos vexantibus, neque audentibus Gotthis inferre

ferre arma, dum Romanos non longe vident de plebe homines, ſed quos eſſe milites & inſidias moliri ſuſpicantur, ac quietos ſe continere, conſilio ut tergis affuſi indagine irretitos trucidarent. Pleno meridie repente Romani in hoſtem involant. perculſi inopinato impetu Gotthi vertuntur in fugam, quam ad caſtra ſua proferre nequierunt, ſed in editos juxta colles eniſi, ibi à labore reſpirabant. Romani illi multi quidem numero erant, at pars maxima non milites ſed inermis turma. Nam dum alia in parte verſatur Beliſarius, plurimi qui in caſtris fuerant nautæ ſervitiaque, bellicorum actuum cupidi, in illud ſe agmen ingeſſerant. Et numeri quidem conſpectu hoſtes, ut diximus, terrore fugaque impleverant: ſed iidem diſciplinæ expertes non parum Romanis rebus nocuere, culpam contagio in militem vulgantes, ita ut recta præcipienti Valentino nemo parêret. Quare nec hoſtibus fugientibus cum cæde inſtiterunt; ſed eos paſſi ſunt de collibus quæ agebantur tuto deſpicere: neque in mentem eis venit diruere pontem, qui juxta erat, ne in poſterum duabus è partibus obſideretur urbs, ubi erepta hoſti libertas eſſet trans Tiberim caſtra habendi. Sed neque trajecti pontem terga adorti ſunt hoſtium illorum, qui tum maxime in Beliſarium pugnabant. quod ſi factum fuiſſet, plane Gotthos exiſtimo abjecta armorum ſpe fuga ſibi qua poſſet quemque fuiſſe conſulturos. At illi maluere irruptis hoſtium caſtris præda ſe ſatiare: pars vaſa argentea, pars alia non vilia raptantes. Barbari aliquamdiu hæc ſpeculantes, otioſi, ubi erant, manſere. Tandem conſpiratis animis, ira, ac ſuopte clamore accenſi, irruunt in illos, cumque ab eis paſſim effuſis nulla imperii reverentia cernerent res ſuas rapi, interfectis multis, facile ejecere & cæteros. Nam qui cædem evaſerant, ab humeris quæ ſuſtulerant jactantes, fuga reperta gaudebant.

bant. Quæ dum Neronianis in campis geruntur, major barbarorum apud castra exercitus consertis scutis acriter contra hostem niti, multamque in homines, multam in equos ferre pernitiem. Tum vero, postquam Romanorum alii vulneribus ægri, alii amissis equis ordinibus excesserant, in agmine & ante modico, notabilior jam paucitas fuit, quantumque Gotthi numero anteirent clarius apparuit. quo observato, barbari equites à dextro cornu in sibi oppositos cursu se jecerunt: horum hastis Romani impares ad cohortes se receperunt: sed iis quoque hostilem impetum non sustinentibus pars peditum magna equitum fugæ se comitem dedit. Nec diu, cum & alterum Romanorum agmen prementibus barbaris dedit terga, fugaque universim facta est. Peditum pauci, quorum potissimi Principius & Tarmutus, raræ virtutis facinora edidere tanta, ut repugnantes eos neque cum cæteris fugæ capientes consilia Gotthi contuiti, atque in admirationem defixi consisterent: idque ipsum peditibus aliis multis & equitum tempus impune evadendi dedit. Principius conciso corpore in loco quem tenuerat cécidit cumque ipso pedites quadraginta & duo. At Tarmutus manu quaque tragulam tenens Isauricam, insequentesque se conversus lancinans, postquam laceris artubus defecit, fratre Enno cum equitibus subveniente recepit spiritum, citatoque cursu, sanie vulneribusque obsitus ad mœnia pervenit, servata utraque tragula. Tanta ei erat pedum pernicitas, ut ita quamvis affecto corpori ad fugam suffecerit: donec ad Picenas portas cum pervenisset, collapsus est: inde commilites mortuum rati impositum scuto portavere: biduumque superstes finem tum demum vivendi fecit, claram sui memoriam apud Isauros omnemque exercitum relinquens. Plebs urbana, perculsa his visis, in mœnium custodiam incubuit, magno-

que

que cum tumultu occlusis portis profugos in urbem accipere abnuebat, metu ne una se hostis infunderet. Sic si qui non antequam id fieret in urbem penetraverant, fossam transgressi, tergoque mœnibus inhærentes, stabant trepidi, nullo virtutis respectu, nulla in hostem audacia, quem jamjam transiturum fossam & jugulis suis imminere arbitrabantur. Causa tanta formidinis, quod hastæ in prælio fugaque fractæ: nec tela expedire poterant in arctum compressa. Et Gotthis, quamdiu pauci in mœnibus apparebant defensores, spes mansit interficiendi primum interclusos, deinde & illos pellendi de mœnibus. Vt aucta tutantium multitudo, & militum & urbanorum ingenti concursu, desperato successu retro ivere, ignaviam hostibus exprobrantes, cæptaque sub castra barbarorum pugna urbis ad muros finiit.

PROCOPII CÆSAREENSIS

GOTTHICÆ HISTORIÆ

LIBER II.

POst id non ultra tota vi decernere ausi sunt Romani. Sed equestria nonnunquam per excursum, ut ante, prælia ferentes, victores plerunque abiere. Congressi & pedites utrinque, non in agmen compositi, sed equitum accessio. Quos inter Besa cum hasta in barbaros irruens primo statim impetu tres eorum equites prostravit, cæteros in fugam compulit. Alio tempore Constantinus Hunnos inferens Neronis campo,

po, inclinato jam ad veſperam die, cum multitudine hoſtium obrui metueret, hac ſolertia uſus eſt. Eſt eo in loco magna antiquitus Arena gladiatorum ſpectaculis celebrata. paulatim multæ circum ædificatæ domus, unde paſſim angiporta. Conſtantinus igitur hoſtium numero haud dubie impar, ne fugam quidem ſine ingenti periculo reperiens, juſſis omnibus Hunnis de equo deſcendere, cum iis in anguſtiarum una conſtitit. Inde è tuto jaculati multos hoſtium interfecerunt. Toleravere tela Gotthi aliquamdiu, ſperantes, ubi Hunnorum pharetræ telis eſſent inanitæ, facile eos poſſe circumfundi, trahique vinctos in caſtra. Sed cum Maſſagetæ ſagittarum uſu eximii in tam confertum agmen nulla prope ſine hoſtili vulnere tela jacerent, ſuper dimidiam ſui partem conſumti, occidente interim & Sole, incerti quid agerent, tandem fugam capeſſunt. In ea quoque multi cecidere. Neque enim deſinebant Maſſagetæ, boni & in curſu jaculatores, urgere telis. Sic ſalvus cum Hunnis Conſtantinus nocte demum Romam rediit. Non multis poſt diebus Romanorum partem in hoſtes ducente Peranio, iterum in effuſam Gotthorum fugam res abiit: quæ cum & ipſa die deficiente contigiſſet, peditum Romanorum unus, qua vaderet neſcius, in altam incidit ſpecum, quales ea regione multas vetuſti mortales, condendis credo frugibus, fodêre: ibi ille nec clamorem edere auſus, vicinis hoſtium caſtris, nec reperiens quo ſe modo è caverna attolleret, unde adſcenſus dabatur nullus, noctem agere miſeram coactus eſt. Poſtridie cum renovato certamine rurſum fugerent Gotthi, horum quoque unus in eandem forte ſpeluncam illapſus eſt. Hoſtes duos in amicitiam fedusque neceſſitas egit, pactique inter ſe mutuo, ſalutem alterius alteri juxta ſuam cordi fore. Tum vero magnum atque horribilem ſonum

cient.

cient. Advertit ea res Gotthos, & ſecuti quo clamor vocabat, mox deſpectantes in cavum, rogant quis ille, quave de cauſa quiritaretur. ex compacto ſilet Romanus. alter Gotthico ſermone in profundum illud jam modo ait ſe incidiſſe, rogans demitteretur ad ſe funis per quem eniti poſſet. Atque illi demiſſis pluribus inter ſe nexis reſtibus Gotthum attrahere ſperabant. antecepit finem reſtium Romanus, attrahique properavit, dicens calamitatis participi, ſi prior ipſe aſcenderet, nunquam illius immemores fore populares, at ſi reſediſſe in cavo hoſtem intellexiſſent, curam ſui abjecturos. cum his dictis evibravit ſeſe: cumque eum conſpexiſſent & rem omnem didiciſſent, prope ſtupefacti miraculo, mox & alterum adduxere, qui pacta fidemque mutuo datam narrat. Et is quidem ſuos commilites ſecutus abiit, alterum ſine noxa in urbem redire ſiverunt. Sæpe & poſtea equites non multi inter ſe coiere, plerunque eo exitu ut in ſingularem dimicationem res deſineret, victore ſemper Romano. Et hæc quidem illa in parte. in campis Neronianis non multo poſt pugnatum, pulſique ſæpe Romanis à turmis Gotthi equites. inter alios Chorſomantis Beliſarii è ſatellitio, genus Maſſageta, ſeptuaginta hoſtium inſequebatur, cumque in multum campi provectus eſſet, cæteris Romanorum retro ſe ferentibus, ſolus inſequi perſtitit. quo Gotthi conſpecto, verſis equis in illum vadunt. ille, minime deſertor ſui, interfecto primorum uno in reliquos irruebat: ni converſi in partem aliam proripuiſſent ſeſe. Vbi caſtra tam prope advenere ut ſpectari inde ſe crederent, pudor ſubiit, rurſumque adverſus eum unde fugerant rediere. Rediit & quæ fuerat fortuna, alioque de primoribus amiſſo, rurſum fugam cepere: quos caſtra uſque inſecutus Chorſomantis, revertitur incomitatus. Non multum interceſſit temporis, cum

cum alio in prælio finistram tibiam vulneratus est, osse etiam, ut credebatur, obliso. Per hoc malum dies aliquot abstentus à pugnis, ut barbarus, inclementer id tulit, promittens brevi se ultionem de Gotthis cruris debilitati sumturum. Vt vires receperat, simulque, ut moris ipsi, vino inter prandendum incaluerat, in hostem ire festinat pœnæ expetendæ. Ad Picenam cum venisset portam, ait vigilibus missum se à Belisario in hostium castra. Illi fidem detrahere viro inter Belisarii stipatores clarissimo non ausi, portis reclusis sinunt quo vellet ire. Hostes ut eum videre, primum adventare perfugam crediderunt. Vt prior jam & arcum expediebat, quis esset ignari occurrunt ei viginti: quos contra se tutatus, tandem & ipsos pepulit: pluribusque se agglomerantibus in vestigio constitit. ut vero crescente hostium agmine repugnare non desiit, Romani è turribus speculantes insanire hominem existimabant, ignari adhuc esse Chorsomantim. At is multis editis admirandæ virtutis facinoribus, ab hostium exercitu circumventus claususque vir unus luit morte expertem consilii ferociam. gravem mærorem luctumque ea res Belisario militibusque ejus attulit, tanquam cum uno homine spes etiam publica concidisset. Circa brumalem solis pulsum Byzantio Tarracinam venit Euthalius, stipendium militi ab Imperatore debitum ferens. is metu, ne obvii hostes pecuniam vitamque eriperent, scribit ad Belisarium, rogans tutum ut sibi Romam iter præstaretur. Atque is de suis protectoribus dilectos centum, additis è satellitio duobus, mittit Tarracinam, præsidium pecuniæ. Interim imaginem barbaris præbebat toto exercitu pugnaturi, ne qui hostium ex iis quibus erant locis quærendo cibo, aliasve ob causas excederent. Cum postridie adfore Euthalium cognosset, instruxit prælio exercitum, cunctisque ad id paratis mane toto

 ad

ad portas militem tenuit, non ignarus Euthalium ejusque comites sub noctem adventuros. meridie prandere suos jussit, idemque fecerunt Gotthi, credentes in posteram diem differri certamen. Paulum vergente die Neronianos in campos Martinum ac Valerianum addita manu ire jubet Belisarius, cum mandatis ut terrore percellerent hostile agmen. simul Picena è portula equites sexcentos in barbarorum castra immittit Belisarius, iisque præficit tres suo è satellitio, Persam Artasinen, Massagetam Bucham, Thraca Cutilam. multis se hostium objectantibus, non longa cominus pugna: invicem cedebant; vicissimque persequebantur: & per ista diem absumturi videbantur. Sed cum tempore ira præliumque incaluit, cadentibus & multis & fortissimo quoque. Fatiscentibus utrisque, auxilia venere his ab urbe, illis à vallo, recentiumque exemplo animatis & illis, crevit labor ac periculum, incitante suos & sociorum clamore, qui, hinc à mœnibus, inde à castris, tollebatur. Vicit Romana virtus, hostesque pulsos in fugam egit. Cutilas eo in certamine medium caput trajectus, hastam in vulnere ferebat, neque desinebat telis Gotthos insequi, & postquam fuga finem habuerat, cum victoribus aliis in urbem rediit, crispante se quod ossibus hærebat telo, rari visus spectaculum. Eodem ferme tempore Arzen, erat is de numero protectorum Belisarii, Gotthorum quidam sagittarius nasum inter oculorumque dextrum feriit, ita ut cuspis ad cervicem usque pertingeret, non ut emicaret tamen. at pars adversa teli, infixa vultui, equitante ipso pariter motabatur, mirantibus & hunc & Cotilam Romanis, quod velut nullo mali sensu in equis pergerent. Hæc illa in parte agebantur. At Neronis in campis fortuna barbaris melior, Valerianusque ibi & Martinus suorum cum paucis in plures multo hostes fortiter connisi clara agebant,

bant, tolerabantque dura, multumque in periculi venerant. Tunc Belisarius Bucham jubet ducentem suos (integris hi corporibus equisque è pugna aderant) in Neronianam planitiem ire, sero jam die. Hac ad Romanos accessione facta, funduntur subito barbari: quibus dum insistit Buchas, ab hostis militibus duodecim hastas ferentibus in orbem collectis clauditur. Atque illi eum quotquot erant hastis feriebant, irritis ictibus per loricæ firmitatem, nisi quod Gotthorum unus pone adstans super dexteram axillam, qua humero jungitur, vulnus inflixit neque mortem neque mortis periculum adferens. ex adverso alius femur lævum verberans torum qui ibi est obliquum scidit. Videbant hæc Valerianus & Martinus, subsidioque advecti depulere hostem, & equum Buchæ fræno tenentes pariter in urbem rediere. Iam nox erat, & cum pecuniis adest Euthalius. In urbem universi ut venerant, tum demum de vulneribus cogitare vacuum fuit. Arzæ ex ore evellere spiculum agitantes medici perplexi hæsitabant, non pro oculo solliciti, quem servari posse nec sperabant, sed ne membranarum nervorumque in eam partem concurrentium ruptura exitium adferret viro inter Belisarii domesticos principi. Forte è medicis Theoctistus cervicem tentans percunctatus est saucium, multumne id doleret. Fatenti dolorem, & tu, inquit, salvus, & tibi oculorum lux, argumento inde ducto, quod mucro teli à cute non longe abscederet. quod ergo teli foras prominebat evulsum projecit: Nudatis igitur cute nervis, qua parte maximus dolor sentiebatur, facile eduxit spiculum tribus hamis acutis constans, ac simul quod teli intus restabat. Sic malo liberatus Arzes ne cicatricem quidem in facie de vulnere retinuit. majore violentia Cutilæ exemta hasta, inhæserat enim validius, effecit ut animi delinqueret: flammatisque cerebri in-

volucris, delirio quoque correptus, paulo post finem vivendi faceret. At Buchæ multus de femore manans sanguis mortem propinquam minabatur. Causam medici adferebant, quod non recta, sed transversim ictus ei in torum incidisset: nec diutius triduo provixit. ob hæc Romani noctem illam luctuosam egere: neque minora ex Gotthorum castris lamenta ploratusque audiebantur, mirantibus Romanis, ut qui crederent nullum insigne malum pridie eis supervenisse, paucis tantum per prælium amissis, quod & ante sæpius & majore numero evenerat, nunquam gravi æstimato propter multitudinem damno. Postera luce compertum lugeri à Gotthis qui Neronianis in campis sederant, præstantes viros, quos primo statim certamine Buchas confecerat. multæ conflictiones & aliæ fuere, quas referre singulas pretium non est. Suffecerit dixisse factas sexaginta & septem dum manet obsidio, præter postremas duas quas in tempore memorabimus. Sic hyems exiit, finemque imposuit anno secundo belli hujus quod scribit Procopius. Appetente solstitio fames simul ac pestilens aura urbem invasit. militibus frumentum manebat, cæterorum ad victum nihil. urbanam plebem, quam & frumentum defecerat, graviter premebat esuries, & inde fluentes morbi. Quæ postquam compererant Gotthi, spernentes prælia in posterum, unum curabant ne quid in urbem importari posset. Sunt Latinam Appiamque inter vias ductus aquarum duo editi satis, plerunque & fornicato opere altius elati. Hi duo stadiis à Roma quinquaginta coeunt, contrariumque cæpto instituunt iter. Nam qui dexter fuerat hinc in lævam fertur: iterumque sociati & repetito quem ante inter se habuerant loco, deinceps divisi fluunt, ac pro munimento sunt ei quod interpatet solo. obstructis barbari parte inferiore canalibus, luti lapidumque ingestu, castellum juxta posuere,
ubi

ubi ſeptem non minus millibus præſidio poſitis obſervabant, ne quid quo vita indiget in urbem inferretur. Ex eo Romanos ſpes quoque deſerere, mala circumſpectare undique. attamen quamdiu fruges in agris erant, audaciſſimi militum, pecuniæ cupidine illecti, equis ſuis & quos hoſti eripere poterant, noctu per arva urbe haud procul vectabantur, ſpicaſque abſectas & equis impoſitas clam hoſtem intra mœnia portabant, ingentique pretio Romanorum opulentiſſimis venditabant. plebs herbis ſe ſuſtentabat, quales multæ intra muros ſuburbanaque humo naſcuntur. Nullo enim anni tempore, ne hyberno quidem gramina Romanis deſunt: ſemper aliquid floret viretque, unde & equos paſcere, quantumlibet obſeſſis, licuit. Poſtquam vero nullæ ultra per agros fruges, intendique Romanis mala cæpere, Beliſarium circumſiſtunt, impelluntque prælio ut decertet: neminem urbanorum periculo defuturum. cunctantem dolentemque graviter, ſic de plebe quidam alloquuntur. Non exſpectata nos, dux magne, fortuna deprehendit, ſed quæ ſperaveramus in contrarium verſa ſunt. Vota nos noſtra compotes eorum factos in ſummam calamitatem duxere: noſtraque illa ſententia, qua credidimus recte à nobis Imperatoris opem expeti, amentiæ jam nos damnat, maximorum malorum facta origo. Inde huc neceſſitatis venimus ut preſſi undique ultro aggredi barbaros audeamus. Venia ſit, ſi apud Beliſarium fidentius loquimur. Venter alimenti indigens vereri neſcit. Advocata hujus audaciæ fortuna eſto. omnium quippe infeliciſſimum, producta infelicibus vita. quæ nobis acciderint vides. Ager & quanta circumſpicitur regio, ſub hoſte eſt. urbs vix dixerim à quanto jam tempore à commodis omnibus intercluſa eſt. Romanorum alii jacent, nec fas mortuorum adepti, humo ut tegerentur; alii qui ſuperſumus; ut verbo

 ſum-

ſummam calamitatem eloquar, vellemus cum illis jacere. Famis ea vis eſt ut omnia tolerabilia efficiat. Vbi illa incubuit, ſequitur cum aliis malis & malorum oblivio; & mors qualiſcunque præ illa ſola dulceſcit. Ergo quamdiu nondum plane inedia exhauſti ſumus, da nobis jus pro nobiſmet ipſis ineundi certamen, quod nobis aut de hoſte victoriam pariat, aut de malis libertatem. Quibus enim cunctatio ſpem ſalutis adfert, ii ſi feſtinando rem in periculum præcipitent, inſaniant: at quibus prolatando cuncta duriora fiunt, in his mora quantulacunque properatione, vel temeraria, incuſari dignior. Talia ejectantibus Romanis cordate reſpondit Beliſarius. At mihi à vobis nihil inexſpectatum, nihil non præviſum obvênit. Novi olim ingenium multitudinis improvidum, nec præſentia perferre, nec futura proſpicere bonum. Id unum didicit vulgus, facile attrectare factu difficillima, & cæco impetu in exitium ruere. Ego vero veſtræ incuriæ non accedam, neque vos perdam, mea quidem voluntate, neque vobiſcum res Imperatoris. Bellum non turbida vi ad ſucceſſum pervenit, ſed conſiliis gravibus omneſque temporum articulos bene librantibus. Vos, quaſi aleæ res eſſet, uno jactu cum fortuna vultis decidere. Meus vero mos non eſt compendioſa utilibus antehabere. Deinde promittitis nobiſcum in hoſtem certamen aggredi, quando unquam ad talia exerciti? Norunt, quibus armorum uſus, non iſta in ipſo prælio ſubnaſci, neque idoneum ad ea doctorem hoſtem jam conſerta manu. Laudo tamen promtum hunc animum: tumultuoſo fervori ignoſco. Sed vobis hæc non ſuo tempore cogitata, me autem cum ratione cunctari jam oſtendam. Exercitum nobis innumerabilem omnibus terrarum è partibus collectum mittit Imperator: claſſis, quanto non alias, Romana Campaniæ littus prætexens aut Ionium obumbrans cis paucos dies

dies cum rerum neceſſariarum copia nobis aderit: illi nos difficultatibus, quas patimur expedient: illi telorum procella hoſtium caſtra obruent. Ob id è re judicavi in illorum adventum differre prælium, & tutam quærere victoriam, quam per inconſultam ferociam rem ſummam in diſcrimen projicere. Vt autem quamprimum veniant. mora omni abrupta, ego videro. His cum ſolatiis Romanos Beliſarius dimiſit. ſtatimque Procopium, hujus ſcriptorem hiſtoriæ, Neapolim jubet ire, quo miſſum Imperatoris exercitum rumor vulgaverat, naveſque implere frumento, & milites propellere, tum quotquot Byzantio veniſſent, tum ſi qui ad equorum curam cauſasve alias ibi relicti erant, quorum in Campania magnum eſſe intellexerat numerum. quoſdam & è præſidiis illorum locorum adduci jubet: omneſque cum frumento quamprimum venire Oſtiam, Romanorum navale. Noctu egreſſus Procopius cum Mundila ſatellite & equitibus nonnullis, portam quæ Pauli Apoſtoli nomen præfert tranſiens, fefellit hoſtium caſtra ad Appiam viam poſita. Poſtquam Romam cum equitibus rediit Mundilas, & haud dubie jam intactum barbaris Procopium in Campaniam adveniſſe nuntiavit, quippe cum moris hoſtium non eſſet per noctem è caſtris exire, ſpe impleti milites & ipſe Beliſarius confirmatior hæc adinvenit. Equitum multos in propinquas miſit munitiones, præcipiens ſi qui Gotthorum illac iter facerent advehendis in caſtra commeatibus, eos excurſibus atque inſidiis in omnem partem tutos nuſquam ſinerent, ſed vi omni prohiberent, quo & urbi minueretur neceſſitas, & barbari obſideri & ipſi non minus quam Romanos obſidere viderentur. mille ſub Martino & Trajano Tarracinam ire jubet, additque uxorem ſuam Antoninam, Neapolim uſque pergere hanc, comitantibus paucis, volens, ut ibi, quæ-

cunque futura erat, partium fortuna opperiretur. Magnum vero & Sinthuen cum quingentis Tibur mittit, quod municipium ſtadia centum & quadraginta ab urbe abeſt. Albam pari ab urbe intervallo Appiæ adſitam jam ante Gontharim miſerat & Herulos, quos Gotthi eo ex loco non multo poſt vi expulere. quatuordecim à Romæ mœnibus ſtadia diſtat ædes Paulo Apoſtolo ſacra quam Tiberis allabitur. nullum hic munimentum: ſed porticus ab urbe ad ædem pertinens multæque circumjectæ domus difficilem faciunt aditum. Tum vero ſedet & Gotthis dedicatorum locorum reverentia: qua factum ut toto belli tempore in neutram Apoſtolorum, quos Roma honorat, ædem quicquam admiſerint: quin & ſacerdotibus cuncta ſuo ritu faciendi perpetuam reliquerint libertatem. ibi Valerianum, Hunnos ducentem omnes, caſtellum facere in ipſa Tiberis ripa jubet, ut & ipſis equi tutius paſcerent & Gotthis res fierent arctiores, nec impune longius à caſtris vagari ſinerentur. ille imperio paruit, &, poſtquam Hunni ſe eo loco quem Beliſarius ſignificaverat immunierant, in urbem ipſe rediit. His curatis quievit Beliſarius, præliis abſtinens, ſatis habens muris vim depellere ſi qua ingrueret. quibuſdam de plebe & frumentum præbuit. At Martinus Trajanusque noctis præſidio hoſtium caſtra prætergreſſi, Tarracinam ubi venere, Antoninam, paucis proſequentibus, in Campaniam tranſmittunt. ipſi munimenta, quæ propinquis erant in locis, occupant, indeque factis eruptionibus, Gotthis qui ibi manſerant, itinera infeſta reddunt. Magnus & Sinthues Tiburtinum, quod plurima conciderat, caſtellum cum refeciſſent, brevi tempore, jam & ipſi tutiores erant & hoſti acrius nocebant, vicinum ipſorum munimentum crebro incurſantes, nonnunquam & incautis ſuperfuſi barbaris qui ad quæ-

ad quærendas res neceſſarias exierant, donec Sinthues in pugna dextram manum haſta trajectus, abſciſis & nervis, deſiit præliis eſſe idoneus. Nec minora Gotthis damna inferebant Hunni, qui, ut memoratum eſt, propinquo hoſtibus caſtello ſe tenebant. Ex eo barbaros inferre, ut ante, alimenta vetitos fames primum invaſit, deinde & morbi peſtilentes, multa ſtrage, tum alibi, tum maxime in caſtris quæ poſtrema ſibi ad Appiam fecerant: è queis pauci ſuperſtites deſerta inſalubri ſede ad alia ſe caſtra retulerunt. Eodem modo Hunni coacti idem fecere. quæ dum illis geruntur in partibus, Procopius in Campania quingentos jam collegerat milites, naveſque cum frumento complures paratas habebat. supervênit non multo poſt Antonina, mandatique laboris adjutrix fuit. Hoc ipſo tempore mugiit Veſuvius mons, non tamen ut ignem, quod maximo accolarum metu exſpectabatur, eructaret. Abeſt Neapoli mons ſtadiis ſeptuaginta in ſeptentrionem maxime verſus, præciſus admodum, infra in orbem diffuſus, ſupra Scopulis incultus atque horrens. In ipſo jugo ferme medio ſpecus eſt alta & quantum conjici poteſt à ſummo ad imum pertingens: ſi quis deſpectare audeat, videat & ignem: ſed cujus flamma maximam temporis partem in ſe vertitur, moleſta nemini. At quoties ſonum edidit qualem mugientia animalium, illico vis ingens cineris exſiſtere ſolet: ac ſi quem iter facientem deprehenderit, ei haud dubie finis adeſt vitæ: ſin domos attigerit, corruunt illæ; tantum pondus cineris incumbit. quod ſi & ventus urgeat, attollitur cinis in eam ſublimitatem ut viſum omnem hominis effugiat, & qua flatus fert diu portatus mox in terrarum regionem, quæ proxima, feſſus incumbit. Narrant olim cum in Byzantium ſe dejeciſſet ea procella, ita exterritos omnes ut ab eo tempore ſolennibus precibus Dei

pacem expetant. Alio tempore afflictam ea vi Africæ Tripolim. centum aut amplius anni transiisse dicebantur ex quo ultimum mons infremuerat. constat, quoties auditus is fragor, frugum copia ditari omnes circum terras. Aër ipse tenuissimus & fovendo corpori optimus: unde jam olim tabe exesos eo ablegant medici. Hæc sunt quæ de Vesuvio habebam. Interim alius à Byzantio adnavigavit exercitus; Neapolis portum, Isauri ad tria millia, ducentibus Paulo & Conone: Hydruntem, equites, genus Thraces octingenti, regente Iohanne,cui patruus Vitalianus,qui Romanum imperium quondam affectaverat: cumque his equites mille, præfectorum potissimis Alexandro & Marcentio. Cum aliis equitibus trecentis Zeno per Samnium Latinamque viam capto itinere jam Romam pervenerat. At Iohannes, ubi cum suis Campaniam attigit, multos è Calabria currus trahens, & quingentis illis se junxit, quos intra Campaniam lectos antè memoravi, hi pariter secundum littus iter fecere hoc animo, ut si quid hostile incidisset, curribus in orbem vice munimenti dispositis semet tutarentur. At Paulus & Conon, quique cum illis, jussi navigiis ire & ad Ostiam, quod Romanorum navale diximus, adjungere se prioribus, frumento per currus primum ad mare delato, inde imposito navibus, simul vino aliisque rebus necessariis. Speraverant hi fore ut Martinum Trajanumque apud Tarracinam invenirent, secum itineri finem imposituros. sed cum propinquatum, intellexere accitos non multo prius in urbem ivisse. Belisarius vero, comperto Iohannem cum attributo milite in via esse, metuens ne eis hostium turba pernitiem adferret, hac usus est sollertia. Flaminiam portam, cui proxima hostium castra, saxorum congestu jam ab hujus belli initio obsepserat, ut narrasse memini, ne quam eo vim aut in-

sidias

ſidias hoſtes admolirentur. ex eo nullæ ibi pugnæ, nec quicquam hoſti ſuſpectum. Hac porta noctu, neque gnaro quoquam, ab obſtructione liberata maximam exercitus partem ibi in armis ſtare juſſit. Interim porta Picena cum equitibus mille Trajanum & Diogenem jubet egredi, caſtraque hoſtium jaculis laceſſere, ac ſi erumperent, fugæ dedecus nihil verentes, quanto poſſent curſu ad mœnia reverti. quoſdam & intra eam portam inſtructos habuit. Cum Trajanus mandata Beliſarii exſequens barbaros iritaſſet, Gotthi ex omnibus coorti caſtris ſe vindicarent, pars utraque muros verſus ſe contulit, Romani fugientium ſpe, Gotthi fugientibus inſiſtendi propoſito. Beliſarius ut tergis ſuorum inhærentes vidit hoſtes, in incautos totum è porta Flaminia adaperta emittit agmen. Erant in vicino una Gotthorum caſtra: in via quæ eo ferebat anguſtiæ erant inter abrupta adiri difficiles. In iis barbarus ſe quidam tectus lorica, corpore ad pugnas idoneo, hoſtem eodem properantem antevertens, conſtitit, ſociosque advocavit ut ſecum eas fauces occuparent cuſtodirentque. Sed Mundilas accurrens, eo interfecto, neminem Gotthorum ſivit eodem accedere. Libero igitur tranſitu Romani ad proxima veniunt caſtra hoſtium. aſſultavere quidam, & quo minus caperent, non numerus obſtitit hoſtium qui tenuis erat, ſed vis munimentorum. alte depreſſa erat foſſa & ex egeſta humo interius agger muri vice multum attollebatur, ſudibus & ipſe inhorrens denſis acutiſque. His freti barbari fortiter aggreſſos repellebant. Tum Beliſarii protectorum unus, Aquilinus nomine, vir acer imprimis, attractis habenis cum equo in ipſa caſtra ſaltu ſe jecit, quoſdam & hoſtium interfecit. ſed multis ſe circumfundentibus ingerentibuſque tela, equus ſaucius procubuit, ipſe ſpem ſupra per medios elapſus hoſtes pedibus

dibus cum aliis commilitonum ad portam ivit Picenam. Tunc quoque barbarorum nonnullos se insequentes retrorsum jactis telis confecere. quod conspicati Trajanus quique cum eo erant, adjuvantibus & equitibus in hoc paratis, magno impetu effusi in Gotthos persequendis illis intentos irruunt. Illi hoc astu illusi, cumque id minime opinarentur inter hostes utrinque deprehensi, fæde trucidantur. Ex magna strage pauci superstites in castra perfugium habuerunt. Inde metus castra omnia pervasit, clausique ut jamjam venturos oppugnationi Romanos opperiebantur. In hoc certamine evênit ut Trajano barbarus in faciem vulnus adigeret, dextrum oculum super, nasumque. Ferrum omne penetravit ut conspicuum non esset, quanquam longum crassumque erat spiculum. pars reliqua teli nullius tactu sponte in terram statim decidit. Crediderim non satis adfixam ferro fuisse. Trajanus nullo mali sensu nihilo secius perstitit hostes insectari & interficere. quinto post anno, nulla itidem humana ope, in fronte pars ferri extima apparuit: tertiusque jam annus est, ex quo magis magisque procidit, ita ut tandem omnem cuspidem exituram putem. hactenus nihil inde ipsi incommodi. Sic illa se res habuit. Ita fregit hæc dies barbarorum animos, ut successibus belli desperatis sola abitus consilia agitarent. Tot quæ fuerant millia partim fame, partim hostium vi ad paucitatem redacta erant: & sic quoque fame premebantur, obsidentes nomine, re ab hostibus obsessi, commeatibusque interclusi. Tum vero, postquam & alterum venire à Byzantio exercitum terra marique intellexerant, non quantus erat, sed quantum eum facere famæ libuerat, pericula exterriti, ad discessum sua cogitata retulerunt. Ante tamen Romam legatos misere, Gotthos duos, tertium inter ipsos nobilem virum Romanum.

num. Is ad Belisarium perductus verba pro omnibus fecit. Bellum neque vobis, inquit, neque nobis, conducere, docuit utrosque ipsa malorum experientia. Quid enim juvet aut vos aut nos negare quæ & nobis & vobis ex æquo sunt cognita. Ne id quidem nisi valde imprudens negaverit, sapientum non esse, prolatare per odii pertinaciam miserias, ac non ea potius cogitare, quomodo se malis explicent. Quæ cum vera sint, par est utriusque gentis id curare, ne salutem sibi parentium post suas glorias ducant, sed ea eligant quæ æqua sint & commoda non suis tantum sed & adversa sectantibus: atque eo modo præsentes superent difficultates. Quippe modicis contentum esse, rebus quantumvis malis exitum invenit: contumaciæ fatum est, nihil quod oporteat effectum dare. Nos finem quærentes huic bello ad vos advenimus, propositurì quæ in commune sunt utilia, etiam cum aliquo juris nostri detrimento. Vestrum erit cavere, ne, nimium tendendo, in pernitiem ruatis potius quam quæ saluti sunt sumatis. Non longo inter nos verborum ambitu certandum est: quippe ita persuasi esse debemus, si quid altrinsecus dicatur quod tempori non conveniat, alteros sine mora quod ex usu suo rectumque judicaverint facturos. Placet qua dicitis lege inter nos disseri, reddit Belisarius vos ut æqua & ad pacem facientia loquamini, monitos vos habetote. Post hæc Gotthorum legati excipiunt. Injuria nos affecistis, Romani, qui in amicos & socios arma sine causa susceperitis. Non alia adferemus quam cuivis vestrum nota. Non vi Romanis Italiam eripuere Gotthi. Odoacer eam Imperatoris cum cæde raptam vi tenebat, cum alter Imperator Orientem obtinens Yeno, ulcisci interfectum, Italiam servitio eximere quærens, sed virium, quas Odoacro opponeret, non satis apud se reperiens, Theuderichum principem nostrum, qui ipsi tum Zenoni obsidium

obsidium minabatur, permovit, ut inimicitiam recentem condonaret memoriæ dignitatum à se acceptarum (& patricius quippe & consul Romanus fuerat) de Odoacri autem in Augustulum scelere pœnas sumeret, Italiamque ipse & Gotthi tenerent in posterum ut qui optimo jure. Hunc in modum adepti Italiæ imperium legem statumque incolumem servavimus, non minus quam Imperatorum qui maxime. Theuderichi & eorum qui in Gotthorum principatum ei successere, nullæ leges exstant, non scriptæ, non moribus constitutæ. quæ Dei cultum, creditaque de Deo attinent, ita illibata Romanis servavimus, ut Italorum nemo seu volens sive invitus sententiam mutaverit, Gotthis qui mutavere, idem fuerit innoxium. Ipsas quoque sacratas Romanorum ædes summa veneratione colimus: nemo unquam qui ad ea perfugit mali vel minimum perpessus est. Publicos honores indigenæ tenent, nemine Gottho participe. Si mentior, sit qui arguat. Addere & hoc licet, permissu Gotthorum Romanus quotannis consulatum dante Orientis Imperatore accipere. Hæc cum ita se habeant, vobis nulla fuit Italiæ cura, dum eam Odoacer & barbari decem totos annos vexant, expilantque. Nunc vero eos qui jure tenent per injuriam invaditis. quin igitur hinc discedítis cum rebus vestris, & illis quas rapere vobis belli sors dedit? At Belisarius: Præfati pauca vos & æqua dicturos ad multa & jactabunda prolabimini. misit Theuderichum Odoacro bellaturum Zeno, non ut is Italiæ imperium sibi vindicaret; (insessor enim insessori ad Imperatorem quid interest?) sed ut sub Imperatoris legibus libertate Italia uteretur. At ille re adversus Odoacrum bene gesta, cætera contra fas egit, vero domino terram recusans reddere. Mihi vero qui vi rapit, & qui retinet alienum, in æquo sunt. Quare regionem quæ ad Imperatoris ditionem perti-

pertinet, nemini concesserim. Si quid aliud postulatis, aures præbeo. Gotthi rursum; vera nos dixisse ne vos quidem fugit, sed ne contentiosi videamur, Siciliam, tantam tamque divitem insulam, en vobis permittimus, sine qua ne Africæ quidem tuta possessio. Nos vero, inquit Belisarius, Britanniam haud paulo majorem Sicilia, & Romani antiquitus juris, largimur Gotthis. par enim beneficiis respondentes referri gratias. Ne si de Campania quidem aut Neapoli dicamus, accepturi estis conditionem? ajunt Gotthi. Neque enim, ait ille, de rebus Imperatoris aliter quam ipsius arbitratu statuere nobis licet. At quid si pro retentis annuum quod convenerit pendamus Imperatori? addunt legati. Ne sic quidem conveniet, respondet Belisarius. Nulla enim nobis potestas nisi domino sua servandi. cum ad ultimum dixissent. Sine ad Imperatorem mittamus, ut cum eo de toto negotio comparemus: interim ad præfinitum tempus exercitus ab armis quiescant. Esto, inquit ille: neque enim obstare cupio consiliis ad pacem ferentibus. Ita finito sermone Gotthi tunc in castra recessere. Proximis autem diebus repetitis sæpe colloquiis & induciæ pactæ sunt, & additum ut è primoribus utrinque obsides mutarentur. quæ dum aguntur, Isaurorum exercitus Romanum ad portum: Iohannis agmen Ostiam pervenit: neque aut exscendentibus aut castra locantibus hostis obstitit. Nox ut ab omni impetu tuta esset, Isauri fossa in altum depressa portum juxta attentas agebant vicibus excubias. qui cum Iohanne, curribus circumjectis velut vallo custoditi requiem sumsere. Nocte ea ipse centum cum equitibus Ostiam venit Belisarius, & narratis quæ in prælio evenerant, & quæ cum Gotthis pepigerat, auget animos, mittant sarcinas, alacresque Romam eant: ut sine periculo iter sit sibi curæ fore. Et ipse quidem primo mane in urbem rediit.

rediit. Antonina & duces, ut illuxerat, de onere transvehendo consultavere. Difficile erat implicatumque negotium. Boves labore itineris victi procubuerant semanimes. ad hoc curribus angusta transire intutum: onerarias naves funibus, ut olim fieri solebat, trahere non dabatur. Nam quæ ad lævam ab amne erat via, ut supra memoravimus, ab hostibus occupata Romanis accedi nequibat. Alterum latus ripam quod attinet, silvestre atque invium erat. scaphas igitur, quæ subsequi majora navigia solebant, ab iis seductas tabulis attollunt, quo minus qui iis vectarentur ad hostium tela paterent. his nautas & sagittarios pro portione imponunt, & quantum quæque ferre oneris poterat. Ita parati ut Tiburi Romam subirent, ventos opperiebantur. Pars exercitus dextra ripa procedens his præsidio erat, ad majorum navium custodiam quæ in amne erant constituræ relictis Isauris. Ac primum nautæ, ut scaphis vela fecerant, sine labore ferebantur. At ubi eo perventum qua se amnis torquet latiorque fluere incipit, nihil juvantibus ventis, remos impellentes, flumen adversum multo nisu ægre superabant. continebant se in castris barbari, nihil molesti hostibus, sive sui periculi metu, sive quod non credito illac commeatus Romanis advehi, leves ob causas corrumpere spem induciarum, quas Belisarius pepigerat, non ex usu suo arbitrabantur. ob hæc qui in Portus oppido erant Gotthi, cum proxime ipsos prætervehentes viderent hostes nihil movere, cum otio mirantes quo Romanorum cogitata evaderent cum innovata aliquoties navigatione omnia quæ mari advecta fuerant Romam essent perlata, naves ipsæ unde venerant rediere, properantibus nautis, quod jam Solis pulsus brumalis immineret. Exercitus peregre adveniens Romam intravit, nisi quod cum Isaurorum nonnullis Paulus Ostiæ

præsi-

præſidere juſſus. Mox obſides firmandis induciis dedere Zenonem Romani, Vliam virum inter ſuos non ignobilem Gotthi, ut tres per menſes à vi mutua abſtinerent, exſpectantes Imperatoris reſponſa, quæ Byzantio reportaturi eſſent legati: Si quid contra pacta ab his illiſve fieret, legatis reditus eo non minus eſſet. His conventis legati barbarorum, Romanis proſequentibus, Byzantium ivere. Interea & ab Africa venit Ildigeris Antoninæ gener, non pauco cum equite: & quod in Portu erat præſidium dereliquere Gotthi, alimentis defecti, & Vitige ut in caſtra ſe referrent imperante. deſertum locum Paulus cum Iſauris ex Oſtia invaſit. Ad has neceſſitates redegerat barbaros Romanorum maritima potentia, nihil ad eos rerum quibus vita indiget portari ſinens. Quare ſub idem & Centumcellas, egregium ad mare oppidum, eadem egeſtate preſſi liquere. Abeſt id Roma ducentorum & octoginta ſtadiorum Occidentem verſus intervallo Thuſciæ in ſolo, magnum per ſe, ad id frequenter habitatum. Hoc capto, aliud inſuper incrementum res Romanæ cepere, inſeſſa & Alba, ad Orientem Solem obverſo oppido, quod paribus de cauſis barbari vacuum fecerant. Ita incluſos prope barbaros undique tenebant Romani: unde orta eorum indignatio aliquid hoſtile aggredi, pactis etiam ſpretis, agitabat. Legatos igitur ad Beliſarium mittunt, qui dicerent Gotthis ſubita de cauſa è Portus oppido à Vitigi accitis inique egiſſe Paulum & Iſauros qui loci poſſeſſionem invaſiſſent. Eadem de Alba queſti & de Centumcellis: nec minis abſtinebant ni eadem reddi juberentur. Beliſarius cum riſu eos dimiſit, dicens certamini obtentus inanes quæri, haud cuiquam obſcuro quas ob cauſas illis locis deceſſiſſent Gotthi. Ex eo ſuſpicaces ſuſpectique inter ſe egerunt. Beliſarius ut abundantem militum copiam Romæ vidit,

Q equi-

equites in loca longius ab urbe absita mittit, cumque aliis octingentis Vitalianum, cui Iohannes patruus, circa Albam Piceno fine jubet hybernis locum capere: additque mox ex Valeriani ala quadringentos, Damiano duce, cui patruus idem Valerianus: deque suis protectoribus octingentos, bello egregios, præpositis Suta & Abigi suorum satellitum è cohorte. His omnibus præcipit Iohannem quocunque duceret sequi: Iohanni vero quiescere, quamdiu conventionibus staret hostis: sin ille pacta exueret, tum hæc ageret. omni cum exercitu subito irrueret in Picenum, multo primum ambitu vicina lustrans, deinde illuc ea celeritate incumbens ut famam anteiret. quippe ea in regione vix ullos viros superesse, cunctis Romam militatum profectis: plena omnia pueris, mulieribus, pecuniis. hæc in captivitatem & prædam verteret, tantum cavens ne cui Romanorum ibi degentium quicquam noceretur. Si quem in locum incideret firmum, ut fit, viris ac munimentis, vim experiretur. capere si daretur, pergeret. Sin minus succederet, retro verteret, aut ibi hæreret. nam si progrederetur, tale præsidum hostile à tergo sibi relinquens, magnum ex eo periculum fore, nec facile à sociis auxilium, si quid infestum occurreret. Prædam custodiret omnem, ut ex æquo proque meritis exercitui divideretur: cum risu superindicens, neque enim justum ut cum alii magno labore fucos exegerint, alii expertes periculi mella auferant. Cum his præceptis Iohannem additosque ei milites dimisit Belisarius. Sub idem temporis antistes Mediolanensium Datius & ejus civitatis primores Romam profecti Belisarium adiere, ut se cum milite non multo remitteret, confisi non eam tantum urbem sed & Liguriam omnem à Gotthis abduci & sub Imperatoris potestatem redigi à se posse. Est enim intra Ligurum fines sita ea urbs pari ferme intervallo à Ravenna

venna & Alpibus quæ Galliam terminant, quantum homo expeditus octo diebus itineris conficiat, secundum Romam Occidentis haud dubie princeps, amplitudine, hominum copia opibusque. Belisarius pollicitus effecturum se rogata, per hyemen eos secum detinuit. quæ dum geruntur, Fortunæ prospera cuncta Romanis succedere videntis invidia malum iis parturiebat, quod bonis eorum rebus admisceret, odium non digna de causa Belisarium inter & Constantinum serens: quod unde ortum, quo desierit, pergo exsequi. Præsidius vir clarus Romana origine Ravennæ habitavit. Is Gotthis infensior, quo tempore adversus Romam iter parabat Vitigis, cum suorum paucis, venatus simulatione, aufugit, conscio nemine, nec quicquam rerum suarum secum ferens, præter pugiones duos, quorum vaginæ erant auro graves, gemmis intercurrentibus. Spoletium ut venerat, sacram in ædem mænibus non longe se recipit. Constantinus, nam iis adhuc in locis morabatur, id ubi audierat misso Maxentiolo uno protectorum suorum utrumque pugionem vi mera abripit. Dolore accensus ille Romam ad Belisarium properat. venit eodem non multo post Constantinus, quia jam accedere ad Vrbem barbarorum exercitus audiebatur. Quam vero diu in æstu ac discrimine Romana res erat, intra silentium se cohibuit Præsidius. At ubi Romanus Mars superior, jamque & legatos Gotthi, ut diximus, Romam miserant, apud Belisarium frequens, queri de injuria, ad jus suum obtinendum opem implorare. motus his Belisarius interdum ipse, interdum per alios multis verbis incusare Constantinum, auctorque esse ut se à culpa ac dedecore liberaret. At Constantinus (fato enim ei malum imminebat) monita repellebat rixabundus, ultro quoque quem damno affecerat per ludibrium insultabat. Evenit ut per forum equitanti Belisario obviam factus Præsi-

 dius,

dius fræno equi apprehenſo, clarum vociferaretur, interrogans: Id ne vellent Imperatoris leges, ut qui Romanas res barbaricis præferens ſupplex adveniret, ei quæ haberet per vim è manibus extorquerentur? Et quanquam multi circumſtantes cum minis juberent frænum dimittere, non ante abſtitit, quam promiſit ei Beliſarius pugiones redditum iri. Sequenti ergo luce in palatii conclave convocatis magiſtratibus, ipſoque Conſtantino Beliſarius, quæ pridie evenerant commemorans, hortabatur vel nunc manus rapina exſolveret. ille non modo facturum id negavit, ſed & addidit in Tiberim projecturum prius pugiones quam Præſidio reſtitueret. ira ad hoc exoriente Beliſarius, an ſuo imperio ſubditus eſſet Conſtantinus idque agnoſceret, interrogabat. At ille: cætera quidem tibi parebo, quando ita vult Imperator: quod autem nunc imperas, nunquam facturus ſum. Cumque Beliſarius intrare ſatellites juſſiſſet, nempe ut interficiant me? exclamat Conſtantinus: ille vero nequaquam, ſed ut protectorem tuum Maxentiolum quos vi rapuit pugiones compellant exhibere domino. Conſtantinus mortem ſibi parari exiſtimans magnum aliquod aggredi, priuſquam periret, ardebat. Eductum itaque pugionem qui à latere pendebat in Beliſarii ventrem adigit: atque is attonitus retro ſe ferens Beſamque juxta ſtantem amplexus, ægre declinavit vulnus. Conſtantinus iræ adhuc plenus abit. Quæ omnia contuiti Ildiger & Valerianus, dextra alter, alter læva prehenſum retrahunt. Atque interim introgreſſi ſatellites, quos modo vocarat Beliſarius, pugionem ei è manu evellunt, magnoque cum tumultu erepto nihil in præſens nocent, ſed in conclave aliud Beliſarii juſſu deportatum, ibidem non multo poſt interficiunt. Hoc unum Beliſario, modeſtiæ alioqui in omnes ſervantiſſimo, facinus patratum eſt neque pium neque ipſius ingenio conſentaneum.

neum. nimirum, ut dixi, Conſtantino divina ultio impendebat. Haud multo ſerius Gotthi infeſtare mœnia aggreſſi ſunt. Ac primum noctu quoſdam dimiſere in unum canalium quibus aquas jam belli initio abduxerant. illi lucernas ac faces manibus geſtantes experiebantur ſi qua in urbem penetrarent. Picena portula non procul ejus canalis divergium ſub fornice erat: unde ignem emicare videns vigilum unus cæteros admonuit, qui dixere lupum fuiſſe tranſeuntem quem vidiſſet: neque enim humo editior erat fornix: & lupi oculos credebant ignis præbuiſſe ſpeciem. At qui ingreſſi eo erant barbari, in mediam urbem ut devenerant quo loco adſcenſus olim fuerat ad palatium ferens, incurrunt in tranſverſum opus, quod neque progredi ultra neque adſcenſu uti patiebatur. Providus quippe futuri Beliſarius cæptante primum obſidio exitum, ita ut dixiſſe memini, obſtruxerat. Lapide igitur exemto non magno, retro verſi, eum oſtendunt Vitigi & quæ repererant exponunt. Is cum Gotthorum primoribus ad inſidias conſilia vertit. At qui Romanorum Picenam apud portulam vigilias ſervaverant, orto die ſermonem de viſi lupi conjectura ſpargebant latius, donec ad Beliſarii aures pervenit. qui, non ſegnis talium æſtimator, militum egregios cum ſatellitum Diogene in canalem degredi, locumque explorare properanter jubet. illi paſſim per cavum repertis hoſtium lucernis quæ de facibus deciderant, obſervata etiam operis parte unde amotus fuerat lapis, cuncta ad ducem retulere. quare & is diligentem canali cuſtodiam adhibuit, & Gotthi, cum id animadvertiſſent, illo conatu deſtitere. Sed aperta vi aggredi mœnia potius rati, cum ſcalis & igne prandii tempore captato cum minime id exſpectarent Romani, ad portulam Picenam venere, ſperantes impetu rapi urbem poſſe, quod pauci eo loco milites manſiſſent.

ſent. Forte ibi tum præſidebat cum ſuis Ildiger, circumacta ad ipſum, ita enim mos erat, vigiliarum vice. Is ut confuſis ordinibus hoſtes advenire vidit, obvius incompoſitis nullaque imperia ſervantibus, partim eos fudit, partim occîdit. Hinc magno, ut fit, tumultu ac clamore per urbem orto, Romani quam celerrime ad mœnia confluere: barbari haud multo poſt ſua ad caſtra redire irriti. Tum ad inſidias revertitur Vitigis. Maxime ad oppugnationem expoſita erat pars urbis ad Tiberis ripam. quippe Romani, ſat freti amnis munimento, murum ibi neglectim ſtruxerant tenui opere, nullis turribus, &, quod ſpem hoſtium accendebat, exiguo præſidio locus cuſtodiebatur. Duos ergo Romanos homines, quibus apud Petri ædem habitatio, pecunia impellit, aſſumto vini utre ire ad cuſtodes ipſo veſpere: vinoque ipſis per amicitiæ ſpeciem dato in multum noctis ſedentes combibere, poſtremo cuique in poculum adfundere ſoporiferum liquorem, quem ipſe illis Vitigis porrigebat. in altera ripa parata habebat navigia, quibus barbari tranſirent amnem, ſigno dato, ſimul ſopiti vigiles eſſent, ſcaliſque ſecum allatis illico in mœnia eniterentur, diſpoſito ad ſequendum, urbemque vi capiendam exercitu omni. His ita præſtructis, alter duorum quos Vitigis dolo exſequendo legerat (neque enim Deo viſum hac obſidione urbem capi) ſponte ad Beliſarium accurrens prodit mandata, ſocium indicans: qui tortus indubitata fecit quæ agitabantur, ipſamque potionem à Vitige acceptam protulit. Hunc cum auribus naribuſque truncum in caſtra hoſtium miſiſſet Beliſarius, agnovere contrarium ſuis conatibus numen, deque urbe capienda ſpem abjecere. Hæc dum aguntur, Iohanni ſcripſerat Beliſarius, juſſa perageret. quibus ille parens bis mille cum equitibus Picenam regionem percurſans, prædæ multum coëgit,

neque

neque pauca captiva corpora puerorum, mulierum: ipſumque Vitigis avunculum Vlitheum prælio victor interfecit, unaque prope omnem qui ibi erat exercitum. nec quiſquam poſt id ei congredi auſus. Auximum ubi ventum eſt, oppidumque cognovit non multis quidem inſeſſum Gotthis, ſed firmitate operum inexpugnabile, damnata obſidendi mora, progreditur ultra, parique de cauſa & Vrbinum præterit. Ariminum vero, quod oppidum diei itinere Ravenna abeſt, Romanis hortantibus acceſſit. Et barbari, pridem ſuſpecta Romanorum ibi larem habentium fide, ut appropinquare hoſtem intellexerant, præſidio deſerto, curſu Ravennam petunt. Sic Arimini potitus eſt Iohannes, à tergo relinquens Auximum & Vrbinum Gotthis inſeſſa, non Beliſarii præceptorum immemor, nec inconſulta temeritate actus: cum fortitudine enim ei aderat & prudentia: ſed, quod res probavit, conjectans ſi Gotthi intelligerent proxime Ravennam eſſe Romanum agmen, obſidionem urbis Romæ ſoluturos, ſpeique alienæ impetendi prælaturos ſua tutandi curam. Non fefellit eum hæc judicatio. Nam ſimul Vitigis Gotthorumque exercitus certus fuit capti Arimini, pro Ravenna ſolliciti, nihilque aliud penſi habentes, abitum, ut mox dicturus ſum, feſtinavere: multumque ex hoc facto gloriæ Iohannes ſibi peperit, clarus & ante, quippe audax animo, manu promtus, periculorum contemtor, tenui victu duriſque tolerandis nullo barbarorum, nullo manipularium inferior. Talis Iohannes erat, quem cum Ariminum veniſſe intelligeret Mataſuntha Vitigis uxor, pridem marito infenſa quod per vim invitam ſibi ſociaſſet, læto id accepit animo, perque fidos clam de ſuo matrimonio ac proditione cum Iohanne cæpit agere. Hæc dum illi inter ſe per arcanos internuntios moliuntur, Gotthi periiſſe ſibi Arimi-

num cùm didiciſſent, cunctaque eos deficerent ad vitam neceſſaria, & jam pacti tres menſes exierant, quanquam incerti adhuc quid à legatis ſuis actum eſſet, diſceſſui ſe parant. Anni tempus circa vernum Æquinoctium vertebatur, obſidioniſque effluxerat annus, & ſuprà dies novem, cum Gotthi caſtris incenſis prima luce iter capiunt. Romani ut profugos videre, quid cæptarent, dubii hærebant, quod equitum vis aberat, aliis alio miſſis, ut dicere ante cœpi: cæteri impares ſe tantæ hoſtium multitudini exiſtimabant. Attamen Beliſarius cohortes & quod equitum manſerat, armavit, cumque pars hoſtium dimidia trans pontem iiſſet, Picena porta emittit agmen. Fit pugna prioribus haud ſane minor: ejuſque initio fortiter ſe defenſantibus barbaris, multi utrinque occumbunt. Fuſi tandem Gotthi ingens in ſe malum accerſivere, dum quiſque ante alium tranſgredi pontem properat, unde in arctum compreſſi implicitique, triſtiſſima ſorte non à ſuis popularibus minus quam ab hoſtibus occidebantur. pars magna ab utroque pontis latere detruſi, lapſique in amnem, armorum pondere mergebantur. Ita multis amiſſis, qui cladem evaſerant ſuis pontem tranſgreſſis ſe adjunxere. Eo in certamine conſpicua virtus Longini Iſauri, ac Mundilæ, Beliſarii ſatellitum, fuit. Mundilas quatuor barbaris ordine congreſſus, cunctos occîdit atque ipſe ſuperſtes fuit. Longinus, præcipua cauſa pulſorum hoſtium, in loco cecidit, multum Romanis ſui deſiderium relinquens. Vitigis cum iis quos ſervaverat Ravennam ſe conferens, quæ circum ſunt loca firmabat præſidiis. Cluſium Thuſcorum oppidum ſervari juſſi mille homines quibus impoſitus Gibimer. Vrbem veterem totidem, præpoſito Albila Gottho. Tuderi Vliſigiſalus cum quadringentis præſidere juſſus. Piceno tutando in caſtello Petra itidem quadringentos,

qui

qui jam ante ibi ſe tenebant, reliquit. At Auximi, quod maximum eſt oppidorum ejus tractus, Gotthorum virtutis merito dilectos quater mille collocavit, iiſque virum præfecit ſtrenuum, Viſandum nomine: Vrbini bis mille ſub Morra. reſtabant caſtella duo, Cæſina & Monsferetrus: quibus cuſtodes dedit ſingulis non minus quingentos. Ipſe cum reliquo exercitu Ariminum contendit, velut obſeſſurus. Sed Beliſarius ſtatim à Gotthorum abitu Ildigerim & Martinum cum mille equitibus miſerat, ut itinere alio Ariminum properantes hoſtis adventum anteirent: præcepitque ut Iohanne & qui ei aderant inde evocatis, alios ſatis multos tuendo oppido ſufficerent ex Ancona, quod oppidum Adriæ adjacens ab Arimino bidui itinere non multo ante Conon cum Iſauris Thracibuſque non paucis in id miſſus ceperat. ita enim exiſtimabat, ſi vel ſoli pedites, quibuſcunque ſub ducibus, Ariminum defenderent, nunquam venturos ad obſidionem Gotthos, ſed ea re poſthabita Ravennam properaturos. Quod ſi & obſidionem pararent hoſtes, pediti neceſſaria in multum tempus ſuperfutura: atque interim bis mille equites egreſſos inde conjunctoſque cum cætero exercitu multum nocumenti in hoſtes allaturos, interque cauſas fore cur hi ab obſidione abſiſtere cogerentur: Hæ rationes Beliſarium moverant ut quæ dixi Martino Ildigerique præciperet. Atque illi Flaminia profecti multo ante barbaros, quo miſſi, pervenere. Nam ut in magno agmine, tardiora Gotthis itinera. acceſſere & ambages tum quærendis alimentis, tum ne munita per Flaminiam loca propius ſubirent. quippe Narniam, Spoletium, Peruſiam Romani ut diximus inſederant. At Romanorum exercitus ad Petram ut ventum eſt, tentare ſi quid in tranſitu poſſet conſtituit. Locus eſt non humana manu ſed ſuopte ingenio munitus. Via eſt confra-

gosa, cujus dextro lateri affluit amnis rapidus vadique nescius. Sinistro imminet rupes ardua adeoque edita, ut infra stantibus qui in vertice sunt homines volucrium minimis nihilo grandiores videantur. Penetranti nullus olim patebat exitus, quod ibi se rupes in flumen usque protenderet. Sed perfosso saxo posteriora sæcula fauces ibidem fecere: ipso quoque primo aditu hactenus operibus obstructo ut aliæ ibi fauces relinquerentur, nativum exstitit munimentum, cui ex re impositum Petræ nomen. Martinus igitur & Ildiger ad primas fauces oppugnando jaculandoque nihil profecere, quanquam non obsistentibus barbaris. At postquam retro per saxosa enisi supra caput Gotthis adstitere, lapidesque jecere de locis supernis, illi in domos sparsim citatoque cursu se referebant, atque intra eas quieti se continebant. Romani, ut eludi lapidum jactus sensere, novo usi commento, ingentia rupis fragmenta multi simul in ipsa tecta librabant. Illa quicquid illapsu vel minimum attigerant concussantia tantum in barbaros pavorem attulerunt, ut ad eos qui ad fauces remanserant protentis manibus seque & locum dederent, ita ut indemnes in ditione Imperatoris Belisariique obsequio in posterum forent. Horum plerosque Ildiger & Martinus secum abduxere, pari futuros jure cum militibus cæteris, paucos cum uxoribus liberisque, addito Romanorum præsidio, in loco reliquerunt. Ipsi Anconam pergunt, abductisque inde peditum multis die tertio Ariminum cum pervenissent, Belisarii voluntatem significant. At Iohannes non ipse tantum sequi abnuit, sed & Damianum & cum eo quadringentos atti-nuit. itaque illi relictis ibi peditibus cum solis Belisarii satellitibus ac protectoribus remeant. Nec diu, cum Vitigis universo exercitu ad Ariminum venit, castrisque circum positis obsedit oppidum. qua parte

te oppugnationem locus maxime recipiebat, turrim ligneam Gotthi ita fabricatam ut mœnium fastigium altitudine superaret, rotis quatuor admovent. Et ne idem eveniret quod ad Romæ muros evenerat, non bubus, ut tum, sed hominum intus abditorum vi trahebatur. Scalæ intra turrim latæ unæ erant ad facilem adscensum. sperabant enim Gotthi simul turris ad muros pervenisset, nullo se negotio per eas in murorum pinnas, ita obtecta erant turris latera, evasuros. Postquam ergo mœnibus appropinquavit machina, obortis inter hæc & tenebris, quietos se tenuere: tantum appositis ad turrim custodibus noctem egere securam, adversi nihil suspicantes, quippe nullo inter ipsos & mœnia obstaculo, ne fossa quidem nisi angusta intercedente. Romani vero magno cum metu diem, velut exitialem ipsis venturam, opperiebantur. At non & Iohanni aut periculum desperationem aut metus prudentiam ademerat, quo minus tempori necessaria expediret. aliis igitur ad mœnium custodiam relictis, ipse cum Isauris ligones aliaque id genus instrumenta ferentibus, multa nocte quid agitaret prædicto nemini, mœnia egressus jubet silentio fossam ducere. illi imperata fecere, humumque egestam in partem, quæ mænia spectabat, ita accumulavere ut muri vicem præstaret. ita hoste per somnum nihil sentiente brevissimo tempore fossam fecere satis depressam, satisque patentem, quà maxime obnoxia erant mænia, quaque admovere machinam barbari parabant. qui præcipiti demum nocte exciti, intellecto hostium opere, in laborantes procurrunt. at Iohannes fossa quantum volebat perfecta cum Isauris se intra mænia refert. ut illuxit, Vitigis re omni conspecta, dolore æstuans, vigilum quosdam mortis supplicio affecit: non eo tamen minus sperans turrim provehi posse, præcipit Gotthis virgul-

torum

torum congeriem in fossam dejicere, ut per eam machina incederet. illi magno cum studio, quanquam è mænibus jaculatores graviter imminebant, mandata exsequuntur. At ubi turris pondus incubuit, pressa sidere virgulta, nec permittere Gotthis promoliri turrim, arduo imprimis aggere quem fossam intra excitum diximus, metuentes igitur ne nocte secutura hostes eruptione subita machinam urerent, retrahunt eam. Quod cum prohibere Iohannes omni ope vellet, milites armari jussos convocatosque his verbis hortatur. Si quis vestrum, commilites, periculique hujus mecum participes, vivere, si quis ea quæ domi cara visere expetit, norit non alibi quam in manibus suis has spes repositas. Cum primum huc nos misit Belisarius, plerosque nostrum magna cupido ardorque in pugnam subibat, nemine tum cogitante aut hostibus id animi fore ut obsidere pararent maritimum oppidum, mari præpollentibus Romanis, aut ipsi Romano exercitui eum nostri neglectum, ut suppetias venire dedignaretur. Has extra causas, satis nos ad audendum stimulabat & fides in Romanum imperium, & spes claræ apud omnes homines famæ. Nunc vero ne evadere quidem nisi per virtutem datur: & ut in pericula magno animo feramur, nihil nos opus est aliunde causas accersere, cum sola salutis cura id à nobis satis exigat. quare si quibus vestrum pulchra per se placent, vobis nunc, quanta vix unquam aliis via se per fortia facta ad gloriam aperit. Sequi enim laus eos amat, non qui de invalidioribus victoriam reportant, sed qui quod ad vires deest supplent animi magnitudine. At si quibus dulce est provivere, his vel maxime audendum est, cum ita natura comparatum sit, ut extrema pericula nisi periculorum contemtu vitari nequeant. Hæc Iohannes prolocutus, paucis ad muros relictis, cæterum agmen in hostes

hostes ducit. Nec minus animose resistentibus barbaris, acre prorsus fit prælium. Turrim ægre nec antequam vesperasceret Gotthis in castra reducere licuit, tot interim suorum desideratis & acerrimo quoque, ut in posterum abjecta se oppugnandi per otium famem atque inde deditionem hostium opperirentur. cæperant enim barbaros deficere necessaria, quod nullus in propinquo locus esset, unde inferri posset quantum sufficeret. Hæc dum aguntur, Belisarius iis qui Mediolano ad se venerant, dedit partim Isauros, partim Thraces, simul mille admodum. Isauris præpositus Ennes, Thracas Paulus regebat: summa rerum Mundilæ tradita aliquot secum è Belisarii protectoribus trahenti. Adjunctus & Fidelis præfectura prætorii functus antehac. Mediolano quippe ortus & multa per Liguriam prædia possidens, utilis ei agmini comes videbatur. Ex Romano portu evecti navigiis Ianuam attigere, urbem Thusciæ extremo sitam, unde Galliæ, nec longe Hispaniæ initia sunt. ibi relictis navibus pedestre iter arripiunt, earundem tamen navium scaphas impositas curribus secum ferentes, ne quid deesset ipsis ad Padum flumen transeundum. Hoc igitur usi auxilio, postquam altera Padi ripa progressi in Ticini conspectum venere, Gotthorum sibi adversos habuere plurimos potissimosque. Quicunque enim circum habitabant barbari, cum in eam urbem, ut egregie munitam, quæ de præda carissima erant contulissent, præsidium ibi validum reliquerant. Pugna exorta superiores fuere Romani, fusisque hostibus & multorum edita cæde, minimum abfuere quin & insistentes fugientium tergis in urbem se infunderent. vix spatium fuit quo prementes Romanos portis obditis barbari excluderent. Dum se recipiunt Romani, Fidelis in vicino templo Dei venerandi causa moratus, procumbente mox equo dejicitur:

citur: visusque à barbaris (nam prope mænia ceciderat) subito eorum incursu interficitur. Fugit primum ea res Romanos, mox ubi cognosci cæpit, magnum omnibus dolorem, Mundilæ præsertim, excitavit. Hi, ut Mediolano appropinquatum est, & eam urbem & Liguriam omnem sine sanguine in fidem accipiunt. quo Vitigis comperto, exercitum properus eo mittit, ducemque Vrajam suo fratre genitum. Etiam Theudebertus, Francos eo tempore regens, oranti auxilium præbuit ad decem millia, non è Francis tamen, sed è Burgundionibus. Ne Imperatoris amicitia læderetur id in speciem repertum est, ut Burgundiones velut sua sponte, non Theudeberti jussu impulsuve, eam militiam capesserent. His permixti Gotthi citius quam Romani exspectaverant prope Mediolanum veniunt, positisque castris urbem circumsident. Præclusa commeatuum advectione, brevi rerum inopia tentavit, nec ad custodiam mænium miles aderat. quippe Mundilas, occupato quicquid munitum in eo tractu erat, puta Bergomo, Como, Novaria, vix trecentos secum Mediolani retinuerat: unde ipsis oppidanis injuncta necessitas vicibus vigilias agitandi. Hæc dum per Liguriam aguntur, cum hyemis exitu finiit annus tertius belli hujus quod describendum sumsit Procopius. At ubi solstitii æstivi tempus adfuit, in Vitigim ac Gotthos Belisarius, paucis Romæ ad tutelam relictis, omnem alium exercitum rapit: &, præmissis qui Tuder Clusiumque castris ambirent, secuturum se perficiendo obsidio promittit. sed utriusque oppidi habitatores adventu hostium cognito, periculumque exterriti, legatis ad Belisarium missis, convenere, ut salvi rebus salvis in fidem reciperentur: verbaque factis implentes, ipsi, simul eo pervenerat, semet tradidere. ille, Gotthis omnibus inde in Siciliam Neapolimque transmotis,

tis, postquam Tuderi Clusioque de præsidio prospexerat, pergit cum exercitu. Interea Vitigis alium exercitum Vacimo ductore ire Auximum, & qui jam ante ibi erant Gotthis, sociari jubet, inque hostes qui Anconæ erant pergere, potiundique ejus loci omnes rationes experiri. Nomen Anconæ à rupe, ita in angulum coëunte ut brachii flexum imitetur. Navale est Auximi, unde abest stadiorum octuaginta intervallo. quod munitum est oppidi, in ipsa illa rupe tuto satis est situ. sed excurrunt magno numero ædificia, nuda à munimentis. Conon (is præsidio præerat) ubi in se venire Vacimum magno agmine, & jam haud procul esse intellexit, ad consilium se vertit imprudentis animi. Parvi quippe ducens mœnia inque mœnibus milites & oppidanos tueri indemnes, vacuum ab armis relinquens oppidum, eductos ad quinque stadia milites ad pugnam instruit, nec densa acie, sed velut loca rupi subdita cincturus indagine. Hi, ut superantes multitudine hostes conspexere, fugam ad mœnia intendunt. Barbari non paucos eorum nondum intra urbem receptos occidere, scalasque ad mænia admoliti, scandere parabant: alii & circumjecta ædificia flammis urebant. Pavescentes ad hæc Romani, & qui oppidum antiquitus incolebant, adaperta portula ruentes confertim milites excipiunt, mox ut inhærentes videre barbaros, metu ne & hi una irrumperent, repente claustra objecere portulæ: sed per funes demissos de mœnibus tum alios, tum Cononem attraxerunt atque ita periculo subduxerunt. qui per scalas enitebantur barbari ab urbe capienda minimum aberant, ni viri duo, rara ausi facinora, jam stantes illos in pinnis depulissent. horum alter Thrax erat Belisarii protectorum unus, nomen Ulimun. alter è Valeriani protectoribus, gente Massageta, dictus Bulgudu, quos forte naves non ita pridem Anconam tulerant.

lerant. Vterque in oppugnantes gladiis usi acriter, salutem oppido tulere insperatam, ipsi semanimes lacero mutiloque corpore de loco quem defenderant absportati sunt. Ea tempestate Narses novo cum exercitu Byzantio vectus in Picenum jam venisse Belisario nuntiatur. Erat is Narses spado, & sacrarum largitionum Comes, cæterum & ingenio valens & animo acrior quam ut defectæ virilitatis crederetur. militum quatuor millia eum sequebantur, quibus sui in cohortes præfecti, summæ præerant Iustinus dux Illyriorum, & Narses alter qui ex Armeniis Persæ subditis ad Romanos transfugerat olim cum Aratio fratre uno eorum qui non multo ante priore cum exercitu Belisario advenerant. Aderant & Herulorum duo millia, ducibus Visigando, Aloethe & Phanetheo. qui vero sint Heruli ac quomodo in Romanorum societatem adsciti, obiter memorare non pigebit. Vltra Danubium veteres genti sedes: Deorum complurium cultus, quos & humanis victimis placare fas habebant. cætera quoque instituta plerisque mortalium dissimiles. Neque senibus neque morbidis permissum vivere. sed ubi gravis ætas aut valetudo deterior, tenebantur ipsi supplicare propinquis, ut se ærumnis rebusque humanis eximerent. Illi alta lignorum congesta strue superque eam collocato homine, alium cum pugione in eum immittebant Herulum quidem, sed alienum sanguine, quod propinquos propinqui cæde inquinari pium non arbitrarentur. Vbi ille accesserat peragendæ cædi electus, omnia subito ligna ab imo orsi incendebant, & postquam flamma desierat, ossa congesta abdebant humo. Si conjugem habuisset qui erat mortuus, ea si virtutem in præsens, laudem in posterum curaret, debebat & ipsa modicum intra tempus juxta viri monumentum vitam sibi abrumpere laqueo; ni faceret, mariti cognatos

tos famamque adversam semper habitura. Talibus usi ab antiquo moribus Heruli, cum tempore & multitudine & vi supra vicinos aucti, & quod consequi solet lacessitis conterminis, victores sæpe, prædæque gustatæ dulcedine avidiores, postremo Langobardos, Christianam nationem, subditosque eis populos ad tributa cogunt, quod barbaris antehac inusitatum superbia simul ac avaritia ipsorum repererat. Anastasio Romanam rem adepto, non videntes Heruli in quos incursarent, inerme otium in tres annos produxere: queis finientibus, impatientes quietis, Rodulfum principem suum convitiis impetere: quoties adierant mollem feminæque propiorem vocantes & quæ alia vocabula decori immemor protervia suggesserat. quas contumelias tolerare impar Rodulfus in Langobardos insontes rapit arma, nullius ipsos criminis incusans, nihil obtentus quærens quo pacta exueret: bellum per se semota juris specie, placebat. quo motu cognito Langobardi, missis ad Rodulfum legatis percunctantur quæ caussa Herulos impelleret in consilia belli adversum se sumendi. si qua parte tributi fraudati forent, paratos se absque mora cum usuris dependere: si tenuia esse tributa quererentur, non difficiles ad ea augenda Langobardos fore. Talia elocutos legatos minis onerans Rodulfus proturbavit magis quam dimisit. illi legatis aliis ad dicta priora supplices adjungunt preces. quibus pari ferocia rejectis, tertios mittunt, obtestatum ne ipsos Heruli bello, ne coloris quidem quicquam habente, invaderent. Sin obdurato animo pertenderent, se non volentes, sed ultimæ necessitatis imperio violentis armis oppositruros arma, Deo prius rite invocato, cujus vel minima vis cunctis humanis opibus plus posset polleretque. illum æqui summum & iniqui arbitrum, inclinaturum quo vellet præliorum

exitus. Hæc à Langobardis dicta, si possent absterrere Herulos in se ruentes. At illi contemto verborum certamine, plane constituerant rem ad manus deducere. ubi in conspectu mutuo stetere acies, supra Langobardorum capita quod erat, aëris nube crassa nigraque velabatur: parte cœli sub qua Heruli erant supra solitum suda atque aperta: quo non aliud illis gentibus ad pugnam ituris signum tristius habetur, unde orta prælii Herulis male cessuri conjectatio. Ne tum quidem Heruli rem justis rationibus exputavere, sed & harum & omnium æque securi, in hostem ibant multo ejus contemtu, quippe solo bellantium numero belli fortunam metientes. At ubi incaluit prælium, multi Herulorum cadere, & Rodulfus ipse: cæteri virtute omissa à fuga præsidium petere: & persequente hoste, ibi quoque ingenti strage facta, pauci evadere. quo factum, ut sedes avitas ex eo tutari nequiverint, sed inde expulsi longius semper cederent, cum uxorum liberorumque agmine magno ambitu obeuntes terras quæ Danubium citra jacent. Post ubi ad eum tractum venere quem Rugii olim tenuerant, socius Gotthis populus cumque iis Italiam ingressus, vacuo solo sederunt. sed urgente fame, vasta quippe sterilique humo, inde quoque digressi proxime Gepidas se locant. initio Gepidæ, velut precibus supplicum flexi, permittunt sibi accolas fieri. At ubi fixerant larem, nullis de causis indigne eosdem tractare, feminas stupris fædare, boves atque alia rapere, nullo denique injuriæ genere abstinere, tandem & vi ipsos aggredi. quorum impatientes Heruli, transeunt Danubium, Romanisque ripam, quæ nobis citerior est, tenentibus, vicini agere exoptant. Imperium eo tempore Anastasius obtinebat, qui benigne receptis affirmat possessionem. Sed hunc quoque non veriti offendere barbari sæva in Romanos cæptant.

cæptant. quapropter exercitum in eos mittere cogitur, isque brevi victor, multos peremit, cunctosque internecione delere potuit, ni qui supererant Romanis ducibus supplices facti vitam orassent, polliciti se in posterum in obsequio ac militia Imperatoris fore. Ita Herulorum servatæ reliquiæ: neque tamen Romanis aut auxilio aut usui ulli fuere. At postquam compos Imperii Iustinianus agros dedit fertiles muneraque adjecit, permoventur ut non societatem modo, sed & Christianam pietatem induerent. inde traducta in clementius vita, pleraque Christianorum ex institutis agunt, Romanisque in eorum hostes arma jungunt: manet tamen infidus animus & alieni cupiditas, cujus nulla apud ipsos infamia. Veneris nullum nefas exhorrent, nec in feminas modo, sed in mares, quin & in mutas animantes. Plane omnes populos sceleribus superant, & sua ipsis plerunque pravitas exitio est. Secutis temporibus, paucis in societate Romana manere placuit, de quibus libris prioribus dixisse meminimus. cæteris hoc dissidii initium fuit. insanum feritate ingenium præter alia Heruli monstraverant rege suo, Ochon vocabatur, interfecto repente nullaque de causa, hoc unum prætendentes velle se sine rege vivere. Etiam ante rex nomen id habebat, reipsa privato vix dispar. una sedere, una epulari vulgus usurpaverat, & si libuisset, probris eum lacessere. Herulis enim vix reperias aut stolidiores aut leviores alios. Peracto scelere magnitudo intellecta pœnitentiam peperit. Iam palam fatebantur nisi sub imperio ac duce agere se non posse. multa in omnem partem versantibus, nulla potior visa est sententia, quam ut è Thule insula regio de genere aliquis acciretur. Ea res quomodo se habeat expediam. Cum primum Heruli Langobardorum fracti prælio externas sedes quæsitum ivere, pars eorum, ut modo

ante dixi, Illyricos in agros migravit. Alii abnuentes Danubium transgredi, terrarum ultima petere maluerunt. Hi cum sæpe generis regii principes alium ex alio mutassent, Slavorum longo ordine continuos populos, deinde vasta alia loca permeantes, postremum ad Varnis habitata venerunt. Inde quoque egressi, Danorum percursis nationibus, & ibi quoque nihil infestum passi, Oceano navigato Thulen insulam advehuntur atque in ea se figunt. Est Thule ita ingens insula ut decuplo Britanniam vincat, distans ab ea longo intervallo in Septentrionem. magna pars insulæ inculta squallet. qua habitatur in tredecim nationes divisa, est & suus unicuique rex. Res mira quotannis ibi cernitur. Sol per æstatem, quo tempore nobis solstitium est, quadraginta dierum circuitu nunquam sub terras se mergens, sed perpetuo exstans fulgore: sex mensibus serius, cum brumam dicimus, idem totidem spatio dierum nulla parte insulæ apparens, ita ut immensa nox urgeat populos & velut ferales tenebræ nulla inter ipsos humani moris commercia permittant. mihi quanquam in magno desiderio adire insulam & oculis illa conspicere non est datum. sed ex iis qui inde ad nos venerant percunctatus sum, quæ ibi esset rerum facies, quo tempore apud nos sol oritur occiditque. illi fida retulere, quadraginta æstivos per dies solem non auferri quidem conspectui, ut jam diximus, lucere tamen non ex eadem semper cæli parte, sed modo ab ea quam nos ortum, modo ab ea quam occasum dicimus. Vbi igitur ad illud finitoris punctum se circumegit, unde cætero anni emergentem contueri solebant, noctem diemque transiisse intelligunt. At obumbrante terras longa illa caligine, Lunæ, quæ conspicua est, meatibus dierum vices numerant. Atque postquam triginta quinque dies continuis in tenebris exiere, more veteri in summa mon-

montium juga mittuntur ſpeculaturi: qui cum ab edito Solem conſpexere, nuntiant infra manentibus, quintum intra diem ſolis jubar exſtiturum. illi vero læti nuntio, quanquam in tenebris, conventus ſolennes celebrant: idque tempus Thulitis maxime feſtum eſt, credo quod ejus inſulæ cives ſubeat metus ex malo quanquam anniverſario, ne ſol reverti ad ipſos negligat. omnium quæ Thulen colunt nationum uni Scritifinni vitam agunt ferinæ haud abſimilem. non veſtitu teguntur, non calceati ambulant, non terra genitis aluntur. quippe nec viris mos agros exercere, nec feminis notus labor. Solus venatus utrique ſexui ſufficit. Nam animantium manſuetorum immanſuetorumque numerum incredibilem præbent ſilvæ, non alibi majores, & qui inter eas ſurgunt altiſſimi montes. captarum ferarum carnibus aluntur, veſtiuntur pellibus, lini inopes, ſuendi artium ignari. Earundem ferarum nervis connectunt tergora, totique corpori circumjectant. Nec in educandis infantibus cæteros homines imitantur. non enim lacte paſci nec maternis uberibus admoveri mos eſt: ſed pro omni alimento medullæ ſunt è captis animantibus. Ergo ut primum peperit mulier, pelli involutum infantem ſuſpendit de arbore, inditaque in os feræ medulla, ſtatim alios ad venatus excurrit. Hoc illis unum & commune cum viris opus. vita barbaris quos dixi eum in modum agitur. cæteri vero Thulitæ non multum diverſos ab aliis hominibus mores ſervant. Deos colunt ætherios, aërios, terreſtres, marinos, quæque fontibus ac fluviis adeſſe numina creduntur. His crebra piamina, ſacraque faciunt. Hoſtiarum potiſſimum homo habetur, quem primum bello ceperint. eum Marti immolant, ſummo apud ipſos Deo. nec cultro utique jugulum aperire, ſed & patibulo affigere aut in ſentes projicere, aut alio cruciatu

devotum interficere fas creditur. Ejusmodi Thulitis vita est: quorum inter nationes virorum numero illa excellit, quas juxta advenæ Heruli sedes sibi sumpserant. At hoc quod tradimus tempore qui inter Romanos habitant Heruli, cæde regis peracta, suorum primores in Thulen insulam mittunt, qui inquirerent adducerentque si quis ibi stirpis regiæ reperiretur. Hi postquam insulam attigere, multos regibus ortos cum invenissent, dilecto qui maxime placebat, eo comite unde venerant revertunt. verum is morbo, prope jam confecto itinere, interiit. Itaque iidem in Thulen iterum profecti, alterum assumunt Todasium nomine, quem frater Aordas sequebatur & Herulorum qui Thulæ consederant juvenes ducenti. Inter has missæ legationis moras Herulis apud Singedonem habitantibus mutata mens, ne forte rebus suis male consuluissent petito ab usque Thule rege sine Iustiniani Imperatoris permissu. quare Byzantium mittunt rogantes ipse Imperator quem vellet regem sibi daret. Ille Herulum misit veterem Byzantii incolam Suartuam nomine: quem ut conspexere Heruli, læti excipiunt, venerabundi colunt, jubenti quæ solita, parent. Non multis post diebus venit nuntius in propinquo esse qui Thule advenerant. Suartuas obvios destinat, qui eos trucident. & Heruli laudantes consilium parant exsequi. Verum cum diei itinere ab adventantibus abessent, ad eos se applicant, omisso Suartua, qui ad salutem fugam incomitatus Byzantium arripit. Inde Heruli Romanam ultionem metuentes Gepidis se addiderunt. ea defectionis origo est. At Belisarius & Narses seque & exercitus ad Firmum conjunxere, quod oppidum in ora Adriæ situm Auximo abest diei itinere. ibi convocatis ducibus consultant, quæ prima in hostem via caperetur. Nam si in eos se ferrent qui Ariminum obsidebant, metus

tus non levis ne ab Auximo Gotthi terga ipſis intuta facerent, & in Romanos circum colentes atrociter ſævirent. Rurſum pro obſeſſis juſta cura, ne defecti rebus neceſſariis ad extrema adigerentur. Plerique Iohannem peroſi in id ſermonem dirigebant. Inconſulta eum temeritate & pecuniæ ſiti ſemet induiſſe in periculum, cum nec ut ratio ferebat, nec ut juſſerat Beliſarius res belli paſſus eſſet procedere. Narſes, cui cunctis mortalibus Iohannes carior, prætimens ne ducum verbis motus Beliſarius Arimini curam rebus aliis poſteriorem duceret, ita orſus eſt. Conſultatis duces non de rebus quæ conſultari ſolent, quæque dubitandi juſtas in ſe cauſas habent: Sed ſuper quibus, quamvis belli rudibus, facilis ſit meliorum electio. Nam ſi par periculum, & male cedente negotio in æquo damnum, digna res quæ in conſilium mittatur, ut rationibus exputatis conſtituatur quod tempora exigunt. At nobis, ſi proficiſci Auximum in aliud tempus rejicimus, nihil inde noxa in rerum ſummam accidit. imo in præſens id, an ſerius fiat, quid intereſt? At Ariminum ſi perit, niſi durum auditu eſt, evertuntur Romanæ vires. Si tuis, Beliſari, imperiis minus obſequens Iohannes fuit, magnam ex eo ultionem habes, quod in te eſt aut ſervare lapſum aut hoſtibus objectare. Hoc vide, ne pœnas de Imperatore deque nobis omnibus ſumas eorum quæ Iohannes errore peccavit. Nam ſi nunc Ariminum capiunt Gotthi, ducem manu acrem, totumque exercitum & fidam Romanis urbem ſuæ faciunt poteſtatis: neque hac ſtabit malum: ſed metuendum, ne totam ex ſe belli trahat fortunam. Nam de hoſtibus ſic habendum eſt. militum numero multum etiam nunc præcellunt. Si multis adverſis in formidinem verſi ſunt, nihil in eo eſt novi. Fortuna quorum res etiam animos deprimit. quod ſi quid proſperi evenerit, brevi reſument ſpiritus, &

virtute, parum eſt æqua, etiam ſuperiore, belli cæterum tranſigent. ſolent enim qui per dura eluctati ſunt, quam qui fortunæ infeſtæ periculum non fecerunt, rectioribus conſiliis uti. Talia erant Narſetis verba. Sub id ab Arimino miles hoſtibus inobſervatus in caſtra venit, Beliſarioque literas ab Iohanne attulit, hoc tenore. Gnarum te volumus cuncta nobis neceſſaria deeſſe pridem: ne plebem quidem amplius coërcere, nedum hoſtes valemus. intra ſeptem dies cogemur, quod maxime nolumus, nos & urbem dedere. Diutius enim ſe differri neceſſitas non patitur. Eadem pro nobis deprecatrix erit, ſi quid minus decorum facturi ſumus. Et hæc quidem ſcripſerat Iohannes. At Beliſarius animi dubius inter perplexa hærebat, pro obſeſſis ſollicitus, rurſum hoſtes eos qui Auximi erant formidans ne circumſitos agros impune popularentur, ſibi vero exercituique à tergo imminerent, maxime ſi quando cum hoſte dimicandum eſſet, multaque ac magna ederent mala. Tandem huc conſilii venit. Aratium cum hominibus mille in illis locis reliquit, juſſos facere caſtra ad mare, qua ducentis ſtadiis ab Auximo diſſidet. Addit imperium, ne qua de cauſa inde diſcederent, neque in hoſtem pugnarent niſi tutanda ad caſtra, ſi qua vis ingrueret. Sperabat enim tam propinqua caſtra Romanis habentibus, quieturos Auximi barbaros, neque inſequendo malum exercitui molituros. Interim & navibus egregias imponit copias, præficiens partibus Herodianum, Vliarem & Aratii fratrem Narſetem, univerſæ autem claſſi Ildigerem. His præcipit Ariminum petere, ſed cavere ne longe relicto terreſtri exercitu, qui inſecuturus eſſet oram quam proxime legens, ad littus appellerent. Vt dixerat, cum parte ſui exercitus Martinum ire jubet, mare juxta, neque navium conſpectu procul, & ubi propinquatum hoſti foret, accendere ignes, non pro

pro numero, ſed ut multo majoris exercitus ſpecies barbaris objiceretur. Ipſe, cum Narſete majore, & reliquo exercitus, alteram inſiſtit viam littore ſemotam, quæ per oppidum urbis aliam ducit. Eam ante actis temporibus ita evertit Alarichus ut decoris priſtini præter unam portam ſtratique ſoli pauca veſtigia nihil retineret. Hic mihi mirum ſe oſtendit ſpectaculum. Quo tempore in Picenos arma Iohannes intulit, magnus cunctos mortales, ut fieri ſolet, pavor incidit. Feminarum aliæ repente fugiebant quo quaque poterat. tardiores fœde ab iis in quos inciderant trahebantur. In qua dixi regione mulier à partu recens infantem reliquerat humi jacentem in faſciis: ipſa, ſive fuga, ſive alio quo caſu abrepta, nunquam rediit. Credibile eſt aut procul Italia avectam, aut exemtam humanis rebus. Plorantem in ſolitudine capra videns puerum miſerata eſt, & accedens (nam in proximo & ipſa pepererat) uber præbuit, curamque & cuſtodiam, ne quis canis, ne qua fera læderet. Ac quamdiu turbatum eſt illis in locis (turbatum eſt ſatis diu) non deſiit caprina lacte paſci infans. Poſtquam vero auditum Picenis, venire juſtum Imperatoris exercitum, Gotthorum tantum malo, Romanis nihil nociturum, domum ab exſiliis rediere: cumque in Vrbiſaliam cum viris etiam Romanæ mulieres reveniſſent, contuitæ ſalvum in faſciis infantem, cauſam aſſequi nequeuntes quod huc uſque viveret mirabantur: & ſi quæ ad id idoneæ erant, admovebant mammam. ſed neque puer muliebre lac admittebat, neque capra abſiſtere volebat: ſed perpetuo cum mugitu, ambiens conſpici, velut indignabunda, quod circumfuſæ mulieres officio ſuo obſtarent, & ut in ſummam dicam, curam non aliter quam de ſe geniti ſibi vindicabat. Ex eo infanti non ultra negotium facere feminæ, capra eum ſine impedimento alere, fovere, tueri: unde & nomen

puero indigenæ Ægisthum fecere: cumque ego ibi versarer in rei novæ ostentum me ad puerum perduxere, & de industria ad ploratum iritavere. quem ut capra exaudiit (lapidis enim jactu haud longius aberat) celeri cursu acri cum mugitu properans adest, & superstans eum protegit ne quis infestaret. Ita se de Ægistho res habebat. At Belisarius per montes incedebat, nolens in æquo cum hostibus certare, multum numero impar, gnarus præterea res ipsis arctas, eoque animos magis ac magis labascere. Inde judicabat, ubi illi intellexissent, toto in se veniri exercitu, non ad pugnam sed ad fugam consilia versuros. Neque eum fefellit conjectura. Nam ubi processum erat ad eos montes qui diei itinere ab Arimino se porrigunt, in via reperiunt Gotthos exiguo numero iter privata de causa facientes. His ita derepente in hostilem illapsis exercitum, nulla declinandi se dabat copia. ab antesignanis missilibus petiti, partim cadunt, partim saucii in scopulos cursu se recipiunt, ibique delitescunt. illinc conspicantes conglobatas in montium angustiis Romanorum copias multo eas vero majores suspicabantur. Tum vero & cognitis Belisarii signis, ipsum moderari exercitui didicere. Interea supervenit nox, quam iisdem in locis pervigilem Romani egere. At Gotthi, qui vulnera acceperant, clam properant ad Vitigis castra: quo postquam sub meridiem venere, ostendunt vulnera Belisariumque ipsum cum innumero milite jamiam adfore adseverant. Paratur prælio Vitigis exercitus, ad Septentrionalia Arimini se conferens quo hostes venturi credebantur, montium ad juga perpetuo respectans. Nocte insequente, dum positis armis quiescunt, ignes vident ad Orientem ab Arimino stadiorum ferme sexaginta intervallo, nimirum quos Martini milites accenderant. Auctus hinc metus, ne, ut primum illuxisset, circumfuso hoste includerentur.

ita inter formidinem magnam nox tranſiit. Poſtridie cum ſolis ortu claſſem inſuper ingentem vident ad ſe advehi. Tum vero attoniti, nec quicquam præter fugam cogitantes, vaſa ſubito contrahunt, tanto cum tumultu ac clamoribus, ut nec imperia exaudirentur, nec aliud in mentem veniret, quam quemadmodum è caſtris ſe quiſque proriperet ac Ravennæ intra mœnia abderet. quòd ſi vis & audacia obſeſſis fuiſſet, poterant magna hoſtium ſtrage finem bello imponere. Sed prohibebant id longa calamitate dejecti animi, ſimulque corpora per alimentorum inopiam exhauſta. Ergo barbari, ut in magna trepidatione, multis rerum ſuarum derelictis Ravennam curſu petunt. Primi Romanorum Ildiger & qui cum eo erant ingreſſi hoſtium caſtra, Gotthorum quos morbi attinuerant captivos fecere, & res rapuere fuga deſertas. Beliſarius ſub meridiem cum exercitu advenit, & ut Iohannem militeſque ejus pallentes & tabidos fame vidit, improvidam temeritatem ſermone figurato notans, gratias eum debere Ildigeri dixit. At ille non Ildigeri dixit, ſed Narſeti Imperatoris largitionum Comiti, ſubindicans non ſua ſponte Beliſarium, ſed Narſetis impulſu ſibi veniſſe ſuppetias. Ex eo ſuſpecti ac ſuſpicaces inter ſe egerunt. qua captata occaſione nec Narſetem ſui ſivere cum Beliſario operam vireſque conjungere, demonſtrato quam turpe eſſet homini Imperatoris arcanorum participi eſſe in exercitu cui non ipſe imperaret, ducique alteri militare. Neque enim Beliſarium paſſurum ut ex æquo ſecum ageret. At ſi ipſi ſeorſim copias ducere libêret, paratos ſequi militum plures, ducum & meliores. Herulos enim proprioſque ipſi tum ſatellites tum protectores, præterea Iuſtini, Iohannis, Aratii, alteriuſque Narſetis militem non minus decem millia efficere, virtute bellique peritia eminentes. Iis omnibus id placere ne victæ Italiæ decus totum

totum Belisarii sit, sed in partem & ipse veniat, sic arbitrantibus non discessisse eum ab Imperatoris latere, ut suis periculis Belisario gloriam circumdet, sed ut fortitudinis prudentiæque operibus famam & ipse apud homines, sicut æquum est, adipiscatur. Ne posse quidem posthac sine ipso quicquam exsequi Belisarium, cum cui ille imperarit exercitus pars maxima relicta sit in urbibus ac castellis quæ bello ceperat, & loca singula recensebant facto à Sicilia initio in Picenum desinentes. Lætus auditis amplexusque monita Narses, neque reprimere se, neque præsentibus contentus ultra esse quibat. Sæpe igitur opus aliquod aggredi volente Belisario, varia causando disturbare cæpta, donec persentiscens Belisarius, advocatis militiæ primoribus hunc in modum disserit. Non eadem mihi, duces, de hoc bello sententia est quam vobis esse cernere mihi videor. Vos enim hostes velut triumphatos contemnitis. Ego ex hac confidentia ingens prospicio periculum. Namque sic existimo, non animos, non numerum hostibus ad victoriam defuisse, consilio prudentiaque superatos & in fugam actos. Id nunc vereor ne vos inani opinione decepti maximam in vos ipsos inque rem Romanam noxam attrahatis. Propiores exitio, qui se pro victoribus gerentes rebus ante actis insolescunt, quam qui inopinato accepta clade cautius consideratiusque ad hostem se gerunt. Non paucis res prospere fluentes negligentia evertit. multis res afflictas restituit cum cura labor: id inde, quod supinitas minuere opes soleat: meditatio diligens vires intendere. quare hoc sibi quisque ob animum ponat, esse Ravennæ Vitigim, esse Gotthorum multa admodum millia. Vraiæ obsideri Mediolanum, omnemque teneri Liguriam. Auximum plenum exercitu magno validoque, multa loca alia hostium occupata non levibus præsidiis, Vrbem veterem usque

usque Roma haud ita longe absitam. Sic cum ab hostibus parum abest quin undique claudamur, majus quam antehac discrimen res nostræ adeunt. Adde jam, quod fert fama, Francorum Gotthis auxilia in Liguriam venisse, quæ vel sola cogitatio Romanis ad magnos metus sufficit. Ergo sic censeo, partem aliquam militis mittendam contra Liguriam & Mediolanum. tota vi exercitus petendum Auximum & qui illis in locis se habent barbaros, ut ibi effectis quæ Deus dederit, deinceps belli cætera, ut maxime conducet, prosequamur. Belisarii sermones Narses hunc in modum excepit. Cætera, Belisari, tibi ex vero dicta nemo negaverit. Sed omnia Imperatoris arma in Auximum tantum Mediolanumque ferri, plane non expedire judico. Te illuc ire cum dilecta parte exercitus, ratione non careat. nos interim Æmiliam Imperatori reddemus, maxime, quantum intelligo, curatam Gotthis. Ravennam quoque sic perterrebimus, ut in facili tibi futurum sit oppositos tibi hostes, omni ex illa parte subsidio interclusos, tractare pro lubitu. Nam si vobiscum ad Auximi obsidium pergimus, metuendum, ne superventantibus à Ravenna Gotthis in ancipiti simus, commeatibusque vi hostium præclusis fæde intereamus. Talia cum dixisset Narses, metuens Belisarius ne distractis in multa Romanis diffluerent res Imperatoris, simulque discordia turbarentur, literas Iustiniani ostendit ad primores castrorum sic habentes. Comitem nostrarum largitionum Narsetem in Italiam misimus, non regendo exercitui. Vnum enim Belisarium volumus præesse copiis omnibus, atque agere quæ optima judicaverit. Vos autem ei ad bonum publicum obsequi. ista erant quæ scripserat Imperator. At Narses partem literarum ultimam arripiens, quæ in præsens constitueret Belisarius non esse è bono publico contendebat. quare causam

non esse cur ipsum cæteri sequerentur. His Belisarius auditis obsidendæ urbi veteri cum multo milite mittit Peranium : Ipse Vrbinum impetit, firmum oppidum, quod satis valido Gotthorum præsidio custodiebatur, Arimino distans itinere diei homini expedito. Sequebantur eum huc ducentem Narses ipse, Iohannes atque alii. Vbi oppidum prope successerant, bina posuere castra ad collis pedes. neque enim ex eo tempore conjungebantur. Belisarius cum suis ad Orientem ab oppido concessit : ad Occidentem Narses. Situm est Vrbinum in colle edito admodum inque orbem diffuso. is collis neque abruptus est neque invius : durus tamen adiri, arduo positu, & quod oppidum de proximo immineat, æquabilem unum habet accessum, qui septentrioni obvertitur. Sic Romani ad obsidium accingebantur. At Belisarius sperans ad conditiones perduci barbaros posse periculi metu, legatos mittit, multa commodorum pollicitatione illectans eos, ut Imperatoris in ditionem transirent. Legati ut portas prope constiterunt (neque enim intra oppidum ab hostibus admittebantur) mulcendis animis apta plurima locuti sunt. At Gotthi, freti & loco & rerum unde vivitur copia, spretis quæ dicebantur, digredi quam primum Romanos jubent. quod postquam relatum, Belisarius militibus præcepit ut ramalium crassiora colligentes inde faciant longam velut porticum quam vineam vocant, in qua occultati portis arreperent, qua planum maxime solum & inde muros quaterent. Nec secus quam jubebatur factum. At Narsetem adire familiares sui, differere quæ fieri nequeant tentari Belisario. Iam ante Iohannem, cum modicum oppido præsidium inesset, omnia experiendo inexpugnabile didicisse : (verum id erat) iret alio Narses Æmiliæque receptæ decus suum faceret. His accensus Narses nocte discedit ab obsidio, multa nequicquam

quam precante Belisario maneret, Vrbinumque secum capere ne defugeret. At ille cum suo exercitu Ariminum properus abit. Morras aliique barbari lucis ortu, ut partem hostium alteram degressam cognorunt, haud omisere è mœnibus per vocum ludibria relictis insultare. Belisarius cum his qui manserant vi aggredi oppidum agitabat. In eo versanti mire se præbuit fortuna. Vnus Vrbini fons erat, unde tota civitas potabat. Hic qua de causa incertum, subita siccitate ita defecit ut intra triduum nihil sinceri humoris restaret, sed mixta luto aqua sic etiam barbaris biberetur, quæ necessitas eos ut se Romanis dederent impulit. Id nesciens Belisarius, sed ardens assultare mœnia, instructos armis milites, partem maximam corona ambire collem jubet: dilectos alios, qua æquabilis se sternit via, progredi, admolientes id opus quod vineam vocari diximus. Illi intra eam latitantes propellebant machinamentum, hostibus inobservati. Inter hæc barbari summis de muris dextras tendere pacis petitæ indicium: quod metu oppugnationis ac machinæ fieri putabant Romani, ejus quod fonti acciderat penitus ignari. Læti utrique pugna abstinent, Gotthique se & urbem Belisario permittunt, ea lege ut sine noxa pari cum Romanis militibus jure sub signis Imperatoris haberentur. Narses hanc rem auditam & miratus est & doluit. mansit vero Arimini, dimisso à se Iohanne cum milite ac scalis, Cæsinam si capere posset. ut successum oppido est, applicitis scalis scanduntur mœnia: fortiterque ea defensantibus barbaris, multi aggredientium intereunt, quorum fuit Phanotheus, dux Herulis. Eo conatu dejectus Iohannes nihil ultra experiri voluit in oppidum suo judicio inexpugnabile. Sed Iustino comite longius exercitum promovens oppidum antiqui nominis Forum Cornelium inexspectatus capit. Ab hoc initio aliis quoque barba-

barbaris cedentibus, nemine manu certare auſo, omnem Æmiliam Imperatoris ſub poteſtatem redigit. Hæc illis in partibus gerebantur. Beliſarius cum circa brumam Vrbini potitus eſſet, Auximum continuo pergere non ex uſu judicavit, ſuſpicans multum temporis ea obſidione periturum. Vi enim quo minus caperetur, munitiones egregiæ obſtabant. barbarorum præterea, ut dixiſſe memini, & multi & egregii locum tutabantur, agriſque late populatis magnam eo copiam victus intulerant. Aratium igitur multo cum milite Firmi hyemare juſſit, cauturum ne poſthac liberis excurſibus barbari ut ante agros raptarent. Ipſe ad Vrbemveterem duxit, Peranio ſuaſore, qui Gotthos ibi agentes alimentorum inopia tentari per transfugas didicerat, ſperabatque, ſi ad hanc egeſtatem metus à Beliſario juſtoque exercitu accederet, facile imperia accepturos. quod & contigit. Beliſarius enim, ut eo advenit, milites caſtra vallare loco ad id idoneo jubet: ipſe circumambulat, intentus ſi qua potiri oppido poſſet. Et vi quidem id perpetrandi nulla ſpes ſe oſtendebat: latente aſtu ſucceſſus non plane deſperabatur. Namque è valle unus ſe collis edit, plano æquabilique vertice, præruptus cætera. Ambiunt collem pari ſublimitate rupes circumfuſæ undique non ut attingant, ſed medio ſpatio quantum jactus tranſeat lapis. In eo colle ſtruxere oppidum veteres, non muro, non alio opere circumjecto: ſatis, ne capi poſſet, præſidii in ipſa loci natura videbatur. Vnus enim per rupes aditus, quo cuſtodito nihil externi metuendum inhabitantibus. Extra quippe illas anguſtias quibus oppido acceſſum dedit ut dixi natura, reliqua, collem ac ſaxa, quæ memoravi, inter, occupat amnis ingens, tranſirique ſe vetans. ob id fauces illas Romani olim obſtruxere ut porta tantum perviæ eſſent quam tum ſervabant Gotthi. Is Vrbiveteri eſt poſitus, cujus ad obſidium quic-

quicquid erat exercitus contrahebat Belisarius, spe concepta per amnem noceri posse oppido: simul hostium famem exspectans. At barbari quamdiu non omnia defecerunt alimenta, quanquam pro numero tenuis erat copia, ferendo malo mirum in modum se obduraverant, procul à satietate, tantum dimenso in diem morantes suprema. Postquam consumpta erant quæ humano victui sunt data, ciliciis ac pellibus aqua diu maceratis pascebantur, ipsaque spe quam re inanem verbis fovebat Albilas, Gotthorum eximius, id præsidium regens. ubi æstatem retulit annus, emicuit in segete frumentum, non qua solebat ubertate, sed parcius multo. Nam quia non in sulcis vomere aut humana manu occultata fuerant, sed in summa humo jacuerant semina, partem exiguam erexerat terra, quæ metente nullo, maturitate deciderat, atque inde nihil enatum. Eadem per Æmiliam calamitas. passimque lare derelicto homines in Picenum se conferebant, rati locis mari adsitis non eandem frugum inopiam fore. Paribus de causis Thuscum quoque finem fames premebat, sed qui montes inhabitabant è glandibus frumenti in modum mola comminutis factos panes vescebantur. Vulgati in multos, ut assolet, morbi. pauci multorum superstites. Ajunt agricolæ Romani in Piceno non minus quinquaginta hominum millia per famem absumta, multo plures Adriam mare ultra. quæ hominum mortiumque species, conspectu certus, memorabo. Tenues pallidique erant omnes, caro nullis alimentis sustentata abscesserat. bilis, potita corporis, fœda sanie tinxerat extima. Ingravescente malo cum humor omnis deficeret, cutis in corium induruit, infixam ossibus crederes. tandem livor qui fuerat, in nigrorem mutatus, similes tædis ambustis homines ostendebat, ut suam quisque faciem spectans miraretur. etiam limfatum quid in vultu apparebat,

bat. Neque ſola inedia in mortem tulit. Sed multos ipſa ſatias. exſtincto quippe eo calore, quem in hominibus accendit natura, ſi quis non paulatim, ut fit modo natis infantibus, ſed cum copia alimenta ſuggeret, ad concoquendum invalidi, eo citius peribant. quidam vincente naturam fame alii alios ederunt. Et mulieres memorantur duæ, rus habitantes Arimino non longe, viros ſeptemdecim in paſtus ſuos vertiſſe, cum ſolæ illis in locis reſtitiſſent; unde qui iter illac faciebant eo divertere cogebantur: quos deinde in ſomnum datos mandebant. Duodevigeſimum ajunt forte experrectum, eo ipſo tempore quo ad facinus accingebantur mulieres, percunctando cuncta edoctum, interfeciſſe ambas. Et illa quidem res ſic accidiſſe narratur. Cæterum multi longa vexati eſurie, ſi quid uſquam herbidum appareret, eo ferri, inque genua procumbentes laborare ut evellerent: tum ne ad tantillum quidem ſufficientibus corporis viribus ſuper manum graminaque cadentes exſpirare. nec mortuos humus recepit, nulla in tantis miſeriis ſepeliendi cura. Ne aves quidem contigere, quales multæ aliàs cadaveribus ſatiari ſolent: adeo nihil erat quod à volucribus appeteretur, carnibus, ut dixi pridem, fame inardente abſumtis. Et hæc quidem ſunt quæ illis in locis, poſtquam alimenta ceſſaverant, evenere. At Beliſario ut compertum Vraiæ barbariſque obſideri Mediolanum, Martinum atque Vliarim valido cum exercitu in eos mittit. qui ubi Padum ad amnem pervenere, (is Mediolano abeſt diei iter) caſtris ibi munitis ſubſiſtunt, moramque ſatis longam trahunt inter tranſeundi fluminis conſilia. id poſtquam intellexit Mundilas Romanum hominem Paulum nomine ire ad eos jubet. atque is, clam hoſtes, ripam uſque Padi cum veniſſet, nullo in præſens reperto navigio, exutus veſtes, multo cum periculo tranavit, inde ad

ad castra pergens duces sic alloquitur. Neque ex vero, neque pro fama vestra agitis, Martine & Vliari. præfertis enim venisse vos ad Imperatoris res tutandas, reipsa autem Gotthorum opes auctum itis. quippe Mediolanum, quæ alias Italiæ urbes excellit, magnitudine & hominum rerumque copia, propugnaculum præterea est Romano imperio contra Germanos omnemque barbariem prætentum, in grave discrimen venit, cumque ipsa Mundilas & Romanus cum eo exercitus, dum infestantur ab hostibus, negliguntur à vobis. Quanta in eo Imperatori fiat injuria, dicere abstineo. neque enim sermonibus terendum tempus, celeris auxilii indigens, dum spes nondum omnis periit. Hoc unum dico vestri esse officii Mediolanensium periculo jamjam subvenire. Nam si quid cunctamini, nobis quidem dirum imminet exitium, vobis autem dedecus imperii imminuti. Proditores vocari dignos censeo, non eos modo qui hostibus portas pandunt, sed æque, vel & magis, qui cùm amicissimis duram obsidionem tolerantibus opitulari possunt, prolatando, sua pericula vitabundi, victoriam de illis hosti largiuntur. Hæc prolocutum Paulum, Martinus & Vliaris brevi se adfuturos polliciti dimisere. Et ille iterum hostibus ignoratus Mediolanum per nocturnas tenebras init, & spe, quam adferebat, tum milites tum quicquid ibi Romanum erat in constantiam fidei adversus Imperatorem erigit. Non eo minus Martinus & qui cum eo, moras nectere, ita ut multum temporis otiosum efflueret: cujus culpam à se removere Martinus volens, sic scribit Belisario. Misisti nos ut Mediolano depelleremus periculum. ut jusseras, magna diligentia usi Padum usque venimus. Transgredi flumen formidat exercitus, quod Gotthorum vis magna & Burgundionum ingentia auxilia Liguriam tenere audiantur. Tantas in copias soli pugnare

non valemus. At tu Iohannem & Iustinum (non longe enim per Æmiliam agunt) jube cum suis quamprimum venire, gerendæ rei socios. Iuncti enim inter nos, & nobis salutem, & malum hostibus dare poterimus. In eum sensum scriptæ erant Martini literæ. quas simul legerat Belisarius, Iohannem ac Iustinum jubet cum Martino quam citissime Mediolanum versus progredi. illi vero abnuere se facturos nisi Narses imperaret. ob eam rem Narseti scribit Belisarius. Omnem Imperatoris exercitum, unum esse corpus cogita. Nisi igitur in unum conspiratis omnes, ut in corpore humano membra, sed seorsim sibi placita quisque exsequimini, restat ut, postquam nihil fecerimus eorum quæ oportet, misere pereamus. quare omitte Æmiliam, munimentis vacuam, nec quicquam nunc quidem momenti ad res Romanas ferentem. Tu vero Iohanni ac Iustino præcipe mora omni abrupta comite Martino ejusque milite ducant in hostem qui Mediolani agit. propinqui enim locis sunt, & ad vim barbarorum edomandam satis validi. mihi vero quod mittam copiarum hic satis non est, ne ex usu quidem judico, hinc ire eo militem. primum quod diuturnum iter perdet necessaria rebus urgentibus tempora: & equis quando eo venerint longa via fessis nullus erit in hostes usus. quod si cum Martino & Vliari illi una quos dixi Mediolanum se conferant, victoriam ut credibile est reportabunt de barbaris, nec post id difficile erit recuperare Æmiliam, obsistente nemine. Has ut vidit literas Narses, haud distulit Iohanni & Iustino edicere, ut cum cæteris Mediolanum iter arriperent. Non multo post ad oram maritimam Iohannes mittitur lintribus conquirendis, queis amnem

amnem tranſmitteret exercitus. Sed morbus interveniens, impedimentum negotio attulit. Inter hæc dum Martinus circa amnis tranſitum hæſitat, Iohannes Narſetis juſſa opperitur; multum temporis obſidioni donatum eſt. Iamque circumſeſſi creſcente fame eo malorum devenerant, ut canes mureſque & alia humanis paſtibus ignota cupide veſcerentur. miſere legatos ad Mundilam barbari, incitantes urbem ut dederet, ſine ſua & militum noxa, ille facturum ſe recepit, ſi non tantum de eo fides daretur ſed oppidanis quoque nihil incommodatum iri. At poſtquam Gotthi Mundilæ ac militibus cupita polliciti, cæterum implacabili in Ligures ira exitio eos deſtinare cognoſcebantur, convocatos ad concionem milites ſic alloquitur Mundilas. Si qui unquam fuere quibus licito vivere cum dedecore, prælata honeſta mors eſt, pulcherque vitæ finis pluris æſtimatus quam lethi in præſens dilatio, his vos nunc ſimillimos eſſe optem, neque nimia vitæ dulcedine longam infamiam emere, præſertim in Beliſarii diſciplina educatos homines, cui nos inſuetos non ingentem capeſſere animum ac maxima audere, nefas ſit. Omnibus in lucem editis ſors una propoſita eſt, ſuo tempore excedere. excedendi modo plurimum differunt. Id enim intereſt, quod ſegnes & imbelles poſtquam diu hoſtibus irriſui ac ludibrio fuere, tamen ubi decretoria illa dies advenerit, implent fati legem: fortibus autem cum virtute multaque laude idem venit exitus. Præterea vero, ſi morem gerentes barbaris nobiſcum & hos homines ſervare permitteremur, eſſet cur fæda quantumvis mortis fuga veniam ſperaret. At ſi tantam Roma-

S 3 norum

norum multitudinem ſpectare cogimur barbarorum dilaniatam manibus, qua non morte id triſtius? neque enim aliud quam adjutores fuiſſe ad hoſtium immanitatem videbimur. Donec ergo in noſtra poteſtate eſt neceſſitatem virtute glorioſam facere, eo quod reliquum nobis fecit fortuna, recte utamur. quare ſic ſentio, univerſis nobis arma indutis incautum in hoſtem irruendum. Aut enim aliquid ſpe melius dabit fortuna, aut beato exitu honeſtam ab his malis adipiſcemur libertatem. Dixerat quidem hæc Mundilas. at militum nemo ſubire periculum voluit; oblatis ab hoſte conditionibus ſeque & urbem dedunt. Et eos quidem barbari ipſumque Mundilam, nihil ultra paſſos, in cuſtodia habuere. Vrbem ipſam ſolo æquant: viros puberes interficiunt omnes, qui non minus trecenis millibus fuere: feminas in ſervitium tractas donant Burgundionibus, pretium ſocietatis. Reparatum virum Præfectorium in fruſtra concidunt, eaque abjectant canibus. At Bergantinus (nam & is Mediolani fuerat) elapſus cum paucis per Venetias iiſque vicina, Dalmatiam attigit, atque inde ad Imperatorem cum veniſſet, ingens hoc damnum rei Romanæ nuntiat. mox & cætera oppida Romanis inſeſſa præſidiis Gotthi conditionibus in ſuam poteſtatem accipiunt, Liguriaque omni potiuntur. Martinus autem & Vliaris cum eo quem habuerant exercitu Romam ſe referunt. Et hæc quidem per Liguriam accidere. queis Beliſarius nondum cognitis, hyemis exitu, ſuo cum exercitu Picenum intrat. in itinere perlatus ad eum de Mediolani malo nuntius incredibili dolore animum perculit: Vliarimque ex eo ad conſpectum ſuum non admiſit: rem ut geſta erat perſcripſit Imperatori. Nec is ob ea cuiquam nocuit: tantum intellecto Beliſarii Narſetiſque æmulatu, hunc revocat, illi ſummum belli imperium diſertim mandat. Sic non multis
cum

cum militibus Byzantium rediit Narſes. At eo digreſſo, Heruli in Italia manere recuſarunt, quanquam ut manerent magna illis Beliſarius à ſe atque ab ipſo Imperatore commoda polliceretur : ſed vaſis collectis primum Liguriam adiere, ubi reperto Vraiæ exercitu, mancipia & pecora quæ bello capta adducebant hoſtibus vendidere, magniſque pecuniis acceptis jurejurando ſe obſtrinxere nunquam ſe in Gotthos prælio aut bello manum commodaturos. ita pacatum nacti abitum in Venetiam ſe conferunt. ibi conſpecto forte Vitali ſubiit eos pœnitentia admiſſi in Imperatorem Iuſtinianum, ſuumque crimen deteſtantes Viſandum è primoribus ſuis cum aliquo milite ibidem relinquunt : cæteri Byzantium profecti, ducibus Aluëth & Philimuth qui Phanotheo in Piceno fine mortem adepto ſucceſſerat. Vitigis & qui apud eum erant Gotthi audito in ſe ac Ravennam venturum cum novo vere Beliſarium, trepidare mirum in modum, & nunc huc, nunc illuc verſare conſilia. Soli impares ſe hoſtibus ſentiebant : itaque aliorum barbarorum auxilia conciri placebat. Germanis abſtinebant, experimento edocti fallaces eſſe fluxæque fidei : pro magno habentes, ſi non cum Beliſario illi arma jungerent, ſed medios ſe præſtarent. Ad Langobardorum principem Väcin legatos miſere, magnis pecuniarum promiſſis ſocietatem emercaturos. Sed ii, cum cognoviſſent fidum ſociumque Imperatori Väcin, irriti retro abiere. Rebus tam perplexis ſæpe Vitigis ducum vetuſtiſſimos in conſilium vocans ſciſcitabatur quibus artibus factiſve res in melius converti poſſent. Diverſi ſententias diverſas dixere, alias temporibus diſcongruentes, alias rationis non egenas. Inter cætera is quoque injectus ſermo : nunquam Romanum Imperatorem in Occidentis barbaros arma intuliſſe, niſi prius ipſi ſociiſque per Orientem regibus cum Perſa pax

aut induciæ essent constitutæ. Tali enim tempore eversos Vandalos Maurosque: tali etiam tot nunc adversa Gotthis incumbere. quare si quis & nunc Medorum regem cum Imperatore committeret, nunquam Romanos ei bello implicitos aliud in quenquam hominem bellum gerere suffecturos. Probatum id Vitigi Gotthisque aliis, placuitque legatos ad Chosroem mitti cui tum Medi regnabantur: nec tamen Gotthos, ne iis cognitis res palam fieret, sed Romanos, qui ignorati discordiam Iustinianum inter Chosroemque sererent. Ad hanc operam conducuntur magna mercede Ligures duo sacerdotes, quorum alter plus dignitatis præferens Episcopi nomen habitumque indutus legatione ornatur, alter hunc ministri loco sectari jussus. His literas dat Vitigis ad Chosroem perferendas: quibus ita concitatus est Persa ut induciis necdum finitis sæva in Romanos patraret, in rerum Persicarum annalibus mihi memorata. Talia à Chosroe ac Persis consilia suscepta cum didicisset Iustinianus, bello per Occidentem finem imponere properabat, Belisarium revocans, ut exercitum in Persas duceret: Vitigisque legatos, qui Byzantii etiamnum hærebant, illico remisit, pollicitus semet Ravennam missurum qui cum Gotthis federa communi ex usu constituerent pangerentque. At illos Gotthorum legatos cum ad se venissent, non ante hostibus Belisarius remisit, quam vicissim ab illis salvi Athanasius Petrusque rediissent, quos pervectos Byzantium magnis honoribus extulit Iustinianus, Athanasio præfecturam prætorii per Italiam, Magistri autem dignationem Petro conferens. Iam exeunte hyeme claudebatur annus quartus hujus belli quod Procopio describitur, cum Belisario constitutum Auximum & Fesulam antecapere, deinde pergere in Ravennam & Vitigim, nullo hoste relicto qui aut occurrere in prælium, aut tergum infestare posset.

poſſet. Cyprianum ergo & Iuſtinum cum proprio ipſorum milite, additis & Iſauris Feſulam verſus jubet ire, ſimulque pedites quingentos quorum præfectus Demetrius. Hi caſtris ad Feſulam poſitis incluſos tenerent qui illic erant barbaros. Martinum vero & Iohannem ſua cum manu, alioque agmine, cui dux Iohannes, Phaga cognomento, Padi ad ripam mittit, curamque mandat, ut, ſi Vraïas Mediolano militem in ipſum educeret, clam hoſtium legens veſtigia, mox eorundem terga adoriretur. Hi Dertonam amni adſitum ſine munimentis oppidum ingreſſi, caſtris in eo poſitis interquievere. Ipſe cum millibus undecim Auximum accedit. Prima ea eſt Piceni urbium, gentiſque, ut nunc Romanis loqui mos eſt, metropolis, ab Adriæ littore octoginta quatuor remota ſtadiis, à Ravenna trium dierum itinere, præterea ſtadiis octoginta. Excelſo in colle ſedet, nullo per planum illuc itinere eoque hoſtibus negato aditu. Flos Gotthorum præſidio à Vitigi datus, conjectante, niſi hoc capto oppido non auſuros ad Ravennam admovere Romanos. Vt Auximo propinquatum eſt, jubet Beliſarius ad imum collem in ambitu poni caſtra. milites manipulatim ſparſi alibi alii tendere. Gotthi ſimul videre majoribus, ut in magno campo, ſpatiis diſcretos, quam ut mutuam ad opem facile jungerentur, repente, flexo ad veſperam die, invadunt in obverſam Orienti partem, in qua ipſe Beliſarius cum ſatellitibus ac protectoribus caſtra adhuc muniendis illaborabat. Romani, raptis quæ aderant armis, adortis obſiſtunt primum: inde magna virtute trudentes in fugam agunt. pulſos exſecuti medium ferme in collis dorſum devenerant, cum ſe converterunt barbari, locoque fiſi manus adverſas intulerunt, multoſque telis, quippe ſupra capita poſiti, interfecere, donec cædibus finem nox

 attu-

attulit. ita per tenebras diremti eam noctem quiescunt. pridie ejus pugnæ Gotthi quidam diluculo egressi oppidum in eas regiones venerant ut commeatus reportarent: rediere noctu, ignorato hostium adventu: his visi Romanorum ignes admirationi ac formidini fuere. Eorum multi periculo non absterriti clam hostes Auximum venere. quos pavor refugos silvis abdiderat, spe Ravennam se recipiendi, ii postea cum in potestatem venissent hostium, periere. Belisarius Auximum validum videns situ, operibus, milite, nec in mœnia impetum posse fieri, vi nihil se effecturum facile credidit, non desperans interim diligenti obsidione res ita arctas hostibus reddi posse, ut tandem ad deditionem cogerentur. mœnibus non procul humus herbis læta, quotidianis Gotthos inter Romanosque præliis causam præbebat. inde hostes equis pabula desecantes cum videre Romani, cito cursu collem scandentes, manibus consertis, dum illos auferre gramina prohibent, egregia virtutis facinora edidere, multa Gotthorum pernitie. Barbari virtute minores ad astum conversi, demtos plaustris axes cum rotis paratos cum haberent, solita ad loca redeunt pabulatum: ac postquam Romani medium ad collis clivum subierant, rotas in eos devolvebant. sed forte evenit, ut à summo ad imum rotæ nemine hominum tacto decurrerent. Hujus conatus irriti barbari tunc quidem fuga se mœnibus reddidere, at mox ad alia commenta se vertunt. Profundis sub murum convallibus insidias abdunt è Gotthorum lectissimis, pauci se hostibus circa pabula ostentant. ubi cæpta pugna est, prosilientes è latebris Gotthi & numero multum præstantes & terrorem secum adferentes quod improvisi aderant, multis Romanorum occisis reliquos in fugam impulere. At qui in castris manserant Romani, cum viderent ex insidiis surgere hostes clamo-

clamore ſublato revocandos ad milites, nihil egere, quod ad pugnantium aures non penetraret ſonus, magnum per ſpatium colle interjacente, Gotthis quoque de induſtria armorum ſtrepitu obturbantibus. ſollicitum ſuper his Beliſarium adit qui hæc ſcripſit Procopius ac ſic admonet. Veteres, Beliſari, tubicines Romanorum duobus cantibus utebantur, quorum concitatus alter milites ad pugnam accendebat, alter lentior ad caſtra eoſdem revocabat, prout imperanti ex uſu judicabatur. Hæc per ſigna & duces quæ oportebat militi præcipiebant, & ea intellecta milites cum fide exſequebantur, clamor enim in præliis certam ſignificationem dare nequit, ſæpe ut fit, alio ſe miſcente ſtrepitu, ſæpe & averſis in ſua pericula pugnantium ſenſibus. At quando ars illa per incuriam obliterata eſt, neque una tuba res contrarias indicare didicimus, aliud ſubſtitue diſcrimen. Equeſtri tuba indic prælia, receptum pedeſtri. Nemo erit, qui non facile diſtinguat ſonos, cum alter è corio tenuique ligno, alter craſſo ex ære exeat. lætatus Procopii monitu Beliſarius vocatam ad ſe concionem ſic alloquitur. Audaciam hactenus utilem laudarique dignam cenſeo, dum intra modum ſtat, nullumque in utentes fert damnum. quicquid nimium eſt, quamvis optima in malum vertit. Vos in poſterum cavete, ne vos ardor iſte fallat. Fugere, ſi hoſti noceas, turpe non eſt. ſed qui præceps in pericula ruit non expenſa, etiamſi fortuna det evadere, imprudentis animi tenetur. Fortis mihi ille, qui ubi neceſſe eſt, virum ſe præſtat. Barbari nobis cum aperta vi ſe impares ſentiunt, de inſidiis pernitiem moliuntur. Credite juſtius culpæ tribui vobis poſſe, ſi periculo implicamini, quam ſi dolis hoſtilibus voſmet ſubducitis. Nihil turpius quam ſe ad hoſtium aptare conſilia. mihi ne illorum inſidias incidatis, curæ erit. veſtri

erit

erit officii ſigno dato ire receptui: ſignum id pedeſtris tubæ erit clangor. Hæc dixerat Beliſarius. milites, ut reverti pabulatum eodem quo ante Gotthos videre, incurſu facto, nonnullos primo impetu proſternunt. in his cum eſſet quidam aureo ornatu, Maurus id conſpicans miles, capillis mortuum ſpoliaturus trahebat. Eum Maurum Gotthus jaculo ita utramque ſuram tranſegit, ut pedes inter ſe cohæſu miſſilis connecterentur. Neque tamen deſinebat Maurus retentare crines, trahere exanime corpus. interim ex inſidiis prodeunt barbari. quod è caſtris videns Beliſarius, pedeſtres tubicines ſubito canere jubet. Audito ſigno Romani paulatim eunt ceſſim, ſecum ferentes Maurum cum jaculo. Gotthi non audentes ſequi, nullo operæ pretio facto ad ſua rediere. Cumque tempore procedente rerum neceſſariarum inopia ipſis creſceret, Vitigi res ſuas ſignificandi magno deſiderio tenebantur. ſed legationem ſuſcipiente nemine, quod tranſeundo obſeſſorem fallere non ſperarent, ad ſolertiam confugiunt. obſervata nocte illuni paratos habebant homines quos ad Vitigim, traditis & literis, mitterent. horrendum multa nocte clamorem tollunt univerſi ab omni mænium parte. crederes attonitos hoſtis vi ingruente, ac capto repente oppido. Romani quid ageretur conjectura aſſequi cum nequirent, Beliſarii juſſu intra caſtra ſe quietos tenebant, quippe ex oppido inſidias ſuſpicantes, ſimulque à Ravenna exercitum ipſis adeſſe auxilio, in duplici metu, rectius exiſtimabant tuto otio conſulere ſaluti, quam in pericula incognita per obſcuram noctem ſe injicere. hac arte barbari Ravennam ſuos miſere, Romanis ignoratos. iique nemini hoſtium obvii ad Vitigim die tertio venere, cum literis iſta habentibus. Cum nos, rex, præſidium Auximi juberes agitare, dixiſti claves nobis abs te tradi & Ravennæ & regni totius.

ob id imperabas omni modo caveremus, ne pro nostra parte traderemus hostibus Gotthorum opes, promittebasque, simulatque necesse esset, adfuturum te nobis cum exercitu, nec vocatum. Et nos quidem cum Belisario ac fame eodem tempore bellantes fidi custodes imperii tui fuimus. tu nullam opem adferre nobis curæ tuæ duxisti hactenus. Nunc vide ne in capto Auximo Romani clavium potiti, quas ibi positas negligis, nihil tuarum rerum posthac sibi præclusum habeant. Hæc literis continebantur. quas ut legit Vitigis, eos qui tulerant dimisit illico, promissis oneratos cum omni se Gotthorum agmine Auximo suppetias laturum. At nihilominus re apud se cogitata cunctabatur, ac modo sibi figurans Iohannem tergis insistere, atque inde se in ancipiti, modo immensam bellatorum vim cum Belisario esse, trepidabat. Sed maxime eum commoverat fames, non habentem unde exercitui suppeditaret alimenta. Nam Romani maris potentes & Anconæ, ex Sicilia Calabriaque fruges Anconam contulerant, atque inde facile, quo usus exigeret, portabant. Gotthis vero si Picenum ingrederentur, nullam cibi copiam prospectans, animo ob id angebatur. Rediere Auximum qui apud Vitigim fuerant, iterum hostibus inobservati, promissaque regis largiter emetientes, spei vanæ barbaros implebant. Cognitum id transfugarum per indicium Belisario: ac ne rursum id fieret, intendit custodias. Quæ dum aguntur, Cyprianus ac Iustinus in Fesulæ obsidione laborantes, non reperiebant quomodo aut oppugnarent muros aut propius subirent, difficili adeo accessu. sed erumpentibus ultro barbaris, ut qui præliorum pericula quam necessariarum rerum penuriam mallent, æquata diu fortuna, tandem victores Romani intra mænia hostem coërcuere, acri custodia, ne quid eo penetraret. Tum premente inopia, ac futuri

futuri metu barbari misere, per incauta obsidentibus, qui ad Vitigim preces perferrent, properaret subvenire haud ultra duraturis. Vitigis Vraïam jubet cum eo qui in Liguria erat exercitu ire in Picenum, se quoque promittens cum omni Gotthorum vi mox obsessis adfuturum. Ille, ut imperatum, omni educto milite Picenum petiit, Padumque transgressus, ubi castris Romanis propinquatum est, non longe, quippe stadiorum sexaginta intervallo, positis contra castris consedit. Neutris res ad pugnam deducta, satis arbitrantibus Romanis prohiberi hostem accessu ad se, & vitantibus pericula barbaris ne, si male cederent, res tota Gotthorum in exitium daretur. neque enim si id eveniret, copiam fore jungendi arma cum Vitigi & communi ope sublevandi obsessos. His expensis utrinque abstentum certamine. Interea Franci mutuis damnis attritos Gotthos Romanosque edocti, eoque magnam Italiæ partem sibi captu facilem, indignum se rati si de ejus terræ imperio aliis populis tamdiu bellantibus ipsi vicini adeo id spectarent, per hæc ejecta ex animo federum juratorum memoria, quæ nuper cum Gotthis Romanisque pepigerant (est enim gens, si qua alia, fluxa fide) collectis suorum centum millibus Italiam invadunt Theudeberto duce, cui equi non ita multi aderant hastis armati. Vis tota in pedite, cui non hasta, non arcus, sed ensis, clypeus & securis crasso illa & ancipiti ferro, capulo, ut gladiorum, brevi. Eam securim signo dato jacere singuli primo congressu, perruptisque hostium clypeis magnam edere stragem solent. Hi Franci superatis Alpibus, quæ Gallos ab Italia distérminant, Ligurum intra fines stetere. At Gotthi incusata antehac eorum vecordia, quod & terrarum & pecuniarum pollicitatione sæpe tentati nunquam ad societatem pertrahi potuissent, nunc ubi adesse Theude-

bertum

bertum magno cum exercitu cognoverant, gaudio ac ſpe elati, nullo ſe negotio bellum confecturos arbitrabantur. Germani, dum in Liguria manebant, nihil quod Gotthos offenderet cæptavere, ut illis ſinentibus Padum tranſgredi poſſent: itaque ad Ticini oppidum ut venere, quo in loco pons erat olim Romanis fabricatus, qui ad ejus cuſtodiam poſiti erant Gotthi, tum cætera illis commodi fuere, tum pontis conceſſere tranſitum. Franci ponte inſeſſo, quos ibi repererant Gotthorum pueros feminaſque interficiunt, corporaque amni dant, primitias belli. quippe barbari illi, quanquam Chriſtianum in nomen tranſgreſſi, multa retinent priſtini moris, hoſtiisque utentes humanis, & aliis ſacrilegiis potius quam ſacris, inde captant præſagia. His Gotthi conſpectis, magna cum formidine profugi, intra mœnia ſe retulere. At Germani, ut Padum tranſierant, in Gotthorum venere caſtra. Et cum gaudio accepti, dum pauci erant, crediti ad ſocios ſocii veniſſe. At poſtquam creſcente numero ad vim verſi denſas jacere ſecures cæpere, Gotthi dare terga, celereſque præter ipſa Romanorum caſtra Ravennam petere. Romani ita fugientes Gotthos conſpicati, Beliſarium putabant ſibi veniſſe auxilio, captiſque caſtris ejecto hoſti inſiſtere. cum victore igitur cupidi ſe conjungere, raptis armis eo feſtinabant. Sed præter opinionem in ipſos hoſtes illapſi, inſperatæ pugnæ implicantur, multoque inferiores in certamine cum in caſtra receptus non daretur, in Thuſciam fuga ſe proripiunt: & poſtquam in tuto conſtiterant, rem omnem Beliſario ſignificant. Franci utrorumque victores, bina deſerta hominibus potiti caſtra, magnam in eis ad victum copiam invenere. ſed quæ tantæ hominum multitudini non diu ſuffecit: & cum defeciſſet, nihil in agris cultore vacuis præter boves & Padi aquam reſtabat.

bat. Ejus aquæ largo potu factum, ut carnes comestæ minus concoquerentur, unde alvi profluvio torminibusque plurimi absumti, nec ulla in promptu remedia, per quæ illis malis solverentur. Tertiam Francorum exercitus partem eum in modum interiisse narrant. superstites haud ultro procedere validi, eodem loco substitere. Belisarius, ut adesse Francos, Martinumque & Iohannem victos fuga salutem quæsisse didicit, perculsus animo, proque omni exercitu anxius; maxime vero pro iis qui Fesulas obsidebant, ut quibus propiores esse barbaros intellexerat, ad Theudebertum hæc scribit. Viro probo cujuscunque fortunæ, sed imprimis multarum magnarumque gentium principi, Theudeberte, conveniens arbitror abstinere falsis, nec quod hominibus quamlibet vilissimis indecorum, jusjurandum & perscripta federa contemnere. quas nunc te culpas admittere conscius tibi es. Non ita dudum pollicitus nobiscum arma in Gotthos capere, eximere te bello non contentus, nulla de causa infestus in nos irruis. Cave quæso magnum Imperatorem lacessere, qui injurias non leviter ulcisci & solet & potest. potius quippe, suis secure uti, quam aliena appetendo etiam de iis quæ vita desiderat periculum ingredi. His literis perlectis Theudebertus, quem jam & præsentia commovebant mala & Germanorum contumeliæ, querentium sine causa, sine æqui obtentu in locis vastis se fædis mortibus objici, cum iis qui supererant domum sine mora rediit. Is Theudeberto expeditionis in Italiam fuit exitus. Martinus quoque & Iohannes unde venerant rediere, ne eos qui ad obsidium Fæsularum relicti erant hostis superveniens opprimeret. At qui Auximi erant Gotthi, ignari Francorum abitus, & spe à Ravenna tam diu cunctante fatigati, Vitigim iterum obtestari cupiebant: sed quomodo hostium custodias falle-

fallerent, dolebant nihil apparere. Tandem Romani exercitus militem, Bessum gente, Burcentium nomine, eorum unum qui Narseti Armenio parebant, solum conspicati circa meridiem, id observantem ne quis ex oppido pabulatum exiret, accedunt propius, fideque data nihil ei eventurum mali, rogant colloquium, pecuniam pollicentes: & ubi juxta constitit, orant literas Ravennam ut perferat, mercede non modica in præsens, promissa majore, si à Vitigi responsum referret. spe præmii illectus ille suscepit mandata, implevitque. Nam signatas sumens literas cito itinere Ravennam se contulit, easque Vitigi ad conspectum ejus adductus tradidit. Eæ sic habebant. Quo loco res sint nostræ, satis discetis percunctando quis literas ferat. Gottho enim nulli extra mœnia procedendi facultas est. Alimentorum nihil nobis paratius herba quæ subter muros nascitur. Et hanc tamen attingere non datur, nisi cruento semperque numerum nostrum imminuente certamine. Hæc quo exitura sint, te & qui tecum Ravennæ sunt Gotthos, par est recte expendere. Lectis ita respondit Vitigis. Residem me aut famæ eousque contemtorem ut per incuriam res Gotthorum prodam, nemo, carissimi, existimet. Nuper ego ad vos iter studio quam poteram maximo parabam: jamque accitu meo Vraïas Mediolano advenerat, cum Francorum inexspectatus incursus cuncta nostra evertit consilia. cujus rei culpam me ferre iniquum est. quæcunque enim hominibus superveniunt à vi majore, ea infelicibus adimunt crimen, causam à se commissi fortuna suscipiente. Iam vero (nam abiisse Theudebertus nuntiatur) omni mora abrupta, sinat Deus, vobis omni Gotthorum exercitu succurremus. vobis convenit præsentia tolerare fortiter & ut necessitas jubet; primum virtutis vestræ causa, cujus æstimatione præ-

latos vos cæteris Auximo imposui, deinde ne Gotthorum de vobis opinionem fallatis qui vobis suam & Ravennæ salutem credidere. His conscriptis Vitigis multis donis cumulatum hominem remittit. Is in castra ad Auximum ad commilites reversus, morbum prætendit ut ad templum quod in proximo est secederet, atque inde progressus in locum ubi antehac excubias egerat, clam suos dat literas Auximatibus. Hæ ubi in vulgus prolatæ sunt, quanquam gravi fame vexatos, in spem erexere, quæ effecit ne Belisario multa blandienti semet aptarent. Verum pòst aliquanto, cum nullam significationem venientis à Ravenna exercitus perciperent, magisque ac magis ureret victus inopia, Burcentium eodem quo ante mittunt, id unum indicantes ultra dies quinque sibi cum fame certamen non duraturum. Rediit ille spes renovatas à Vitige ferens. Iam & Romanos tædere cæperat, quod in solo frugum vacuo uni oppido tamdiu assiderent, invicto adversus mala barbarorum animo. ob id expetebat Belisarius hostium aliquem, & si posset è primoribus, vivum nancisci, unde disceret quæ causa barbaros ad tantam patientiam obfirmaret. Valerianus quod optabatur effecturum se recepit. Esse enim in sua cohorte gentis Slavorum nonnullos, quibus ars delitescere sub parvo quamvis saxo aut virgulto, deinde insultu hostem rapere, ad Danubii amnem, ubi solum natale, id in Romanos finitimosque barbaros factitare solitis. lætus audito Belisarius festinari negotium jubet. Valerianus è Slavis electo, qui corpore ingens, animo haud minor esset, mandat vivum ut hostium aliquem capiat, magna à Belisario præmia ostentans. Dixit effecturum se id facile eo in loco ubi herba erat, qua jam pridem sola, cæteris rebus deficientibus, Gotthi pascebantur. Slavus ergo ante lucem mœnibus propinquans, vepretoque

que ſe obtegens, contracto corpore, gramina propter latet. Vt illuxerat, vir Gotthus in eadem loca veniens vellebat herbas feſtinabundus, nihil ex vepreto mali ſuſpectans, ſed crebro ad caſtra hoſtilia vertens oculos ne quis inde irrueret. Ei à tergo injiciens ſe Slavus, rapit incautum, mediumque validis conſtringens manibus, aufert in caſtra, traditque Valeriano. quo percunctante, qua fiducia Gotthi, viribus tanto minores, cum Romanis paciſci abnuerent, ac diriſſima quæque potius tolerarent. rem omnem de Burcentio explicat barbarus, ipſumque ad ſe adduci rogat. Burcentius ut ſe deprehenſum vidit, quæ in literis perſcripta fuerant, aperit. quem Beliſarius commilitibus ipſorum arbitratu tractandum permiſit. illi confeſtim vivum flammis uſſere, hoſtibus inſpectantibus. Hoc Burcentius avaritiæ accepit pretium. Beliſarius ut nihil ob id minus perſtare in patientia barbaros vidit, aquis ipſorum ſtruit inſidias. Erat Auximo ad ſeptentrionem fons rupicoſo in loco, à mænibus ferme ad lapidis conjectum, non longe in conceptaculum influens olim fabricatum, quale caſtellum vocant. Id caſtellum, quanquam è modica fluxione gravidum omnibus Auximi habitantibus abunde aquarum præbebat. venit in mentem Beliſario ſi cogi in unum aqua deſineret, longo tempore barbaris opus fore idque inter hoſtium tela, priuſquam urnas ex humore ſparſim manante implerent. Quare diruere caſtellum cupiens hoc utitur commento. armatum paratumque pugnæ exercitum in mænium ambitu collocans ſpeciem facit illico impetum corona facturi. Timentes itaque oppugnationem Gotthi quietos ſe in pinnis tenebant, inde hoſtem prohibendi propoſito. interea Beliſarius Iſauros quinque, rerum fabrilium gnaros, cum ſecuribus, quæque alia cædendos ad lapides valent, in caſtellum mittit, ſcutorum obtentu defenſos, imperat-

que parietes quantum possent, quamque possent celerrime ut disjicerent. Barbari eos id unum laborare credentes ut muris succederent, spectant otiosi, ut sub ictum datos gravius ferirent, ne levi quidem suspicione ejus quod agitabatur. At ubi Isauros in castellum ingressos videre, lapides telaque alia de sublimi jaculantur. Ac subito Romanorum cæteri cursu se subducunt. Soli Isauri opus aggrediuntur, tuto quippe, nam fornicato opere castellum, structo antiquitus ad aquatorum umbraculum, obtegebatur. Eo adoperti hostium quamvis crebra missilia impune spernebant. Gotthi diutius mœnibus teneri intolerantes, reclusa portula in Isauros universi magno cum ardore parique strepitu prorumpunt. obvios se eis ferunt, Belisarii dispositu, haud minus acres Romani. Fit pugna & vehemens & diuturna, pulsu alterno, mutuo sanguine. Romani plures cadebant, quia Gotthi ex edito pugnantes damna graviora quam acciperent inferebant. Nec tamen cedebant Romani, conspectum Belisarii clamoremque hortantis reveriti. Atque illi forte telum ab hostium immissum aliquo, casu an destinato haud dixerim, sonorum stridens, recta in ventrem ferebatur. Nec viderat id Belisarius, nec si vidisset vitare aut declinare poterat. sed eum propter adstans satelles, Vniatus nomine, telum jam ventri illius proximum notavit, objectaque dextera avertens, spem præter exemit periculo ducem. ipse telo tactus eum sensit dolorem ut statim discederet. post vero nervis abscisis manus usum perdidit. cœpta mane pugna ad meridiem trahebatur, quo tempore septem Narsetis Aratiique milites, facinora eximiæ virtutis edidere. cursantes quippe nunc qua ardua maxime loca, nunc per æqua, hostium quotquot obvii, cædendo pepulere juxta stantes; quo spectaculo animati Romanorum cæteri & ipsi acriter institere,

ſtitere, donec effuſa facta eſt barbarorum fuga, intraque mænia eos reddidit. Iam peractum Iſauris opus exciſumque aquæ caſtellum Romanis arbitrantibus, vix illi longo labore ſilices amoliri potuerant. Opifices quippe veteres artis famæque ſtudioſi hoc quoque opus ita fabricaverant, ut neque temporis lapſum neque humanam vim formidaret. Sic factum ut irriti conatus Iſauri, poſtquam commilites ſuos camporum circa compotes videre, è caſtello digreſſi in caſtra ſe reciperent. verſus ad alia Beliſarius militibus imperat, exanima animantium corpora & mortiferas humano generi herbas in aquam injicerent: crebroque lapidem quem titanum antiquitas, noſtra ætas asbeſtum vocat, in ea reſtinguerent. nec ſecus factum. Ex eo barbari uno ex puteo, qui in oppido erat, minus quam pro neceſſitate aquæ hauriebant. At Beliſarius neque vi ſperans oppidum capi poſſe, neque dolis in aquas aliiſve ſiſus, ſpem ultimam in fame hoſtium habebat, atque ob id omnes aditus claudebat diligentius. Gotthi etiamnum à Ravenna exercitum opperientes in otio magnaque rerum egeſtate agebant. magis etiam qui intra Fæſulas obſidebantur fame fatigati, nec diutius malo tolerando pares, abjecta à Ravenna ſpe, cum hoſtibus paciſci conſtituerant. cum Cypriano igitur & Iuſtino collocuti, de ſalute ſua fide accepta, ſe & oppidum dedidere. quos Cyprianus, alio præſidio quantum ſervandis Fæſulis relicto, ſuo permixtos militi, in caſtra ad Auximum perduxit. Horum primores Beliſarius Auximatibus ſubinde oſtentans, monebat mitterent contumaciam & illas à Ravenna ſpes, non modo nihil unquam profuturas, ſed in majora indies ipſos induturas mala, quorum finis non alius quam Fæſulanis futurus eſſet. illi, re multum expenſa, cum jam patientiam vinceret fames, cæpto colloquio, parati erant tradere op-
 pidum,

pidum, si intacti cum rebus suis proficisci Ravennam sinerentur. Anxium ea res Belisarium habuit, cùm tanto numero tantaque virtute milites conjungi illis qui Ravennæ erant non è re Romana judicaret, nec tamen temporis vellet facere damnum, sed priusquam alia intervenirent Vitigim & Ravennam impetere. Nam & Franci terrebant Gotthis auxilio jamjam adfore nuntiati, quorum adventum prævertere cupiens, ab obsidione tamen ut discederet, nondum capto Auximo, in animum inducere neutiquam poterat. Tum vero res permitti obsessis milites non ferebant, ostentantes accepta ab illis vulnera, simul laborum diversa commemorantes quæ in ea obsidione pertulerant, quorum justa præmia, prædam de victis. Postremum tamen Romani, perurgente occasionis præcipite, Gotthi fame compulsi, conveniunt, ut pars rerum altera Romanis in prædam cederet, contenti altera Gotthi Romana signa sequerentur. Fidem dedere Romanorum primores rata fore quæ placuerant, Gotthi nihil se suarum rerum abdituros. In hæc partitione rerum facta, Romani Auximum habuere, barbari Romanis asscripti numeris. Belisarius ut Auximum potitus fuerat, Ravennæ obsidionem animo agitans, Magnum progredi jubet valido cum agmine, Padique ripæ insistere, acri cura, ne qui in posterum commeatus ad Gotthos portarentur. alteram ejusdem fluminis ripam servare jussus Vitalis qui cum milite ex Dalmatia commodùm advenerat. Hic fortuna indicium dedit in quam partem datura esset belli successus. multas Gotthi onerarias naves per omnem contractas Liguriam Pado immiserant, easque frumento aliisque rebus necessariis implerant ut Ravennam deveherent. Hac vero tempestate tanta facta est amnis siccitas ut navigia non pateretur, donec Romani naves cunctas atque onera abduxere. non multo post

to post ad veterem modum reversus amnis navigari iterum cæpit ac perstitit, nunquam antehac audito tali ejus fluminis defectu. & jam barbaris arctæ erant copiæ, cum nec mari Ionio inferretur quicquam, tenentibus illud Romanis, & ab amne insuper secluderentur. His omnibus intellectis principes Francorum Italiæ possidendæ avidi, legatos ad Vitigim mittunt, offerendæ societati, si regnandæ Italiæ in partem à Gotthis admitterentur. Edoctus eam rem Belisarius mittit legatos & ipse Germanis contradicturos, atque inter eos domus suæ curatorem Theodosium. Priores Germanorum legatos Vitigis audivit hunc in modum loquentes. Misere nos Francorum potissimi, dolore moti quod à Belisario obsideri vos intelligerent. ideoque promti sociis opem ferre laborantibus. quingenta millia bello idonea jam, ut credimus, Alpes transiere, quorum securibus primo impetu omnem Romanorum exercitum concisum iri spondemus. Vos decet non sub hoste servitutem malle quam eorum amicitiam qui vestræ salutis studio in communia belli pericula se ingerunt. & hoc simul cogitare, si nobiscum arma conjungitis, spem nullam Romanis fore pugnæ adversus duos tantos exercitus: atque ex facili venturam nobis victoriam. At si Romanis potius acceditis Gotthi, impares vos sic quoque Francis, quorum majores sunt copiæ & in prælium vires, id unum consecuturos, ut cum inimicissimis hominibus una pereatis in mala autem prævisa irruere, cum tutus detur exitus, dementium est. Ad hoc Romani barbaris, ut natura insociabiles, ita infidi. Nos Italiæ vobiscum si placet imperabimus, resque omnes ordinabimus ut in commune expediet. Tuum erit, rex, & Gotthorum, quod conducere censebitis, eligere. Talis Francorum fuit oratio. Admissi postea à Belisaro qui venerant legati hæc

prolocuti ſunt. Romani Imperatoris exercitui nihil nocituram Germanorum, qua vos territant, multitudinem, quid multis diſſeri opus apud homines longo uſu bellorum momenta callentes, neque ignaros, virtutem non ſinere ſe à numero vinci? omittimus jam dicere, ſi maxime numerandus ſit miles, etiam ſic iniquum hoſtibus in Imperatorem certamen fore. quæ vero illorum in barbaros ſit fides, teſtes Thuringos & Burgundiones vobis haud neſciis advocaremus, niſi ipſi documentum eſſetis recentius. Libet interrogare Francos quem Deum juraturi fidem vobis ſancient. nam quem antehac jurarunt, quàm ſint reveriti, vos ſcire oportet. A vobis ad ſocietatem acciti, non modo in partem periculorum venire noluerunt, ſed & arma, nullo pudore, in vos verterunt ipſos. neque enim credam vobis, eorum quæ ad Padum acciderunt, exiiſſe memoriam. Sed quid opus vetera repetendo Francorum impietatem oſtendere? ipſa hac eorum legatione nihil ſceleratius. plane velut obliti eorum quæ antehac pepigerant, quæ juraverant, ſua vobis auxilia rebus omnibus antehabenda cenſent. quod ſi id obtinuerint, Francorum ut exercitus Gotthico miſceatur, quo proceſſura ſit inſatiabilis eorum cupiditas, non difficile conjectu eſt. Hæc ſunt à Beliſarii dicta legatis. Vitigis re in conſilium miſſa cum Gotthorum primoribus, prælata Imperatoris amicitia, Francorum legatos dimiſit irritos. Ex eo Gotthi Romanique inter ſe per caduceatores egere. Neque eo minus vigilabat Beliſarius ne qua alimenta ad eos pervenirent. ideo Vitalem ad Venetos miſſum jubet quæcunque poſſet loca ad Romanam rem pertrahere: Ildigeri utramque Padi ripam cuſtodiendam mandat, ut graviori egeſtate perdomiti barbari ad pacta qualia ipſe vellet deſcenderent. Et gnarus multum frumenti Ravennæ publicis horreis conditum,
quen-

quendam ibi habitantium pecunia permovet, ut horrea illa cum frumento clam incendat: nec desunt qui conscia Matasuntha Vitigis uxore id factum dicant. Vbi subito frumentum arsit, alii insidias suspectant, alii fulmen incidisse rebantur. in utranque partem versa cogitatione Gotthi & Vitigis graviter expavere, sublata etiam inter ipsos fide aut infenso numine. Hæc illis in locis evenere. At in Alpibus, quas Galliam Liguriamque inter editas Latini Cottias vocant, munita loca non pauca erant, quæ pridem à Gotthis, conjuges ibi ac liberos habentibus, servabantur. quos secum paciscendi avidos cum audîsset Belisarius è comitatu suo Thomam & cum ipso nonnullos eo mittit, qui cum barbaris pacta firmarent. Eos, cum advenissent, Sisigis qui montium claustris præerat, castellorum præcipuo admisit. Seque ipsis, Gotthorum aliis exemplum quod sequerentur, dedit. Inter quæ Vraïas cum militibus quater mille partim è Liguria collectis, partim ipsis ex Alpibus Ravennæ subvenire properabat. Sed Sisigi acta ut audierunt milites, rerum propriarum curam alienis rebus prætulere. Ab his tractus Vraïas cum omni exercitu in Alpes venit Cottias, Sisiginque & cum eo Thomam it obsessum. quæ cum intellexissent Vitaliani fratre natus Iohannes & Martinus, qui tunc Pado non longe aberant, toto cum agmine advolant laborantibus, & castellis aliquot Alpina inter juga irruptis, quos ibi habitantes repererant, belli more servos fecere. In his erant eorum qui Vraïæ militabant uxores plurimæ liberique. nam multi illis orti ex locis ejus signa sequebantur. Hi ubi necessitudines suas in Romanorum potestatem venisse audierant, deserto Gotthorum exercitu ad Iohannem transeunt. Nudatus Vraïas neque ibi proficere quicquam, neque Ravennæ ullam opem adferre potuit, sed spe dejectus, non multis comitantibus, in Liguriam se referens,

rens, ibi quietum ſe tenuit. Beliſarius interim nemine obſtante Vitigim Gotthorumque principes clauſit Ravennæ mœnibus. Eadem tempeſtate legati ab Imperatore venere ſenatoriæ dignitatis duo, Dominicus & Maximinus, pacis conſtituendæ mandata hæc habentes, ut Vitigis regiæ pecuniæ accepta parte dimidia ultra Padum regnaret, pars pecuniæ altera & cis Padum imperium cum tributis Iuſtiniano cederent. Hujus ſenſus epiſtolam Beliſario cum oſtendiſſent legati, Ravennam ſe conferunt. læti cognita adventus cauſa Vitigis & Gotthi dixerunt accipere ſe conditiones. quo audito indoluit Beliſarius, grave ducens non ſini ſe, quod ſine magno labore poterat, bello finem egregium imponere, Byzantium captivo ducto Vitigi: reverſiſque à Ravenna legatis probare quæ placuerant noluit. Senſere id Gotthi, dolumque latere in pacis oſtentatione veriti, ſuſpicaces in Romanos egere, ita ut cum iis conventuros ſe negarent, ni Beliſarii manus & fides jurata accederet. Verum cum intelligeret Beliſarius eſſe è primoribus qui ſe inſectarentur quaſi rebus Imperatoris inſidians bellum nollet abſolvere, omnibus convocatis, etiam Dominico & Maximino, ſic loqui aggreditur. In lubrico ſtare belli fortunam, pridem didici, nec cuiquam veſtrum id ignarum arbitror. Multos velut advolaturæ ad ipſos victoriæ ſpes fefellit: multi jam cecidiſſe crediti inſperato hoſtibus ſuperſtetere. quare ſic ſentio, qui de pace deliberant, eos debere non ſolum ſibi bonam ſpem ob oculos ponere, ſed & quæ contra evenire poſſunt præcipere animo, atque ita demum conſtituere. Hæc cum ſic ſe habeant, vos caſtrorum proceres, voſque legati contrahendos cenſui, ut in præſens libere electo quod Imperatori conducere judicabitis, non ſit quod me in poſterum criminemini. Iniquiſſimum enim fuerit ſilere dum recta ſumendi eſt cōpia, ſpecu-

ſpeculantes autem fortunæ exitum, inde calumniæ materiam quærere. Scitis quid de bello finiendo viſum Imperatori, quid Vitigi placuerit. Si eadem vobis ex uſu videntur, ordine quiſque dicite. quod ſi Italiam putatis omnem reddi poſſe Romanis rebus, debellarique hoſtem, quin id quoque aperte ediſſeratis, nihil vetat. Hæc elocuto Beliſario omnes diſertim dixere, optimam eſſe Imperatoris ſententiam: nec ultra noceri hoſtibus poſſe. gaviſus hoc illorum conſenſu Beliſarius etiam perſcribi voluit, ne facultas negandi eſſet in poſterum. itaque ſcripto teſtati ſunt, bello hoſtes ſuperari nequire. Hæc erant quæ Romanis in caſtris agebantur. At Gotthi fame preſſi nec ultra pares ferendo malo, Vitigis ut infortunati imperium gravabantur, quo minus autem Imperatori ſe traderent uno abſtinebantur metu, ne ſub ejus leges redacti excedere Italia & transferre ſedes Byzantium cogerentur. quare in medium conſultato, Gotthorum potiſſimi regem Occidentis Beliſarium dicere optimum factu cenſent: miſſiſque clam hominibus idoneis orant ne ſemet indignum imperio judicet. Cunctos juſſis ejus parituros. At Beliſarius principatum ſibi arrogare Imperatoris inconceſſu defugiebat, tyrannicum nomen exoſus, & jurejurando exquiſitiſſimo Imperatori obligatus nihil ipſo ſuperſtite moliri rerum novarum. Sed ut oblatam occaſionem in uſum præſentem verteret, prætulit, probari ſibi Gotthorum cogitata. quod cum Vitigis intellexiſſet, perterritus, dixit Gotthis, optime eos conſulere publico, clam vero & ipſe Beliſarium hortatus eſt principatum ut capeſſeret, obſtituro nemine. Tum denuo accitis Beliſarius legatis Iuſtiniani, ducumque primis, percunctatus eſt, an operæ pretium ipſis videretur Gotthos omnes cum Vitige bello capere, res eorum in prædam agere, imperioque Romano reſtituere Italiam. Vniverſi egregium id opus,

opus, maximæque Romanis gloriæ futurum conclamant, & ut quicquid valeret, ad eam rem quam primum conferret, hortabantur. Nec mora, fidos sibi mittit ad Vitigim Gotthorumque proceres Belisarius, interpellans effecta ut darent, quæ promiserant. Et illos ne ultra rem differrent, urgebat fames crescens in dies. qua compulsi legatos in Romana castra mittunt alios, nihil magni in publicum dicturos, tantum qui in arcano fidem à Belisario acciperent, nihil ipsum Gottho cuiquam nociturum, sed pari jure suo sub imperio Romanos Gotthosque habiturum. ita se cum ipso Romanoque exercitu paratos Ravennam ingredi. Belisarius cætera in concepta legatis verba juravit: de principatu dixit se ipsi Vitigi & Gotthorum principibus coram juraturum. Legati qui nihil minus crederent, quam fore ut Belisario principatus, quem maxime ab ipso expeti credebant, recusaretur, orarunt eum Ravennam secum ut iret. Tum Belisarius Besam, Iohannem, Narsetem, Aratium, quos sibi infestos maxime arbitrabatur, suo cum milite alium alio proficisci jubet, alimenta sibi ut quærerent. Nam tanto in unum coacto exercitu non posse sua cura de necessariis prospici. illi igitur abiere cum Athanasio prætorii præfecto qui Byzantio recens advenerat. Ipse reliquo cum exercitu Gotthorumque legatis Ravennam init, navesque complures frumento & si quid ultra vitæ necessarium impletas jubet classes petere: id suburbano Ravennæ loco, in quo portus, vocabulum est. Mihi tunc spectanti Romanorum ingressum in Ravennam in mentem venit, non hominum numero, non fortitudine, præstantiave alia res peragi: sed vim esse majorem, quæ ipsos quoque versans animos eo perducat, unde nulla sit fuga. quippe Gotthi multitudine viribusque superiores, nullo, ex quo Ravennæ erant, facto pugnæ periculo, nulla re conspicua fracti animos,

animos, capti ab infirmioribus, turpe ſervitii nomen non erubeſcebant. Enimvero mulieres, quæ à viris audierant hoſtium majora mole corpora & numerum præcellere, maritorum ora conſpuebant, ubi Romanos in urbe conſidentes viderant, victoribuſque digito monſtratis, imbellem ſuis animum exprobrabant. At Vitigim Beliſarius non inhonorata in cuſtodia habebat. barbaris autem, quibus cis Padum ſedes, imperabat ad rura ſua digreſſi ea ſecuri colerent. Nihil enim inde hoſtile, nullas Gotthorum inſidias metuebat, quod de Romano exercitu plurimos jam ante eadem in loca ablegaſſet. Et illi quidem villas ſuas hilares petivere. Romanis ex eo tuta Ravenna: numero jam non inferioribus. Tum è regia pecunias ſumſit, quas Imperatori mitteret. Cæterum Gotthorum nemini aut quicquam eripuit ipſe, aut permiſit eripi, pacta religioſe cuſtodiens. At poſtquam barbari, quibus munitiſſima per diverſas regiones præſidia obtigerant, teneri Romanis & Vitigim & Ravennam intellexere, miſere ad Beliſarium ut ſeque & credita ipſis loca pactis acciperet. Et ille fidem nihil cunctatus dare Tarviſium & aliud in Venetiis caſtellum in fidem accepit. Sola illi Cæſina & Æmilia reſtabant, cum alia ſimul cum ipſa Ravenna accepiſſet. qui præſidiis præfuerant Gotthi, ſimul fides data fuit, ad Beliſarium & venere ipſi, & ibidem manſere. Vnus Ildibaldus, magni vir nominis, cui mandata à Gotthis fuerat Veronæ cuſtodia, miſit quidem ad Beliſarium eandem quam alii ob cauſam; nec mirum, cum liberos ipſius Ravennæ teneret Beliſarius: Ravennam tamen ipſe non ivit, neque in Beliſarii venit poteſtatem. Intervenerat enim caſus quem jam memorabo. Quidam è Romanis ducibus Beliſarium apud Imperatorem regni affectati deferebant, alienum, ſi quis unquam, ab eo crimine. Imperator non tam calumniæ credulus,
quam

quam quod à Perſa bellum immineret, Beliſarium illico revocat, ducem in Medos futurum: Italiæ curam Beſæ Iohannique & qui illis aderant mandabat: Conſtantiano ex Dalmatia juſſo Ravennam proficiſci. Gotthi qui Ravennam Padumque ultra ſedes habebant, audita fama revocati Beliſarii, initio rem contemſere, neutiquam arbitrati Beliſario fidem in Imperatorem præ Italiæ poſſeſſione fore. At ubi cuncta ad iter parari certis indicibus cognitum, de compacto qui reſtabant viri principes Vraïam, ſorore genitum Vitigis in Piceno conveniunt: & poſt multas ultro citroque lacrymas in hæc verba prorumpunt: Malorum quæ tanta Gotthorum genti ſupervenere non alius à te cauſa eſt. Avunculum tuum deſidem non minus quam infortunatum regno pridem exſolviſſemus, ut ante Theudatum, quantumvis Theudericho propinquum, niſi te reveriti tuæque virtutis famam, Vitigi nomen regni reliquiſſemus, ut vis imperii Gotthorum penes te eſſet. Sed hæc noſtra in te benevolentia nomen amentiæ accepit, origo tot cladium facta. Scis optime Vraïa, Gotthorum plurimos optimoſque præliis abſumtos. Florem ſuperſtitum, ipſumque Vitigim & pecunias abit ſecum ferens Beliſarius. Idem vos manere qui & pauci & inviſi reſtatis, negare nemo audeat. Cum tot nos adverſa circumſtent cum laude mori ſatius, quam conjuges, quam liberos videre ab hoſtibus abripi in ultima terrarum. Ita autem credimus facturos nos egregii aliquid, ſi te principe uti liceat. Reſpondit ad Hæc Gotthis Vraïas. Inter dura quæ nos urgent, pericula potius ſumenda quam ſervitutem vobis conſentio. Sed me Gotthis regem imponi, noxium univerſis exiſtimo, primum quod ſanguinis vinculo tam prope conjunctus Vitigi, homini adeo infelici, hoc ipſo hoſti in contemtum pateo: cum fortunæ contagium ad cognatos defluere cenſeant mortales.

tales. deinde quod nec pie facturus videar, si viventis avunculi principatum invadam, idque mihi odio futurum etiam apud vestrum quosdam percredibile sit. quare sic censeo in hoc rerum æstu Ildibaldum faciendum principem, virum virtute eximium, & ad res agendas excitato ingenio. Ei auxilio futurum & Theudim Visigotthorum principem consanguinitas inter ipsos sperare me jubet. quo facilior nobis erit in hostem certatio. Gotthis omnibus visus est utilissima publice consuluisse Vraïas. itaque accitum propere Verona Ildibaldum purpura regioque nomine circumdant, &,ut quæ ex usu præsenti constituat, orant. Hunc in modum adeptus imperium Ildibaldus non multo post Gotthos quoscunque contrahere potuerat, sic alloquitur. Novi vos, commilites, expertos bellorum, quamobrem nihil temere facturos confido. quippe peritia ratione frænata ferocire non solet. Sed priorum bene memores de his quæ instant consilium capere vos decet. multis quippe antè actorum oblivio in altum extulit mentes improvidas: sed mox ipsos in casus tristissimos præcipites dedit. En Vitigis, neque nolentibus, neque obstantibus vobis, se in hostium dedit potestatem: nempe, quod, ad fortunam sævientem spe abjecta, magis è re vestra crederetis, domi desidendo Belisarii imperia perpeti, quam periculis corpora abjectare. Nunc cum idem impositus in naves Byzantium mittitur, ad res novas accingimini. Atqui id vestrum cuique meditandum fuit, non pro opinione cuncta evenire hominibus, sed multa contra exspectatum cadere: Nam & fortuna & pœnitentia multa insperato corrigunt. quod & nunc Belisario accidere posse haud absurdum est creditu. quare optimum factu erit, audire ipsum, & in id laborare ut ad prius conventa revertatur: id si fallit, tum ut secunda consilia capessamus. Gotthi probata Ildibaldi sententia Ravennam legatos

gatos confestim mittunt. qui ubi Belisarii in conspectum venêre, quæ cum ipso pacta, commemorant: ipsum probris insectantur, ut ruptorem fœderum, ut abjecti animi mancipium, quippe cui nullus pudor regno oblato servitutem præponere: aliaque addunt suscipiendum ad imperium hortamenta: Venturum ultro Ildibaldum, ut purpurâ ad pedes ejus positâ Gotthorum Italorumque regem Belisarium salutet. Talia legati dicebant, animo sibi figurantes ipsum regni auditum nomen sine cunctatione amplexurum. At ille nihil minus exspectantibus aperte effatur, nunquam vivo Iustiniano futurum ut principis nomen sibi sumat Belisarius. Hæc simul audierant festini abiere, ut Ildibaldo cuncta renuntiarent. Belisario Byzantium profecto hyems finiens implevit annum quintum hujus belli quod describit Procopius.

PROCOPII CÆSAREENSIS

GOTTHICÆ HISTORIÆ

LIBER III.

EVm in modum nutantibus adhuc rebus, mari intrato Belisarius cum Vitige primisque Gotthorum, Ildibaldi quoque liberis & magna pecuniæ vi, Byzantium tandem venit. Non alii eum præter Ildiberim, Valerianum, Martinum, Herodianum sequebantur. Imperator Iustinianus Vitigem uxoremque ejus lætus aspexit, formamque barbarorum qui aderant & corpo-rum

rum robora miratus est. Theuderichi gazam, speciosam visu, receptam in palatium, senatoribus in arcano ostendit: ad plebem non protulit, neque triumphum permiserat Belisario, qualem ante Vandalis in Gelimere victo. At magna apud omnes fama Belisarius agebat, duobus bellis, quanta nemo hominum ante tractaverat, cum gloria confectis, duobus regibus ductis Byzantium captivis, inclyto genere Gizerichi Theuderichique, accedentibus & bonis quæ eorundem Gizerichi & Theuderichi fuerant, queis duobus nihil inter barbaros fuit illustrius. Neque tantum quæ diu exsulaverant opes ad rempublicam redibant, sed dimidia ipsius imperii terra marique pars intra breve temporis spatium restituta cognoscebatur. Nec quicquam suavius Byzantinis, quam prodeuntem in forum aut inde repetentem domum Belisarium intueri, nunquam satiante oculos spectaculo. Incessus ipse quandam triumphi habebat imaginem, sequentibus magnis Vandalorum, Gotthorum, Maurorum catervis. Augebat viri decus corpus procerum ac bene conformatum, sua & ori gratia. tum vero ita facilis adiri obviæque omnibus humanitatis, ut si cætera nescires, pauperem aliquem ima de plebe diceres. Virtus egregia amorem ei incredibilem à milite, agricolisque conciverat. quippe in militem maximus eorum qui fuerant ducum largitor, si cui adversum quid in prælio accidisset, magnis præmiis vulnera solari in more habebat: qui fortiter fecissent, eos ornare armillis ac torquibus. Equum, arcum, aliudve si quis inter pugnandum amisisset, damnum Belisarii illico liberalitate sarciebatur. Iam vero agrestibus tanta cum cura consulere solebat, ut non modo nulli eorum, regente exercitum Belisario, vis illata fuerit, sed quacunque advenisset, opulentia afflueret omnibus, ex rebus tantæ multitudini justo pretio venditis. Maturam segetem, ne ab

equite protereretur, diligenter ſervabat. Poma de arboribus tollere nemini ſub eo permiſſum. Nec minor circa venerem religio. cunctarum feminarum notitia præter legitimam uxorem abſtinebat. Tot perductis ad ſe Vandalici Gotthicique generis mulieribus, forma præſtantiore quam quiſquam vidiſſet mortalium, etiam conſpectu, adeo colloquio contactuque abſtinuit. Ad hæc erat, ſi quiſquam, ſollers promptuſque in perplexis rebus optima reperire: Ad belli pericula cum fortitudine cautus, & cum ratione audens, ac, prout utilitas exegerat, in hoſtem ſubitus, aut cunctator. Præterea in rebus adverſis neque ſpes animum deſerebat, neque perturbabat metus: ubi proſpera evenerant, ſuperbia luxuſque aberant. Ebrium Beliſarium nemo vidit unquam. Per has virtutes, quamdiu per Africam, quamdiu per Italiam Romanis armis præfuit, vincere hoſtem terraſque terris bello partas annectere nunquam deſiit. Poſtquam vero Byzantium accitus venit, tum vero multo quam ante clarius emicuit viri magnitudo. Neque enim ſolis animi laudibus alios anteibat, ſed & opum abundantia, ſatellitumque & protectorum numeroſo agmine, multum duces qui antè fuerant exſuperans, militibus ſimul ducibuſque formidabatur, ſic nemo ut eſſet, qui juſſis obniti auderet, nemo qui non alacrem ſe oſtenderet exſequi imperata, per reverentiam virtutis aut ex vi metum. Septem equitum millia de ſua exhibebat domo, quorum nemo erat quem cenſor quantumvis ſeverus rejiceret. omnes primi ſtare in acie, hoſtium ferociſſimos provocare avidi. Ideo Romanorum ſenes cum obſeſſi à Gotthis facinora illa in præliis egregia conſpicerent, mirati dicebant, Theuderichi opes ab unius hominis familia deſtrui. Sic Beliſarius & dignitate & ſollertia, ut diximus, eminens ea conſtituebat quæ ex uſu erant Imperatoris & con-

& constituta suo unius arbitratu dabat effecta. Magistratuum cæteri, inter se magis quam Belisario pares, nec aliud quam sua lucra animo cogitantes, Romani imperii subditos partim ipsi spoliare, partim militibus vexandos projicere: nec sibi quæ decôra imperare, nec imperatis milites habere obsequentes. Hinc factum, ut gravia peccarentur, brevique concideret Romana res. Quæ quomodo evenerint jam pergo dicere. Postquam Belisarium Ravenna abiisse cognorat Ildibaldus, barbaros ad se omnes vocavit, &, si quibus Romanorum nova præ veteribus cordi. Firmando imperio diligens, omni ratione Gotthos restituere in Italiæ dominatum ardebat. Initio mille non amplius homines, unumque in Piceno tenebat oppidum: paulatim ei accessere quotquot in Liguria Venetiisque erant. Erat Byzantii inter eos qui rationibus publicis præsunt (logothetas vocant Græci) Alexander, semper aliquod peculatus crimen militibus solitus impingere. quos cum velut certo compertos in pænas traheret, ipse ex humili subito conspicuus, ex egeno prædives factus est: simulque Imperatori majores quam quisquam alius pecunias corradebat. Sed idem causam præbebat, supra quam hominum quisquam, ut milites & pauci essent, & inopes, & segnes ad pericula. Byzantini Forficulæ ei cognomentum fecerant, quod mirus artifex esset ita circumcidendo minuendi nummos, ut interim quam habuerant rotunditatem retinerent, cujus fraudis instrumentum est quod forficula dicitur. Hunc Imperator Alexandrum, revocato jam Belisario, in Italiam mittit. Ravennam ut venerat, iniqua comminiscitur. Nam Italos qui neque pecuniam Imperatoris attigerant, nec publici quicquam negotii gesserant, mulctis onerabat, causatus illorum in Theuderichum aliosve Gotthorum principes fidem malam; pænasque dependere jubens eorum quæ dolo (ita

 enim

enim credi volebat) ſubduxerant lucrive fecerant. Sic vulnera ac diſcrimina militum, nihil minus ſperantium, ratiociniorum calumniis compenſabat. Hinc alienati Italorum ab Iuſtiniano animi, nec reperti milites qui pericula ſubirent, ſed per contumaciam quiſque res hoſtium promovebant. Eaque cauſa fuit, cur cæteri duces quieſcerent. Solus Vitalis, qui in Venetiis tum alios habebat milites, tum Herulorum ingens agmen, cum Ildibaldo prælio experiri auſus eſt: metuens ne cum tempore vi ejus augeſcente reprimi poſtea nequiret. Ad Tarviſium itaque pugnato, Vitalis multo inferior, fuga ſibi pauciſque conſuluit: pars maxima periere: Herulique prope omnes, & ipſe Herulorum dux Viſandus. At Theudimundus Mauricii filius, Mundi nepos, adoleſcens admodum, mortis propinquum periculum ægre cum Vitali evaſit. Hinc Ildibaldi nomen apud Imperatorem cunctaſque gentes clarum haberi. Poſt id Vraïas irarum in Ildibaldum, quas dicam, cauſas habuit. Erat Vraïæ uxor opulentia formaque præſtans, præſertim cum cæteris barbarorum collata. Hæc ingreſſa forte balneum, ſplendide ornata, conſpicuo comitatu, Ildibaldi uxorem videns vulgari habitu, non modo ut principis conjugem venerata non eſt, ſed deſpectam irriſit. Pauper enim etiam tunc erat Ildibaldus, ut ad quem de gaza regia nihil perveniſſet. impatiens contumeliæ Ildibaldi uxor fletu accendit maritum, ne ſe ab Vraïæ uxore proculcari impune pateretur. Motus his Ildibaldus primum Vraïam apud barbaros transfugii meditati inſimulat. Id cum non ſuccederet, dolo interfecit, quo facto grave Gotthorum incurrit odium. Neque enim probare poterant, ita indicta cauſa ſublatum è vivis hominem: multique arcanis colloquiis factum Ildibaldi impium deteſtabantur: ſed ulciſci nemo audebat. Erat inter eos Vïlas, Gepida, in principis ſatellitio mili-

militans. is procus formosæ mulieris mirum ejus in amorem exarserat. Sed cum missus in hostes abiisset, insultum cum aliis in eos facturus, Ildibaldus interea ipsi adamatam, ignorans, an causa aliqua ductus, in matrimonium alteri collocavit. Quod cum reversus in castra Vilas intellexisset, iracundus ingenio, non tulit injuriam, sed continuo occidere Ildibaldum constituit, sperans gratum se in eo Gotthis omnibus facturum. Et cum ille Gotthorum primoribus convivium daret, arripuit insidiis tempus: nam prandenti regi alios quoque, sed satellites præsertim adstare mos habet. Rex de lecto pronus in cibos antepositos injectabat manum, subitoque Vilas inclinatam cervicem gladio ferit. Adhuc in manibus Ildibaldi hærebant sumpta, cum jam caput in mensa volveretur, ingenti omnium qui aderant stupore. Hæc pœna trucidati Vraïæ Ildibaldum secuta est. Eodemque tempore exacta hyems clausit annum belli hujus quod Procopio scribitur sextum. Erat in Gotthorum exercitu Erarichus, Rugius ortu, magnam inter barbaros adeptus potentiam. Rugii autem natio & ipsa Gotthica est, sed propriis jam olim vivens legibus. Cum cæteris populis à Theudericho suis exciti sedibus ita in gentem unam coaluerant, laborum periculorumque in hostes indivulsi, ut tamen alieni sanguinis mulieribus abstinentes integram incorruptamque generis successionem servarent. Hunc Erarichum, turbidis adhuc per Ildibaldi necem rebus, ex improviso Rugii regem dixere. Id dure acceptum à Gotthis, multis & præ dolore dejecit animos, amissa spe, quam in Ildibaldo nuper collocaverant reddendi Gotthico nomini dominatus in Italiam. Nec certe quicquam dignum memoratu fecit Erarichus, sed in otio transactis mensibus quinque hunc vivendi finem habuit. Totilas Ildibaldi fratre genitus, vir erat ingenio sollers, acer ad res

gerendas, clarus Gotthos inter nominis. Is Gotthis præpositus in Tarvisio præsidium agitantibus, ubi Ildibaldum, sicut narravimus, interiisse cognovit, Ravennam ad Constantianum misit, fidem qui pro se acciperent salutis, ut ejus certus seque & Tarvisium & qui sub se erant Gotthos Romanis traderet. multo cum gaudio Constantianus Totilæ postulata juravit. Et dies pactis præstituta est, qua Totilas, quique Gotthorum ei aderant, Constantiani amicorum aliquem acciperent mœnibus, oppidumque secum ejus in potestatem darent. Et jam gravari cæperant Erarichi imperium Gotthi, quippe quem viderent bello in Romanos imparem. quidam & in aperto eum traducere, velut maximum ad res gerendas, postquam sublatus fuerat Ildibaldus, impedimentum. Tandem conspiratis animis ad Totilam Tarvisium mittunt, eique deferunt principatum. desiderare post aliud experimentum Ildibaldum adacti, spem victoriæ ad propinquum ejus Totilam vertebant, minime dubitantes, sua quin consilia ei essent probaturi. At ille, non dissimulatis quæ cum Romanis pepigerat, dixit, si certum intra diem Erarichum Gotthi interficerent, se accessurum ipsis, ipsorumque voluntati. quæ postquam intellexerant barbari, Erarichi ad necem dolos componere non distulerunt. Hæc dum Gotthorum in castris aguntur, Romani duces ac milites pro magno ducentes otio frui ex hostium negotiis, neque consultabant in medium, nec quicquam in barbaros cæptabant. At Erarichus Gotthorum vocato concilio, suadet legatos mitti Iustinianum ad Imperatorem, rogaturos pacem daret, eisdem quibus cum Vitige convenerat legibus, nempe ut Transpadanis locis continentes se Gotthi, Italia reliqua abscederent. id cum probasset Gotthis, dilectos queis maxime fidebat, & in eis Caballarium, mittit, qui in speciem quidem quæ jam diximus ad

ad Imperatorem perferrent, in arcano autem nihil aliud jussi erant apud Iustinianum efficere, quam ut ipse vi pecuniarum accepta patriciis asscriberetur, idque adeptus Italiam omnem traderet, deposito principatu. Legati Byzantium ut venere, præscripta sollicite sequuntur. Atque interim evênit, ut Erarichum è vita tollerent Gotthi, eoque exemto, ita ut placuerat, regnum acciperet Totilas. Iustinianus, postquam de eum fama pertulit finem Erarichi, & in Gotthos imperium accepisse Totilam, non desiit criminari probrisque insectari eos qui exercitui per Italiam præerant. quapropter relictis per oppida præsidiis Iohannes Vitaliani natus fratre, Besaque & Vitalis ac duces cæteri Ravennam coeunt, ubi jam Constantianus &, de quo dicere occæpi, Alexander se tenebant. In unum congressis optimum factu visum Veronam primum, quæ in Venetiis est, aggredi. Vbi id oppidum & præsidium ibi habentes Gotthos cepissent, in Totilam & Picenum deinde procedere. collectus est Romanorum exercitus ad duodecim millia, sub ducibus undecim, quorum potissimi Constantianus & Alexander, qui statim Veronam contenderunt, inque ejus campis metati sunt castra. Circumjecta enim oppido planities, apta equiti, Mantuam usque porrigitur, quæ Verona dissita est diei itinere. Erat in Venetis vir clarus, Marcianus nomine, in castello habitans Verona propè absito, qui magno in Imperatorem studio id agebat, oppidum ut exercitui Romano aperiret: Nam vigilum quendam à puero noverat, quem missis ad id idoneis pecunia permovet Imperatoris militem intra mænia accipere. Cumque is fidem dedisset, mittit operis adjutores ad duces Romanos qui pacta significarent, comitesque se adderent per noctem in oppidum intraturis. Placuit ducibus, suo è numero aliquem cum militum paucis prægredi, qui, si vigil ille

portas panderet, eas tenerent, exercitumque tutum admitterent. cæteris periculum defugientibus, unus Artabazes Armenius, bello egregius, ultro se obtulit. Persarum is dux erat, quos non ita pridem è Persarum terris cum Blischame Byzantium miserat Belisarius, quo tempore Sisaurium ceperat castellum. Is tum assumtis centum ex omni lectis exercitu, multo noctis mœnibus propinquat: cumque portas aperuisset vigil, pars ibi constitêre & de suis misere qui exercitum advocarent. Alii scandentes mænia incautos ibi vigiles obtruncant. Gotthi, ut malum sensere, portis aliis fuga se proripiunt. Ante ipsa mænia in magnam altitudinem se rupes erigit, ex qua despicere cuncta quæ Veronæ aguntur, etiam homines numerare, promtum volentibus, lateque se oculis subjiciunt campi. Huc Gotthi directa fuga noctem ibi quietam egere. Romanus exercitus ubi ad stadia quadraginta prope oppidum accesserat, non promovit ultra, de præda dividenda rixantibus inter se ducibus. Tractumque tamdiu pravum certamen, ut discordantes orta lux deprehenderet, Gotthique, clare jam perspecta de edito hostium qui in oppido erant paucitate, quantoque intervallo abesset exercitus, cursu in Veronam se injicerent per easdem quibus exierant portas. nondum enim has in suam potestatem redigere valuerant qui intra oppidum erant Romani. Iidemque conspecta Gotthorum irruptione confertim in mœnium propugnacula confugiunt: multisque barbaris vim inferentibus fortiter restitere, clara multorum, sed præcipue insigni Artabazis virtute. Vix tandem compositis inter se de præda dissidiis, Romani duces exercitum agebant oppidum versus. Sed cum portas cernerent clausas, validosque defensores, retro statim duxere, quanquam pugnantes in mœnibus commilites suos spectarent, audirentque preces,

rogan-

rogantium, ne se desererent, sed tantisper manerent donec periclitantibus ad ipsos perfugium foret. Sic qui cum Artabaze erant pressi ab hostibus, à suis destituti, quod reliquum erat de mœnibus desiliere. qui in æquum delapsi sunt, hi incolumes Romanorum in castra pervenere. qui in confragosa inciderant, interiere universi. Artabazes ut castra attigit, multa ducibus exprobrans, multa incusans, se ipsis conjunxit, unaque transgressus Padum, venit Faventiam stadia centum & viginti dissitam. Totilas quæ Veronæ evenerant compertis, Gotthorumque ex eo oppido non paucis ad se vocatis, cum jam exercitum fecisset quinque millium, in hostem ducit. Ad ejus rei nuntium coïere in medium consultaturi Romani duces, ad quos procedens Artabazes talia loquitur. Nemo vestrum duces, hostes ut numero minores contemnat, nec quod cum iis certandum est quos subegit Belisarius, curam animique contentionem remittat. multi opinione falsa semet circumvenere. multorum opes infractæ sunt spiritu supra quam ferrent tempora inflato. Adde, quod ipsa prior calamitas hosti ad res meliores via est. Fortuna enim, quibus spes faciles eripit, eos in immensum audaciæ impellit. Nec sola conjectura ductus hæc vobis enuntio, sed recenti experimento cognitis Gotthorum animis. Nec arbitrabitur quisquam me, quia paucis comitatus periculum adii, vim illorum supra verum attollere. Virtus tum in majore, tum in minore pugnantium numero obscura esse non potest. mihi rectius videtur, captare tempus cum amnem hostes transibunt, atque ubi pars dimidia cis flumen steterit, eos aggredi, quam postquam se recollegerint, cum universis dimicare. Nec quisquam turpem hanc victoriam dicat. Gloriam aut dedecus assignat exitus, & mos est mortalium victoribus applaudere, victoriæ causas non

quærere. Hæc quidem pulchre dixerat Artabazes. At cæteri duces, ſententiis diſtracti, nihil quod ex uſu eſſet faciebant, ſed ubi erant hærentes, agendi tempora patiebantur elabi, donec in propinquo jam exercitus Gotthorum, quibus Padum tranſgredi parantibus hæc hortamenta adhibuit Totilas. Pleraque prælia, populares, ita ſunt comparata, ut æqua ſpe animos utrinque ſubeunda ad pericula excitent. Nos non pari cum hoſtibus, ſed multo inferiore fortuna, in pugnam hanc accingimur. illi, ſi forte vincentur, brevi tempore inſtaurare in nos bellum poterunt. quippe in munitis Italiæ locis multum illis reliquum militis, & novi à Byzantio exercitus ſpes haud longe. Nobis ſi quid ſecus evenerit, & Gotthorum nomen & ſpes omnis occubuit. Ex ducentis millibus ad quingenta millia redacti ſumus. Hæc monitis vobis, illud ſimul in memoriam reducere haud incongruens reor, cum primum ſub Ildibaldo arma arripuiſtis mille non amplius vos fuiſſe numero: terrarum nihil extra unum Piceni oppidum. poſtquam prælium pro vobis fuit, & numerum vobis & terras acceſſiſſe. Quapropter, ſi & nunc viri eſſe voletis, bello in melius ſemper procedente, ita confido, tandem hoſtem debellabimus. ſolent enim qui victores ſunt & hominum & rerum incrementa accipere. omni ergo vi corporis animique nunc in hoſtem quiſque vadite, id pro certo habentes, ſi pugna hæc contra cadit, non eſſe quod in poſterum de bello cogitetis. Ipſa quoque hoſtium injuſtitia vobis debet dimicaturis animum addere: ita enim ſibi ſubditos tractant, ut Itali, ſine ulla cauſa proditi Gotthorum imperii quantas debent dent pœnas. adeo nihil reſtat ad mala, quæ ab iis tolerant quos ipſi ultro ſuſcepere. quid vero proclivius quam illos vincere qui per ſua facinora iratum ſibi fecerunt Deum? metus inſuper, quem de

nobis

nobis concepere animo, attollere vobis fiduciam debet. Non in alios imus, quam qui jam modo, cum tenerent Veronam, eam è manibus misere, atque impellente nemine fœdam ceperunt fugam. His dictis Totilas trecentos suorum jubet ad viginti stadiorum intervallum amne transito hostium pone castra se tenere & ubi incaluisset prælium insistere tergis, injectare tela, & quicquid noxium, ut illi re inopina turbati virtutis obliviscerentur. Ipse omni cum exercitu Padum transposito recta in hostem incedebat. occurrente Romano, ut inter se adversi constiterant, Gotthus Viliaris nomine, corpore vir ingens, ore terribilis, acer animo belloque bonus, extra agmen equo provectus, ubi in medio constitit campo, loricatus & galeatus, Romanos provocabat, si quis secum singulare certamen inire vellet. cæteris formidine se continentibus, Artabazes ad pugnam exiit. cumque ambo equos concitassent, ut modico spatio dividebantur, hastas vibrant. Prævenit Artabazes, vulnusque Viliari adegit dextrum in latus. lethale id fuit, resupinatoque corpore in terram cecidisset Viliaris, nisi retro hasta ipsius solo saxoso infixa prohibuisset humum contingere. At Artabazes adhuc instabat hastam in Viliaris viscera trudere, nondum mortifera plaga percussum suspicans. Sic evenit, ut cuspis prope erecta hastæ, quæ Viliari exciderat, Artabazi pectus tangeret, lapsumque per omne pectus ad collum perveniret, ubi exstantem forte venam scidit ferrum: multusque ei sanguis fluxit, nullo sensu doloris. Et is quidem equo se retulit ad Romanum agmen: Viliaris mortuus concidit. Sed Artabazes non desinente sanguinis profluvio tertio die & ipse vitam finiens multum infregit res Romanorum. Nam & eo ipso tempore, quod abfuerat à prælio, non parum nocuerat rebus. Namque dum extra tela positus vulneri medebatur,

coïere

coïere inter se exercitus, cumque jam pugna ardesceret, trecenti barbari, qui Romanorum terga assequebantur, apparent subito. Quos Romani conspicati, cum multo plures in pugnam adesse crederent, metu perciti, fugam quo quisque poterat intendunt. Sparsos nullo ordine occidunt barbari: alios captos in custodia habent. signa, quod dedecus antehac Romanis non evenerat, cuncta in manus hostium venere. Ducum quisque, cum paucis quos è fuga contraxerat, in oppida quo pervenire potuerant se recepere, eaque tenuere præsidiis. Non multum intercessit temporis, cum Totilas exercitum in Iustinum Florentiamque mittit, cui fortissimos præfecit Gotthorum Bledam, Roderichum, Viliarim. Hi, ut propinquatum Florentiæ est, circumvallato oppido assedere. Exterritus Iustinus, quod nihil copiæ in oppidum importasset, misit Ravennam, Romanos ad duces, abrupta mora omni, sibi ut subvenirent. Et, qui missus erat, captata nocte, ignoratus hosti, Ravennam pervenit, mandataque pertulit. statim it inde Florentiam versus Romanorum non spernendus exercitus, ducibus Besa, Cypriano, Iohanne Vitaliani propinquo. Sed Gotthi, postquam id per exploratores cognoverant, soluta obsidione recedunt Muciallam, qui locus Florentia abest diei itinere. Postquam conjunxit se Iustino Romanorum exercitus, relictis ad Florentiæ custodiam haud ita multis, pergunt in hostem cæteri. iter facientibus optimum factu visum est, ut ducum unus lecto militum flore ex omni exercitu, antecederet, impetuque facto incautos hostes opprimeret. cæteri suo commodo sequerentur. Sortibus jactis fortunæ arbitrium sollicite exspectabatur. Cum Iohannem sors ductorem præituri agminis designasset, noluere duces cæteri stare conventis. Itaque cum proprio duntaxat sibi milite cogitur Iohannes in hostem

præ-

prægredi. Barbari cognito hostium adventu, campum in quo castra posuerant, metu derelinquunt, inque tumulum, qui in proximo magnus satis surgit, confusim evadunt. secuti eos Iohannis milites, eodem enisi, pugnam incipiunt: fortiterque resistentibus barbaris acriter concurritur: & multi utrinque claris facinoribus editis cadunt. Dum Iohannes multo cum clamore strepituque in adversos impetum facit, satellitum ejus quidam hostili jaculo ictus cadit: idque Romanos ita perculit, ut pedem referrent. Interea Romanorum totus ille, qui tardius processerat, exercitus in campum eundem venerat, stabatque coacta in phalangem acie. Hi, si fugientes alios excepissent, cumque ipsis pariter hostem essent aggressi, vicerant haud dubie, Gotthosque in suam ceperant potestatem. casu non verus rumor intervênit, Iohannem à quodam suo ipsius satellite in pugna interfectum. Is ubi percrebuit, manere nemo, omnes circumspectare abitum, nulla famæ cura. Non per ordines, ne globatim quidem, sed alius alio, ut visum cuique, defugiunt. multi ab impellentibus occisi. qui evaserant, per dies aliquot fugere non destiterunt, insectante quamvis nemine. Postremo in castella, quo potuerat quisque, infusi, nihil aliud obviis, quam periisse Iohannem, indicabant. Ex eo neque inter se convenere, nec quicquam in hostem ausi sunt. sed manentes intra mœnia hic illa, alius alia, ut evenerat, tolerare obsidium parabant; venturos jam jamque barbaros animo figurantes. At Totilas, multa in captos humanitate, sibi devinciebat animos, ita ut eorum plerique, Romani homines, Gottho duce in Romanos arma ferrent. Hæc inter hyems desiit, clausitque annum septimum ejus belli quod Procopio describitur. Post id Totilas Cæsinam Petramque castella cepit. Inde in Thusciam digressus, frustra tentatis præsidiis, accedente ad ipsum

ipsum nemine, Tiberi trajecto, Romæ fines non attigit: sed in Campaniam, Samniumque declinans, Beneventum, firmum quanquam oppidum, cepit facile, diruitque muros, ne alius à Byzantio veniens exercitus, inde ex loco munito Gotthos infestaret. Post Neapolim obsidere constituit, cum blandimentis, ut eo admitteretur, frustra laborasset. Præsidio oppidi, id constabat ex Romanis Isaurisque pariter mille, præerat Conon. Et ipse quidem Totilas castra non longe muris metatus, ibi consedit: parte autem dimissa exercitus, cepit Cumas castellaque alia, & multum ex iis coëgit pecuniæ. Repertas ibidem senatorias feminas, non pudore tantum intacto, sed & cum honore dimisit liberas: magnumque eo facto sibi apud Romanos prudentiæ nomen peperit atque humanitatis. Ac nusquam obvio hoste subinde in loca alia dimittens militum manus, res confecit memorabiles. Quippe Brutios primum Lucanosque, mox Apuliam Calabriamque tenuit, nec publica tantum vectigalia in suos usus vertit, sed & privatorum dominorum reditus ad se fecit perferri, planeque se pro possessore gessit Italiæ. Hinc evenit, cum mercedes Romano militi suo tempore non solverentur, ut magnas pecunias deberet Imperator. Mærebant itaque Itali suis exuti opibus, gravibus periculis circumdati: milites autem minus minusque ducum imperiis obsequentes, amabant intra urbes atque oppida se continere. Ravennam tenebat Constantianus, Romam Iohannes, Spoletium Besa, Florentiam Iustinus, Perusiam Cyprianus, alii loca alia, quo quemque fuga detulerat. Indoluit graviter his auditis Imperator, statimque prætorio Italiæ præfectum facit Maximinum, qui & ducibus cunctis majore cum imperio præesset, & militibus quæ necessaria erogaret. Addit & classem egregiam, & è Thracibus Armeniisque exercitum.

citum. Thracas Herodianus, Armenios regebat Phaza Iber Peranii fratre genitus: accedebant Hunnorum aliqui. Cum hac classe profectus Byzantio Maximinus Græciæ partem, quæ Epiros dicitur, advenit. ibi contra quam oportuit, rerum tempora trivit otio. quippe bellicorum actuum imperitus, & ex eo timidus erat cessatorque, mox & Demetrium, qui Maximini legatus esset, mittit Imperator, qui jam ante sub Belisario legionibus præfuerat. Is in Siciliam pervectus, cum intellexisset Cononem & Neapolitanos difficili obsidio rerumque omnium inopia premi, magno opitulandi quamprimum ipsis tenebatur desiderio: sed imparem se agnoscens ob militum paucitatem, ad astum se vertit: coactis omni è Sicilia quot poterat navibus, cum in eas frumenta imposuisset & cætera quibus vita indiget, ita navigans speciem præbebat Gotthis magni exercitus. nec de opinione hostium spes eum fefellit. cum enim classem numerosam Sicilia abiisse intelligerent, inde & de militum ingentibus copiis conjectabant. quod si recta statim Neapolim intendisset Demetrius, perterritis, ita credo, Gotthis, obstante nemine, oppidum servasset. Nunc periculi fugiens, Neapolim versus dirigere cursum abnuit, sed in portus Romæ propinquos invectus dabat operam, militem ibi ut conscriberet. At illorum locorum homines, non victi tantum à barbaris sed & animis fracti, ut Demetrium contra Totilam ac Gotthos sequerentur adduci non poterant: itaque cum iis solis quos Byzantio adduxerat, Neapolim petere cogebatur. Erat & alter Demetrius Cephalenum è gente, nauta olim, marisque operum & periculorum apprime gnarus, Belisarioque in Africam Italiamque navigationis comes, clari inde nominis: quem Neapoli dispensandæ pecuniæ præfecerat Imperator. is ex quo barbari illuc ad obsidium venerant, non desierat

rat procacibus maledictis Totilam insectari, in tantis malis frui amans linguæ licentia. Postquam augescens fames magnam in oppido stragem fecerat, Conone auctore, inscensa clam scapha ausus est ad Ducem Demetrium solus iter capere, præterque spem incolumis ad eum pervênit, eumque acerrime, cœpta ut impleret, excitavit. At Totilas ubi ad eum de classe fama pervenerat, dromonas, celerrimum navigiorum genus, magno numero paratos habuit. deinde ubi in littus illud Neapoli non longe hostes descenderant, subitus irruens formidinem intulit, statimque & fugam. In ea multos interfecit: cepit plures. Evasere qui initio in navium scaphas insilire potuere, quorum fuit dux ipse Demetrius. Cæterum naves, opera, & quicquid in illis hominum erat, in potestatem hostium venere. ibi & Demetrium, illum quem Neapoli dispensatorem fuisse diximus, reperiunt barbari, abscissaque lingua & manibus, non occidunt, sed trunco corpore ire quà vellet sinunt. Has Totilæ Demetrius ille pœnas immoderatæ loquacitatis dedit. Post hæc etiam Maximinus naves, quas habebat omnes, Siciliam appulit: ibique substitit, belli pericula segni otio declinans. Quod cum audiissent Romani exercitus duces, confestim ad eum mittunt, orantes ne differret auxilium, ante cæteros vero Conon, quem magis magisque premebat barbarorum obsidio, omnibus jam rebus necessariis destitutum. At Maximinus plurimum adhuc temporis mora trahens, postquam Imperatoris minas perhorrescere cæpit, nec aliorum convitia diutius posse perpeti, non eo minus ipse ubi erat mansit, exercitum autem omnem sub Herodiano, Demetrio, Phaza, Neapolim vela jussit facere, imminente jam hyeme. ubi Neapoli non longe classis aberat, sævum procellosumque flat ventus: Phazas permittit se casibus neque nautas aut remos retrahere

aut

aut alia officia exsequi sinebat tempestas: ne audire quidem alius alium præ fluctuum stridore poterant. omnia tumultu ac ventorum vi regebantur, quæ invitos Romanos objecit littori, in quo castra erant hostilia. ita nullo labore inscensis Romanorum navibus barbari, partem confoderunt telis, partem undis merserunt. Pars & capti, quos inter dux Demetrius. Herodianus ac Phazas evasere quos minus prope Gotthorum castra ventus detulerat. Hic fuit classis egregiæ exitus. Demetrium ducem Totilas, reste de collo nexa, subter Neapolis mœnia pertrahit, jubetque obsessos monere, ne mala sua spei vanæ creduli prorogarent, sed dedito quamprimum oppido salutem quærerent. Neque enim ab Imperatore aliud auxilium exspectandum; cujus & vires & spes omnes in ista classe concidissent. Dixit Totilæ jussis congruentia Demetrius. Obsessi gravescente fama rerumque omnium inopia, tristi Demetrii spectaculo vocibusque ab omni spe dejecti, in gemitus ac mæstitiam agebantur, oppidumque omne confuso strepitu ac lamentis resonabat. Paulo post ad murorum propugnacula excitos sic alloquitur Totilas. Non ulla de vobis querela nostra, nedum ullum crimen vestrum, Neapolitani, nos in hanc obsidionem traxit: sed cupido liberandi vos ab infestissimis dominis, ut hoc officio gratiam rependeremus iis quæ hoc bello egistis, quæque ab hostibus passi estis. Vos enim Italorum prope solos bene Gotthico nomini voluisse, neque, nisi nolentes, subjisse hostile jugum, rebus ipsis apparuit. Quare & nunc, cum vos Romanis permixtos obsidere cogimur, fidem vestram erubescimus, quanquam non in vestrum malum susceptus est hic labor. Neque vos obsidionis vexati incommodis ob id Gotthis irascendum credite. Non debent enim, quibus propositum est amicis prodesse, culpam eo nomine sustinere, etiamsi

ad beneficium nisi per eis ingrata pervenire nequeant. Hostium vero ne vos subeat metus, neque ex rebus prioribus ductis conjecturis, superiores illos nobis futuros credite. Quæ in vitam humanam inopina fert casus, eadem temporis lapsu retro ferri solent. Is noster in vos est animus, ut & Cononem & milites universos ire quo velint sine noxa sinamus, si oppido quamprimum dedito abeant, etiam rebus salvis. Quin & jusjurandum tum pro vestra Neapolitanorum, tum pro militum salute offerimus. Dicta Totilæ probabat & civitas & qui cum Conone erant milites: ultima enim famis necessitas incumbebat. attamen fidei in Imperatorem retinentes, & aliquid opis adfore sperantes, triginta intra dies promiserunt se deditionem facturos. At Totilas quo magis spem ipsis omnem disjiceret, tres dixit se menses dare, quibus finitis promissa implerent. medio tempore neque oppugnatione se, neque insidiis in eos usurum. Hæc cum placuissent, obsessi paulo post, non exspectata die, quæ præfinita ab hoste fuerat, adeo urebat rerum omnium inopia, Totilam barbarosque recipiunt oppido, quo tempore, hyeme exeunte finem accepit annus octavus belli, quod scribendum suscepit Procopius. Totilas, capta Neapoli, in victos humanitatem exercuit, qualem nemo à barbaro, nemo ab hoste exspectaverit. Nam cum Romanos videret fame ita vexatos ut exhausta essent corpora, metuens ne subita satias, ut fieri solet, quod de viribus pauxillum restabat obrueret, ingenio adhibuit remedium. In portu & ad portas custodibus positis neminem inde nisi suo jussu in oppidum sivit ingredi. Ipse laudabili parcitate singulis alimenta præbebat multo quam cuperent arctiora: in dies tantum adjiciens vix ut incrementum sentiretur. ita restituto vigore corporibus, tum demum portas aperuit, & jus cuique fecit vescendi suopte arbitratu. Co-

nonem

nonem vero & qui cum eo milites manere nollent, datis navibus, jubet quocunque vellent proficiſci. Atque illi, ſi Byzantium irent dedecus veriti, Romam navigare quamprimum avebant: ſed obnitente vento ſolvere prohibiti, in metu erant ne victoria elatus Totilas pacta contemneret, idque ipſis male verteret. quod poſtquam ſenſit Totilas, convocatos erexit, firmataque de integro fide, bono juſſit animo eſſe, & ſecuros exercitui Gotthorum immiſceri, atque inde ſibi comparare neceſſaria, illorumque ut amicorum rebus, ſi qua opus eſſet, uti. Cum adverſante adhuc vento multum exiret temporis, equos jumentaque præbens, donatos & viatico, Romam ire terreſtri itinere hortatur, etiam Gotthis, qui proſequerentur, additis. Tum dirutis Neapolis mænibus digreditur, ne quando Romani recepto oppido, fiſi munimentis, Gotthorum rebus inde incommodarent: malens ipſe aperto prælio æquis in locis cernere, quam per artes & calliditatem bellare. ſed contentus maximam mænium partem detraxiſſe, nonnihil & reliquit. Hoc ſub tempus veniens ad eum ex Romanis hominibus Calaber, accuſabat quendam ſatellitum ejus, filiam ſuam virginem ab eo vi compreſſam deferens. Reum non negantem facinus, punire magni ducens, carceri includit. ſolliciti pro eo Gotthorum primores, quod vir acer eſſet belloque utilis, cætu facto, ubi ad Totilam admiſſi erant, orant culpam homini condonet. ille tranquille, citra omnem animi motum, ſermone audito, reſpondit hunc in modum. Non inhumana ſævitia abreptus, nec lætus popularium malis, ſed ne quid Gotthis mali eveniat, ſumme anxius, hæc ad vos, commilites, verba facio. Hominum pars magna, neque id me latet, rerum ipſa nomina pervertunt. legum contemtui, qui honeſta omnia corrumpit nihilque ſanum ſinit, vocabulum indunt clementiæ.

mentiæ. Qui constanti proposito leges tuetur, durum atque asperum vocant: ut immutata nomina obtentum habentes impudentiæ, peccent securius, & pravitatem animi rebus ostendant. At vobis ego auctor sum, ne salutem vestram posteriorem unius hominis delicto habeatis, neve innoxii partem piaculi in vos trahatis. me enim judice paria sunt, scelus admittere & sceleris pænam prohibere. Quare ita de re quæ in manibus est deliberate, ut propositam vobis sciatis de duobus optionem, aut ne hic suæ improbitatis supplicium pendat, aut ut Gotthico nomini salus ac victoria pariatur. Hoc enim cogitate, fuit nobis belli hujus initio magna militum vis, cui & fama & belli peritia aderant: pecuniæ, ut compendio loquar, plus quam ut numerus enuntiari possit: equitum, armorum incredibilis copia: quicquid in Italia munitum erat nostra in manu. Nam hæc omnia constat ad gerenda bella momentum habere. At postquam Theudati sub imperium venimus, hominis justa omnia post pecuniam habentis, Deo nostris irato vitiis, quo fortunæ nostræ devenerint, scitis ipsi, & quales quantulique fuerint qui nos vicere. Nunc vero satiatus nostris, pro peccatorum modo, suppliciis idem Deus, vitam nostram in melius sibique carius reducit, & ut verbo dicam, res nostras sperato magis secundat. At quibus, cum vires id non permitterent, vicisse hostem contigit, eos par est recta agendo potius causam colere victoriæ, quam per contrarios actus id consequi, ut sibimet ipsi invidere videantur. Non solent, non solent qui per vim meram atque injurias grassantur florere in præliis. sed ut cuique sunt mores, ita se belli dat fortuna. Hæc dixerat Totilas & persuasi dictis Gotthi pro satellite haud ultra deprecabantur: sed regem sinebant de eo quod vellet agere. is haud multo post homini vitam ademit. pecunias, quæcunque ejus fuerant, stuprum

passæ

passæ dedit. Dum per hæc se nobilitat Totilas, Romani interim exercitus non minus duces quam milites, res subditorum rapere: nullo se petulantiæ aut injuriæ genere abstinere: duces mænibus clausi indulgere amoribus: milites ducibus inobsequentes cuncta pro lubidine agere. Infelices Itali durissima ab hoc & ab illo exercitu patiebantur. agros vastabat hostis: Romanus miles supellectilem raptabat. eodemque tempore & injustissimis contumeliis vexabantur & fame durissima pressi interibant. qui in præsidiis erant, adeo eos à barbaris non tutabantur, ut inverecundi adversus publicas calamitates, suis fædis factis ipsos barbaros desiderabiles facerent. His difficultatibus succumbens Constantianus epistolam ad Imperatorem misit, disertim testans se Gotthorum armis obsistere imparem. Cæteri duces ejus accedentes sententiæ, ejusdem epistolæ subscriptione suam ignaviam signabant. Hoc in statu res Italis erant. At Totilas Romano Senatui scripsit in hunc sensum literas: Si qui alios injuria affecerunt, abrepti ignorantia, aut quod oblivio intervenerit, his æquum est ab ipsis qui læsi sunt, ignosci. Nam quæ causa ad delinquendum fuit, eadem culpæ pondus detrahit. At si quis destinato ad injusta procedat, huic quo se defendat nihil relinquitur, ut qui non facti tantum, sed & causæ in factum agentis solus culpam sustineat. Quæ cum certa sint, reputate apud vos, quid iis quæ vos in Gotthos admisistis obtendere queatis? Num ignota vobis Theuderichi & Amalasunthæ benefacta? an tempore obliteratam eorum memoriam? Neutrum dicere vobis, Romani, licet. Non enim in rebus aut levibus aut mediocribus, neque olim, de vobis bene sunt meriti Gotthi, sed in maxime necessariis, in vobis denique ipsis, idque nuper admodum, &, ut sic loquar, jam nunc. Græculorum quæ sit in subditos bonitas, haud

 dubie

dubie auditu aut experimento cognitum habetis. Neque enim fugere notitiam veſtram poſſunt res aut Gothicæ aut Italicæ. Atqui commodo illos excipitis hoſpitio. At quales illi vobis hoſpites, quales amici, tum ſcietis, ſi ad Alexandri ratiocinia vertere memoriam libeat. Omitto jam de militibus de ducibus dicere, quorum humanitatis ſcilicet & fortitudinis, egregios percipitis fructus. Nec exiſtimet quiſquam juvenili quodam æmulatu hæc in illos probra jaci, aut à me barbarorum principum more noſtra in majus efferri. Non enim noſtra virtute factum dico quod illos vicimus, ſed tot injuſte in vos actorum pænas illos luere. Iam nonne ſtultiſſimi ſitis, ſi cum Deus ab illis, vos miſeratus, ſupplicia expetat, ipſi vos alere dominorum proterviam, quam ſemel tantis malis liberari præoptetis? Quin ergo dignum aliquid facitis, quo vos Gotthis purgemini, Gotthi vobis ignoſcant? Facietis autem, ſi belli non exſpectato exitu, dum ſpes brevis atque inutilis supereſt, meliora capeſſatis conſilia & emendetis quæ ante hac à vobis in Gotthos peccata ſunt. is erat epiſtolæ tenor: quam Totilas captivorum quibuſdam traditam Romam ad ſenatum proferri juſſit. Et illi quidem imperata fecere, ſed Iohannes eos qui acceperant, reſpondere quicquam Totilæ vetuit. ob id alias literas pluribus exemplis ſcribit Totilas, addita jurisjurandi ſanctiſſima fide, nihil Gotthos Romano cuiquam nocituros. qui Romæ ea exempla tulerint, haud dixerim. nocte obſcura in conſpicuis maxime Romæ locis fixa, orto die apparebant. ſuſpicio Romanorum ducum in Arianos ſacerdotes, cauſa fuit cur ii urbe ejicerentur. Totilas his intellectis, partem exercitus in Calabriam mittit, Hydruntem ut, ſi poſſet, caperent. Sed cum qui in præſidio erant non præberent aurem conditionibus, eos quos miſerat ad obſidium verti juſſit: ipſe cum majore

jore parte militis, Romæ adsita petit. His rebus Imperator intellectis, non mediocriter consternatus, Belisarium mittere contra Totilam, quanquam adhuc acre bellantibus Persis, cogitur. Hyems exibat, simulque annus finiebatur nonus ejus belli quod scribit Procopius, cum iterum Italiam Belisarius petiit. cum autem milites haberet paucos admodum (neque enim qui secuti ipsum fuerant, eos ab exercitu Medis opposito abducere licebat) Thraciam obiens multa largiendo voluntariam juventutem collegit. Aderat ei Iustiniani jussu dux Illyrici Vitalis, nuper ab Italia reversus, ubi Illyricos milites reliquerat. Ambo ad quatuor millia cum fecissent militum, Salonis agentes, primum Ravennam ire constituebant, inde, si daretur, bellum longius prolaturi. Nam in Romæ vicina descendere haud poterant, neque clam hostem, qui castris jam insedisse Calabriam Campaniamque nuntiabatur, neque vi admota, quando neutiquam pares copiis erant. Interea Hydrunte qui obsidebantur, cum vitæ necessaria defecissent, cum barbaris circumsidentibus collocuti sunt, de oppido sub pactis tradendo, eique rei implendæ dies consensu præstituta est. At Belisarius navibus commeatu in annum impletis Valentinum navigare Hydruntem jubet, & qui præsidio antehac fuerant amotis (nam & morbis & fame tabescere intelligebantur) alios ex navigationis comitibus eorum in locum sufficere, ut recentes atque integri in bona ad victum copia oppidum facile tutarentur. Valentinus ea cum classe, ventis usus prosperis, Hydruntem pervectus est, quatuor ante diebus quam condictum deditioni tempus exiret, portumque reperiens incustoditum, facile eum tenuit, oppidumque nullo cum labore ingressus est. quippe confisi pactionibus Gotthi, nec medio temporis spatio quicquam interventurum suspicantes, neglecta obsidii

 cura,

cura, otio fruebantur. At ubi inopinam classem conspexere, perculsi metu, solvunt obsidium, longeque remoto in loco castra faciunt, Totilæque cuncta per nuntios significant. Tam prope periculum Hydrus venerat. Qui cum Valentino advenerant nonnulli, in agrum populabundi cum excurrissent, obviis in ipso littore hostibus impliciti, facile vincuntur. in maris aquas fugere plerique, ubi centum & septuaginta amissis, cæteri Hydruntem se receperunt. Valentinus, qui ibi præsidium agitaverant ægre vitam trahentes inde subduxit, aliosque substituit vegetos, ita ut præceperat Belisarius, relictisque in annum sufficientibus alimentis cum exercitu reliquo Salonas remeat. unde, cum omni exercitu vela faciens Belisarius Polam attigit, substititque nonnihil, refovendo exercendoque militi. Totilas, ut illuc advenisse eum compererat, quid virium haberet scire cupiens, hoc utitur commento. Bonus nomine Iohannis fratre genitus Ianuæ oppidi præsidium regebat. Hujus nomine usus literas tanquam ab ipso scriptas mittit Belisario velut quibus oraret subveniri sibi in rebus extremis. Eas literas hominibus quinque ad explorandum idoneis tradit, jubetque curatè cognoscere quantum militis adesset Belisario, omnia ita agentes, tanquam à Bono advenirent. Admissos ad conspectum Belisarius, ut mos ipsi, multa comitate excepit, lectisque literis, Bono renuntiari jubet, brevi se cum omni adfore exercitu. illi introspectis rebus omnibus, ut jusserat Totilas, in castra Gotthorum reversi referunt tenues esse copias Belisario. Inter quæ Tibur oppidum, Isaurorum præsidio insessum, Totilæ proditur hunc in modum, oppidani quidam simul cum Isauris portarum custodiæ impositi, nulla de causa in rixas adversus eosdem Isauros prolapsi, facto dissidio hostes in propinquo castra habentes noctu in oppidum indu-

inducunt. Isauri conglobati inter se, capto quamvis oppido, effugium reperere, cum interim oppidanorum nemini parcerent Gotthi, sed cunctis vitam adimerent, etiam sacerdoti, quod quomodo fecerint, quanquam minime ignarus, narrare refugio, ne inhumanitatis exempla ad posteros augeam. In his & Catullus periit, vir inter Italos nobilis. Postquam Tibur tenebant barbari, non amplius è Thuscia per Tiberim commeatus Romam perferri poterant, quia oppidum illud stadia centum & viginti supra Romam situm devehi volentibus viam obstruebat. Hæc sunt quæ Tibure evenerunt. At Belisarius omni cum exercitu Ravennam delatus Gotthos, qui ibi manserant, Romanosque simul milites in unam vocatos concionem sic alloquitur: Non nunc primum, milites, virtutis opera vitiis destructa sunt. Vetus id agnatumque humanis rebus, ac sæpenumero, quæ viri egregii pepererant, ea flagitiosi homines corrupta retro tulere. Atque id nuper Imperatoris res labefecit: qui tanti æstimavit aliena corrigere peccata, ut minoris faciens de Persis triumphum deportare, me in huc locorum miserit, ut medear si qua duces in Gotthos sive in milites non ex recto fecerunt. Nihil delinquere humanum non est, neque id fert natura. Sed quæ admissa sunt emendare, res digna Imperatore, & ab eo diligi magnum, quamvis dure tractatis, solatium. Huic enim rei consequens est, non modo ex adversis, sed & benevolentiam Imperatoris rebus ipsis experiri, fructusque ejus capere quavis pecunia dulciores. Cum ergo in hoc adsim, vestri est officii, omni ope in id niti ut obvia bona possitis apprehendere. Si cui ergo vestrum propinqui aut amici apud invasorem Totilam sunt, is eos quam primum significata Imperatoris voluntate revocet. ita enim vobis simul & pace & Imperatoris munificentia frui dabitur. Ego non

 belli

belli avidus huc veni, minimeque omnium Romani imperii subditos hostiliter tractare desidero. quod si qui eorum spernunt quæ ipsis expediunt, sequi, maluntque armati nobis occurrere, necessitas nos ipsis vicissim hostes faciet. Hæc quanquam in publico dixerat Belisarius, nemo ex parte adversa neque Gotthus neque Romanus gente ad eum transiit. Post id satellitem Thorimuth & ex comitatu suo alios cum Vitali, & Illyrio milite in Æmiliam missos, quæ ibi sunt loca in suam potestatem redigere, si possent, jubet. Cum hoc exercitu, Vitalis, captis circa Bononiam castellis, in ipso Bononiæ oppido substitit. Neque multo post Illyrii, quotquot ei militabant, subito, non re ulla, non verbo læsi, clam digressi ad suos penates abiere, missisque ad Imperatorem legatis orarunt facti veniam. quippe non alia de causa domos se repetisse, quam quod longæ per Italiam militiæ dudum insoluta stipendia respublica ipsis deberet: Hunni præterea infusi in Illyricum liberos uxoresque in servitium abstraherent: quibus intellectis, simulque rebus necessariis per Italiam destitutos, agmine facto ad sua se remigrasse. Imperator, quanquam offensus primum, ignovit tamen. At Totilas, simul Illyrios discessisse didicerat, exercitum mittit circum Bononiam ad comprehendendum Vitalem, quiq; ei aderant. Sed præstruxerant adventantibus insidias Vitalis & Thorimuth, multisque eorum interfectis reliquos in fugam egerunt. quo tempore Nazares, vir clarus, gente Illyrius, militisque per Illyricum rector, eximiæ virtutis in hostes edidit exempla. Thorimuth hac re peracta Ravennam ad Belisarium venit. Tum Belisarius satellitum suorum tres, simulque hunc Thorimuth, Nicelam & Sabinianum, cum militibus mille, Auximum mittit, ut obsessis ibi Magno Romanisque suppetias ferret. Et illi, Totilæ castrisque hostilibus ignorati, nocte venere Auximum, excur-

excursusque in hostes facere meditabantur. Postera die circa meridiem, intellecto, non longe esse hostes, exibant ut occurrerent. Sed prius visum, ne quid per temeritatem peccaretur, mittere exploratores, qui vires eorum specularentur. Ricilas tum forte, satelles & ipse Belisarii, vino cum incaluisset, alios speculatum ire non sivit, solus ipse concitato equo properans, in loca prærupta pervectus in Gotthos incidit tres, atque initio composuit se ad pugnam, vir imprimis strenuus: sed aliis undique affluentibus, in fugam cogitur: ac forte inter præcipitia procumbente equo, ingens ab hostibus clamor, multaque in illum missilia jactabantur. quod cum vidissent Romani, in auxilium procurrunt. Sed telis obrutus moritur Ricilas. Thorimuth ejusque comites, versis in fugam hostibus, deportato mortuo corpore hominis non dignum sua virtute sortiti vitæ exitum, Auximum redeunt. Post hæc collocuti Magno Sabinianus & Thorimuth diutius ibi morari haud ex usu publico judicarunt, quod ad pugnam multo se hosti impares sentirent, atque interim obsessæ plebis alimenta minuentes hoc ipso oppidum barbaris objicerent. id cum placuisset, ipsi & mille cum eis milites nocturno clam discessui se parabant, cum forte militum unus ad hostilia castra transfugiens quid agitaretur significat: edoctusque Totilas, per suorum dilectos mille, primo noctis, occupat itinera triginta ferme ab Auximo stadiis, ita ut alius nemo persentisceret. Hi sub noctem mediam Romanos adventantes ut vidêre, eductis gladiis irruunt, & interficiunt ad ducentos. Sabiniano, Thorimuthi aliisque tenebræ latere, & Ariminum fugam perducere indulserunt. Iumenta, quæ supellectilem, arma, vestes ferebant, omnia Gotthorum in manus venere. modica oppida duo Adriæ in ora jacent Pisaurum & Fanum, medio ferme Auximum inter & Ariminum situ:

ſitu : quorum Vitigis bello primum incipiente uſſerat domos, mæniaque ad medium dejecerat, ne ſi ea recuperaſſent Romani, malum inde Gotthis darent. Horum alterum, Piſaurum, invadere conſtituit Beliſarius, quod pabulis ferax eſſet circumſita regio. Miſſis ergo idoneis hominibus qui vacantis à portis loci altitudinem, quantumque patuerant, cum cura clam metirentur, fabricatas juſſu ſuo portas ferroque vinctas ſcaphis impoſitas mittit, eaſque ut quam citiſſime infigerent mœnibus Sabiniano & Thorimuthi imperant : deinde ut intus ſe tenentes, portarum defenſi præſidio, cætera mœnium mutilata reficerent, ligna, cænum, & ſi quid aliud paratum, ingerendo. illi ut juſſum fecere. Non ignarum id Totilæ, ideo magno cum exercitu in eos properat, ſed cum tentamenta non proceſſiſſent, poſt temporis aliquanti jacturam irritus ſe in caſtra ad Auximum retulit. Romanorum in hoſtem prodibat nemo, ſatis habentium ſi vitam mœnibus tutarentur. quin & Romam Beliſarius de ſatellitibus ſuis miſit duos, Artaſiram gente Perſam & è Thracia Barbanonem, velut qui Beſæ (is enim Romæ erat) cuſtodiendam ad urbem auxilio forent, cæterùm deſtrictis cum mandatis, ne quid in hoſtem auderent. Totilas & Gotthorum exercitus, jam certi Beliſario non eſſe ad contra eundum vires, locorum munita ſibi ſubigere parant, primaque ad obſidium in Piſeno Firmum & Aſculum placuere. Inter hæc hyeme exeunte finiit annus belli, quod Procopio ſcribitur, decimus. Beliſarius obſeſſis opem ferre invalidus, Iohannem Vitaliani propinquum mittit Byzantium, graviſſimo adactum jurejurando, ut reditum quantum poſſet feſtinaret, orato Imperatore ut exercitus magnam ac pecuniæ vim mitteret, ad hæc equos & arma. Namque milites & pauci erant numero & pugnam detrectabant, quod multum ſibi deberi à republi-

ca

ca dicerent, seque rerum omnium egenos vivere: nec falsa querebantur. His de causis ad Imperatorem mittit Belisarius his verbis epistolam. In Italiam venimus, optime Imperator, inopes virûm, equorum, armorum, pecuniæ: sine quarum rerum omnium ubere copia nemo, ut puto, bellum gerere valeat. obita omni Thracia atque Illyrico milites ægre reperimus, paucos, miserabiles, inermes, præliorum inexpertos. quos hic invenimus multorum superstites, & tenui sunt numero & hostium pavidi, etiam animis frequenti clade perdomitis. Non satis est quod fugerunt. pretium fugæ reliquerunt hostibus, desertos equos, abjecta arma. Æruscare ex Italia haud ultra licet, ut quam rursus teneat Gotthus. Hinc cum multa militibus tempora sine stipendio effluxerint, imperium in eos non retinemus, ademta per debita obnoxiis loquendi libertate. Hoc quòque noris, Imperator, eorum qui tibi militarunt maximam partem ad hostes transfugisse. Si igitur hoc unum placuit, Belisarium mittere in Italiam, optime provisum est. Iam enim sum in media Italia: sin hostem bello vincere propositum est, paranda & alia. nam sine adminiculis nemo bello dux esse potest. Præcipue æquum est mitti mihi meos satellites meosque protectores: deinde Hunnos, barbarosque alios magno numero, & his æra solvi. Scripserat hæc Belisarius. Iohannes vero moram Byzantii trahens nihil eorum ibi peregit quorum ergo missus erat, sed nuptias fecit cum Germani filia, cui Germano pater fuerat Imperatoris frater. Interea Totilas Firmum Asculumque pactis cepit, indeque in Thusciam pergens Spoletium obsidet & Asisium. Præsidio præerat Spoletii Herodianus, Asisii vero Sisifridus, Gotthus ortu, sed in res Romanas atque Imperatorem egregia fide. Horum Herodianus cum hoste convenit, ut triginta per dies ab armis cessaretur. intra id tempus, ni auxi-

auxilia ſibi advenirent, ipſe ſe, milites, oppidum, in eoque habitantes Gotthos traderet, inque ea pacta filium dedit obſidem. Vbi condicta dies venit, nec ullus apparuit Romanorum exercitus, Herodianus & qui cum eo erant milites, ex convento Totilæ & Gotthorum genti ſeque & oppidum dediderunt. Nec defuerunt qui eundem Herodianum dicerent Beliſarii odio ad eam deditionem impulſum, quod is minatus fuerat, facturum ſe ut Herodianus rerum actarum rationes redderet. ita de Spoletio ſe res habuere. At Siſifridus ſuo cum milite eruptionibus factis multos amiſit, poſtremo & ipſe interiit. Eoque pavidiores ad pericula Aſiſini oppidum hoſtibus permiſere. miſit illico ad Cyprianum Totilas, Peruſiam ſibi tradi poſtulans, territanſque ni pareretur, &, ſi fieret, magna dona pollicens. Poſtquam ad utraque immotus Cypriano animus, de ſatellitio ſuo Vliphum nomine pecuniis emercatur, hominem ut dolo interimat. Atque Vliphus, ſolum forte Cyprianum cum reperiſſet, obtruncat, & ad Totilam refugit. Nec tamen eo minus Cypriani miles Imperatori fidem oppidumque ſervavit, coëgitque Gotthos irritos abſcedere. Poſt Totilas Romam iter capit, & propinquato, caſtra circumdat, per omnem Italiam agreſtibus innoxius, jubens, ut ſoliti erant, humum excolere ſecuros, dum ad ipſum reditus perferrent quos ante Romanæ reipublicæ, quoſque poſſeſſoribus penſitabant. Cum ſub mœnia Gotthorum quidam ſucceſſiſſent, Artaſiras & Barbatio multo comitatu, Beſa neutiquam probante, eruptione facta, multos quidem occîdunt: ſed dum cæteris fugientibus inſiſtunt, calore perſequendi producti longius, in inſidias incidunt ab hoſte poſitas: multoque ibi ſuorum damno facto, ipſi cum paucis ægre ſe fuga ſervant. Et in poſterum concurrere hoſtibus, quanquam laceſſentibus auſi non ſunt. Iamque & acris fa-
mes

mes Romanos urgebat, cum neque ex agro importare necessaria possent & mari quoque præclusa esset advectio, quia Gotthi Neapolim tenentes, ac tum ibi, tum in Æoliis qui dicuntúr, vicinisque insulis, vim multam levium navigiorum, diligenti custodia transitus obsepserant. ita quotquot è Sicilia naves Romanum ad portum ferebantur, eæ cum cunctis vectoribus in illorum manus devenerant. Totilas in Æmiliam misso exercitu, Placentiam vi aut obsidione capi imperat. id Æmiliæ regionis princeps oppidum firmis munimentis Pado adjacens illis in locis unicum in Romanorum obsequio manebat. Vt prope accessit exercitus, colloquia cum oppidi custodibus miscet, ut, pactis sancita fide, Totilæ Gotthisque accederent. Cum nihil verbis proficerent, castra ad obsidium disponunt, gnari alimenta deesse civitati. Circa hoc tempus Romanis qui Romæ erant ducibus inorta proditionis suspicio in Cethegum virum patricium Romanique senatus præcipuum, causa ei Centumcellas discedendi fuit. At Belisarius pro Roma rerumque summa anxius, cum è Ravenna subvenire urbi, præsertim modico cum milite, nequiret, abire inde & circumjecta Romæ loca invadere constituit, ut propinquior tanto fieret ad opem ferendam laborantibus, pœnitentia ductus consilii ejus, quod, cum primum Ravennam venerat, Vitali suasore, neutiquam ex usu publico ceperat, patiendi, se velut incluso, hostem quocunque vellet ferre bellum. Atque ego sic censeo, aut pejora tunc elegisse Belisarium quia Romanos malum manebat, aut, si ille quod rectum erat constituit, divinam vim se interjecisse, Totilæ ac Gotthorum res lapsas erigere cupientem, atque sic bona consilia Belisario pessime vertisse. Nam quibus secunda flare vult fortuna, iis quamvis exitiosa capessentibus nihil duri eveniet, supremo numine illa ipsa prava ad prosperos circum-

cumagente exitus. contra infortunato homini non contingit quæ ſalutaria ſunt cogitare, quod notitiam rerum rectaſque judicationes auferat impendens ei malum fatum: quod ſi & ea quæ oportet in mentem veniant, adverſo flatu ſe opponens fortuna prudentiam in triſtiſſimos caſus rapit. Cæterum in Beliſario utrum fuerit, haud temere affirmaverim. qui poſtquam cum paucis Iuſtinum Ravennæ ad tutelam reliquit, ipſe per Dalmatiam eique finitima Epidamnum fertur, ibique novas à Byzantio copias opperiens conſidet: miſſiſque ad Imperatorem literis præſentes miſerias exponit. nec multo poſt Iuſtinianus Iohannem Vitalis fratre genitum, Iſaacenque Armenium Aratii Narſetiſque fratrem, cum juſto mittit exercitu è Romanis barbariſque compoſito: Qui Epidamnum pervecti, Beliſarium ibi repererunt. Sed & Spadonem Narſetem ad Herulorum principes miſit Imperator, ut eos in Italiam ire militatum induceret. Nec pauci eum ſecuti ſunt, duce inter alios Philimuth, ſimulque in Thraciæ loca cum deveniſſent, ibi egere hyemem; exſpectantes ut primo vere ad Beliſarium irent. Aderat & Iohannes cui cognomentum Phagæ vulgus fecerat, proſperrimumque illis in eo itinere evênit, ut inſigniter rem Romanam juvarent nec opinantes. Paulo quippe ante ingens barbarorum, Slavi qui vocantur, agmen non ita pridem Danubium tranſierant, late populabundi, multoſque Romanorum captivos abduxerant. cum his pugna fortuita congreſſi Heruli, præter ſpem, cum numero multum vincerentur, victores fuere, & internecione facta eos quos captos habuerant Slavi, domum quemque ſuam liberos dimiſere. Hoc ipſo Narſes tempore cum hominem inveniſſet, qui ſibi Chilbudii nomen inſcriberet, viri inter Romanos conſpicui, quondam & exercituum ducis, dolum facile diſcuſſit. Id quale fuerit exponere haud gravabor.

vabor.

vabor. Chilbudius inter domesticos Iustiniani vir fuerat, bello bonus, pecunia invictus adeo, ut illi pro magnis divitiis fuerit, nihil habere. hunc Chilbudium Imperator quarto principatus sui anno in Thracia Ducem Danubii fluminis limiti imposuerat, servaturum ne barbaris in Romanam ripam transitus esset. nam sæpius jam trajecerant amnem Antæ Sclavique ingentibus Romanorum damnis. Tantoque terrori barbaris Chilbudius fuit, ut per annos tres, quos in eo imperio egit, nemo transgressus Danubium Romanis nocuerit: ipsi vero Romani non semel cum Chilbudio in ripam barbaricam transmeantes multos hostium occiderint captivosque egerint. Exacto triennio rursus ut solebat flumen transiit Chilbudius, modico cum agmine, obviosque sibi Sclavos totis ejus gentis viribus habuit. commisso inter eos prælio, cadunt Romanorum multi, & ipse Chilbudius: atque ex eo non desiit barbaris pervius esse Danubius, & expositi excursibus agri Romanæ ditionis, apparuitque vim omnem Romani imperii tantum non potuisse, quantum unius hominis virtutem. Post aliquanto discordes inter se Antæ ac Sclavi prælio certavere, quod Antis improsperum fuit. Ea in pugna vir Sclavus Antam captivum nactus est vixdum puberem Chilbudium & ipsum nomine, cumque eo domum rediit. Hic Chilbudius cum tempore & fidus domino & bello egregius emicuit, periculaque pro domino subire intrepidus fortibus factis famam sibi circumdedit. Eadem tempestate Antæ in Thraciam se injicientes multos inde Romanorum in servitutem abripuere, prædaque læti domum rediere. Ex illis captivis unum ad facilem mitemque dominum fortuna detulit cum esset ipse vafer & promtus quosvis in fraudem illicere. Is cum cupidus in Romanas terras reverti rationem aliam non reperiret, hanc comminiscitur. Ad domini con-

ſpectum admiſſus, laudavit ejus humanitatem, multa ob illam bona à Deo ipſi eventura pro certo pollicens, neque ſibi ingratum animum in tam clementem dominum. quin ſi ſe utilia ſuadentem audiret, effecturum ut brevi magnas divitias adipiſceretur. Eſſe apud Sclavos Chilbudium Romanorum quondam ducem, nunc in ſervi fortuna barbaris ignoratum. ſi pro eo pretium Sclavus perſolveret, virumque illuſtrem Romanis locis redderet, credibile magnam inde gloriam nec minora ab Imperatore præmia ipſi futura. Hæc cum Romanus ille dixiſſet, facile perſuaſit domino, ſecum ut ad Sclavos iret. nam forte induciæ quædam barbaris inter ſe mutuique commeatus erant. Multas pecunias Chilbudii dant domino, emtumque hominem ſecum abducunt. Vbi domum reditum erat, interrogat emtor hominem, eſſetne ipſe Chilbudius dux Romanorum. ille mentiri nolens ordine rem omnem ex vero explicat. Antam ſe gente, cum Sclavis quondam hoſtibus congreſſum prælio captumque: nunc cum intra fines redierit, poſtliminio ſe liberum. ille qui multum auri erogaſſet, graviter perturbabatur, ſpe tam pulchra dejectus. At Romanus cæpti tenax ſolari eum, & veri ſigna confundere, nimirum ne quid ſibi aventi ad penates redire impedimento eſſet. Pertendit hunc eſſe illum Chilbudium, ſed metu, dum inter barbaros ageret, nolle verum eloqui: eundem ſi fines intra Romanos conſtitiſſet, non modo quod res erat non cælaturum, ſed & gloriaturum, nec ſine cauſa, tam claro nomine. Hæc quidem aliquamdiu clam barbaros agebantur. At ubi in multitudinem res innotuit, coiere Antæ prope omnes, publicum eſſe negotium exiſtimantes, magnaque in commune bona ſibi nata eſſe, quod Romanum ducem Chilbudium in ſua haberent poteſtate. Gentes quippe illæ Antæ ac Sclavi non unius reguntur imperio ſed omnium conſenſu, ideoque

eoque si quid utile aut damnosum creditur, de eo in concilio agitur. cætera quoque morum prope eadem utrisque antiquitus. Deum unum fulminis opificem putant, cui res parêre omnes: litant ei bubus cæsis similibusque hostiis. Fati neque nomen norunt, neque ullam ejus in res humanas vim esse existimant: sed si quando mors immineat, sive morbido corpore, sive in belli periculis, victimas Deo vovent, vitæ pretium: si evaserint exsolvunt se voto, salutemque tali sacro redemtam arbitrantur. colunt & Amnes Nymphasque & id genus alia, quibus & ipsis sacra faciunt, & ex sacris futuri signa captant: vivunt in miseris tuguriis, satis longo intervallo separati, nec ibidem diu, sed mutatis crebro sedibus. Vbi pugnandum est, pedibus plerique in hostem vadunt, scutum jaculumque manibus ferentes: loricam nunquam induunt: multis nec tunica nec pallium: feminalia ad pubem adstricti, nec ultra tecti, in prælia se inferunt. Sermo quoque communis duabus gentibus, mirum quam barbarus. nec distat corporis forma. proceri omnes & robore eximii. cutem pilosque nec candidi plane, nec flavi, nec in nigrum decolores, sed rubidi. vivendi modus asper & negligens, qualis Massagetarum, nec minus continuæ sordes. A vafritie ac malitia remoti & hac ipsa quoque innocentia Hunnis similes. Nomen quoque olim Antis Sclavisque unum: Spori vocabantur, credo quod sparsim agros eoque latius habitabant, per ingens spatium in altera Danubii ripa fusi. ita se de Antis res habent. qui tum, ut memorare cæperam, congregati cogebant hominem illum se Chilbudium Romanorum ducem profiteri, adjectis, ni parêret, minis. Hæc dum aguntur Iustinianus legatis ad hanc gentem Antarum missis eos excitabat ut in urbem migrarent antiquam, Turim nomine, quæ Trajano quondam principi condita ripæ Danubii in-

 cumbit;

cumbit, desolata pridem hominibus ob rapinas barbarorum. Neque urbem tantum, sed & quod agri adjacebat, ut Romani ab antiquo juris, illis Imperator largiri se dicebat: neque tantum ad latus se futurum, magnis cum copiis, sed & pecunias daturum liberaliter, ut Romanæ reipublicæ in perpetuum federati, Hunnos, si quà in Romanos fines irrumpere conarentur, arcerent. Hæc audita barbari laudarunt & implere promiserunt, si Chilbudium rursus Romanorum ducem in ipsorum vicinia collocaret, illum esse Chilbudium, quem esse volebant, non dubitanter asseverantes. Inflatus hac spe homo ille, jam & ipse Chilbudius dux Romanorum credi dicique cupiebat, parantemque ea cum fama ire Byzantium Narses in itinere intercepit, tentatumque colloquio, deprehensa fraude, quanquam & latine jam loquentem, & Chilbudii quæ edidicerat signa pulchre imitantem, dat in vincula, coactumque vera edere mox secum abducit Byzantium. Sed unde abiit, retrogrediatur narratio. Dum quæ memoravi curat Imperator, Belisarius Valentinum, suoque è satellitio Phocam nomine, spectatum militia, bono cum agmine mittit Romanum ad portum, ut, quod juxta est oppidum, cum priore præsidio, cui Innocentius præerat, tutarentur, &, si daretur, excursibus factis hostilia castra turbarent. Valentinus igitur & Phocas per clam Romæ missos significant Besæ, mox se subita oppugnatione aggressuros barbarica castra, rogantes ut & ipse, ubi id sentiret, dilectos suorum juberet procurrere, ut ambabus ex partibus damnum hosti majus inferretur. Besæ id, quanquam tria secum habenti millia, non placuit. Hinc factum, ut Valentinus & Phoca, quingentis cum militibus, improvisi, cum in Gotthorum castra irruissent, aliquot eorum occiderent, sed ex urbe, quanquam tumultum obsessi statim persenserant, egresso nemine, sine
damno

damno ſuo in Portus oppidum ſe reciperent. Miſere ad Beſam iterum, incuſanteſque bonam occaſionem ſegnitie omiſſam, hortantur vel nunc quanta vi poſſet in oppugnando hoſte auxilio ipſis eſſet. Sed ille iterum, periculum cauſatus, abnuere. Valentinus & Phoca nihilominus majore quam ante numero in hoſtem inſilire conſtituerant, inque apparatu jam erant, cum Innocentii militum unus ad Totilam perfugiens indicat, poſtridie è Portus oppido in caſtra ipſius irruptionem futuram. ille locis ad hoc idoneis milites acerrimos inſidiis locat: in quas cum incidiſſent poſtridie Valentinus & Phoca, poſt multos ſuorum, cadunt & ipſi. paucos fuga in Portus oppidum retulit. Hoc tempore urbis Romæ antiſtes Vigilius in Sicilia agens naves complures frumento oneratas emiſit, ſperans aliqua ratione Romam qui perferrent penetraturos. Sed, conatu intellecto, hoſtes prævenere, ſeque intra ipſa quæ portum claudunt exædificata parietibus latera abdunt ut ubi inveherentur naves eas facile prehenderent. quo conſpecto, qui in oppido præſidium agitabant, conſcenſis mœnium pinnis, inde jactatu veſtium ſignum dabant navibus, ne pergerent, ſed curſum quovis alio deflecterent. At qui navibus ferebantur, non intellecta ſignificatione, rati gaudere oppidi præſidiarios, & incitatores ſibi eſſe portum ut inirent, vento provehente illico intra portum fuere. Multi in iis navigiis homines erant, interque eos epiſcopus nomine Valentinus. Ex latebris coorti barbari naves indefenſas rapiunt, unoque epiſcopo ad Totilam miſſo, interficiunt cæteros, navibuſque & onere abducto abeunt. Ex epiſcopo quæ voluit percunctatus Totilas, velut falſa dicentem, id enim crimini dabat, præciſis manibus truncat. Hæc eum in modum evenere, finiſque hyemis aderat, claudentis undecimum ejus belli annum, quod Procopio deſcribitur. Interea

Imperatoris accitu is quem dixi Romæ antiſtes Vigilius, cum id opperiens in Sicilia diu ſubſtitiſſet, Conſtantinopolim profectus eſt. At qui Placentiæ obſidebantur Romani, conſuetis cibis deficientibus, ad obſcena alimenta fame ſubacti decurrerant, tanta neceſſitate ut alii aliorum carne veſcerentur, cui vitandæ, ſeque & Placentiam conventione facta Gotthis dediderunt. Quæ ibi dum aguntur, jam & Romam à Totila circumſeſſam vexare neceſſariorum cæperat egeſtas. Erat in urbe ſacri ordinis, quos diaconos vocant, quidam Pelagius nomine, qui per diuturnam Byzantii moram gratiam Iuſtiniani pecuniaſque ab eo adeptus, non ita pridem redierat Romam. Is inter obſidii mala largus impendiis in rerum inopes, ne ante quidem apud Italos ignobilis, multùm ea humanitate famam auxerat. Hunc Pelagium Romani, famis non ultra tolerantes, orant ad Totilam iret, induciaſque in dies paucos conficeret, quos intra ni à Byzantio auxilia adeſſent, urbem ac ſe ſub pactis Gotthorum poteſtati permitterent. Cum hac legatione adeuntem ad ſe Pelagium Totilas, non benigne tantum ſed & cum reverentia exceptum, prior ſic alloquitur. Barbaris mos in commune omnibus legationis ſacra venerari: mihi autem privatim cura vetus, honore colere eos quibus, ut tibi, virtus cordi eſt. Sic autem exiſtimo, honorem contemtumve legati, neque oris neque verborum blanditiis, ſive adſint, ſive abſint, ſed prout vera ſunt aut falſa quæ ei dicuntur, inde cognoſci. Magni enim fit ille qui aperte ſtatim, quod res eſt, edoctus dimittitur: contra illuditur legatus, ſi inanibus fictiſque ſermonibus circumventus abit. Tribus demtis, tu Pelagi, quicquid petieris impetrabis. de tribus illis ſilere te erit rectius, ne, cum ipſe tibi nihil efficiendi cauſa fueris, in nos culpam transferas. Nam intempeſtivis poſtulatis comes eſſe ſolet labor irritus.

Hæc

Hæc eo pertinent, ne pro Siculo quoquam, neu pro Romæ mœnibus, aut de ſervis qui ad nos perfugerunt, verba facias. Plane enim obtineri non poteſt, ut, aut Siculo homini benefaciant Gotthi, utve ſtent Romæ mœnia, utve qui militiam nobiſcum ſumſere, in ſervitutem veteribus dominis reddantur. Ac ne temere ac præferociter hæc dicta credantur, cauſæ nos prolatæ purgabunt. Felix olim inſula erat Sicilia, opibus frugumque proventu abundans, non ut ſibi ſufficeret tantum, ſed ut & quotannis Romanorum expleret neceſſitates. ob id rogaverant Theuderichum, imperii Gotthici initio, Romani, ne multos ibi in præſidiis poneret Gotthos, ne quid inde impedimenti libertati eorum fortuniſve incideret. Hæc cum eum ſe in modum haberent, advenit inſulam hoſtilis exercitus, non virorum numero, non vi alia nobis comparandus. Siculi, conſpecta claſſe, non ad Gotthos indicium pertulerunt, non ſe mœnibus continuere, non quicquam in hoſtes hoſtile moliti ſunt, ſed ultro adapertis oppidorum portis, ſupinis manibus, excepere venientes, nimirum, ut nequam mancipia ſolent, tempus diu ſpeculati, quo fugitivi à veteribus dominis, novos ſibi ignotoſque adſciſcerent. Atque inde velut ex arce effuſi in Italiam hoſtes nullo eam labore Romamque ipſam ceperunt, tanta ex Sicilia frumenti advectione, ut ipſi una cum urbanorum multitudine toto anni ſpatio obſidium tolerare valuerint. Sic ſe de Siculis res habet, quibus ut ignoſcant Gotthi, fieri nequit, quando criminum gravitas omnem ad miſericordiam præcluſit aditum. Mœnia iſta quod attinet, iis hoſtes incluſi nunquam in æqua deſcendere, ut prælio nobiſcum certarent, voluere, ſed cum diu Gotthos aſtu ac fraudibus eluſiſſent, mox præter ſpem noſtra invaſere. Ne idem in poſterum patiamur, cautionis noſtræ eſt. Nam ſi, quos ſemel error

 afflixit,

afflixit, in idem malorum recidant, non proviso damno quod experti nosse debuerant, non fortuna adversa talis infelicitatis, sed ipsorum imprudentia optimo jure titulum fert. quid quod auferri Romæ muros, vestra refert potissimum? Neutri enim posthac exercitus obsepti atque à rebus necessariis interclusi obsidii tædia perferent: sed prælio inter se viriliter certabunt utrique, præmium autem victoriæ sine vestro periculo vos, Quirites, eritis. De servis qui ad nos confugêre, hoc dicemus. Si eos qui nobiscum contra hostem in acie steterunt, fide data nunquam fore ut in veterum dominorum manus dederentur, vobis nunc prodimus, ne apud vos quidem fidem inveniemus. Plane enim fieri nequit, ut qui pacta in homines omni miseratione dignos violaverint, in alios animi sui constantiam demonstrent, sed necesse est, ut perfidiam, velut ingenii sui notam, ad omnes, quibuscum negotium habent, circumferant. Dixerat hæc Totilas. Respondit autem Pelagius: Præfatus, vir magne, cordi tibi esse, & me privatim, & nomen injunctæ mihi legationis, vilem me, quam maxime potes, habuisti. Nam contumeliis afficit & amicum & legatum, me quidem judice, non magis si quis colaphos infringat aliaque faciat impotenter, quam si ad se missum spei suæ irritum remittat. Non enim, ut honores ab iis quos adeunt consequantur, legationis onus suscipere homines solent, sed ut iis abs quibus sunt missi aliquid boni reportent: ita ut satius futurum sit, contemtim habitos efficere, quorum ergo venerunt, quam auditis verborum blandimentis rerum inanes reverti. Ego an quid deprecari debeam eorum quæ tam destricte effatus es, equidem nescio. quid enim prosit molestum esse ei, qui, defensione nondum audita, rei prædixit exitum? Vnum haud reticuerim, apparere quam clemens in Romanos

nos

nos qui in te arma tulere futurus sis, qui Siculis nunquam tibi adversatis odium implacabile denunties. At ego, omissis ad te precibus, legatione apud Deum fungar, qui de supplicum contemtoribus pænas solet exigere. His dictis abiit Pelagius. quem ut Romani reversum infecto negotio videre, angi animis. nam in dies ingravescens fames acerbissime eos tractabat, facilius tolerante milite cui residuum aliquid erat alimenti. Quare facto Romani ad militum præfectos Besam Cononemque concursu, multo cum fletu lamentisque in hæc verba prorupere. Tales sunt, fortissimi duces, res nostræ, ut etiamsi quod in vos admitteremus nefas, vitio id nobis verti non deberet, cum ultima necessitas, quæ cogit, excuset. Et nunc nos quidem, cum rebus ipsis invenire malis nostris remedium nequeamus, verbis lachrymisque monstraturi calamitatem nostram, vobis adsumus. vestrum erit clementer audientiam dare, neque verborum offendi asperitate, sed ea æstimare pro eorum quæ patimur modo. qui enim salutem suam desperare adigitur, is jam nec sermone nec factis tenere se potest intra decori regulam. Non id rogamus, duces, ut nos Romanos, sanguine moribusque conjunctos vobis, ut sumus, habeatis. etiam sponte, ut primum advenit Imperatoris exercitus, apertas à nobis portas, patimur, obliviscamini. Facite nos hostes fuisse, stetisse in armis contrariis, victos prælio belli lege in servitutem vobis cessisse. date, ut captivis vestris, alimenta, non solita, non quæ naturæ desideria expleant, sed quantilla spiritum hunc in corpore retineant, ut vitam sic trahentes exhibeamus vobis operas quales servi dominis præstant. si id faciendi volentibus vobis deest copia, at manu vestra nos mittite, vel hoc lucri facturi, ne de humandis servis cura vos fatiget. Si & hoc durum impetratu, saltem occidite nos, neque invidete

 hone-

honeſtum exitum, & inter circumſtantia ſuaviſſimum mortis genus, unoque facto innumeris malis Romanos abſolvite. Beſa quique ei aderant his auditis dixere, non eſſe ſuæ poteſtatis eos paſcere, & occidere impium, dimittere intutum. ſed Beliſarium affirmantes jamjamque Byzantio cum exercitu adfore, hoc cum ſolatio eos dimiſere. Interea quo magis protendebatur obſidio, intentior fames inſolitos humanæque naturæ alienos cibos ſubjecerat. Ac primum Beſa ac Conon præſidii, quod Romæ erat, rectores, frumentum (multum enim intra mænia ſuos in uſus ſepoſitum habebant) & milites ſuo de dimenſo reciſum, opulentioribus Romanorum magno pretio vendebant. ſeptem aureos medimnus valebat. quibus arctiores res erant quam ut tam caro victu uterentur, pretii ejus parte quarta furfuris medimnum referentes eo ſe ſuſtentabant. id in dapes deliciaſque ipſi neceſſitas verterat. Bovem ſi quem Beſæ protectores egreſſi ceperant, Romanis venditabant, aureis quinquaginta. ſi cui bos aliave quadrupes mortua obtigiſſet, is inter Romanos beatus ducebatur, cui carnes mandere, quanquam morticinas, liceret. Plebs cætera urticis paſcebatur, quæ ſub mænia, inque parietinis intra urbem multæ naſcebantur. Eas, ne aſperitate labris ac gulæ incommodarent, diligenter coctas ori ingerebant. Hunc in modum Romani, quamdiu pecuniæ manſit aliquid, frumento alii, alii furfure emto victitabant. Vbi pecunia defecerat, vaſa in forum portantes, inde quo diem de die ducerent comparabant. Ad ultimum, cum nec militibus frumentum eſſet quod venderent, præter paulum quod ſibi Beſa ſervaverat, neque Romanis unde emerent, urticas ſpectare quiſque. ſed cum hæ quoque tantæ multitudini non ſufficerent alendæ, brevi caro vaneſcere, color in luridum verti, ita ut larvis ſimillimi ho-

mi homines viderentur. quidam urticas dum adhuc dentibus terunt, ſubito intermortui in terram cecidere. Pars & humanæ alvi purgamenta in cibum ſumſere. Fuere & qui fame inciti violentas ſibimet manus inferrent, cum non ultra jam canes, non mures, non alia animantium mortua ad veſcendum reperirentur. Erat inter Romanos quidam quinque libêrum pater: quem circumſtantes pueri, arrepta veſte, alimenta poſcebant. ille neque flens, neque aliud dans perturbati animi indicium, ſed intra ſe motus ſuos magna conſtantia recondens, jubet pueros ſequi, velut cibum accepturos, atque ubi Tiberis in pontem devenit, pallio ob os religato, velans oculos de ponte in amnem deſilit, ſpectantibus non liberis tantum, ſed & Romanorum multitudine. Tum vero Romani duces, aliis acceptis muneribus, permiſere Romanis ire quo vellent. paucis admodum manentibus abiere cæteri, quo poterant quiſque. Nonnulli deficientibus ob longam inediam viribus, inter navigandum eundumve, vivendi finem fecere. Huc Senatus populique Romani fortunæ devenerant. Poſtquam cum Iohanne atque Iſaace exercitus Epidamnum venit, junctuſque Beliſario eſt, conſilium Iohanni fuit, omnes ut tranſmiſſo, qua proximum, Adria, pedeſtri deinceps itinere pariter ferrent quæ caſus tuliſſet. Beliſario id non ex uſu videbatur: ſed Romæ vicina navigari, rectius fore. nam pedeſtre iter tanto agmini & longum & multis quæ intervenire poſſint, obnoxium. ſed poſſe Iohannem capta per Calabriam finitimaſque terras via, ejectis qui non multi illis in locis erant barbaris, & Italiæ quod Adriæ adjacet ſubacto, rurſum ſe apud Romæ propiora ſociare exercitui, quem eo interim ducturus erat ipſe Beliſarius. quippe ultima obſidii mala tolerantibus Romanis, non imprudenter exiſtimabat etiam ex minima mora malum naſci
poſſe

posse insanabile. Et navigantibus quidem, si aspiraret ventus, quinto die attingi portum Romanum posse, cum ab Hydrunte pedestre iter dies absumturum esset quadraginta. Talibus cum mandatis dimisso Iohanne, vela cum exercitu fecit Belisarius, ac vehemente vento Hydruntem perlatus est. quod ubi sensere qui id oppidum circumsederant Gotthi, obsidione derelicta Brundusium abeunt, bidui itinere Hydrunte absitum in ipsa maritima ora sine mænibus locum, cumque existimarent Belisarium illuc mari trajecturum, Totilæ cuncta significant. Is velut occursurus paratum tenet exercitum, ac Gotthis qui in Calabria erant imperat, quantum possent, transitum illac ut intercludant. Vt Belisarius prosperos nactus ventos Hydrunte abiit, Gotthi remissa cura negligenter satis in Calabria agebant, & quietum se tenens Totilas id laborabat unum, ut obseptis Romam itineribus, nequid commeatuum inferretur, impediret, quam ad rem in Tiberi quod dicam moliebatur. loco reperto, ubi maxime in angustum se cogit amnis, is ab urbe stadia aberat nonaginta, trabes ita ingentes ut à ripa altera ad alteram pertingerent, pontis in modum componit, positisque in utraque crepidine ligneis turribus, præsidio eas acrium militum firmat, ne scaphis aliisve navigiis à portu in urbem pervium esset flumen. Interea in eum portum appulit Belisarius, ibi Iohannis exspectaturus exercitum. At Iohannes trajecto Adria Calabriam attigerat, Gotthis ignoratus qui ad Brundusium hærebant, comprehensisque exploratoribus ab hoste missis duobus, alteri vitam ademit: alter genua ejus advolutus mortem deprecabatur, spondens perutilem se ipsi Romanoque exercitui fore. Interrogante Iohanne, quod concessæ vitæ præmium sibi Romanisque adferret, dixit effecturum se, ut Gotthos plane incautos supervaderent. Affirmavit ei

vit ei Iohannes non irritas preces fore, modo primum loca, quibus hoſtium equi paſcerentur, monſtraret. Barbarum & hoc pollicitantem ſequitur. Ac ſtatim captis hoſtium equis, inſiliunt in eos equos qui pedibus venerant multi atque egregii. Inde curſu irruunt in Gotthorum caſtra, qui inermes & imparati, perculſi præterea tam inopino caſu, plerique nihil repugnantes cecidere: paucos fuga ad Totilam pertulit. Calabros Iohannes verbis factiſque demulcens ad obſequium Imperatoris illiciebat, multa ab Imperatore, multa ab exercitu ipſis bona oſtentans. Brunduſioque illico, ut feſtinabat, digreſſus, oppidum capit Canuſium nomine, media in Apulia ſitum, quinque ferme dierum à Brunduſio itinere occaſum Romamque verſus. Ab hoc Canuſio ſtadia viginti quinque Cannæ abſunt ſtrage Romana, Annibale Pænos olim ductante, nobiles. Hic Iohannis in conſpectum Tullianus venit, Venantii filius, vir Romanus, magnæ per Brutium Lucanoſque opulentiæ, multa incuſans Romanos milites, ſæve antehac in Italos patratorum: ſimul pollicens, ſi clementius agerent inpoſterum, ſe & Brutios & Lucanos ipſis traditurum, ut Imperatori, ſicut ante conſueverant, ſub tributaria lege parerent: neque enim ſponte acceſſiſſe eos barbaris & Arianis, ſed coactos, partim vi hoſtium, partim ſociorum injuriis. Iohanni ſpondenti cuncta poſthac Italis quæ optarent eventura, comitem ſe addit Iulianus. Ex eo ſublatis milites inter Italoſque offenſis, quæ in Adriæ ora jacent omnia amica militi Imperatorique ad obſequium promta fuere. queis Totilas compertis, dilectos Gotthorum trecentos Capuam mittit. His præcipit, ſimul ex illis partibus movere Romam Iohannis exercitum intelligerent, ſenſum ſui nullum præbentes eum ſequerentur: ſibi cætera curæ fore. At Iohannes, metuens ne ab hoſte circumfundere-

deretur, ad Belisarium ire abstinens, in Brutios Lucanosque declinat. clarus erat inter Gotthos Ricimundus, Brutiorum custodiæ præfectus à Totila, inque id partim Gotthos secum milites habens; partim Romanos Maurosque perfugas, ut fretum celebratum Scyllæ fabula, eique imminens Italiæ littus incubaret, ne cui inde Siciliam aut è Sicilia illuc navigare tutum foret. In hos milites ita subitus, ut & nuntios præveniret, Iohannes semet injiciens, magnum pavorem intulit, trepidosque statim in fugam egit, qua montem proximum, uno aditu arduum, præcipitem cætera, petebant. sed Iohannes eos per clivum insecutus, & priusquam inpræfracta penetrarent, deprehensos adortus, Maurorum ac Romanorum plurimos, quanquam fortiter dimicantes, interfecit: Ricimundum & Gotthos, quique aderant gentium aliarum, pacto in potestatem accepit. Iohannes his peractis ibi substitit. At Belisarius eum perpetuo opperiens, quietum se tenebat, incusans eum, quod non, vel cum periculo, trecentis illis qui Capuam servabant pugna congressus, viam illac tentasset, præsertim cum barbarorum lectissimos secum haberet. verum Iohannes transire desperans, in Apuliamque digressus, loco cui Cervaria nomen est, sedit. Magis jam magisque sollicitus pro obsessis Belisarius, ne fame urgente ad ea truderentur, quæ remedium non reciperent, id animo agitans, quomodo commeatus in urbem inferret, impar viribus ad subeundum in æquo certamen, ad solertiam se vertit. onerariis navibus duabus latis admodum, conjugatis arcteque inter se devinctis, turrem imponit ligneam, non paulum ea editiorem quam ponti hostes adfabricaverant. Dimensus enim accurate fuerat missis è comitatu suo qui ad barbaros transfugientium specie explorarent. Tum naves, quas dromonas vocant, ducentas,

tas, exstructis è ligno lateribus, in Tiberim demittit, latera ipsa multifariam perforans ut inde tela in hostem mitterentur: impletque frumento, rebusque aliis necessariis, & acerrimis militum. Alios tum pedites, tum equites disponit idoneis locis ad utramque ripam quà Tiberis exit, præcipiens ibi ut manerent, & hostem, si forte contra Portum oppidum iret, vi omni prohiberent. Isaacæ id oppidum custodiendum tradidit, unaque uxorem suam, & si quid dignum servari secum habebat, edicto ne præsidio abiret, etiamsi hostium manibus interfectum intelligeret Belisarium, sed locum tueretur, ut esset, si quid sinistrius accidisset, quo se Belisarius ejusque milites reciperent, quod nullum in vicino aliud esset suffugium, cunctis circa hostilibus. Ipse conscensa dromonum una, classi præiens, sequi jubebat onerarias quibus turres instruxerat. Turri summæ lembum appenderat, plenum pice, sulfure, resina, & si quid aliud ignem cito pascit. in ripa altera, quà à Portus oppido Romam itur, pedester auxilio aderat exercitus. Miserat & ad Besam pridie, ut secutura luce multo cum agmine erumpens turbaret hostium castra, quod & ante non semel ei præceperat. sed neque tum Besa neque hoc tempore jussa exsequi in animum induxerat. Namque ipsi soli frumenti nonnihil supererat. Quod enim jam ante Romam miserant Siciliæ præfecti, ea copia ut & militi & urbanis sufficere posset, ejus perparum ipse urbanis distribuerat, maximam partem verbo in militum usus, revera sibi retinens, quod caro admodum senatoribus divenderet: atque ob eam caussam solvi obsidionem non cupiebat. Belisarius ergo Romanusque cum eo exercitus navigatione satis difficili adversum in amnem enitebantur, nusquam obviis Gotthis, sed intra vallum se claudentibus. Progressi, ut à ponte non multum abessent, in excubias incidunt,
qui-

quibus ad utrunque fluminis latus custodia catenæ mandata erat, quam non multo ante à ripa ad ripam extenderat Totilas, ne ad pontem usque pervadere hostes possent. custodum multis occisis telorum injectu, fugatis cæteris, subducta catena, jam ad pontem pergebant Romani. Eo ubi pervenerant, vim admovent, neque segnius de turribus se tutantur barbari. Et qui in castris erant, tumultu exciti, cursu eodem se conferunt. Tum onerarias naves Belisarius, quibus ipse suas indiderat turres, proxime provehens ad hostium turrium alteram, quæ in Portuensi via ad aquam stabat, jussit scapham, inflammatam prius, in eam turrim dejici. Scapha turrim, simul illapsa est, incendit, & cum superstantibus Gotthis, ducentis admodum, exussit. Periit inter eos is qui Gotthis præerat, vir bellica laude in ea gente præstantissimus. Hoc successu audentiores Romani eos qui ex castris opitulatum suis venerant barbaros missilibus multo quam ante acrius infestabant, donec illi vulneribus malisque fessi verterent terga, & qua quisque poterant, fugam intenderent. Iam pontem attigerant Romani, eoque corrupto processuri ultra erant Romam usque, obstituro nemine. Sed quando fortuna alio se datura erat, nescio cujus numinis invidia res Romanorum in eum quem dicam modum perversæ sunt. Quo tempore inter adversos exercitus, quæ jam memoravi, agebantur, ingenti Romanorum malo fama Portus in oppidum perlata vulgavit, amotam è flumine catenam Belisario, cæsos barbaros quæque his cohærentia dicere occupavi. Isaaces, hæc ubi audierat, retinere se non ultra valens, partem gloriæ arripere properabat, spretisque Belisarii mandatis citus in ripam alteram, in qua Ostia est, se proripit, attractisque centum equitibus, quos ibi constituerat Belisarius, castra hostium assilit, quibus Roderichus præ-

erat

erat vir bello egregius. ibi in barbaros improvisus irruens, tum alios, tum ipsum Roderichum vulnerat. Gotthi castris derelictis abeunt, sive majorem vim militum Isaacæ auxilio venire suspicantes, sive dolo in hostem, ut eum irretirent, quod & evenit. Namque Isaaces, & qui cum eo erant, simul castra intraverant, pecunias & si quid aliud pretiosum rapere, nec quicquam ultra curabant, cùm redeuntes Gotthi, multis hostium interfectis Isaacum & cum eo nonnullos captos auferunt. statimque ad Belisarium equites cursitant, teneri à Gotthis Isaacum nuntiantes. Perculsus atrocitate rei Belisarius, nec inquirens quomodo in hostium potestatem venisset Isaaces, & Portus oppidum & uxorem & res omnes periisse credens, & nihil usquam muniti restare quo suffugium haberent, hæsit stupidus, quod ei antehac nunquam acciderat. mox retro agit exercitum, velut superventurus incautis imparatisque hostibus & quocunque posset modo oppidum recuperaturus. Sic Romanus miles irritus præclare cæpta deseruit. In Portus oppidum ut venit Belisarius, ibi statim cognovit & Isaacæ amentiam & suam sine causa animi perturbationem, tantumque ex eo infortunio dolorem cepit, ut etiam corpori morbum contraheret. Febris enim eum invasit, diuque cruciatum in periculum implicuit morti proximum. Biduo post quam illa evenerant, concessit vita Roderichus, quo casu incensus Totilas Isaacæ necem intulit. Besa interim frumentum vendendo ditescebat, in immensum aucto per ementium egestatem pretio, nec quicquam præterea cordi habens, nihil de tutandis mænibus, nihil de re ulla ad salutem publicam pertinente cogitabat. militum cui libebat otiari permissum. in mænibus excubiæ & tenues & negligentes. quibus vigiliarum vices obvenerant, somni capiendi quanta vellent licentia, nemine eis im-

 posito

posito qui id curaret, nec ullo, ut militiæ mos est, circumeunte mænia qui excubitores quid agerent percunctaretur. sed nec urbanorum quisquam custodiæ ipsis particeps erat. nam & pauci, ut dixi antea, restabant, & hos ipsos fames mirum in modum exederat. Ergo Isauri quatuor, prope Asinariam portam excubantes, noctis tempore capto, quo dormire permissum cæteris juxta militibus, ad ipsos autem mænium tutela spectabat, de pinnis demissis funibus qui ad humum pertingerent, eos ambabus prensantes manibus, extra mænia delabuntur, & ad Totilam progressi spondent se ipsi Gotthisque militibus urbem patefacturos. esse enim id suæ potestatis & quidem perfacile. Atque is magnas grates magnasque pecunias pollicitus, si promissa exsequerentur, de suo comitatu duos cum eis mittit, inspecturos locum, qua Gotthis aditus promittebatur. Hi, ut ad mænia ventum est, arreptis funibus in summa mænia enituntur, nemine contra vocem edente, aut omnino, quod agebatur, sentiente. ibi adstantibus ostendunt Isauri, quam non modo adscensus esset facilis, sed &, postquam adscensum erat, quidlibet agendi plena libertas, nullo hominum obstituro. Id Totilæ renuntiare jussos dimittunt. Gavisus auditis Totilas, aliqua tamen hærente suspicione, non satis Isauris credebat. Non multis pòst diebus redeunt ad eum eidem homines ad agendum incitantes, quibus cum alios duos mittit Totilas, ut & hi cuncta bene explorata sibi referrent. illi reversi prioribus congruentia renuntiant. Interea Romani milites aliquam multi speculatum emissi ab urbe non longe in via decem in Gotthos incidunt, quos ad se perductos Besa interrogat quid agitaret Totilas. Respondent Gotthi in spe eum esse Isauris aliquot prodentibus capiendæ urbis. nam jam ejus rei fama per barbarorum exercitum manaverat.
Hoc

Hoc etiam indicium Beſa & Conon, tanta erat ſupinitas, ad animum non vertere. Tertiumque Iſauri, conventum Totilam, ut rem conficiat, admonent. Et ille cum iis ſuorum denuo mittit aliquos, & in his quendam ſanguine ſibi propinquum. qui cuncta bene perſpecta reportantes hortatus ſuos addidere. Tum demum Totilas nocte cæpta armatum ſilentio exercitum prope portam duxit Aſinariam, & Gotthorum quatuor, animi virtute corporisque robore eximios, per funes in mænia eniti jubet Iſauris comitantibus, in id tempus noctis quo vigilandi vices ad Iſauros reverſæ cæteris mænium cuſtodibus ſomnum indulſerant. Hi ubi ſuper mænia ſtetere, continuo ad portam curſant Aſinariam, prohibente nemine, vectemque ſecuri diffringunt, quo inſerto jugari, ferreasque inſuper commiſſuras in quas immiſſis clavibus aperiri & claudi, ut uſus facto erat, portæ per cuſtodes ſolebant. ita facto aditu, nullo cum periculo Totilam urbe accipiunt, ejusque exercitum. quem ſtatim in unum coëgit Totilas, ſpargi vetans, metu ne quid inſidiarum ab hoſte ſtrueretur. At vero per urbem clamor tumultuſque pro tam inopini caſus magnitudine exoritur: territique pars maxima militum & duces per averſam portam fugiunt, quo quemque perferre pedes poterant. Pauci cum nonnullis urbanorum in ſacras ædes ſupplices ſe recipiunt. Patriciorum Decius & Baſilius, quod equos haberent, Beſam comitati ſunt & ipſum equo fugientem. Maximo, Olybrio, Oreſtæ, nonnullisque aliis ædes Petro Apoſtolo dicata confugium fuit. Plebis Romanæ quingenti ferme ſupererant. hi quoque ægre ad loca ſacra recipere ſe valuerunt. cæteri pridem partim in alias abierant terras, partim inedia extabuerant, ut ante memoravi. Eadem nocte multi ad Totilam venere nuntii, fugere Beſam & cum eo hoſtium multos. ille

rem lætam ad ſe perferri teſtatus neminem inſiſtere elapſis paſſus eſt. quid enim, inquit, homini ſuavius contingere poſſit hoſtium fuga? Vt illuxerat, omniſque doli ademta ſuſpicio, in Petri Apoſtoli ædem precaturus ivit Totilas. Gotthi interim cædebant obvios. periere ſic militum viginti ſex, de plebe ſexaginta. Ingreſſo in ædem Totilæ Pelagius adverſum it, Chriſti oracula manibus ferens, omniaque ſupplicum præferens, Parce inquit tuis Domine. At ille acerbius irridens, nunc, inquit ſupplicatum venis Pelagi. Sane, ſubjecit Pelagius, quia me Deus ſervum tuum fecit. Sed tu Domine ſervis jam tuis ignoſce. Harum precum reverentia tactus Totilas Gotthis interdixit, ne quem poſthac Romanum occiderent, rerum quæ maximi pretii ſibi ſervari, cæteras militibus prædæ cedere voluit. Multa in ſenatorum domibus reperta: plurima ubi Beſa diverſatus fuerat. Scelerata ſcilicet illa frumenti pretia, narrata mihi antehac, infelix Totilæ cogerat. Sic evenit, ut tum alii Romanorum, tum etiam ſenatorii ordinis viri, ipſaque adeo Ruſticiana Boëthii quondam uxor, Symmachi filia, quæ ſuas facultates egentibus elargita fuerat, ſervili aut ruſtico habitu tecti, hoſtili miſericordia, modo panem modo aliud quid neceſſarium rogantes viverent. Nec eos paulo ante tam ſpectabiles pudebat de domo in domum pulſare oſtia & miſeriæ alimenta precibus eblandiri. Et Ruſticianam quidem interficere Gotthi flagrabant, quod ad Theuderichi imagines abolendas Romanos magiſtratus mercede data impuliſſet, dum patris Symmachi maritique Boëthii mortes ultum it. Sed Totilas nihil ei noceri paſſus eſt: cæteras quoque mulieres à Gotthis explendam ad cupiditatem avide expetitas, ſervavit intactas, ita ut non virginis, non matrisfamilias, non viduæ ullius corpori illuſum ſit; unde magna illi modeſtiæ fama.

Poſtri-

Postridie concitos ad se Gotthos sic Totilas alloquitur. Non nova neque incognita vobis præcepta daturus huc vos, commilites, convocavi sed eadem dicturus quæ sæpe antehac, & quæ secutis maxima vobis bona evenere. Quare ne negligenter audite hæc monita. sermonum enim qui ad felicitatem ducunt nulla homini esse debet satias, etiamsi tædiosa sit repetitio, quando quæ eos consequuntur minime sunt digna recusari. Dico igitur nos antehac, cum ducenta haberemus militum acerrimorum millia, pecuniæ, equorum, rerumque omnium copiam, senum consilio valentium, quod in periculis vel maximum est, bonum numerum, à septies mille Græculis victos, imperioque & rebus amari solitis omnibus derepente exutos. Nunc vero nobis paucis nostrorum superstitibus, nudis ac miserabilibus, & agendorum imperitis, contigit de hostibus plus vicies mille deportare victoriam. Hæc eorum quæ gesta sunt summa est. causas cur ita evenerint vobis, quanquam non ignaris, eloqui haud pigebit. Gotthi antea jus postremo loco ponentes, in populares & subditos plurima inique agebant. Ob quæ infensus iis Deus hostium armis adjutor tunc fuit. ideo multitudine, virtute, belli paratu supra hostem positi, vi quadam latente nobisque incognita, infra eos dejecti sumus. Quare sic habete, ea quæ amari ab hominibus solent, ita vobis salva fore si justitiæ reverentiam servaveritis. si transitis in mores alios, etiam Deum ad hostes transiturum. Neque enim ille aut omnibus omnino hominibus, aut uni alicui genti addicit se socium. sed iis adesse amat quibus æquum bonumque cordi est. Hæc eo pertinent ut memineritis & inter vos & in subditos justa agere, id autem idem est ac si dicam, custodire vobismetipsis felicem statum. Hæc Gotthis elocutus Totilas, mox Romanos senatores ad se vocatos multa incusat, expro-

 brans

brans quod magnis à Theuderico Atalarichoque beneficiis aucti, ipsi evecti ad magistratus, permissa ipsis republica, florentes opibus, in Gotthos tam bene de se meritos ingrati, defecissent suo malo, Græculisque in patriam impositis semetipsi ita temere prodidissent: Et modo percunctabatur, ecquid ipsis nocuissent Gotthi: modo promere jubebat, quid ipsis ab Iustiniano Imperatore evenisset boni: deinde enumerabat, quæ accidissent singula, ut honoribus exuti essent, ut à dispunctoribus contumeliose habiti, ut evocati ad rationes eorum quæ sub Gotthorum imperio gessissent, ut inter gravissimas belli miserias tributa coacti Græcis pendere, non minora quam in alta pace, addebatque multa insuper, qualibus irati domini objurgare servos solent: Herodianumque ipsis monstrans & qui urbem patefecerant Isauros. Vos, inquit, inter Gotthos educati in hunc diem ne incultum quidem locum aliquem nobis dedistis: at hi nos urbe Roma, hi Spoletio accepere. Quare vos quidem in posterum servorum eritis loco: Hi Gotthis amici, hi cognati, ut meriti sunt, erunt: hi in honores vestros succedent. At Pelagius deprecari pro iis, quo suo errore in malorum gravissima incidissent, non prius abstitit, quam clementia se usurum Totilas promisit. idem mox Totilas eundem Pelagium, cumque eo dicendi magistrum, Theodorum nomine, ad Imperatorem Iustinianum mittit legatos, gravissimo alligatos jurejurando, fidos se ipsi fore & quamprimum in Italiam ut redirent omnem daturos operam. Mandatum ut pacem ab Imperatore impetrare eniterentur, ne cogeretur Totilas urbe solo æquata, atque interfecto senatu bellatum in Illyrios pergere. accedebant ipsius Totilæ ad Iustinianum literæ. Audierat jam Imperator casus Italiæ, cum ad eum venere legati, eique enuntiavere mandata Totilæ, ejusque literas tradiderunt

derunt ſic habentes. Quæ urbi Romæ evenerunt cum ſcire te credam, dicere abſtineo. At quorum cauſa legatos miſi jam noſces. Rogamus te bona ut pacis dare atque accipere velis. Exemplum nobis ac documentum ſunto recens Anaſtaſius & Theuderichus, qui ſui regni tempora tranquillo otio, & rebus proſperrimis implevere. Hæc ſi tibi probantur, pater mihi vocaberis, ſociisque nobis in quos voles hoſtes uteris. Hæc poſtquam legit Iuſtinianus & his congruentia legatorum verba intellexit, illico eos remiſit, hoc ſolo cum reſponſo, quod & perſcriptum ad Totilam perferendum dedit, ſumma cum poteſtate bellum mandatum Beliſario. quare & quid cum Totila agendum, ipſius arbitrium fore. Dum vero hi legati Byzantium eunt, atque inde in Italiam revertuntur, hæc interim in Lucania evenere. Tullianus coacta agreſtium multitudine aditum regionis peranguſtum tuebatur, ne illac hoſtes populandam ad Lucaniam irrumperent, ſocios ad cuſtodiam habens ad Antas trecentos, quos ei roganti Iohannes nuper conceſſerat. Eſt enim ea gens barbarorum maxime idonea pugnare in locis confragoſis. quo Totilas cognito, Gotthorum vim eo mittere non ex uſu judicabat. ſed collecta & ipſe agros colentium turba, paucis additis Gotthis, nihil inexpertum relinqui jubet quo fauces penetrarentur. Poſtquam concurſum eſt, ingens fit prælium. Tandem Antæ ſua virtute & locorum ſalebris adjuti una cum Tulliani agreſtibus hoſtem in fugam vertunt, cædesque fit multa. Id poſtquam Totilæ nuntiatum eſt, Romam conſtituit proſternere: atque in ruinis maximam partem relinquere exercitus: cum reliquo ire ad Iohannem & Lucanos. Iamque mænium diruta erat pars, quantum conjicere licet, tertia diverſis in locis, propoſitumque incendere domuum pulcherrimas ſuperbiſſimasque, & de Roma terram

paſcuam facere: cum eo intellecto Beliſarius legatos ac literas ad eum mittit. qui ad conſpectum perducti Totilæ mandata exponunt, ſimulque literas tradunt hoc tenore. Ante hac ſic exiſtimatum eſt, ſpecioſa ſtruere opera ſapientum eſſe & civilis vitæ ſcientium: ſtructa demoliri, ſtultorum, & vecordis animi ſigna ad poſteros tranſmittere non erubeſcentium. Romam conſtat urbium quas Sol aſpicit maximam eſſe ac ſpectatu digniſſimam. Ea non unius labore hominis, nec brevi tempore ad id magnitudinis ſplendoriſque proceſſit. ſed plurimi reges atque Imperatores, virorum eminentium immenſa ſeries, multa ſæcula, divitiarum ſtupenda congeries, tum alia tum artificum primos huc traxere. ita illi tanta urbe paulatim effecta monumenta ſuæ virtutis poſtfuturis reliquere. Quare in eam ſævire, id vero injuriam ſit facere humano generi omnis ævi, eripiendo iis qui olim fuere debitæ laudis memoriam, venturis vero ſpectaculi voluptatem. Hæc cum eum in modum ſe habeant, cogita neceſſario de duobus alterum futurum, ut aut in hoc bello vincaris ab Imperatore, aut tua fortuna ſit ſuperior. ſi tu victor, everſa urbe non aliena ſed tua perdideris: eadem ſervata, poſſeſſione frueris omnium ſpecioſiſſima. Si adverſa tibi ſors ceciderit, Roma per te incolumi, repoſita tibi erit apud victorem gratia: eadem jacente, jacebunt extra omnem ſpem miſericordiæ res tuæ. Neque tantum nullus ad te facti fructus redibit, ſed & digna facto fama te ab hominibus univerſis ſequetur. Ea in utram velis partem tibi parata eſt. Nam potentum quales ſunt actiones, talis exiſtimatio. Hæc à Beliſario ſcripta cum lectitaſſet aliquoties Totilas, ex provide monitis documentum ſibi ſumens, nihil ultra in urbem Romam inhumane fecit: ſuumque hunc animum ſignificavit per legatos Beliſario. Tum partem majo-

majorem exercitus in Aldigo castris positis quiescere jubet, qui locus non ita longe ab Vrbe in occasum ad centum & viginti ferme stadia abest, id agens ne Belisarii militibus Portus oppido egredi liceret. Ipse cum suarum copiarum parte alia contra Iohannem & Lucanos progreditur, Romanorum qui senatorii erant ordinis secum trahens, alia omni urbanorum multitudine, virilis muliebrisque sexus & pueris in Campaniæ agros missis, ita ut Romæ nemo hominum restaret, sed vasta ibi esset solitudo. Iohannes, ut Totilam adversum se venire comperit, non ultra morandum in Apulia ratus, Hydruntem cursu se recipit. At Senatores Romani qui in Campania erant volente Totila misere suorum quosdam in Lucanos qui colonis ipsorum edicerent, ne se armis miscerent, sed agros, ut antè, colerent: id gratum agrorum dominis, ipsisque non sine præmio futurum. Ita illi Romano exercitui se subduxere, vitamque inermem ruri egere. Aufugit Tullianus. Antæ trecenti ad Iohannem se conferunt. ita omnis ora Adriæ maritima, demto Hydrunte, rursus sub Gotthis ac Totila fuit. Elati hoc successu barbari per cuneos sparsi huc illuc vagabantur. Gnarum id Iohanni, qui suorum non paucos immisit in palantes: atque hi superfusi improvidis non parum stragis ediderunt: cautiorque ex eo Totilas, cunctis quas habebat contractis copiis, ad Gargarum montem, qui se media in Apulia erigit, castris positis, ubi sua quondam dux Pænorum Annibal vallaverat, quietum se continuit. Hoc ipso tempore eorum unus, qui cum Conone Roma, cum urbs caperetur, profugerat, Martinianus nomine, Byzantinus domo, Belisarium accedens, aperit velle se transfugio simulato ad hostes ire, magnas inde Romanis utilitates confecturus. Cum placuisset commentum Belisario, abit. Ingenti eum cum gaudio accepit Totilas, quem singularibus pugnis egre-

 gium

gium non famâ tantum ſed & viſu cognôſſet. Cumque illius & uxor & liberi duo inter captivos haberentur, uxorem filiorumque alterum ſtatim ei reddidit : alterum pro obſide retinens inter alios Spoletium miſit. Ejus oppidi, cum ab Herodiano deditum id acceperant, Gotthi diruerant mœnia. At in eo quod extra oppidum erat amphitheatro, obſtructis aditibus, præſidium collocaverant, partim ſuæ gentis, partim Romanos perfugas, in agri circumſiti tutelam. Martinianus ex his quoſdam ſibi conciliatos impellit ut inſigni in barbaros edito facinore Romana ad caſtra reverterentur, miſit & ad præfectum Peruſini præſidii, ſibi ut quantum poſſet agmen Spoletium mitteret, ſpei ſuæ rationibus expoſitis. Hunnus erat Oldogan ejus præſidii rector, ex quo tempore Cyprianus à ſuo ipſius ſatellite, ita ut narravi, obtruncatus ceciderat. is Oldogan cum omni milite Spoletium properat. quem ut jam prope eſſe Martinianus intellexerat, cum militibus quindecim (tot enim in conſilii ſui ſocietatem pertraxerat) Spoletii præfectum nihil timentem occidit, portiſque apertis Romanos accipit. Hi multis hoſtium interfectis non paucos ad Beliſarium captos egere. Non multo poſt in mentem venit Beliſario Romam ire, & quo veniſſet malorum coram intueri. Itaque cum dilectis mille iter capit. Sed Romanus quidam præcurrens ad hoſtes in Algido caſtra metatos Beliſarii ſignificat adventum. Barbari poſitis per loca urbi circumjecta inſidiis, ut jam in propinquo Beliſarium ejuſque militem vident, de latebris conſurgunt. Pugnato acriter, prævaluit Romanorum virtus, qui fuſis hoſtibus, multis & interemtis, Portum incolumes redeunt. Is rei iſtius fuit exitus. In Calabria mari adjacet urbs Tarentum, bidui ferme ab Hydrunte intervallo, qua in Thurios Rheginoſque iter eſt. Huc ſe Iohannes, Tarentinis quibuſdam advocantibus, cum ſuo-

ſuorum paucis confert, reliquo milite ad Hydruntis præſidium relicto. Vrbem vero ut conſpexit, magnitudine præſtanti, ſed nullis munimentis, totius cuſtodiendæ ſpem nullam habuit: ſed videns mare ab utroque urbis latere procedens, ubi ea Septentrioni obvertitur, intervallo modico diremtum, affundi mox pelago, qua parte portus eſt Tarentinorum, terræ ſe cogentis anguſtias, ſtadia plus viginti non patentes, à reliqua urbe abſcidit, muro à mari ad mare perducto, eique præjecta foſſa, profunda ſatis. eoque contractis non Tarentinis tantum, ſed & quotquot in proximo habitabant, juſtum ei præſidium addidit. Hoc modo Calabri à metu liberati, deficiendi à Gotthis conſilia agitare. Atque ea dum illis in partibus geruntur, Totilas firmiſſimum Lucaniæ caſtellum in ipſo Calabriæ fine, Acherontida vocant, cum cepiſſet, ibique ad cuſtodiam reliquiſſet homines ferme quadringentos, ipſe cum cætero exercitu Ravennam contendit, nonnullis prius barbarorum miſſis in Campaniæ agros, qui Romanos Senatores ibi cuſtodirent. Hoc tempore Beliſario in mentem venit prudens audacia, quæ initio & ſpectantibus & audientibus ab inſania non longe abeſſe credebatur, ſed exitu magnifica, virtutiſque admirabile ſpecimen apparuit. Paucis quippe ſuorum relictis ad Portus oppidi tutelam, ipſe cum eo quem habebat exercitu Romam ingredi omnique vi retinere conſtituit: cumque mœnium Totilæ diruta breve intra tempus reſarcire non poſſet, hoc adhibet commentum. Collectos lapides, quotquot in vicino reperiri poterant, alios aliis temere ſuperjacit, nullo intercedente coagmento: quippe non calx, non ſimile quicquam in parato erat: tantum ut ſubſtructionis aliqua eſſet ſpecies. Exterius multas defixit ſudes: manente ibi & foſſa, quam prioribus temporibus ab eodem excitatam ſupra memoravimus. Summa militum

in

in id laborantium alacritate vicesimum & quintum intra diem mœnium labes, ut poterat, reparata est. Breviqve eò se contulere qui Romanorum non longe dispersi hic illic agebant, tum habitandæ urbis desiderio, tum quod, rerum necessariarum pressi antehac egestate, ibi subitam reperiebant copiam Belisarii provisu, qui plenas talium naves plurimas in urbem amne subvexerat. His Totilas auditis festinabundus adversus urbem Belisariumque se movet. Necdum potuerat Belisarius portas mœnibus injungere, exustis à Totila veteribus, neque ullis ad manum fabris, ut novas faceret. Barbari, ut in conspectum venere urbis, castris ad Tiberim positis quietam egere noctem. Postridie vixdum orta luce magna cum ira ac tumultu obeunt mœnia. Belisarius militum egregios in locis quæ à portis vacabant constituit. cæteros ex mœnibus in subeuntes nullo genere noxæ abstinere jubet. Fit acris pugna. nam barbari, qui primo impetu capturos se urbem speraverant, cum id non procederet, Romanis strenue adeo se tutantibus, id indignati, iræ stimulis in majorem, quam vires ferrent, audaciam excitabantur. contra Romanis, prima supra spem sibi cessisse sentientibus, ipsa periculi magnitudo addebat virtutem: ingensque barbarorum, ut qui de superioribus locis impetebantur, strages facta est. variaque malorum ac laborum specie lassatis utrisque, cœptum mane prælium ad noctem usque productum est. multis jam tenebris reversi in castra Gotthi curandis suorum vulneribus noctem insumunt. At Romanorum alii in mœnibus excubabant: virtute primi, vicibus hiatus custodiebant in quibus Portæ fuerant, sparsis per præjacentia tribulis ad arcendos hostium incursus. Tribuli autem sive murices ejusmodi sunt. Quatuor palos æquales forma triquetra inter se retro compingunt, paribus intervallis ita ut quoquo abjeceris,

ris, tribus radiis humi ſtantibus quartus erectus viros equoſque infeſtet. quoties vero quis tribulum volutat, tunc is radius qui erectus fuerat in terram figitur, ejuſque in locum ſurgit alius, gravi ſupergredientium offenſa. Atque id de tribulis ſatis dictum eſto. Eum vero quem dixi in modum nocte utriſque tranſacta, poſtera luce conſtituit Totilas repetere oppugnationem. Tum Romani ſeſe, ut ante, defendentes, ubi res ſibi proſpere ſuccedere vident, ultro erumpere auſi ſunt. Cum fugerent barbari, inſequendi calore Romanorum quidam longius à mœnibus proceſſerant, quos circumventos reditu in urbem intercludere cupiebant barbari. & feciſſent, ni Beliſarius intellecto quid ſtrueretur, miſſis de ſuo comitatu ſatis multis qui ſubſidio forent, diſpuliſſet periculum. Sic rejecti abiere barbari, amiſſis ſuorum multis atque acerrimis, ſauciorum autem ingens in caſtra referentes agmen. ibi quievere, dum fovent vulnera, dum arma, fracta pleraque, reficiunt cæteraque ad novos uſus parant. Aliquot demum dierum intervallo rurſum ad mœnia ut oppugnaturi accedunt, occurrunt Romani, ortoque prælio, forte qui Totilæ vexillum ferebat mortifero vulnere de equo dejectus, ſimul vexillum humo afflixit: conatique Romani qui inter primos pugnabant & mortuum eripere & vexillum. Sed antevenere Gotthorum flagrantiſſimi, raptoque ſigno etiam abſciſam mortuo lævam deportant. Ea enim manu rari pretii armillam geſſerat, quo decore ſuperbire hoſtem nolebant, id ſibi probroſum fore interpretantes. cæterum barbarorum exercitus confuſis ordinibus receptum ſibi quæſivit. Romani reliquum corpus mortui cum ſpoliaſſent diutiſſime, inhæſere fugientibus, multaque cæde edita ſine damno in urbem rediere. Hæc poſtquam evenerant, Gotthorum primores aditum Totilam inceſſunt maledictis, vecordiam expro-

exprobrantes, quod cum Romam ceperat, neque eam solo dejecerat ne hostibus possideretur, neque ipse eam tenuerat, sed tanti laboris temporisque pretium nulla de causa ipse perdiderat. Ita mos est hominum ad rerum eventus aptare sententiam, & quo rapit fortuna, in eam partem judicium inclinare, sæpe & prout casuum sunt vices, mutare animum. Iidem Gotthi, qui nuper rebus prospere euntibus, Totilam velut deum quendam coluerant, invictum, incomparabilem appellantes, etiam tunc cum urbes detracta mœnium parte relinqueret, lapsum in adversa inclementer accusare non verebantur, omnium ante dictorum immemores, nulloque pudore versi in contraria. Sed talia quin semper mortalibus peccentur, vitari nequit, cum humana id in se habeat natura. Soluta obsidione Totilas & Gotthi Tibur venere, ruptis pontibus prope omnibus quibus Tiberis insternebatur, ut difficiliorem Romanis ad se accessum facerent. Pontium unum, cui Milvio nomen, quod propinquior esset oppido, scindere nequiere. Sed quod Tibure erat castellum, dirutum à semet antea, omnino reponendum judicarunt, ibique depositis pecuniis otiosi mansere. Sic Belisario tempus datum novas portas inserendi mœnibus, ferro bene munitas, quarum Imperator, claves misit, quo tempore finiente hyeme duodecimus simul annus exiit belli ejus quod describit Procopius. Aliquanto ante ad Perusiam miserat Totilas, qui castris circum urbem positis intente Romanos intus clausos tenuere, & cum fame premi sentirent obsessos, misere ad Totilam, ut justo cum exercitu adesset, quo facilius oppidum, quique in oppido erant caperentur. Sed Totilas suos ad jussa capessenda minus alacres, hortamentis excitandos judicans sic pro concione locutus est. Cum viderem vos, commilites, mihi non jure iratos ob dolorem ex adversante fortuna, convocandos vos

vos censui, si forte possem demta vobis prava judicatione animos ad meliora traducere, ne vel in me contra quam decet ingrati, vel etiam in Deum impii contra fas inveniamini. Rebus humanis multi agnascuntur casus improvisi. quare qui homo natus ferre quæ accidunt nescit, primum insipientiæ culpam sustinet, deinde nihilo magis effugit injunctam à fortuna necessitatem. Iam quæ acta sunt hactenus in memoriam vobis revocare cupio, non tantum ut me de culpis purgem, sed ut ostendam quos eæ justius spectant. Vitigis, ut primum imperio Gotthicæ gentis admotus est Fani ac Pisauri maritimarum urbium mœnia disjecerat, intacta Roma urbibusque aliis. Sed ex Fano Pisauroque nihil Gotthi senserunt mali, ex Romæ muris aliisque præterea munimentis res Vitigi & Gotthis quas nostis provenere. Ob hæc ego, cum primum vestro munere regnum accepi, rectius duxi ea potius sequi quæ rebus probata fuerant, quam ex iis quæ nocere possent subire periculum. Natura quippe exiguum est quod distant homines. at si usus accessit, ab eo qui institutus est, alios documenti expertes multum antecellit. Bonevento itaque potiti, prostratis ejus oppidi mœnibus, cætera facile cepimus. Eorum quoque muros disjiciendos censuimus, ne è munitis latebris hostes bellorum astus meditarentur, sed in æqua loca cogerentur æquum in Martem descendere. Sic factum ut illi fugerent, ego juberem nudari quæ in nostram potestatem venerant oppida. Vos consilium ut providum admirati, ministerio insuper adfuistis, ita ut vestrum, vestrum id sit opus: siquidem & qui laudat facientem, facientibus accensetur. At nunc longe aliis estis, ô populares mei, postquam Belisarius ausus rationem superantia, in quos incidit, eorum victor factus est, unde vos illum ut fortem virum admiramini. Facilius enim temerarius strenui nomen accipiat,

piat, quam cautus providi. nam qui ſpe præſente majora aggreditur, excitati animi creditus laudem inde accipit. at qui maturo judicio pericula declinat, ſi res ſiniſtre cadat, oneratur fortunæ crimine, cumque rationis ex præſcripto egerit, nihil egiſſe ab imperitis judicatur. Ad hæc non cogitatis, qui mihi ſuccenſetis, quid ſit illud quod vos ſtimulet. Beliſarium de vobis habere quod ſe jactet creditis, qui nuper capti, fugitivi, inde me duce ſumtis armis, tot de eo victorias reportaſtis. Eo ſi virtus vos mea perduxit, hæc à vobis ſui reverentia ſilentium impetret, inter improſpera expendentibus res humanas, quam ſuopte ingenia ſint inſtabiles: ſin fortunæ accepta ferre mavultis parta tunc decora, magis è re veſtra erit fortunam ſuſpicere, quam in eam incurſare, ne mox malo cum veſtro cogamini diſcere modeſtiam. quis enim neget longe abeſſe à gravitate morum, ſi, quibus paulo ante res proſperæ & multæ obtigerunt & magnæ, ob offenſionem brevem demittant animum? Nihil enim hoc aliud eſt quam hominem ſe eſſe nolle aut negare. Nullo enim unquam tempore ſpe excidere, Dei ſolius eſt. quapropter ſic cenſeo, omiſſis cogitationibus talibus, eundum nobis conſentientibus animis adverſus eos qui Peruſiæ ſunt hoſtes. quos ſi ſuperare dabitur rurſum ad nos redierit bona fortuna. Quippe quod factum eſt, infectum reddere nulla ætas poteſt. Sed ubi novi ſucceſſus lapſis ſuperveniunt, levatur triſtium memoria. Peruſiam autem capere promtum vobis. Cyprianus qui Romanis ibi præfuit, is fuit qui conſilia fortunamque noſtram retudit. ſine duce multitudo fortiter neſcit facere, præſertim ſi & rerum neceſſariarum egeſtas premat. Nec à tergo quicquam nobis mali metuendum eſt. ideo enim pontes [illegible]ii, ne qua vis improviſa inde in nos ingrueret. Tum vero inter ſe infeſtos vivere Beliſarium ac Iohannem ex rebus

bus gestis apparet. dissidia quippe animorum in factis eminent. jam multo tempore ne conveniunt quidem inter se, retrahente utrunque suspicione mutua, cui comites esse solent invidia atque odium. Hæc autem ubi interveniunt, nihil quod oportet fieri potest. Hæc elocutus Totilas, Perusiam versus ducit. Prope ut ventum est, sub mœnia positis castris intenditur obsidium. Atque ea dum illis geruntur in locis, Iohanni, postquam Acherontida obsidendo nihil promovebat, audax incidit cogitatio, quæ Romano Senatui salutem, ipsi apud mortales omnes famam ingentem peperit. Nam dum Romæ mœnia oppugnari à Totila Gotthisque intelligit, cum lectis equitum primis, consilium cælans, non die non nocte intermisso itinere Campaniæ loca petit, ubi Senatores erant à Totila depositi, ut eos repentino superventu abriperet servaretque, nuda quippe à munimentis ea regione. Congruerat in idem tempus ut Totilas metuens quod agebatur, ne quis hostium captivos eripere niteretur, equitatum in Campaniam mitteret. qui Minturnas ubi venere, optimum factu judicarunt, ut ibi plerique subsisterent curandis equis, quos itineris perpetuitas lassaverat, mitterent autem de suis quadringentos, qui Capuam eique circumsita specularentur, unde tum stadiorum trecentorum intervallo aberant. Erant autem quadringenti illi cæteris minus fessi, equisque robustioribus utebantur. mire evênit, ut non die tantum, sed & diei tempore eodem Iohannis turmæ & quadringenti illi è barbaris, cum nihil de aliis alii audiissent, venirent ad Capuam. statim ut inter se visi sunt, consertis manibus pugna fit acris. virtute egregia vicere Romani: multi barbarorum occisi. paucos fugientes cursus Minturnas abstulit. quos ut conspicati sunt populares resperso sanguine, partim & tela corporibus ferentes, neque vocem edentes ullam, neque aliud

actæ rei indicium, nisi quod fugere perseverantes formidinem suam testabantur, conscensis & ipsi equis, fugæ se dant socios, & ad Totilam pervecti immensum adesse nuntiant hostium numerum, ut pavoris dedecus hoc modo sanarent. Septuaginta ferme Romani milites ex iis qui pridem ad Gotthos perfugerant, inque Campania ab aliquo tempore morabantur, Iohanni se addidere. Viros senatoriæ dignitatis paucos ibi Iohannes repperit, mulieres pæne omnes. nam cum capta est Roma, viri plerique fugæ militum permixti Portus oppidum devenerant. feminæ captæ fuere omnes. Clementinus patriciatus honorem quondam adeptus, in propinquam ædem sacram perfugere maluit, quam Romanum agmen comitari, quod vicinum Neapoli castellum Totilæ & Gotthis dedidisset, & ob id Imperatoris iram commeritam metueret. Orestes, consulatu Romæ functus ante hac, non ita multum aberat ab Iohanne, sed equis carens invitus remansit. quoscunque autem è senatu nancisci Iohannes potuit, eos cum septuaginta reversis postliminio militibus sine mora in Siciliam misit. Totilas his auditis, multum indoluit, ulciscendique Iohannis cupidus cum majore exercitus parte in eum ibat, parte quadam ad loci, ubi agebat, tutelam relicta. Iohannes, cum mille iis quos secum habebat, castris subitariis in Lucania consederat, dimissis ante exploratoribus, qui vias omnes scrutarentur, ne qua vis hostilis subita irrueret. idque ipsum conjectans Totilas, non fore ut castris se teneret Iohannes illis in locis, nisi speculatorum usus opera, viarum consuetas omittens, per montes, qui multi sublimes ibi abruptique eminent, in hostem incedit, nemine id suspicante quod invia illa juga crederentur. At qui ab Iohanne exploratum missi erant, non longe abesse hostilem exercitum signis quibusdam colligentes, non tamen certi

quam

quam viam insisterent, sed suspicantes id quod res erat, retro ad Romana castra se retulere. Sub idem tempus (nox erat) eo venere barbari. Tunc iræ quam consilio obsequens Totilas fructum percepit quem dare solet animus à ratione demotus. Exercitum habebat hostili majorem decuplo. Cum vero constet qui multo præstat copiis, ei in conspicuo pugnare melius, ideoque mane potius aggrediendus ei hostis fuerit, ne is per tenebras delitesceret, non id secutus est, quod si fecisset, omnes ibi Romanos cepisset velut indagine: sed ferociæ semet permittens, nocte multa insiliit in castra hostilia. Repugnabat nullus. plerisque etiam dormientibus. neque tamen multa cædes à Gotthis facta est: sed experrecti plerique, primum occultandi se facultatem ex tenebris habuere. deinde elapsi castris, in illos qui juxta se erigunt montes correpta fuga salutem reperere. In quibus & Iohannes fuit, & Hunnorum dux Aruphus. Mortui sunt Romanorum centum admodum. adfuerat Iohanni Gilacius nomine, Armenius ipse & Armeniorum non multorum præfectus. Is nec Græco nec Latino nec Gotthico, nec ullo præter Armenium sermone utebatur. In hunc cùm incidissent Gotthi quis esset interrogabant. neque enim temere quosvis obvios occidere volebant, ne, ut in nocturnis fit certationibus, suos ipsi commilites interficerent aut ab iis interficerentur. Nec ille respondere aliud potuit, quam Gilacium se esse præfectum. nomen enim honoris quem ab Imperatore acceperat, auditum sæpe edidicerat. Hinc unum esse hostium edocti barbari, vivum quidem tunc capiunt: sed vitam ei non multo post adimunt. Iohannes & Aruphus, cum eis quos comites fuga dederat, cursu effuso Hydruntem pervenere. Gotthi direptis Romanorum castris abeunt. Hæc inter adversos per Italiam exercitus agebantur. At Iustinianus novas con-

tra Totilam Gotthoſque copias mittere conſtituerat, literis Beliſarii excitatus, quibus is præſentem ſtatum exponens, opem flagitabat. Ac primum Pacurium Peranii filium & Sergium Solomonis ſorore genitum cum militibus non multis miſit, qui, ut in Italiam pervenerant, illico ſe cum Romano exercitu junxere. Poſt id Verum addit cum Herulis trecentis, Varazemque Armenium cum militibus octoginta. Poſt & Valerianum Armeniorum ducem cum ſatellitibus protectoribuſque plus mille in Italiam ſequi jubet. Primus igitur Verus Hydruntem appulit, ibique relictis navibus (neque enim manere volebat eo in loco ubi Iohannis erat exercitus) equis provehitur. Erat enim vir iſte minime ſagax, temulentiæ quippe vitio obnoxius eoque ſemper inconſulto præceps. Is cum ſuis ut ad Brunduſium venit, ibi caſtris conſedit. quod ubi ſignificatum Totilæ: Verus, inquit, alterum è duobus, aut multum habet copiarum, aut multum amentiæ. Eamus ergo ut aut nos vires ejus experiamur, aut ipſe ſuam ſtultitiam ſentiat. His dictis in eum properat. Heruli ut hoſtes propinquos videre, in nemus quod juxta erat confugiunt. Ibi eos circumventos Gotthi interfecere plus ducentos. Etiam Verum & reliquos, qui ſe inter ſentes abſconderant, deprehendiſſent, niſi his inſperata fortuna ſalutem attuliſſet. Subito enim naves illæ, quæ Varazem & cum eo Armenios ferebant, in id littus delatæ apparuere. quibus Totilas conſpectis, majorem quam erat advenire credens exercitum, retro ſe recepit, lætique qui Vero aderant quanto poterant curſu in naves ſe intulerunt. Nec Varazes ultra navigare conſtituit, ſed cum his Tarentum ſe contulit, quo non modo multo pòſt venit & Vitaliani Iohannes. Hæc ibi gerebantur. At Beliſario ſcripſerat Imperator, multum ſe ei militem mittere ut in Calabria cum hoſtibus prælio congrederetur.

tur. Et jam Valerianus ad Adriæ oram Italiæ obversam pervenerat, neque tamen mare transire eo tempore ex usu judicabat, quod neque militi neque equo suffectura essent necessaria, bruma jam imminente. Sed trecentis ad Iohannem præmissis affirmavit se cum primo vere secuturum. Has Iustiniani literas ut legit Belisarius, nongentos sibi assumens, optimos equitum septingentos, peditum ducentos, cæteris sub Conone præfecto ad illorum locorum præsidia relictis, in Siciliam navigat, inde in portum Tarenti trajecturus ad sinistram habens Scyllæum quod dicitur, ubi Scyllam natam poëtæ commemorant, non quod monstroso, ut canitur, corpore femina ulla fuerit, sed quod in illa freti parte multi marini canes ab antiquo fuerint, ut & in hunc diem visuntur. Initio enim à rebus ducta sunt nomina. Sed fama ad longinquos homines ea perferens, verarum causarum ignoratione, falsis opinionibus dat originem, ex qua procedens ætas audacter fabulas fabricat: poëtasque suæ artis licentia eorum quæ nunquam fuere testes facit. Sic & Corcyræ promontorium, quod solem orientem spectat, pari causa Cynoscephalam veteres dixere, unde caninis capitibus homines error effinxit. Et Pisidarum pars Lyconcranitæ dicti, non quod capita lupis similia habeant, sed quod mons ibi eminens Lyconcrana appelletur. veruntamen de his quisque ut ipsi visum & sentiat & loquatur. Ego unde deflexeram eo revertor. Belisarius igitur Tarentum ire quamprimum proposuerat. Est ibi lunata specie littus sinum ambiens quo se mare terris recedentibus infundit. transitus ad mille ferme stadia patet. in utroque cornu oppida sunt, ad occidentem solem Croton, ad orientem Tarentum. medium sinum Thurii cognomine oppido tenent. At sæviente hyeme, multoque venti impetu prohibente ultra navigari, Crotoniatarum portum appellitur Belisa-

rius : ſed cum nihil munitum ibi reperiret, neque unde alimenta quæreret militi, ipſe cum uxore ac cohortibus ibidem ſubſtitit, ut ad ſe accito qui ſub Iohanne erat exercitui inde præcepta daret. Turmas vero longius ire juſſit & inſidere terræ aditus, præpoſitis Phaza, Ibero & ſatellite Barbatione, ita facillime judicans & equiti ſufſectura neceſſaria, & in anguſtiis hoſtem poſſe arceri. Nam Lucanorum montes ad Brutios uſque pertingunt, arctiſque duabus junguntur faucibus, quarum alteram Petram ſanguinis Itali vocant, alteri Labullæ nomen eſt. Huic vicina in littore eſt Ruſcia, Thuriorum navale. Sexaginta introrſum ſtadiis Romani veteres caſtellum ſtruxerant firmiſſimum, quod aliquanto prius ceperat Iohannes, &, quantum opus præſidii, addiderat. Hac iter facientes Beliſarii milites hoſtili agmini occurrunt, quos Totilas caſtellum illud aggreſſuros miſerat: commiſſoque prælio magna virtute uſi, quanquam numero vincebantur, brevi vicerunt. occiſis ducentis admodum, cæteri fuga ad Totilam dilapſi quæ acta erant nuntiarunt. Romani in prælii loco caſtra poſuere. Sed ducis carentes, ad id elati victoria, ſecurius quam pro tempore agebant. Nam neque gregatim ſomnum capiebant, neque ad fauces locatis cuſtodiis ſervabant aditus: ſed ſupina negligentia noctem agebant, longe diſſitis inter ſe tabernaculis : de die ad ea quæ opus erant quærenda ſpargebantur, nullis præmiſſis ſpeculatoribus, nihil cautionis adhibentes. Quorum non ignarus Totilas, ter mille equitibus de omni lectis exercitu, iter in hoſtes arripit : improviſuſque ſuperveniens incompoſitis & ut dixi palabundis, metum ut in magna perturbatione intulit. At Phaza (nam in propinquo tetenderat) hoſti occurſans edenſque fortia facinora aliis nonnullis fugæ tempus præbuit. ipſe cum ſuis omnibus morte occubuit. Gravis inde luctus Romanis, qui

qui omnes in illis viris, ut virtute præstantibus, plurimum reposuerant spei. quibus fugere licuit, quisque receptum quem poterant arripuere. Primus Crotonem effusa fuga pervasit satelles Belisarii Barbatio comitibus duobus, & narratis quæ evenerant, addidit credere se jamjam adfuturos barbaros. Belisarius magno dolore concepto naves iniit. Factis velis ipse, & quod cum eo erat militum, ventos ita faventes habuere, ut eodem die Messanam Siciliæ attingerent: quæ Crotone septingenta abest stadia, Rhegium contra. Hoc ipso tempore Sclavorum exercitus Danubium transgressus Illyrios omnes Epidamnum usque pessime tractabat, puberes omnes aut interficiendo aut trahendo captivos, res autem undique raptando. quin & castella, quæ hactenus inter firmissima habebantur ceperant vindice nemine, proque lubidine rimantes omnia vagabantur. Illyriorum duces millia secum habentes quindecim eminus hostium vestigia sequebantur, prope non ausi accedere. Eadem hyeme terræ quassationes factæ sunt graves & asperæ, tum Byzantii, tum aliis in locis, noctu omnes: magnusque hominibus pavor accidit obrui metuentibus: neque tamen insignis mali quicquam secutum est. Etiam Nilus supra octodecim cubitos excrescens omnem Ægyptum inundavit perrigavitque. Tantum in superna Thebaidis parte temporum vicibus modo subsidentes, modo recedentes aquæ spatium dedere agricolis ad sementem & alios ruris labores. At ab inferius sitis terris aquæ postquam accesserant non defluxere, ac sic, quod ante nunquam contigerat, omnis conserendi agros facultas erepta est. Paucis in locis cum terras liberasset flumen, denuo eas invasit, quæque medio tempore in terram injecta erant semina, ea cuncta corrupit. Tanta clade perculsi homines obstupebant: animantium cætero-

 rum

rum pleraque defecta alimentis moriebantur. Tunc & marina bellua, Porphyrium Byzantini vocant, capta est: postquam diutius annis quinquaginta, non continuo quidem, sed longis satis intervallis Byzantium & finitima loca infestarat, modo naves demergendo, modo navigantes incusso terrore longe disjiciendo. concupiverat Iustinianus magna cura eum piscem capere, sed effectum id dare nequierat. nunc quomodo captus sit, dicam. Placido æquore ingens delphinum multitudo prope os ponti Euxini convenerat: qui ubi immensum piscem videre, fugerunt quo quisque poterant, plerique. Sagaris ubi flumen mari admiscetur, quosdam nacta bellua illico devoravit. neque eo minus alios sive manente fame, sive contentionis ardore persequebatur, donec provecta longius hac cupiditate terram propius quam putavit allapsa est, ibique alto involuta limo, multum molita, multum conata est, ut se inde quamprimum explicaret. Sed cum vadis se demovere non posset, ipsa mole corporis & agitatione magis ac magis cœno immergebatur. quod ubi per vicinam oram percrebuit, accurrunt multi securibusque cædunt diu, nec interficiunt tamen: sed tractam crassis funibus cum plaustris imposuissent, invenere longam cubitos triginta, patentem in decem: ibi dissectæ frusta quidam ederunt recentia, quidam partes quæ sibi obtigerant cum condiissent, edendas in posterum servaverunt. Byzantini postquam terram se movisse senserant, tum illa de Nilo deque pisce audierant, futura, ut cuique in animum venerant, prædicere aggressi sunt. Amant enim homines, attoniti præsentibus, futura augurari, & graviter quæ accidunt ferentes, incertas conjecturas in venturum emittere. verum ego ut præsagia & omina libens aliis reliquerim, ita pro certo affirmare non verear, Nili quidem eluvionem magnis in præsens malis

malis causam dedisse, contra belluæ marinæ exitio multis incommodis finem allatum. quidam vero qui tunc captus est piscis, non illum fuisse quem descripsi, sed ab eo alium dixere. sed tempus est sermonem unde deflexerat, eo reducere. Totilas actis quæ ante narravi, cum in Rusciæ castello Romanos rerum necessariarum inopia intellexisset premi, brevi se adepturum possessionem sperans, si nihil commeatuum inferretur, castra, quam poterat proxime, in ambitum locans obsidioni curam intendebat. Inter hæc hyems abiit, annum tertiumdecimum finiens ejus belli quod descripsit Procopius. At Iustinianus peditum non minus duo millia in Siciliam navibus misit, Valerianoque imperavit ut mora omni abrupta ad Belisarium se ferret. Atque is mari trajecto Hydruntem cum advenisset, ibi Belisarium ejusque reperit uxorem. sed non multo post eadem Belisarii uxor, Antonina nomine, missa ad Augustam, ut marito majores pro belli necessitate copias impetraret, Augustam (Theodora vocabatur) morbo extinctam reperit, postquam in summa fortuna per annos unum & viginti vixerat. Inter hæc in Rusciæ castello obsessi, cum alimentorum premeret inopia, collocuti cum hoste pepigerunt, media æstate, ni interea suppetiæ ipsis adessent, se castellum salva vita rebusque dedituros. multi in eo castello erant Itali nobiles, inter eos Deifer Tulliani frater: de exercitu Romano Illyrii trecenti, quos ibi Iohannes collocaverat, sub præfectis Chalazare satellite, gente Massageta, præstante viro belli laudibus, & Godila Thrace: præterea pedites centum recens à Belisario ad custodiam missi. At qui ad Romæ tutelam à Belisario relicti fuerant, præfectum suum interficiunt Cononem, criminantes frumentum ab eo aliaque necessaria divendita in suam fraudem. quosdam & sacerdotum, legatos pro se ad Imperatorem

mittunt, perque eos denuntiant se, nisi culpæ ejus oblivionem, & quæ ipsis à fisco æra debebantur, præfinitum intra tempus accipiant, confestim Gotthis ac Totilæ accessuros. Nec cunctatus est Imperator rata facere quæ petebantur. At Belisarius advocato Hydruntem Iohanne, cum ipso Valerianoque & ducibus aliis, navibus conscensis, recta Rusciæ castellum versus navigat. qui in castello erant, inde, ut sublimis est locus, conspecta classe, quanquam dicta dies immineret, deditionem constituerunt non facere. At naves sæva exorta tempestate (& est importuosum illud mare) disjectæ proculque ab aliis sparsæ sunt. Ægre in Crotoniatarum portum recollectæ, iter Rusciam repetunt. quos ut appropinquantes videre barbari, in equos insilientes ad littus properant, ut exscensum prohibeant hostibus. Totilas in ipso littore quantum potuit suos hostium opposuit proris, alios cum hastis, alios tensis arcubus. Terruit ea res Romanos, ita ut in terram descendere non auderent. sed primo quidem retrogressi in anchoris constiterunt. mox desperato exscensu, remis inhibitis, retro ad Crotoniatarum portum iere. ibi in medium consultantibus visum optimum factu, Belisarium Romam proficisci, & illic tum alia curare, tum alimentorum invectionem: Iohannem autem & Valerianum hominibus equisque in terram expositis in Picenum pergere, turbandos ad hostes, qui minorum illic oppidorum obsidioni inhærebant. sic enim ab obsidione Rusciæ abstrahi Totilam posse, spem conceperant. Iohannes assumtis mille, quæ jussus, facit. At Valerianus periculum exterritus, navibus obiens Adriam, Anconam deinde petit. Hac enim iter tutissimum arbitrabatur in Picenum, ibi se cum Iohanne conjuncturus. Verum Totilas ab obsidione desistere ne ob hæc quidem voluit: sed ipse in castris manens, lectos inde

inde equites bis mille mittit in Picenum, ut ſociati tenentibus ibi ſe barbaris, Iohannis & Valeriani manum depellerent. At qui in Ruſciæ obſidebantur caſtello, cum jam ultima alimenta defeciſſent, nec à Romanis auxilii ſpes ſupereſſet, miſſis ad Totilam ſatellite Gondila & Deifero Italo, rogant admiſſi veniam & ſalutem. Totilas cæteris impune rem abituram promiſit, uno ad pœnam excepto Chalazare, qui prius conventa confuderat. Sic accepto in poteſtatem caſtello Chalazarem manibus prius genitalibusque præciſis interfecit. militum manere volentibus conceſſit ſua retinere, ac parem cum Gotthis militiam habere, quod in aliis captis bello locis facere ſolebat. quibus id non placeret, ii nudi quo vellent ire ſinebantur, ne invitus ſigna ejus ſequeretur quiſquam. octoginta milites Romani rebus derelictis Crotonem venere. cæteri manere rebus ſuis ſervatis maluerunt. Italis paganis ademit res, corpora ab omni malo libera reliquit. Antonina vero, uxor Beliſarii cum, ut dixi, Byzantium mortua jam Auguſta veniſſet, oravit Imperatorem, ut is maritum ſuum ab Italia revocaret: nec difficulter obtinuit, quod bellum à Medis grave inſurgens in id conſilium Iuſtinianum impelleret. Hoc tempore in Imperatorem inſidiæ factæ ſunt, quæ quomodo coaluerint, quoque modo in irritum ceciderint, narrabo. Artabani, qui Gontharim Africæ invaſorem proſtraverat, ut in ſuperioribus à nobis memoratum eſt, magna cupiditas inceſſerat faciendi nuptias cum Præjecta deſponſa ſibi, Imperatoris è ſorore genita: volente & ipſa, non hominis amore, ſed quod gratiam ſe debere agnoſceret, ulto mariti quondam ipſius Areobindi necem, deinde pro ſemet erepta & captivitate, &, quod non minus captivitate perhorreſcebat, cubili Gontharidis quo jam jamque deducenda fuerat. Hæc cum inter eos placuiſſent, Præjectam Artabanes

tabanes mittit Imperatori: tum ipse quanquam Africæ toti, qua Romana erat, impositus, causis conquisitis, orabat ut & sibi Byzantium venire liceret. urgebat enim spes matrimonii tum alia bona ei ostentantis, tum gradum facturi ad imperium apiscendum. mos enim iste est hominum, quos nec opinantes bona fortuna deprehendit, ut ibi sistere cogitata nequeant, sed in ulteriora prospiciant spemque semper promittant longius, donec & illâ non promeritâ felicitate excidant. Imperator petitis annuit, eumque Byzantium revocat, alio suffecto, ut & ante dixi, qui Africam regeret. Ille ut Byzantium venit, suspici à populo ob res actas, nec amari minus, corpore procero pulchroque conspicuus, factis magnificus, fandi parcus. Ipse eum Imperator attollebat honoribus, dato ei imperio in milites qui Byzantii erant, præterea in federatos omnes, ad hoc consulatu. Præjectæ tamen matrimonium consequi nequiit. Erat enim ei pridem uxor & popularis & cognata, à prima ætate ei juncta, quam jam diu erat quod à se depulerat, ob causas è qualibus dissidia nasci inter conjuges solent. Hæc, dum Artabani res erant tenues, domi desederat otiosa, silentio divortium concoquens. At postquam idem rebus gestis clarus, fortuna ingens emicuit, non tolerans ultra contumeliæ, Byzantium venit, Augustæque supplicat, maritus ut sibi reddatur. Et Augusta ut erat ingenio in infelices, mulieres maxime, misericordi, Artabanen cogit invitum uxorem ut recipiat cumque ea habitet. Non moderate tulit hoc malum Artabanes, sed efferato animo secum repetebat, quæ in Romanos contulisset, pro iis meritis prohiberi se à desponsa uxore, volentem à volente sejungi: cum alia inimicissima constringi se ad perpetuam vitæ consuetudinem, quo nullum animi tormentum evenire homini sævius possit. Ergo cum non multo

post

poſt mortalitatem expleſſet Theodora, ſtatim illam, quacum vivebat, abjicit. Imperatoris fratre genitus Germanus fratrem & ipſe habuerat Boraiden. Sed is Boraides nuper vita abierat, fratrique ſuo atque ejus liberis bonorum partem maximam reliquerat teſtamento, cum & uxorem haberet, & ex ea filiam, cui eam partem aſſignaverat quam minimam leges definiunt. At Imperator contra tabulas, puellæ favit. quæ res Germanum vehementer pupugit. ſic ſe res habebant inter Imperatorem Artabanemque & Germanum. Erat Byzantii & Arſaces quidam Armenius ortu, ſanguine Arſacides, & Artabani cognationis neceſſitudine junctus. is nuper admodum deprehenſus erat male tractatæ reipublicæ, imo & proditionis, dum res novas in Romano Imperio molitur, Choſrois Perſarum regis in gratiam. Imperator convicto non ultra nocuit, quam ut camelo vectum injectis in dorſum zonis aliquot publice traduceret, integro corpore atque fortunis, ne exſilio quidem punitum. At ille ignominia iritatus, inſidiari & Imperatori & reipublicæ cæpit. Ac cognito Artabanis ſibi conſanguinei dolore, accendit iras, verborum dolis eum irretiens. Neque die neque nocte abſtinebat probris inceſſere, ut tempore corruptum in muliebrem formidinem: in alienis malis fuiſſe fortem, injuſtique dominatus everſorem, ita ut nec amico ac convivatori ſuo Gunthari peperciſſet, quo minus eum ſua ipſe manu, nulla privatim injuria accepta, occideret. At nunc ſegnem factum ceſſatoremque, domi ſedere, dum patria oppreſſa præſidiis, intolerabilibus inſuper tributis exhauritur: interfecto per ſpeciem federis patre: propinquis omnibus actis in ſervitutem, ſparſiſque per omnes Romani imperii fines: hæc cum ita ſe habeant, ſatis id Artabani, ſi dux militum conſulque dicatur. Additque tu mei, qui tibi ſanguine cohæreo, duriſſi-

durissima cum patiar, non misereris: ego vero tuam doleo vicem, cum utramque respicio uxorem, & eam qua contra fas spoliaris, & eam, quicum per vim conjunctus es. At certe, cui aliquid sit mentis, is non est cur Iustiniani cædem aut metu aut pigritia defugiat, hominis soliti incustoditas noctes fabulis terere, dum sacerdotum cum decrepitis considens Christianorum oracula studet evolvere. quid quod nec Iustiniani propinquorum quisquam tibi est obstiturus: eorum vero potentissimus facile Germanus etiam adjutor tibi futurus cum filiis, & juventa & ira ardentibus, quos certe ego ipsius etiam operis societatem concupituros confido, ut qui gravius ab eo læsi sint, quam aut nos, aut Armenius quisquam. Talibus Artabanem quotidieà se instigatum Arsaces ut flecti sensit, rem Persarmenio alteri, cui Chanaranges nomen, aperit. Erat hic Chanaranges adolescens speciosus corpore, serii vix capax, ludicris addictus. Hunc ubi Arsaces Artabani in consilia sermonemque sociavit, abiit pollicitus effecturum se ut & Germanus & filii ejus ejusdem propositi participes fierent. Erat enim Iustinus major Germani filiorum pubescens primulum juvenis, sed animi acer & actuosus, nuperque ad consularem honorem pervenerat. Ad eum ut venit Arsaces, cupere se ait cum eo in æde aliqua colloqui. In locum sacrum ut venerant, obnixe à Iustino petit Arsaces jusjurandum, nemini se mortalium quid auditurus esset, præterquam patri, enuntiaturum. id cum præstitisset juvenis, exprobrat Arsaces quod Imperatorem sanguinis propinquo gradu contingens homines de plebe nullius pretii videret in summis imperiis, quibus impares essent, versari, atque ipse tantus ortu pateretur in ignobilium manu esse rempublicam. Addidit non ipsum tantum ab Imperatore despici, sed & patrem ipsius, qui vir eximiæ virtutis, ut

tis, ut & frater Iustini Iustinianus, sinerentur iners ævum privati terere. sed nec patrui rem ipsi Iustino habendam permitti, quam omnino habiturus esset si quid valeret Boraidæ ultima voluntas: nunc autem maxima parte, per vim exueretur. Exspectandum ut multo magis proculcarentur, domus invisa, ubi in Italiam venisset Belisarius. Nam is jam in Illyrico esse nuntiabatur. Talibus dictis Arsaces conabatur juvenem in Imperatoris necem inflammare, quæ sibi Artabani & Chanarangæ super eo negotio convenerant aperiens. sed exterritus auditis Iustinus obstupuit, diserteque edixit Arsaci, neque se neque patrem unquam quid tale facturos quod evenerat, Artabani Arsaces, patri Iustinus renuntiat. Germanus Marcelli (is Palatinis excubiis præerat) consilium re exposita exquirit, & an rem Imperatori significare ex usu foret. Erat is Marcellus, vir gravis, multique silentii, nihil pecuniæ causa facere solitus, neque verborum, neque rerum, unde risus quæreretur, patiens, nihil remissi amans, vitæ semper securæ & à voluptate longe recedentis, justi custos exactus, veri amore flagrantissimus. is tunc ad Imperatorem rem referri prohibuit: te, aiens, hujus rei indicem fieri neutiquam expedit. Nam si clam convenire Imperatorem voles, statim Artabanes & conjurati patuisse negotium existimabunt. Tum si effugere poterit Arsaces, non erit quo probetur crimen. Ego vero non bene exquisitum quid neque credere ipse, neque ad Imperatorem deferre soleo. volo igitur aut ipse verba ipsius auditu percipere, aut aliquem ipsi notum à nobis submitti, qui clare cogitata sua exprimentem audiat. queis Germanus intellectis Iustino filio præcipit, Marcello ut visa exsequatur. Arsaces ex eo nihil Iustino, qui tam abscise negasset, de ea re loqui. sed Chanarangem Iustinus rogat, Artabanisne ex sententia ad se ve-

ſe veniſſet Arſaces. nam ego, inquit, homini tali nihil arcani crediderim: ſed ſi mihi, quod ad rem pertinet, velis eloqui, forte in medium conſulentes ambo aliquid boni effecerimus. de his Chanaranges cum Artabane collocutus, cuncta Iuſtino enuntiat, quæ ante ei dixerat Arſaces. Iuſtinus & ſe paratum ad cuncta prætulit, & pollicitus eſt facturum ſe ut eadem vellet pater. His præſtructis Germano placuit cum Chanarange ſermonem ſociare: cumque colloquio dies dictus eſſet, Marcelli explorato conſilio ab eo familiarem aliquem ipſius depoſcit qui verba Chanarangis auditu acciperet. Dedit is Leontium generum Athanaſii, virum recti æquique tenaciſſimum & vera proloqui in more habentem. Hunc Germanus in ædes introductum in conclavi collocat, in quo velum erat lectum prætegens in quo accumbere menſæ ſolebat. Pone id velum Leontium abſtrudit: ipſe Iuſtino cum filio extra id ſe tenens. Poſtquam advenerat Chanaranges, audit clare omnia Leontius, quæ illi, quæ Artabani Arſacique convenerant. quæ inter, & hoc in ſermonem venit, ſi occideretur Imperator, priusquam Byzantium veniſſet Beliſarius, nihil de conſiliis proceſſurum, quando propoſitum ipſis Germanum dicere Imperatorem: Beliſarius vero ſtatim, ut credi par erat, per Thraciam collecturus erat ingentem exercitum: cujus incurſui minime ſe futuros pares. optimum ergo in Beliſarii adventum rem differri: is ubi adveniſſet, cumque Imperatore una eſſet in palatio, tum multo veſpere ſubito ſecum pugionibus advolare, necemque inferre non Imperatori tantum, ſed & Marcello & Beliſario; ſic enim eventura ſine periculo deſtinata. Ne hæc quidem cum ex Leontio didiciſſet Marcellus, ad notitiam Imperatoris perferenda cenſuit, cunctabundus ne per nimiam feſtinationem improvide Artabani pernitiem offerret.

At

At Germanus metuens, quod res probavit, ne mora ipſe in ſuſpicionem incideret, cuncta negotii Buzæ Conſtantianoque aperit. Non multis poſt diebus, cum jam in proximo eſſe Beliſarius nuntiaretur, Marcellus Imperatori indicium facit. atque is illico Artabanem conſcioſque in carcerem conjici jubet. De his quæſtionem magiſtratibus quibuſdam permiſit Imperator. Poſtquam protractæ in lucem inſidiæ, & in ſcripturam redactæ erant, cunctos Iuſtinianus ſenatores ad Palatium convocat, ubi judicia exerceri ſolent. Hi perlectis omnibus quæ reorum confeſſio continebat, in idem crimen & Germanum & filium ejus Iuſtinum involverunt, donec Germanus Marcello Leontioque teſtibus diſcuſſit ſuſpicionem. Nam & hi duo, & Conſtantianus & Buzes jurati affirmarunt nihil ſe omnium à Germano cælatos. differendi indicii eam fuiſſe cauſam, quam nos jam ante expoſuimus. Nec mora, quin Senatus patrem filiumque omnis in rempublicam delicti abſolverent. At ubi è tribunali ad Imperatorem introiere, commotus relatis Imperator ſupra quam dici poteſt Germano ſuccenſuit, crimini ducens tam longum tantæ rei ſilentium. Et primorum duo ipſi aſſentandi ſtudio in eandem conceſſere ſententiam, graviter ſe quoque id ferre oſtentantes, eoque acrius inflammarunt iram Imperatoris, dum ſibi gratiam quærunt, alienæ calamitatis ſecuri. At cæteri attoniti conticeſcebant, hactenus cedentes Imperatori, ne voluntati ejus ſe objicerent. Vnus Marcellus ſumta loquendi libertate ſervavit Germanum, in ſe culpam transferens, omnique vehementia aſſeverans Germanum ſibi mature dixiſſe quæcunque ſtruebantur. ſe, dum curioſius cuncta rimari ſtudet, ſerius mandatum indicium detuliſſe. His mitigavit iram Imperatoris, magnumque ſibi eo facto Marcellus apud omnes homines decus peperit, recti ne

in ſummo quidem periculo oblitus. Iuſtinianus Artabani honores abſtuliſſe contentus, haud ultra nocuit. cæteros in cuſtodia habuit honorata, nec in carcere, ſed intra palatium. ſub hoc tempus totus occidens barbarorum factus eſt: Gotthicumque bellum Romanis nuper, ut ante narravi, victoribus eo devenit, ut non modo pecunias corporaque innumera nullo fructu in id inſumſerint, ſed & Italiam amiſerint, & Illyricum Thraciamque pæne omnem viderint à barbaris, qui ad eos usque fines penetraverant, pro libidine uri rapique. id ſic accidit: Gallias omnes ſui quæ erant imperii, belli hujus initio Germanis conceſſerant Gotthi, quod duobus ſe hoſtibus pares non exiſtimarent, ut jam dudum memoratum mihi eſt. Neque Romani obſtitere. quin hoc amplius Iuſtinianus poſſeſſionem firmavit, ne his quoque barbaris in ſe concitatis damni aliquid acciperet. nam ne ipſi quidem Franci tutum manſurumque jus ſibi, niſi ex Imperatoris auctoritate ſperabant. Ex eo Germani reges Maſſiliam Phocæenſium coloniam & alia ejus oræ maritima loca tenuere, marique imperarunt, & in hunc usque diem Arelate ſpectant Circenſes. ex Gallicis inſuper metallis nummum cudunt aureum, nec ei, ut mos alibi eſt, Imperatoris Romàni, ſed ſuam inſcribunt imaginem, cum rex ipſe Perſarum ſolitus ſit argenteum quidem nummum ſuo fingere arbitratu, ſed aureum ſua ſignare effigie non item, neque magis reges alii, etiam apud quos aurum naſcitur, quia ad commercia uſus nullus futurus ſit talis nummi, ad commercia uti nummo aureo, etiamſi cum barbaris negotium ſit. Hi Francorum fuere ſucceſſus. At poſtquam Totilæ & Gotthorum præpolluerunt arma, Franci Venetiarum pleraque facile in ſuam ditionem redegerunt, cum nec Romani ea loca tutari poſſent, neque Gotthi novum bellum ad vetus

vetus adjungere. At Gepidæ Sirmium ac Dacias pene omnes invasere, simulatque ea Iustinianus ademerat Gotthis, & quos ibi repererant Romanorum traxere captivos, semperque in longius progressi omne Romanum imperium perpopulabantur. quare nec stipendia ipsis ultra persolvit Imperator, quæ accipere à Romana republica solebant. At Norici urbem & quod in Pannonia munitum erat, aliosque præterea agros & pecunias Langobardis donavit Imperator. Per hæc illi exciti patriis è sedibus in citeriore Danubii se posuere ripa, Gepidis non procul. inde Dalmatias & Illyricum, Epidamni adusque fines, percursabant, multosque homines in captivitatem abducebant: quorum cum nonnulli fuga se domum retulissent, Langobardi in quæcunque vellent Romani imperii loca, velut sociali jure, penetrantes, illis tanquam fugitivis suis injiciebant manum, eosque à parentum complexu avulsos secum retrahebant, vindice nemine. At Daciæ agros, qui circa Singedonem, Imperatoris concessu Heruli acceperant, & nunc quoque ibi habitant, atque inde in Illyricum Thraciamque excurrunt, rapto plurimum viventes. Quidam eorum & Romanam cæpere militiam inter eos qui Federati dicuntur. Et horum ipsorum hominum, per quos Romanæ ditionis populi eum in modum tractantur, legati, si quando Byzantium veniunt, statim, annuis quæ ipsis debentur ultro persolutis, dimittuntur. Sic barbari Romanum imperium partiti lacerabant. Post Gepidæ & Langobardi ut queis contiguæ sedes, graviter inter se discordarunt, jam odiis in bellum turgentibus, præliorumque mutuo avidis, ita ut & pugnæ dies condiceretur. At Langobardi, qui se impares Gepidis multitudine præstantibus judicabant, Romanos constituerunt ad societatem vocare. Gepidæ vero, qui jam ante fedus cum Romanis habebant,

rogandos censuere Romanos, ut aut in partem periculorum præmiorumque instantis belli secum venirent, aut neutris accedentes medios & æquos se bellantibus præberent. Vtrique ad Iustinianum missis legatis eventum opperiebantur. Princeps erat Gepidis Thorisin, Audovin Langobardis. legatos utriusque audire Iustinianus voluit, sed seorsim hos atque illos. Priores admissi qui à Langobardis venerant hæc dixere: multum miramur, Imperator, Gepidarum impudentiam, qui tot atque tantis modis in majestatem tuam injuriosi, nunc huc veniunt, verbo adversum nos, reipsa novam in vos adferentes contumeliam. Despicatui enim is alios maxime habet, qui eos fraudi opportunos judicans, id agit ut eorum quos atrocissime læsit stultitia perfruatur. Tum vero expendatis rogamus, quo animo amicitiam vestram ambiant Gepidæ. sic enim facillimum vobis erit id constitucre quod è re est Romana. tutissima enim hominibus futuri exploratio è consideratione præteritorum datur. Quod si in alios tantum immanitatem suam exseruissent Gepidæ, multo nobis tempore longaque oratione & extraneis testimoniis opus esset arguendo hominum istorum ingenio. At nunc propinquum nobis à vobismetipsis documentum est. Cogitate ut Daciam primum sibi vectigalem habuerint Gotthi, quo tempore Gepidæ alteram Danubii ripam insidentes ita Gotthorum vim pertimuerunt, ut amnem transire nunquam in animum induxerint. ut honos contigerit Gepidis amicitiæ societatisque Romanæ, eoque nomine dona plurima quotannis, tum ab Imperatoribus qui fuere, tum abs te quoque ipso acceperint. Iam ipsos percunctari cupiam, quam pro tot benefactis reposuerint gratiam. certum est nihil eos adferre posse, neque magni neque parvi quod rependerint. Quam diu vero lædendi vos potestas

ſtas nulla ipſis data eſt, quievere, non voluntate, ſed quia ad nocendum materia deerat, quæ trans Danubium ſunt vobis non curantibus, ab his quæ citra ſunt repellente eos armorum Gotthicorum metu. At infirmitati quis æquitatis nomen imponat? quæ amicitiæ fides ex ad peccandum impotentia? Nihil, Imperator, nihil iſta ſunt. Facultas agendi eſt quæ hominis ingenium propoſitumque honeſtum aut turpe ſola aperit, id quod intus latuerat in conſpicuum educens patefacta licentiæ fore. En Gepidæ, ut primum exactos Dacia Gotthos videre, vos autem alio bello diſtrictos, ubique terrarum in veſtra irruere, ſcelerati homines pro nihilo duxerunt. Quomodo dicendo æquari hujus facti atrocitas queat? Nonne Romanam ſprevere majeſtatem? Nonne pactorum federumque leges ruperunt? Nonne contumelioſi fuere in quos minime oportuit? Nonne in id imperium involarunt, cui ſervire poſſe optarent, ſi vobis otium eſſet ad ipſos verti? Gepidæ, Imperator, Sirmium habent, Romanos in ſervitutem abducunt, Daciam ſuam eſſe jactitant. quo tandem bello aut pro vobis aut vobiſcum aut etiam in vos ſuſcepto victores, cujus certaminis pretium ſibi terram eam vindicantes, mercenarii ſæpe veſtri & jam multo à tempore magna pecunia vobis redemti? Hac ipſa legatione nihil ab omni ævo dicimus fuiſſe improbius. ut vos viderunt bellum in ipſos parare, audent Byzantium venire, Imperatorique ſe, cujus dignitatem proculcarunt, oſtendere, credo &, quæ ipſorum verecundia eſt, auxilia veſtra imploraturi in nos qui vobis ſemper devoti fuimus. quod ſi venere reddituri quæ nullo jure invaſerant, cauſam hujus ipſorum pœnitentiæ Langobardos eſſe Romani credere debetis: quippe quorum metu ſubacti ſeram ſibi circumdent æqui reverentiam. Nam ei qui recte agendi neceſſitatem nolenti impo-

impoſuit gratiam is debet ad quem volentem fructus redit. ſin vero nondum inique raptis volunt abſiſtere, quid ad hanc malitiam adjici poteſt? Hæc igitur ſimplicitate barbarica verborum inope multum infra rem dicta ſunto. At tu, Imperator, pro tua prudentia etiam illa accogitans quæ nos minus quam oportet prolocuti ſumus, ea conſtitue quæ Romanis Langobardisque, ſecundum Romanos tuis, expedient. Præter alia hoc quoque expendas velim, Langobardis qui de Deo jam olim eadem ſentiunt, ſi opem Romani ferant, facturos quod jus fasque eſt. Gepidis vero, ut qui Ariani ſint, vel hoc ipſo eos hoſtes eſſe debere. Langobardi hæc dixerant. poſtridie admiſſi Gepidarum legati talem orationem habuere. Par eſt Imperator, qui ſocietatem petitum veniunt, ii ut oſtendant & æqua ſe poſtulare & iis quos compellant profutura, atque in id utrunque legationis ſuæ dirigere ſermonem. A Langobardis nos injuria affici vel inde apparet, quod arbitrum accipere definiendis quæ controverſa ſunt parati ſumus. vi autem uti in eos qui judicio ſe permittunt, inhumanum. Iam vero & numero hominum & virtute multum Gepidas anteſtare Langobardis, multis verbis docere quid opus apud gnaros? Neminem autem cui modo mentis ſit aliquid arbitramur electurum, ut invalidioribus in certamine ſe applicans in mala præviſa irruat, cum ex potentioris ſocietate victoriam habere poſſit ſine periculo. in poſterum quoque Gepidæ in quemcunque voletis hoſtem vobis auxilio erunt, obſtricti beneficio, ubi veſtris aucti viribus de ſuis hoſtibus victoriam reportaverint. illud inſuper in mentem vobis venire æquum eſt, Langobardos recentes eſſe amicos Romanorum: Gepidas jam olim federatos & bene cognitos. Amicitia autem quæ longo tempore coaluit, non facile dirimitur. itaque amicos nos habebitis & validos

lidos & firmos. Hæc ſunt noſtra argumenta, quibus ſperamus vobis noſtram ſocietatem poſſe approbari. Iam & illud videte quo ſint Langobardi ingenio. judicio diſceptare de his quæ inter nos ambigua ſæpe à nobis rogati nunquam voluerunt, ferocia vecordes. At ſimul bellum increpuit, ceſſim euntes ob imbecillitatis conſcientiam, ad vos ſe vertunt, ut quod ipſi ultro attraxerunt periculum id res Romana in ſe ſuſcipiat. At hi prædones etiam Sirmium audent & Daciæ agros titulum in nos belli facere, cum veſtro imperio tantum urbium terrarumque ſuperſit, ut diſpiciendi vobis ſint quibus detis habitanda. En Francis, en Herulis, en his ipſis Langobardis, Imperator, oppida & agros dediſti innumera. Nos vero ii ſumus, qui tua freti amicitia id fecimus quod te credimus voluiſſe. Iam vero qui ſuarum quid rerum jactare cupit, minoris eum facit quem ſibi beneficii quæſivit debitorem, quam eum qui ultro arripuit vacans munus, ſi modo id fiduciæ ſumſerit, non domini contemtu, ſed eo quod ſe maxime rei domino amicum eſſe crederet: quomodo ſe negotium hoc Gepidarum cum Romanis habet. Hæc cogitetis rogamus, & primum quidem è ſocietatis lege nobis opem feratis pro virium veſtrarum magnitudine. id ſi obtineri nequit, abſtineatis vos ab armis utriſque. Nam vel hoc vel illud capientes conſilium, ea feceritis quæ & juſta ſunt, & Romanæ rei rationibus maxime conducunt. Hæc erat Gepidarum oratio. ſuper his multum conſultato, Iuſtinianus hos quidem ſine reſponſo dimiſit. At cum Langobardis pacta armorum ſocietate & jurejurando firmata, plus decies mille equites eis miſit, præfectis Conſtantiano, Buze, Aratio. His aderat Iohannes Vitaliani ſorore genitus, cui mandatum ab Imperatore, ut ubi cum Gepidis debellatum foret, omni ſtudio in Italiam rediret, unde

venerat. Sequebantur eos Heruli mille & quingenti, ducibus tum aliis, tum præcipuo Philimuthe. cæteri Heruli ad tria millia Gepidis se adjunxerant, desertis non ita pridem Romanis, ob eas causas quas antehac retuli. Pars Romanorum, quæ Langobardis auxilio proficiscebatur, in hos Herulos, quibus dux Aordus, improviso incidit, graviterque certato, vicit, multa cum Herulorum ipsiusque Aordi cæde. Verum Gepidæ ut in propinquo esse Romanum agmen cognovere, illico cum Langobardis deciderunt, atque ita nolentibus quam maxime Romanis pax inter barbaros coiit. magno in angore fuit id ubi audivit Romanorum exercitus. nam neque progredi, neque recedere licebat. Ad hoc metuebant duces ne juncti Gepidis Heruli Illyriorum terras rapinis vexarent. itaque ubi erant subsistere & Imperatorem quæ evenerant edocere ac consulere visum. Hæc illis in partibus agebantur. Sed me tempus referre sermonem unde abieram. Belisarius Byzantium proficiscebatur, sane inglorius, nam quinque per annos Italiam non penetraverat, neque aperte iter facere res ipsi concesserant. Sed fugæ similior ex maritimo aliquo oppido in alium littoris locum perpetuo navigarat. Eoque audentiores facti hostes & Romam ipsam & alia prope omnia raptaverant. Iam vero hoc ipso tempore Perusiam, Tusciæ caput, duro oppressam obsidio reliquerat, quæ dum ipse iter peragit, vi capta est. Byzantium ut venit, vixit ibi, fulgens divitiis, rerumque vetustioribus insignis. Cujus rei præsagium ei jam tum cum Africam peteret Deus dederat non obscurum. id quale fuerit exsequar. Erat in suburbanis Byzantii prædium Belisario, Pantychium nomine, situm trans maris illic in terras se infundentis sinum. ibi paulo antequam in Gelimerem & Africam iret Romani ductor exercitus, læta ei fuerat vindemia: unde dolia multa admodum

dum vino familia ejus impleverat: defossaque in terram inferne, superne luto diligenter obleverat, atque in cella collocaverat. octo post mensibus effervescens in quibusdam doliis vinum rupit cænum quo claudebatur, vique magna effluens ita terram perfudit ut in solo lacunam faceret non exiguam. quod ubi videre servi, rem admirati, multas inde amphoras implevere, rursumque limo obturatis doliis casum silentio texere. Sed cum sub idem tempus idem sæpius evenire cernerent, rem ad dominum detulere: is multis concitis amicorum ostendit quod res tulerat, qui omen conjectura interpretati magna bona domui portendi dixere. Et Belisarii quidem ea quam dixi fuit fortuna. At Vigilius Romæ antistes cum Italis, qui & multi & nobiles Byzantium advenerant, non cessabat instare, ut in Italiam magna cum vi Belisarius remitteretur, plurimum annitente Gotthico, senatorii ordinis & consulari viro, qui ob id unum jam modo Byzantium venerat. At Imperator Italiam sibi curæ fore promisit, assiduus interim tractandis Christianorum placitis, hoc proposito studioque, ut quæ inter eos disputando jactabantur componeret. Hæc Byzantii agebantur. Ad Gepidas vero Langobardus quidam hac de causa confugerat. Cum Langobardis rex esset Vaaces, erat ei propinquus, fratre nimirum genitus ipsius, nomine Risiulphus quem lex gentilis, si quid Vaaci humanitus accidisset, ad regni successionem vocabat. At Vaaces id curans ad suum filium ut regnum transmitteret, ficto crimine Risiulpho exsilium irrogat, atque is paucis comitantibus patria profugus Varnos adiit, filiis duobus inter Langobardos relictis. Varnos pecunia Vaaces emercatur in Risiulphi necem. Filiorum Risiulphi alter morbo interiit, alter Ildiges dictus ad Sclavos perfugium habuit. morbus non multo post & Vaacen abstulit. Langobardorumque imperium ad

filium ejus pervenit Valdarum, cui ob teneram ætatem tutor datus Audovin, cum ea occasione multum sibi virium circumdedisset, mox suo nomine tenuit regimen, quod ipse puer non multo post morbo exstingueretur. orto deinde inter Langobardos Gepidasque bello, de quo ante narravi, Ildiges assumtis qui ipsum secuti erant Langobardis, & Sclavis additis non paucis, ad Gepidas venit: sperabantque Gepidæ eum suis armis in regnum perduci posse. At secuta pace inter ipsos & Langobardos, Audovin à Gepidis, ut amicis, dedi sibi Ildigen postulat. illi quidem tradere eum noluere, sed jusserunt, è finibus ipsorum se quamprimum quoquo vellet amoliretur. Atque is nihil cunctatus, cum comitatu suo, & Gepidarum voluntariis quibusdam ipsum sectantibus, ad Sclavos redit. nec ibi manens, ad Totilam se Gotthosque confert: exercitum jam habens non minus sex millium: cumque in Venetias se intulisset, cum obviis Romanorum, queis dux Lazarus, prælio congressus, fudit eos, multis & occisis. Neque tamen Gotthis se addixit, sed transgressus Danubium ad Sclavos se retulit. Dum hæc quæ jam dixi geruntur, quidam Belisarii satellitum, Ilauph nomine, gente barbarus, animo strenuus, at præferox in Italia bello captus, ad Totilam & Gotthos, nihil quanquam à Romanis læsus, transfugit. Eum illico Totilas cum bono militum naviumque numero in Dalmatiæ oram misit. Muicurum ubi is advenit, maritimum non procul Salonis locum, amice primum versari cum illis hominibus cepit, Romanum se & Belisarii domesticum præferens, deinde stricto repente gladio, jussisque idem facere qui secum venerant, omnes obtruncat. Injecerat oculos & alii maritimo loco quem Laureatam Romani appellant: eoque irrupto, itidem in quoscunque inciderat, interficit. Perlata hæc ad Claudianum, Salonis qui præerat, fecere ut

ut navigiis, quæ dromonas vocant, impoſitum exercitum in Ilauphem mitteret. Sed hi ut Laureatam venere, congreſſi prælio, multoque inferiores, fuga ſibi conſuluerunt, derelictis in portu dromonibus aliiſque navigiis quæ frumento rebuſque aliis neceſſariis plena erant. quibus captis Ilauph & Gotthi, multaque in obvios cæde perpetrata & rapina graves, ad Totilam rediere. Finiebat tum hyems unaque annus quartus decimus belli ejus quod Procopio deſcribitur. Tum toto exercitu Totilas Romam it obſeſſum. Ter mille dilectos ex omnibus numeris cuſtodiendæ urbi Beliſarius reliquerat, præfecto eis Diogene ſuorum ſatellitum uno, viro ſpectatiſſimæ virtutis, nec prudentiæ minoris. Diu tracta eſt obſidio, dum obſeſſi, quod numero deerat, comparatis ad Gotthorum exercitum, id virtute compenſant, & pervigile cura ne quis mœnibus noxam inferret cavet Diogenes, ſatiſque intra ipſam urbem frugibus ne alimenta deeſſe poſſent providet. Sæpe oppugnationem inſultumque in mœnia auſi barbari, virtute quanta unquam ſe defendentibus Romanis, rejecti ſunt. Portus tamen oppido potiti, intentius jam inde obſidionem urgebant. Hæc illis in locis agebantur. At Imperator Iuſtinianus, ut Beliſarium Byzantii vidit, alium ducem in Totilam Gotthoſque cum exercitu mittere conſtituit. quod propoſitum ſi exſecutus eſſet, Roma adhuc ipſi ſalva, ſalviſque militibus eam cuſtodientibus, qui cum novis à Byzantio auxiliis conjuncturi ſe fuerant, credo, victor fuiſſet hoſtium. Nunc vero Liberium, quem ducem deſtinaverat, virum ſenatorii ordinis, paratum itineri eſſe juſſit, ſed mox aliis, ut videtur, negotiis incidentibus ab ea cura deſtitit. Iam in multum temporis proceſſerat urbis obſidio, cum Iſauri aliquot, quibus ad portam Pauli Apoſtoli nomen ferentem excubiæ obvenerant, partim dequeſti per annos multos

multos nullas ſe ab Imperatore mercedes accepiſſe, partim conſpicati Iſauros illos, qui antehac Romam Gotthis prodiderant, opibus ſuperbos, arcanis cum Totila ſermonibus, pollicentur ei Romam ſe tradituros, diesque ad id implendum dicta eſt. Quæ ut venit, hoc aſtu uſus eſt Totila. Prima noctis vigilia in amnem Tiberim duo immittit navigia, viroſque imponit, doctos tuba canere: quibus præcipit adverſum flumen remigio ſuperare, cumque mœnibus propinquatum eſſet, tuba quam clariſſimum poſſent clangorem edere. Ipſe clam hoſtes, ad eam portam quam Pauli Apoſtoli vocabulo notam dixi, Gotthorum paratum habebat exercitum, hoc conſilio ut ſi qui Romanorum militum tenebris occultati ex urbe Centumcellas fugerent, quod unum erat in illis regionibus præſidium, inceſſo à viris acribus itinere, omnes (ita enim juſſerat) occiderentur. Hæc ſecuti qui in navibus erant, ut juxta mœnia ventum eſt, tubis occanere. Romani re ſubita exterriti neque ſatis conſilii compotes, deſertis ubique excubiis illuc, unde oppugnari timebant, auxilio currere. ita ſoli in parte mœnium ſibi mandata manſerunt Iſauri, nulloque negotio portas aperuere & in urbem admiſſus hoſtis. Magna fit eorum qui in manus venerant ſtrages. nec pauci per alias portas evaſere. at quibus Centumcellas curſus fuit, illapſi in poſitas, ubi dixi, inſidias periere plerique. paucis horum fuga ægre contigit, in quibus Diogenes fuit, vulnerato, ut narrant, corpore. Erat Cilix in Romano exercitu Paulus nomine, qui primum Beliſarii domus diſpenſator, turmæ inde præfectus in Italia militarat, & ſecundum Diogenem urbis tutelæ præfuerat. Hic Paulus, dum capitur urbs, cum equis quadringentis in Adriani monumentum ſe recepit, ſimulque pontem tenuit, qui ad Petri Apoſtoli ædem ferebat. Gotthorum exercitus mane, priuſquam dies ſe oſtenderet,

cum

cum his pugnam orditur. Romani, vim hostium fortiter sustinentes, superiores evadunt, barbarosque ut & multos & in angustiis deprehensos, multa cæde prosternunt. quod ut vidit Totilas, inhibuit prælium, jussitque Gotthos assidentes quiescere, sperans se fame hostes domiturum. Atque eum quidem diem Paulus, & qui cum eo quadringenti, egere jejuni, neque minus noctem insequentem. Postridie equorum carnibus pasci constituerant. Sed perhorrescentes insolitum cibum, premente quanquam inedia, ad vesperam duravere. Tum multa inter se collocuti post mutuos ad virtutem hortatus, optimum duxere honesto exitu vitam claudere. Propositum erat in hostes incautos irruere & interfectis quam possent plurimis, forti leto occumbere. Ergo amplexi se invicem amiceque osculati, ibant ut jam jamque morituri. intellexit Totilas, metuensque ne homines salutis desperatione in mortis desiderium accensi, dura in Gotthos facinora ederent, mittit qui de duobus optionem ipsis deferant, ut aut equis armisque dimissis, & nunquam sibi in Gotthos bellum fore polliciti, Byzantium integri abeant, aut rebus servatis Gotthorum commilitium, pari conditione futuri, accipiant. Libentes hæc audiere Romani: ac primum quidem mitti Byzantium prætulere omnes. Mox subeunte pudore itineris & pedestris & ab armis nudi, accedente & metu, ne per insidias in abitu interficerentur, nonnihil & offensi quod longi temporis reliqua apud rempublicam haberent, cuncti volentes Gotthorum se agmini adjunxere: nisi quod Paulus & Isaurorum unus, Mindes nomine, Totila convento, precati sunt ut Byzantium mitterentur: in patria conjuges sibi liberosque, sine queis vitam tolerare non possent. Totilas vera dici credens non viaticum tantum, abire permissis, sed & qui prosequerentur dedit. Trecenti alii Roma-

norum

norum militum ad ædes ſacras qui confugerant, fide ſalutis accepta ad Totilam venere. is Romam neque delere neque derelinquere ultra in animo habens, partim Gotthos, partim Romanos, tum ſenatores, tum è plebe, ad habitandam urbem inducere conſtituit. Ejus conſilii cauſa hæc fuit. Non multo ante Totilas ad Francorum regem miſerat, filiam ejus ſibi in matrimonium depoſcens. ille autem abnuerat, negans aut eſſe regem Italiæ Totilam aut unquam fore, qui Romam captam nequiſſet tenere, ſed eam ex parte nudatam hoſtibus reliquiſſet. ob id magno ſtudio alimenta in urbem importari curabat, & quam celerrime jubebat reſtitui, quæ ipſe, cum prius urbem caperet, fregerat uſſeratque: ſed & Romanorum quos in Campania ſervabat tum ſenatorios viros, tum alios in urbem acciri jubet: equorumque inſtituto certamine exercitum parat in Siciliam tranſmiſſurus. Etiam ad navale prælium, ſi ita res ferret, parata habebat navigia minora quadringenta, magna præterea multa, quæ ab Imperatore ex orientis partibus miſſa cum omni onere vectoribuſque ſub id tempus ceperat. Simul Stephanum civem Romanum legatum miſit ad Imperatorem, componendo bello per fedus ſociale, ex quo Gotthi in hoſtes alios arma ſua cum Romanis jungerent. At Iuſtinianus ne ad conſpectum quidem ſuum hunc admiſit legatum, adeo parvi faciens quæ adferebat. Quod ubi cognovit Totilas ad belli paratus magis etiam ſe excitavit. Ex uſu ei videbatur, tentatis ante Centumcellis, deinde in Siciliam proficiſci. Regebat præſidium non modici militis Diogenes è ſatellitibus Beliſarii. Gotthi ut prope venerunt, vallatis ſub mœnia caſtris, obſidentibus ſolita agitant. Totilas legatis ad Diogenem militeſque miſſis, hortatur, ſi prælio rem committere vellent, ne cunctarentur. nam auxiliorum ab Imperatore nullam eſſe ſpem: neque vires ei

ci ad bellum cum Gotthis diutius gerendum. argumento esse quæ Romæ Vrbi post tanti temporis patientiam acciderant. Si pugnare non liberet, eligerent de duobus alterum, aut cum Gotthis militiam, pari cum ipsis jure futuri, sumere, aut sine noxa dimitti Byzantium. Romani ac Diogenes neque prælii se fortunam subituros dicebant, neque posse Gotthis se permisceri, quod seorsim à liberis conjugibusque vitam pati nequirent. oppidum, cujus ipsis commissa custodia in præsens, ut traderent, nullum se colorem videre, quo se ad Imperatorem ituri defenderent. quare differri rem in tempus aliquod rogabant, ut liceret sibi, quæ agerentur, nuntiare Imperatori, ac si intra id tempus ab eo non juvarentur, tum discederent, Gotthisque oppidum honesta specie darent. Placuit id Totilæ, diesque condicta & obsides utrimque triginta conventioni firmandæ. Tum soluta Gotthi obsidione, Siciliam intendunt iter. Sed Rhegium ut advenerant, non prius trajiciendum sibi fretum censuere, quam si quo modo ejus quoque præsidii animos labefactare possent experirentur. Præerant loco militique Thurimuth & Himerius ibi à Belisario constituti. Hi cum sub se haberent & multos & validos, non tantum oppugnationem ausos hostes rejecerunt, sed & erumpentes ipsi in eos pugnarunt feliciter. Verum post id superurgente hostium multitudine intra mœnia se continuere otiosi. Totilas parte exercitus in castris illis relicta, quod alimentorum ex inopia non multo post deditionem speraret, cum cætero in Tarentinos profectus, facile id oppidum suæ ditionis fecit, qui vero Gotthorum in Piceno jussu ejus resederant, Ariminum sibi proditum intravere. His Iustinianus auditis, fratris sui filium Germanum voluit maximo cum imperio in Totilam & Gotthos mittere, eumque in id paratum esse jussit. Ea fama ubi in Italiam perlata est, formi-

formidinem intulit Gotthis, claro apud omnes homines Germani nomine, Romanis vero ſpes crevere, mileſque Imperatoris, labores & pericula ob id promtius tolerabat. Sed Imperator, neſcio qua de cauſa, demotus ab hac ſententia, Liberium civem Romanum, jam ante mihi memoratum, in locum Germani ſubſtituere conſtituit. Atque is itineri accinctus, jam jamque cum exercitu navigaturus putabatur. Sed alia Imperatorem pœnitentia ſubeunte, retentus & ipſe in otio. Sub id tempus Verus cum acerrimis militum quos ſibi adſumſerat, Gotthis qui in Piceno erant, prælio congreſſus Ravenna non procul, multos ſuorum amittit, periitque & ipſe fortiter pugnans. Interea & Slavi, non plures ter mille, Danubium, prohibente nemine, tranſgreſſi, & mox Hebrum amnem eadem facilitate, in duo ſe agmina diviſere, quorum alterum mille habebat & octingentos, alterum reliquos. Et his & illis ita ut dixi ſeparatis Romani duces, in Illyrico perque Thraciam pugna impliciti, citius credito victi ſunt, multique periere. Cæteris fuga turpis ſaluti fuit. Poſtquam hi duces ab utroque hoſtili agmine, cum numero ſuperarent ipſi, vi ſuperati fuerant, in Asbadum incidit pars Slavorum altera. Fuerat is Iuſtiniani ſatelles, mox iis militibus qui Candidati dicuntur adſcriptus, turmis denique præfectus, quæ multæ optimæque. Teuruli, quod Thraciæ oppidum eſt, antiquitus agunt. De his quoque nullo negotio victores Slavi, multos fœde fugientes interficiunt: ipſum vivum capiunt Asbadum, ſed non multo poſt eum flammis exurunt cum prius è tergo ipſius lora exſcidiſſent. His rebus actis, impune deinde ac ſine metu Thracum & Illyriorum agros raptabant, multaque oppida vi ceperunt utroque agmine, ante ea tempora neque oppugnationes auſi, neque in aperto prælia. Nam ne incurſare quidem Romani imperii agros,
aut

aut omnino transire Danubium aggressi fuerant, nisi nunc primum de quo narrare incepi. Iidem illi qui Asbadum devicerant, populabundi ad oram usque maritimam cum pervenissent, oppidum ibi situm, quanquam militibus custodiebatur, vi ceperunt, Topserum nomine, quod primum eam Thraciæ partem intrantibus se offert, abestque à Byzantio duodecim dierum itinere. Sed vim astus talis præcesserat: pars magna Sclavorum ante mænia confragosis locis se abdiderant. Pauci portas quæ Solis ortum spectant assiliendo, Romanos in muris stantes lacessebant. Sed cum putarent hi defensores, non plures adesse hostium, quam qui conspiciebantur, eruptionem in eos fecere. Barbari cessim eunt, speciem præferentes præ metu se recipientium: eoque insecuti ardentius Romani satis longe à mænibus se promovent. Tum surgentes ex insidiis qui latuerant, à tergis se ostentant, reditumque in oppidum intercipiunt. simul conversis qui fugere credebantur, circumveniuntur Romani. Horum cæde peracta barbari in mænia impetum faciunt. At nudati militum auxilio oppidani, quanquam periculi magnitudine movebantur, pro viribus præsentibus tutelæ suæ non desunt. Atque initio oleum picemque summe fervefacta dejiciunt in oppugnantes: deinde confertim immissis lapidibus non multum aberant, quin vim depellerent. Sed eos barbari denso telorum ingestu à propugnaculis abscedere cum coëgissent, scalis ad mænia admotis, oppidum per vim irrumpunt. Virûm millia quindecim illico occisa, res direptæ, mulieres puerique in servitutem acti, quanquam ante nulli ætati aut sexui parcere erant soliti, tum hujus agminis, tum illius alterius Sclavi, sed nullo discrimine in quos inciderant interficere omnes, ita ut omnis prope terra quæ Illyriorum quæque Thracum est obtecta esset insepultis mortuorum corporibus. Morem autem

habuerant obvios occidere non gladio, non hasta, non ullo denique belli modo: sed palos firmiter solo defigere, & cum eos fecissent quam acutissimos, in eos multa vi ponere miseros, & cuspidem in posticum cavum eousque defigere ut in viscera intima penetraret, donec dolore conficerentur. Sæpe & crassis sudibus quatuor è terra exstantibus alligaverant pedes manusque captivorum, quos, deinde fustibus capita contundentes, canum, anguiumve aut ferarum instar, perire cogebant. Alios cum bubus ac pecoribus, quæ domum abducere se posse non sperabant, in tuguria inclusos immaniter usserant. Tales Sclavi mortes victis irrogaverant. At nunc & hi, & qui alterius erant agminis, quasi sanguinis satias cepisset, quos repererant, vivos servabant: ita ut captivorum millia plura quam ut numerus iniri posset, secum abriperent. Post hæc Gotthi Rheginorum munimenta assiliere, quæ ab obsessis defensa sunt fortiter, conspicua quotidie Thorimuthis virtute. Totilas, cum obsessis arcta esse alimenta nosset, parte ibi exercitus relicta, ad prohibendas invectiones, ut inedia cogerentur illi & se & oppidum Gotthis dedere, cum reliquo militis, trajectu in Siciliam facto, Messanæ muros adoritur. Præsidio præerat Domentiolus, sorore genitus Buzæ, qui præ mænibus pugnam ausus, discessit non inferior. Sed in posterum oppido se continens, idque tutari satis habens, quievit. Gotthi, nemine se objectante, Siciliam prope omnem pervastant. At qui Rhegii obsidebantur Romani (iis præfuisse Thorimuthem dixi & Himerium) cum necessaria omnia deficerent se cum oppido hostibus, pactis initis, tradiderunt. Hæc ubi audiit Imperator, classe contracta impositaque magna cohortium vi, Liberium ducem dictum navigare jubet sine mora, Siciliamque servare Romano imperio. Sed ejus imperii Liberio mandati brevi Iustinianum pæniten-

nitentia subiit. erat enim Liberius ultimæ senectutis, adhæc rerum belli expers. Artabanem ergo, condonatis quæ peccaverat, præpositum Thraciæ cohortibus in Siciliam mittit, exercitu præbito non magno, sed jussum Liberii, quem Byzantium Imperator jam revocaverat, classem sibi sumere. summam belli in Totilam ac Gotthos Germano permittit fratris sui filio: cui exercitum quidem non magnum attribuit, sed pecuniæ satis, unde ipse per Thraciam Illyricumque numerosum militem conscriberet. Hunc igitur ire quamprimum in Italiam jubet imperator, eodemque properare tum Philimuthem cum suis Herulis, tum Iohannem Germani ipsius generum, Vitaliani sorore natum, qui Iohannes tum in Illyrico agebat, ejus tractus militibus præpositus. Magna hoc tempore Germanum cupido incesserat de Gotthis reportandi victoriam, & ut Africam reddiderat Romanæ rei, ita reddendæ & Italiæ. Nam cum Stotza dominatu arrepto Africam firma jam possessione teneret, missus ab Imperatore, insperato de seditiosis parta prælio victoria, exstincta ea factione, Africam imperio restituerat, ut prioribus à me libris memoratum est. Et nunc Italiæ rebus in eum perductis statum quem narravi, appetebat ingentem gloriam, si & hanc Imperatori vindicare posset. Ac primum mortua pridem uxore Passara in matrimonium sibi cepit Matasuntham filiam Amalasunthæ, quæ Amalasuntha Theuderichi fuerat filia, erepto jam rebus humanis Vitige. Spes enim suberat, si in castris ea femina conspiceretur, verituros Gotthos arma ei contraria sumere, ob gratam memoriam principatus Theuderichi, Atalarichique. Deinde nihil parcens pecuniæ, tum ei quam à patruo Imperatore acceperat, tum multo majori quam de suo sumserat, multo citius opinione omnium ingentem acerrimorum militum contraxit exercitum. Nam qui Romanorum

bello erant optimi, ſpretis ducibus cæteris, qui ſatellites plerique aut protectores fuerant, Germanum promti ſectabantur, non ex Byzantio tantum, ſed ex omni Thracia, nec minus ab Illyrico, multum in hoc adjuvantibus Germani filiis duobus Iuſtino & Iuſtiniano, quos abiens ſecum ducebat. Quaſdam & ex turmis quæ in Thracia tetenderant, conceſſu Imperatoris, aſſumſit ſibi. Nec pauci barbarorum Danubii ripas incolentium, partim Germani nomine, partim magnis pecuniis illecti, comites ſe dedere. etiam ex aliis terrarum partibus barbari affluebant. Et Langobardorum princeps mille gravis armaturæ pedites paratos habebat, quos propediem miſſurum ſe pollicebatur. Hæc cum in Italiam in majus, ut mos eſt procedenti famæ, aucta nuntiarentur, Gotthos partim metus invaſit, partim pudor, ſi pugnandum ſibi eſſet in Theuderichi ſobolem. Tum vero Romani milites, qui Gotthis partim coacti, partim pellecti militaverant, nuntio ad Germanum miſſo, ſignificant ſimul ipſum in Italiam venientem caſtris conſidere conſpicerent, ſe continuo ipſius ſigna ſecuturos. His in ſpes magnas excitati qui Romanorum Ravennam quæque pauca præterea reſtabant oppida tuebantur, defendere ea loca ac retinere in fide Imperatoris quam pertinaciſſime decreverunt. Sed & qui cum Vero aliisve ducibus infeliciter in hoſtes pugnaverant, fugaque ſparſi palabantur, ut adventare Germanum cognoverant, in Iſtriam cum ſe conglobaſſent, ibi exercitum quieti opperiebantur. Aderat jam præſtitutus Centumcellis dedendis dies, cùm miſit ad Diogenem Totilas, ut pacta impleret. At Diogenes id non amplius ſibi integrum reſpondit, cum audiretur venire ſummo cum imperio Germanus, neque longe jam abeſſe cum exercitu: obſides paratum ſe ſuos recipere, à Gotthis acceptos reddere. Cum hoc reſponſo dimiſſis illis, oppidi cuſto-

custodiæ acri cura incubuit, Germanum ejusque copias exspectans. Hæc dum illis in partibus aguntur, hyems desiit, finemque accepit annus decimusquintus belli hujus quod Procopio describitur. Dum Germanus Sardicæ, quæ Illyrici urbs est, cogit ordinatque exercitum & summo studio cuncta ad bellum parat, Sclavorum quanta non ante manus Romanas in terras se intulit, Danubiumque transgressa ad Naiso vicina penetravit. Paucos horum à castris longius ac singillatim oberrantes Romani à se captos vinctosque interrogant, qua de causa quove consilio tantus Sclavorum exercitus flumen transiisset. illi ajunt destinatum, Thessalonicam & vicinas urbes obsidione capere. Quæ simul audiit Imperator, non leviter exterritus, Germano statim scribit superſederet in Italiam itineri, Thessalonicæ autem ac finitimis locis subveniret, Sclavorumque incursionem omni vi repelleret. Germanus ad exsequenda jussa se parabat. At Sclavi, cum ex captivis certo didicissent Sardicæ esse Germanum, expavere. tanta fama Germanum eas usque gentes celebraverat, qua de causa, dicam. Cum primum principatum adeptus erat patruus Germani Iustinianus, Antæ Sclavis contermini Danubio transmisso in Romanas regiones magno agmine irruerant. Germanum Imperator non multo ante per Thraciam ducem fecerat. isque commisso cum hostibus prælio virtute superior, occiderat pæne omnes, inclitum inde nomen apud gentes etiam alias, sed maxime apud gentis illius barbaros consecutus. Perturbati ergo, ita ut dicere cæperam, barbari, nec dubium habentes, quin cum magnis copiis veniret dux ab Imperatore in Totilam Gotthosque missus, à via Thessalonicam pertinente declinarunt, ac ne in æqua quidem ausi descendere, omnia Illyrici juga perambulantes, tandem Dalmatiam adveniunt. quibus spretis Germanus edicit mi-

 liti

liti ſuo, paratus ſit poſt biduum iter in Italiam aggredi. Sed mala fortuna inter hæc molimina morbo ei vitam eripuit: exemtuſque eſt rebus humanis Germanus, immaturo fato, vir animo corporiſque robore ingens, nec minus recte ducis quam militis fungens officia: tum vero in pace rebuſque proſperis, leges & reipublicæ decus ſervare conſtantiſſimus, in jure dicendo ſanctiſſimus: pecunias egentibus commodare ſolitus ſine ullo fænore: in palatio, in foro gravis ac magnificus, convivator domi ſuæ quotidie, largus, comis atque hilaris; qui neque in Palatio peccari quicquam præter ſolita volens ſineret, neque ortis Byzantii conjurationibus conſilia aut vota ſua miſceret, cum plerique potentium eo amentiæ deciderint. Et hæc quidem res ſic abiit. Mæſtus damno Imperator, exercitui vacanti belloque per Italiam Iohannem præponit, cui avunculus Vitalianus, ſocer Germanus fuerat, adjuncto ei Germani filiorum altero Iuſtiniano. Hi in Dalmatiam ibant Salonis hyematuri, cum neque illo anni tempore ſperarent ſe terreſtri oræ Adriaticæ circuitu Italiam poſſe attingere, & mare tranſire non magis poſſent, defecti navibus. At Liberius, nondum gnarus aliud de claſſis imperio, quam ipſi dictum erat, conſtituiſſe Imperatorem, Syracuſis ab hoſte obſeſſis auxilium ferens, repugnantibus quanquam barbaris, portum iniit, claſſemque omnem intra mœnia feliciter perduxit. Non multo poſt Artabanes in Cephaleniam cum veniſſet, intellecto jam in Siciliam profectum Liberium cum exercitu, velis factis Adriæ ſinum tranſiturus ibat. Non longe Calabro littore aberat, cum horrida tempeſtas exorta, ventis & vehementibus & adverſis, ita naves omnes ſparſit, ut pleræque impactæ in littus Calabrum inque hoſtium poteſtatem veniſſe crederentur. At res ſic ſe non habebat, ſed ventis diſpulſæ, eiſdem cogentibus verterant curſum, inque

Pelo-

Peloponnesum redierant. paucæ aliis in locis salutem aut exitium invenere. Navis ipsa, quo vehebatur Artabanes, malo dum tempestas urget abciso, maximis cum periculis jactata ventis fluctibusque, ad Melitam perlata est. Atque ita Artabani servari insperato contigit. Liberius cum neque erumpendi facultas daretur, neque aperto in hostem prælio par esset, præterea victui necessaria in longius tempus non suppeterent tantæ multitudini, clam hostem velis sublatis Panormum subduxit sese. At Totilas & Gotthi, omnibus prope agris Siciliæ direptis, equorum aliorumque animantium vim immensam præ se agentes, frumentum & quicquid terra gignit, ex insula deportantes, pecunia quanta credi non posset onustis navibus, subito & insulam reliquerunt, & Italiam repetiverunt, unde capto impetu dicam. Romanum quendam ortum Spoletio, Supinum nomine, nuper Totilas adsessorem sibi fecerat. is vir cum in Catina oppido nullis defenso mænibus moraretur, infortunio quodam in manus hostium devenerat. quem cum liberare cuperet Totilas, captivam viri nobilis matremfamilias pro eo obtulit. sed cum Romani virum ejus dignitatis, quæ apud ipsos quæstoria dicitur, femina commutare nollent, metuens ille ne sævitia hostium interiret, pollicetur Romanis, persuasurum se Totilæ, illico ut Siciliam desereret, cumque exercitu omni in Italiam navigaret. illi jurisjurandi religione in promissa adactum, captivaque recepta, ipsum Gotthis tradunt. qui ut Totilæ in conspectum venit, non bene consulere propriis rebus Gotthos affirmat, quod pervastata Sicilia prope omni paucis castellis inhærerent. auditum sibi modo, cum apud hostes esset, Germanum Imperatoris fratre genitum mortalitatem explesse. Suffectos ei generum ipsius Iohannem,ac filium ipsius Germani Iustinianum. Eos cum omni exercitu quem Ger-

 manus

manus collegerat, jam in Dalmatia esse, in Liguriam paratos transgredi, ut repentino incursu Gotthorum uxores, liberos, resque belli more raperent in captivitatem prædamque. His malis ut eatur obviam, rectius fore, ubi domus, ubi fortunæ essent, ibi hyemen transigi. illos hostes si superabimus, addebat, facile cum vere primo Siciliam, ipsa securitate futuram invadi facilem, repetemus. His monitis obsequens Totilas, quatuor munitis in locis præsidia reliquit, ipse præda gravis cum exercitu omni mare in Italiam trajicit. illis in locis ista fiebant. At qui in Dalmatia jam erat cum Imperatoris exercitu Iohannes, Salonis hyemem degere proposuerat, inde, ubi hyems transiisset, iter Ravennam capturus. Verum mox Sclavi, tum illi quos & ante in imperii terras progressos memoravi, tum his adjuncti alii, transmisso amne Danubio, Romana audacter invadunt. Erant qui suspicarentur hos à Totila immissos multis pecuniis eam operam emercato, ne posset Iustinianus, hoc novo bello implicitus, res contra Gotthos gerere ex animi sui sententia. Ego, Totilæ in gratiam, an sibi studentes venerint, haud dixerim. sed in tria divisi agmina per Europam omnem miræ feritatis facinora ediderunt, non per incursus populabundi, sed velut in sua sede hybernantes, nullo ab hoste metu. Seriùs aliquanto justum in eos exercitum misit Iustinianus, cujus duces Constantianus, Aratius, Nazares, Iustinusque Germani filius & Iohannes cognomento Phagas. Sed his omnibus imposuit Scholasticum nomine, de palatio spadonem. Hic exercitus in partem incidit barbarorum propter Adrianopolim, quæ urbs, Thracia in media, quinque dierum iter abest Byzantio. Et ultra quidem promovere se barbari nequibant, præda onusti hominum, animantium, rerumque aliarum, majore quam ut numerus iniri quiret. quare illis in locis constituerunt subsistere,

ſiſtere, & in hoſtem, cùm minime id exſpectaret, ſe injicere. Ergo caſtra Sclavi in monte ponunt qui propinquus erigitur: Romani ſubjectis in campis. ita cum non multo inter ſe intervallo diremtis hoſtibus ſatis temporis otioſum tranſiiſſet, Romani milites indignari & fremere, quod duces, quibus ob potentiam afflueret victus copia, manipulares rerum omnium egeſtate atteri pro nihilo ducerent, ideoque prælia vitarent. Per hæc coacti duces, ad pugnam veniunt, acrem diu, poſtremo Romanis improſperam. in ea militum periere multi, & optimus quisque. duces paulo minus capti ægre cum militum ſuperſtitibus fugam invenere, quo quisque poterat intentam. Etiam Conſtantiani ſignum adepti ſunt barbari, contemtiſque Romanorum armis in ulteriora proceſſerunt, Aſticamque dictam regionem jam olim bello intactam, quo major præda fuit, pro arbitratu ſuo devaſtarunt. ita per multa terrarum ſpatia populando graſſati ad longos qui dicuntur muros pervenerunt, unde Byzantium non plus diei iter eſt. ſed haud multo pòſt Romanorum exercitus terga barbarorum perſequens, cum parte quadam ipſorum fortuito prælio implicatur, victorque factus plurimos hoſtium occîdit, plurimos & Romanorum ex captivitate recipit, Conſtantianique ſignum jacens repertum tollit. qui ſuperfuerant barbari, cum prædæ reliquiis domum revertuntur.

PROCOPII CÆSAREENSIS

GOTTHICÆ HISTORIÆ

LIBER IV.

QVæ huc uſque à me ſcripta fuerant, cum cura quam maxima, in ipſis ubi bella gerebantur locis viſa aut intellecta, rerum cohærentium, non temporum ordine digeſta aptataque, jam per omnes Romani juris terras vulgata ſunt. Quæ ſequuntur, non eodem mihi tradentur modo. neque enim jam emiſſis in publicum operibus annecti & ſuis quæque locari ſedibus poterant. ſed quæ in hoſtes de quibus egi proxime, quæque in Medos acta ſunt, poſteaquam priora in publicum exiere, juncta in hunc librum conjiciam, lectoremque, ut feret neceſſitas, nunc huc, nunc illuc transferam. Quæcunque evenerant intra annum quartum induciarum, quæ in quinque annos Romanis Perſiſque pactæ fuerant, libris res Perſicas complectentibus memoravi. Eo qui ſecutus eſt anno ingens vis Medici exercitus in Colchorum terram irruit, duce Choriane, gente Perſa, perito belli. ſequebantur eum barbarica Alanorum auxilia. Hic exercitus, ubi in eum Lazicæ tractum venit, cui Mucheriſis nomen, loco idoneo fixis caſtris interquievit. Perfluit eam regionem Hippis neque magnus neque navium patiens amnis, ſed equiti peditique pervius. Ad dextrum ejus latus, non in ipſa ripa, ſed longius, poſitus erat caſtrorum. ut vero hæc noſtra lecturis cognitæ ſint Lazicæ terræ

terræ partes, quæque eam incolunt gentes, ne ipſis, ut iis qui in umbra dimicant, inania ſimulacra illudant, non alienum à propoſito videtur præfari, quem ad modum Euxino ponto circumſita habitentur: non quod neſciam antiquos etiam ſcriptores in ea deſcriptione verſatos, ſed quod non cuncta ſine errore tradita exiſtimem. Fuere quippe qui finitimos Lazis Tzanos dicerent: eos vero, qui nunc Tzani vocentur, olim Colchos fuiſſe, Lazis manente in hunc diem vetere nomine. quorum neutrum verum eſt. Nam Tzani procul à littore mediam Armeniam tenent: montiumque juga plurima prærupta atque invia, & locorum ab humano cultu deſertorum ingentia ſpatia, & torrentium voragines, nemoroſique colles & vaſti terrarum hiatus eos à mari ſubmovent. At ut Lazi alii ſint, quam qui olim Colchi, fieri nequit, quando Phaſim amnem accolunt, ita ut quod multis populis accidit, nomen tantum nomini ſucceſſerit. Ad hoc longa ætas, quæ poſt illos ſcriptores elapſa eſt, rebus ſimul cum ea fluentibus, multa quæ ex vero tradita fuerant innovavit, tranſlatis gentium ſedibus aut principibus earum nominibusque commutatis. quæ exſequi neceſſarium duxi, non ut fabuloſa, ſituque vetuſtatis ſepulta eruam, quærendo quam ad Ponti Euxini partem vinctus Prometheus carminibus celebretur, (multum enim à figmentis diſtat hiſtoria) ſed ut ex fide tradam & res & rerum vocabula, quæ in illis regionibus nunc obtinent. Pontus hic à Byzantio ac Chalcedone incipiens in Colchorum terras deſinit. intranti ad dextram ſunt Bithyni & his contermini, tum montani, tum Paphlagones, quorum loca ſunt & alia & adſitæ mari urbes Heraclea & Amaſtris: ſequuntur hos Pontici ad Trapezuntem uſque urbem & ei parentem agrum. His maritima ſunt oppida Sinope & Amiſus. Proxime Amiſum eſt Themiſcyra amniſque

que Thermodon, ad quem Amazonum fuiſſe caſtra memorantur. ſed de Amazonibus poſt aliquanto diſſertandi erit locus. Trapezuntis ditio protenditur vicum uſque Suſurmona & eum tractum cui Rizæo nomen, qui Trapezunte abeſt bidui itinere littoris via Lazicam petenti. Cum Trapezuntis mentio inciderit, non omittenda res digna admiratione, mel, dulce cæteris terrarum, intra Trapezuntios fines amarum eſſe, communi hominum de eo perſuaſione non alibi falſa. dexteriores his omnibus locis Tzanicæ ſe montes attollunt: ultra quos Armenii ſunt illi, qui Romanis reguntur. Defluit ab his Tzanicis montibus Boas amnis, qui multa ſilveſtria loca perlapſus obitisque collibus multis, proxime ad Lazicos fines accedit, exitque Euxinum in pontum, non jam Boas, ſed eo vocabulo in aliud commutato ex ſuperveniente cauſa. Acampſin indigenæ vocant, quod mari admixtus prætervehi, ſe non ſinat. Tanto quippe impetu præceps evolvitur, ingenti ſtrepitu fluctus diverberans, ut etiam in alto procul navium curſum impediat. ideo qui Pontum navigant, ſive Lazicam verſus, ſive à Lazica, cæptum iter perſequi rectà nequeunt ob violentiam amnis inſuperabilem, ſed longiſſime ſe ab ora amoventes in medium mare, ita demum undarum rapiditatem declinant. Boæ amnis natura ut dixi ſe habet. Rizæum excipiunt montes quam ſui juris homines habitant, Lazis Romanique imperii populis interjecti. Eſt vicus ibidem, Athenæ dictus, non quod ab Attica eo deducti coloni fuerint, ut quidam per errorem credidere, ſed quod vetuſtis temporibus imperitaverit illic mulier Athena nomine, cujus & in hunc diem ſepulchrum monſtratur. Habitantur & Archabis, & Apſarus vetus oppidum à Rizæo tridui itinere diſſitum. Antiquior ei appellatio Apſyrtus fuit, ab ibi interfecti nomine. Namque

que eo loco Iaſonis ac Medeæ vi occubuiſſe Apſyrtum, & ex ejus clade factum oppida vocabulum, tradunt indigenæ. ſed longum quod interceſſit tempus, per tot ſæcula hominibus aliis poſt alios ſuccedentibus, ipſam rem geſtam, unde nomen natum eſt, involvit caligini, nomen autem in eum quem dixi ſonum corrupit. Manet Apſyrti ſepulti monumentum ad Orientem ab oppido. Fuitque id oppidum, olim abundans hominum multitudine, amplis defenſum mænibus, ornatum theatro circoque & quæ alia magnarum urbium oſtentamenta ſunt: nunc tantorum operum vix ima veſtigia reſtant. Mirari hic obiter eos libet, qui Colchos Trapezuntiis confines ſcripſere. quod ſi ſit, cùm Medeam velluſque aureum avexit Iaſon, non in patriam Græcaſque urbes, ſed contra ad Phaſin interioremque barbariem profugiſſe credi debeat. Traduntur Romani olim milites, Trajano principe, has partes, Lazos uſque & Sagidas, pervaſiſſe. Nunc homines inhabitant neque Romana neque Lazorum regis imperia patientes. cæterum, Chriſtiani cum ſint, ſacerdotes habent à Lazorum epiſcopis inauguratos: nec eo minus tam Romanis quam Lazis amicos ſe & federatos ferunt, polliciti etiam in perpetuum ultro citroque commeantibus tuta ſua ope itinera. quod ad noſtra uſque tempora præſtant, ſuis actuariis nuntios deducentes, quos Romanus Imperator Lazorum regi, Lazorum rex Imperatori mittit. Tributa nemini pendunt in hunc diem. His ad dextram montium abrupta imminent, vaſtaque regio in longum protenditur. quos ultra colunt qui Perſarmenii dicuntur, & Armeniorum qui Romanæ ditionis ad Iberiæ fines pertingunt. Ab oppido Apſarunte ad Petram oppidum & Lazorum fines, qua Ponti Euxini ſunt extima, diei iter eſt. Pontus, ubi deſinit, lunatam facit littoris ſpeciem. is maris

ris ſinus ad quingenta & quinquaginta ſtadia maximum patet. Pone quicquid jacet Lazica eſt & vocatur. inde à mari longius Scymia & Suatria, quarum populi Lazis parent: ſic ut ſuos habeant principes, quorum aliquo vita defuncto alium pro eo conſtituere Lazorum rex veteri more obtinet. Ad latus hujus terræ Iberiam verſus Moſchi ſe tenent, Iberis jam olim parentes. montes habitant non duros ſterileſve, ſed bonis omnibus refertos; ipſi agricolæ ſollertes, ad vineta optimi. impendent huic regioni montes ardui, nemoroſi, invii qui ad Caucaſia uſque juga pertinent. Trans ſubterque eos ad Orientem ſolem Iberia eſt, quæ ad Perſarmenios uſque excurrit. Per eos qui hac ſe erigunt montes Phaſis funditur, ortum ex Caucaſo habens, idemque, lunatum, quod dixi, littus prope medium findens, in Pontum ſe ejectat, orbis terrarum partes ibi diſterminare multis creditus, qui læva fluminis Aſiæ, dextra Europæ tribuunt. in Europa, ut hanc aſſignationem ſequamur, omnis eſt Lazorum habitatio. Parte altera non oppidum ullum, non munimentum, ne vicum quidem noſci dignum Lazi habent, niſi quod Petram, quam dixi, Romani jam olim ibi ſtruxere. In hac vero parte ajunt indigenæ pellem fuiſſe auream, cujus cupidine ædificata Argo poëtis canitur. qua in re videntur mihi Lazi à vero diſcedere. Neque enim, quantum ego aſſequor, potuiſſet clam Æetam cum Medea ac vellere Iaſon ſe ſubducere, niſi & regiam Æetæ & Colchorum lares Phaſis ſecluſiſſet, quem proinde ultra neceſſe eſt fuiſſe vellus illud, quod & poëtæ ſatis ſignificant, quorum carminibus res iſtæ celebratæ ſunt. Hac igitur qua dixi curſum agens Phaſis in Pontum Euxinum, ferme ubi is deſinit, illabitur. In lunato ſinu initium Aſiæ, juxta memoratam ante diſtributionem, facit Petra oppidum: in oppoſita ripa, quæ Europæ

ropæ datur, Apsiliorum est regio. obtemperant & hi Lazis, Christianique sunt ab antiquo, ut & aliæ quas descripsi hactenus gentes. Vltra eam regionem mons Caucasus in immensum attollitur, ita ut verticem ejus non nives, non pluviæ attingant, quippe supra nubes editum. At media imaque ejus perpetua nive obducuntur, quo fit ut & radices montis altum exstent, non minus quam aliorum montium scopuli. Earum radicum aliæ ad septentriones solemque Occidentem versæ ad Illyrios Thracasque procedunt. at quæ austrum ortumque spectant, ad fauces binas ducunt, per quas se Hunnicæ gentes, ultra habitantes, in Romanum Persicumque imperium infundunt. Fauces alteræ Tzur vocantur: alteris Portarum Caspiarum celebre ab antiquo nomen. quicquid terrarum à Caucaso ad Portas Caspias extenditur, Alani tenent, gens libera, & Persis plerumque socia in Romanos hostiumve alios. Hæc sunt quæ de Caucasiis jugis dicenda erant. Habitantur Hunnis, quibus Sabiri cognomentum, & aliis gentibus Hunnicæ pariter originis. Indidem profectas Amazonas ajunt, deinde castris sedisse ad Themiscyram & Thermodontem amnem, memorata jam nobis, ubi nunc oppidum est Amisus. At hodie in Caucaso monte Amazonum neque nomen manet, neque memoria. Haud ignoro Straboni aliisque scriptoribus multa de illis narrari. sed mihi de Amazonibus verum maxime attigisse videntur, qui tradunt nullum fuisse virile feminarum genus, neque in uno monte Caucaso humanam naturam de suis legibus emigrasse: sed barbaros ex dictis jam locis ingenti agmine cum uxoribus suis profectos in Asiam bellatum; positisque ad Thermodontem castris, ibi relictas feminas: viros intimis Asiæ penetratis, obvia habuisse indigenarum arma, quibus oppressi ad internecionem perierint, sic ut ad feminarum

rum castra nemo eorum redierit. Tum feminas, accolarum metu, rerumque egestate coactas, non sua sponte, induisse viriles animos, armisque sumtis quæ viri in castris illis reliquerant, edidisse præclaræ virtutis facinora, necessitatis impulsu, donec & has bellum absumsit. Hæc sic evenisse, cumque viris Amazonas in bella ivisse ut credam, faciunt meis spectata temporibus. quippe instituta ad posteros transmissa, quæ majorum fuerint ingenia testantur. Cùm enim Hunni sæpe Romani juris terras infestarent, occursu hostium multi cecidere: digresso deinde barbarorum exercitu Romani interfectorum scrutantes corpora, in illis & mulieres invenere. cæterum solarum feminarum agmen, quod seorsim habitaret, neque in Asiæ neque in Europæ regionibus conspectum est hactenus. Neque à virili sexu destitutum unquam fuisse Caucasum fama percepimus. Hæc de Amazonibus dicta suffecerint. Post Apsilios & lunati sinus cornu alterum, oram maritimam Abasgi tenent, ad Caucasum usque montem projecti. Hi Lazorum in ditione ab antiquo fuere, interea duos semper habentes sui generis principes, quorum alter ad occasum, ad ortum alter sedem imperiumque habebant. Nemora & lucos superstitione venerari arboresque barbara simplicitate Deos credere, Abasgis ad mea mansit tempora. Cæterùm durissima per principum suorum avaritiam patiebantur. Nam regum uterque pueros ejus gentis, quibus oris species corpusque pulchrum, abreptos ab ore parentum, castratosque magno pretio vendebant, Romanas per terras empturientibus: ad hoc & patres interficiebant, ne aut ad eorum insidias, injuriam ulciscentium, ipsi paterent, aut suspectum quid ac formidolosum circum se relinquerent. Sic filiorum forma miseris exitio erat, non ob aliud pereuntibus quam quod suo malo speciosos

ciosos genuissent. Inde per orbem Romanum, maximeque in Imperatorum aula pars Spadonum maxima Abasgi. sed Iustiniano principe mitior Abasgis vita contigit, traductis Christiana ad placita. quin & de suo palatio Spadonem, cui nomen Euphrantes, Abasgum & ipsum, misit eo Iustinianus, regibus severe edicens, ne posthac vim naturæ inferrent virilitatem cujusquam exsecando. Læti id edictum accepere Abasgi, fretique Imperatoris auctoritate, omni vi prohibuerunt ne quid in posterum tale fieret. Nam ante id tempus nihil magis cuique in metu, quam ne formosi filii pater fieret. Insuper Iustinianus ædem Deiparæ in Abasgis statuit, creatisque sacerdotibus, curavit ut cuncta Christianorum instituta Abasgi docerentur. Visum ipsis sublato regno utroque in libertate vivere. Hæc sunt quæ in Abasgis evenere. Pone Abasgorum fines ad montem Caucasum Bruchi habitant, Abasgis Alanisque medii. ad oram vero maritimam Ponti Euxini, sedes sunt Zechorum. olim his quoque regem Romani Imperatores dabant. hodie nihil Romanis obsequuntur. Saginæ hos excipiunt, quorum quæ mari adsita Romani quondam tenuere, exstructisque in littore castellis duobus, Sebastopoli & Pityunte, bidui itinere inter se distantibus, militaria præsidia ibidem posuere, cum ante id sparsim milites per omnem tenderent oram maris, qua Trapezuntis à finibus ad Saginarum ultima excurrit, ut & ante commemoratum est. Iam vero duo tantum quæ dixi supererant castella, in quibus præsidia in meam usque memoriam manserunt. Verum postea Persarum rex Chosroes cum à Lazis in Petræ possessionem inductus esset, Persarum exercitum constituit mittere, qui duo illa castella invaderet insideretque. cognitum id anteverterunt milites Romani, & postquam incenderant domos, munimentaque disjecerant, ipsi conscen-

 sis

ſis actuariis quam celerrime in oppoſitum littus Trapezuntem ſe contulere. Eo facto damnum quidem caſtellorum fecit res Romana, ſed quod magno lucro penſaretur, ſiquidem hoſtes ejus regionis poſſeſſionem adepti non ſunt, ſed ſpei ſuæ irriti Petram redierunt. Hæc ſunt ea quæ in Saginis acta ſunt. Vltra eos Hunnicæ nationes multæ. Longius ſita terra eſt nomine Eulyſia. barbari tam maritima ejus quam interiora tenent, Mœotide tenus nobili palude, & qui in eam paludem influit, amne Tanai. Ipſa palus Ponto Euxino ſe, perrupto ejus littore, admiſcet. qui circum colunt homines Cimmerii antiquis, noſtra ætate Vturguri vocantur. Vltra eos ſeptentrioni propiores innumeri Antarum populi. Ad eum locum, quem juxta emittitur palus, Gotthorum portio non magna admodum ſedet, quibus Tetraxitis nomen. His Chriſtiana religio non minus, quam quibus maxime, cordi eſt. Tanaim autem accolæ vocant etiam os ipſum fluminis quà Mœotidi illabitur, & continentes aquas ad ipſum uſque Pontum, quod intervallum iter dierum viginti efficere ajunt. ipſe qui hinc flat ventus, perinde Tanaïtes dicitur. Fuerintne Ario conſentientes hi Gotthi, ut alii Gotthorum populi, an alia ſectati inſtituta, haud dixerim, quando & ipſi ignorant. certe nunc multa ſimplicitate, nec curioſe ſcrutantes, Chriſtianis tradita venerantur. Hi non multo ante tempore, cum imperii annum unum & viceſimum Iuſtinianus ageret, legatos Byzantium miſerant quatuor, orantes, epiſcopus ſibi daretur, ademto per mortem eo quem habuerant, quando & Abaſgis ab eodem datum Imperatore cognoverant. Haud cunctanter Iuſtinianus ratas preces fecit. Verum hi legati, metu Hunnorum qui Vturguri dicuntur, palam multis teſtibus, mandata enuntiantes, nihil Imperatori aliud quam de epiſcopo enuntiavere: clam

clam vero admissi, exponunt liberaliter, quæ conducere Romanæ rei arbitrabantur, dum vicini ipsis barbari inter se diffident. Iam vero quemadmodum, & unde profecti huc locorum venerint Tetraxitæ, dicere ordior. Olim Hunnorum, quos Cimmerios dictos retuli, ingens multitudo hos agros depascebat uno sub rege agens, donec regnum habuit duorum filiorum pater, quorum alteri nomen Vturgur, Cutrigur alteri. Hi duo, postquam è vita abierat pater, imperium sibi servavere, bipertitamque gentem de suis dixere nominibus, quæ huc usque manent, Vturguros, Cutrigurosque. Hi propinqui inter se degebant institutis communibus, nullo cum illis hominibus commercio, qui trans Mœotidem paludem osque ejus habitant, quas aquas neque ipsi transierant unquam, & transiri posse ne suspicabantur quidem, ad facillima pavidi, per nunquam tentatæ rei ignorantiam. Ipsam Mœotidem & os ejus quod dixi, ultra ipsum statim littus Gotthi, quos Tetraxitas dictos memoravi, antiquitus obtinebant. Longius Gotthorum gens, quæ proprie sic dicitur, Visigotthique & Vandali & cæteri Gotthicæ originis populi habitabant, quos vetustiora sæcula Scythas vocabant. Nam quicunque homines illa mundi extima tenent universe quidem Scythæ appellantur; distincti interim in nominum species, Sauromatæ, Melanchlæni & quæ sunt alia. Serius ajunt (si vera narratio est) Cimmeriorum adolescentibus, dum venatu se exercent, conspectam cervam, quæ fugæ studio in aquas se illas conjecerit. Iuvenes inconsulto æmulatu an laudis aviditate haud dixerim, forte & fato trahente, cervam secutos, neque ab ea se abstrahi passos, donec in oppositum littus pertingerent. ibi subito extra conspectum factam cervam: (neque ego apparuisse eam arbitror, nisi in barbarorum ulteriora habitantium pernitiem)

venatores autem venatu quidem excidiſſe, at reperiſſe belli prædæque melioris initium. Nam domum ut erant reverſi, indices eos fuiſſe Cimmeriis, dari per aquas viam. illos, ut hoc intellexerant, cunctos ſumtis armis ſtatim in adverſo littore conſtitiſſe, cum jam ante Vandali ex illis locis migraſſent & Viſigotthi, quorum illi Africam, hi Hiſpaniam illis temporibus tenerent. Ergo Cimmerii raptatis agris, Gotthorum qui reſtiterant, multa cæde, pellunt cæteros. quibuſcunque fugæ fuit copia, ii cum uxoribus liberisque, derelicta patria, Danubium tranſgreſſi, Romana invaſere. Ac poſtquam, illorum locorum indigenis, plurima intulerant mala, conceſſu Imperatoris venere Thraciam habitatum: diu Romanis ſocii & æra, quæ milites alii, ab Imperatore accipientes, ſub federatorum nomine, quæ vox non bello deditos, ſed pactis in amicitiam acceptos ſignificat, ſicut vocem federum antehac interpretati ſumus: ſæpe & nullis de cauſis in Romanos armati, donec ducente Theudericho in Italiam abiere. ita ſe res habuit de iis quibus eximio jure Gotthorum commune nomen adhæſit. ut regrediar, Hunni tunc illorum quos partim occiderant, partim expulerant regionem ſuam fecere. Ex iis Hunnis qui dicuntur Cutriguri, accitis ad ſe liberis uxoribuſque, manſuras ibi ſedes poſuerunt, quas in meam usque ætatem tenent, cumque annua multa ab Imperatore accipiant, non deſinunt tamen terras ei parentes incurſare, & ſocii Romanis & hoſtes eidem. Vturguri ſuo cum duce domum redierunt, ſoli in poſterum veteri in ſolo habitaturi. ſed prope Mœotidem ut venere, in Gotthos incidunt cognomento ut dixi Tetraxitas. Ac primum vibrantes ſcuta Gotthi, ut repugnaturi conſtiterant, freti & ſua virtute & loci ingenio. nam & ipſi barbarorum in illis partibus fortiſſimi ſunt, & Mœotidis exitus,

tus, ad quem Tetraxitæ accolunt, terrarum ſinum quendam lunatum faciens, pauloque minus incluſos ambiens unum ad eos aditum ſatis anguſtum relinquit. Verum poſtea cum nec Hunni illis in locis moram trahere vellent, & Gotthi ægre ſe multitudini hoſtium crederent reſtituros, ad pacta venerunt, ut una trajicerent, ſedeſque Gotthi haberent, in ora adverſa attingentes ipſam Mœotidis eruptionem, ubi & hodie conſpiciuntur, amicique & æqua lege ſocii Vturguris in perpetuum viverent. Hac igitur parte conceſſa Gotthis, Cutriguris ultra ut dixi relictis, cis Mœotidem cætera ſoli Vturguri habuere, non moleſti Romanis. quippe cum longinquitas locorum, multis interjectis gentibus aliis, pacis mutuæ neceſſitatem vel invitis imponeret. Trans vero paludem Mœotidem ipſumque Tanaim, pleraque camporum, ut dixi, Hunni illi Cutriguri tenebant. pone eos Scythæ Taurique omnem eam inſidebant regionem quæ Taurica nunc etiam dicitur, in qua Dianæ dicitur fuiſſe templum, cujus antiſtita fuerit Iphigenia. quanquam Armenii in terra apud ipſos Celeſene id templum fuiſſe contendunt, Scythaſque etiam eos populos quondam appellatos, pro argumento adferentes ea quæ de Oreſte atque urbe Comana alibi nobis commemorata ſunt. ſed de his quiſque, ut volet, ſentiat. ſæpe enim quæ alibi geſta ſunt, aut etiam quæ nuſpiam evenerunt, populi ſibi vindicant, indignanturque ſi quis ipſorum ſententiæ non ſubſcribat. Sequitur has gentes in ora maritima Boſporus oppidum, Romani juris non ita pridem factum. A Boſporo eunti ad Cherſona oppidum (eſt & id mari adſitum, ejuſdemque Romanæ ditionis) quæcunque interjacent, barbari tenent Hunnicæ & ipſi originis. Prope Cherſona duo alia ſunt oppida, Cepi & Phanaguris, ab antiquo Romanis ſubdita, etiam ad noſtra tem-

tempora. ſed nuper ea barbari confines vi capta disjecerunt. A Cherſone ad Danubii oſtia dierum decem iter intereſt. Media cuncta barbari poſſident. Ex Germaniæ jugis Danubius defluit, radenſque Italiæ extima, Dacos deinde & Illyrios, ac poſtremo Thraciæ plana prælabens, in Euxinum ſe dejicit. inde jam cuncta Byzantium uſque Romano Imperatori parent. Hic eſt Euxini ponti ambitus à Chalcedone ad Byzantium. quam late is pateat, abſolute haud dixerim, tantis barbarorum populis adhabitantibus, quibuſcum Romanis nullum, niſi per legationes, eaſque raras, nec ab omnibus, commercium. Ne priores quidem iſta dimetiri aggreſſi, quicquam comperti attulere. Id conſtat, dextra ponti à Chalcedone, Phaſim ad amnem, expedito homini iter eſſe dierum quinquaginta duorum. unde ſumta conjectura, ſuſpicari liceat, partem obverſam ab ea menſura non ita multum abeſſe. Quando in hunc ſermonem devenimus, haud incongruens reor adferre in medium quæ de Europæ Aſiæque finibus talium periti certant. Ajunt horum nonnulli, in continenti diſcrimen eſſe Tanaim, illud pro certo ponentes, ſegmenta ſecundum naturam ſumenda. deinde hæc adjungentes argumenta, quod mare ab Occidente ſe terris inſinuans ad ortum procedit: Tanais vero duas inter terras à ſeptentrione in auſtrum fertur: contraque flumen Ægypti Nilus ab auſtro in ſeptentrionem medius it Aſiæ Africæque. His contradicentes alii negant rectam eſſe illationem. quippe ab initio ſtatim orbem terrarum Gaditano bipertiri freto, quod ab Oceano irrumpit, deinde eo quod inde ſequitur mari. quæ dextra ſint freto marique interno, partim Africam, partim Aſiam vocari: ſiniſtra uno cenſeri Europæ nomine ad ponti Euxini uſque extima. Hæc cum ſe ita habeant, Tanais intra Europam ortus in Mœotidem

dem ſe paludem emittit: ipſa rurſum palus in Pontum Euxinum, neque ultimum ſane neque medium, ſed ferme quà is incipit. læva autem Ponti hujus Aſiæ attribui ſolent. Tum vero Tanais amnis Ripæis è montibus naſcitur, quos in Europa eſſe etiam vetuſti ſcriptores conſentiunt. ab iiſdem autem Ripæis montibus ingenti intervallo Oceanus diſſidet. quæ igitur pone ſunt Tanaim & juga illa, quin Europa ſint, fieri nequit. quod ſi interroges quo loco incipiat Tanais limes eſſe terrarum, haud facilis ſit reſponſio. Propius vero ſi quis amnis terras diſterminat, eum eſſe Phaſim. Nam ex adverſo Gaditani freti ſe attollens, terras velut æquus ſecat. A freto quippe fuſum mare terras utrinque ſubmovet: at Phaſis, ubi maxime deſinit pontus, in medium ejus ſinum lunæ in morem curvatum ſemet dejiciens, continuat acceptam à mari terrarum diviſionem. Hæc ſunt quæ pars utraque munimenta obtendit ſententiæ ſuæ. Ego vero apertum faciam, non illud modo quod prius retuli, ſed & poſterius hoc placitum invaluiſſe longo tempore & veterum auctoritate: hoc præfatus, plerumque homines, ſi qua fama ab antiquo veniente imbuti ſint, nolle circa veri inquiſitionem defatigari, neque diſſidentes de ea re opinationes novas patienter percipere. Adeo ſemper id quod vetuſtius eſt, videtur & rectius venerabiliuſque: id vero quod nobiſcum exoritur in contemtum ac deriſum patet. Enimvero heic non de mentibus incorporeis, aut iis quæ mente ſola comprehenduntur, rebuſve aliis ſuapte natura abſconditis, quæſtio eſt, ſed de terra, de amne, quæ longa ætas neque immutare, neque è conſpectu amovere potuit. Præſto eſt ſenſus, oculorumque teſtimonium, quo ſi quis utatur veri cupiens, nihil obſtabit, quo minus id reperiat. Halicarnaſſenſis Herodotus quarta hiſtoriarum memorat, omnem tellurem unam eſſe, quæ

in tres partes totidemque nomina dividi ſoleat, Africam, Aſiam, Europam: Africam inter Aſiamque, Ægypti flumen Nilum fluere: Europæ Aſiæque medium Phaſim. Cùm vero ſciret pro Phaſi alios Tanaim ponere, id quoque ſubjunxit. Ipſa Herodoti verba recitare non abs re erit, quæ ſic habent. Conjectare nequeo qui factum ſit, unus ut terrarum orbis tria nomina & quidem mulierum acceperit, fineſque poſiti ſint, hinc Nilus Ægyptius, inde Colchus Phaſis, aut ut alii volunt Tanais, Mœotiſque, & Cimmerium ibi quod dicitur fretum. Iam vero & tragœdiarum ſcriptor Æſchylus Promethei vincti ipſo initio Phaſin terminum vocat terræ Aſiæ Europæque. Ne hoc quidem prætererierim, multis talium eruditis creditum ex Mœotide palude in dextrum lævumque late ſparſa effici Pontum Euxinum, ideoque paludem eam maris matrem vocari. Argumentum adferunt, quod à loco qui Hierum dicitur ponti fluxio, amnis in modum, Byzantium feratur, unde ibidem Ponti finem eſſe exiſtimant. Alii in adverſum euntes huic ſententiæ, oſtendunt omne internum mare unum eſſe, cui ſit ortus ex Oceano, quodque non alibi quam apud Lazorum littora deſinat, nulla niſi nominis differentia, quod hic Pontus vocatur. Nec ad rem facere, quod rapiditas aquarum ab Hiero Byzantium incitetur. Nam eorum quæ circa freta accidunt cauſas in obſcuro eſſe, nullique hominum explicabiles. Nam & Stagirites Ariſtoteles, ſcrutandis naturæ arcanis egregius, narratur in Eubææ Chalcide moram ob id traxiſſe, ut fretum, quod Euripi nomen habet, attente conſideraret, cauſaſque inquireret, ob quas modo ab Occaſu, modo ab Ortu agitetur, ſuoque impetu naves trahat, ita ut ſi nautæ ab Oriente ſecundo, ut ſolent æſtu navigare cæperint, mox reciprocante flumine, quod ibi uno die ſæpius contingit, refe-

referantur eo unde venerant: eodemque tempore quæ ab Occaſu veniunt naves, nullo venti auxilio, ſilente quam maxime cœlo, proſperos habeant curſus. quæ ille diu expendens, multoque tempore in animo revolvens, ex intelligendi difficultate obortæ vitæ tædio mortem invenerit. Sic & in freto, quod Siciliam ab Italia diſpeſcit, multa ſpectantur miracula. Videntur enim Ionici maris eo ſe torquere undæ, cum tamen ab Oceano & Gadibus veniat mare. Aquarum inſuper crebri vortices latentibus cauſis naves evertunt, unde abſorberi à Charybdi eas poëtæ fabulantur, quæ tali tempore in freto deprehenduntur. Cenſent autem ſcriptores illi de quibus poſtremo locutus ſum, ea quæ in fretis omnibus mirari ſolemus, ex utroque littore cauſas habere compreſſam enim in arctum vim aquæ enormibus quibusdam ſubjacere neceſſitatibus. quare non continuo, ſi ab Hiero ad Byzantium aquarum ſe ferat impetus, ibi mare & pontus Euxinus deſinere dicendus. neque enim ſolido nititur fundamento hæc illatio, cum probabilior & hic cauſa ab anguſtiis ſemet offerat. Sed neque ſe plane ſic ut illi dicunt res habet. Referunt enim locorum illorum piſcatores, non omnem in Byzantium aquam fluere: ſed partem quidem ejus ſuperiorem nobiſque conſpicuam eo rapi: at quæ ſubter ſunt aquæ, abyſſuſque ex re vocantur, in contrarium ferri, adverſarique omnino latentes apparentibus. Documento eſſe retia piſcibus captandis multum demiſſa, quæ vi æſtus Hierum verſus fluitent. At in Lazica marinos fluctus undique in ſe ruentes terra ſuſtinens retroque pellens, illo in loco, primo atque unico, finem ponit æquori, ab ipſo naturæ opifice conſtitutum. Namque ubi ad id littus pervenit mare, neque progreditur, neque ſcandit amplius, quanquam tot atque tantis fluminum oſtiis circumdatum, ſed recedit acceditque iterum,

 ſuo-

ſuoque ſe modo metiens continet ſe intra limitem, plane velut neceſſitate impoſita legi obſequens, cavenſque ſollicite ne pacta exuat. Nam cæteræ maris oræ non recta ei obſtant, ſed transverſæ adjacent. Sed de his quiſque, ut viſum ſibi, ita judicet pronuntietque. Qua occaſione Choſroes Lazicam ſuæ ditionis facere aggreſſus ſit, in libris ante editis explicavi. ſed quæ ipſum Perſaſque eo præcipue impulerit cauſa, nunc addam, diligenti inquiſitione cuncta edoctus, quando ipſe eas regiones peragravi. Sæpe barbari ducente Choſroe magnis agminibus Romanas in terras infuſi, graviſſima hoſtibus mala intulere, quæ alibi à nobis commemorata ſunt. cæterum ipſis inde nulla utilitas, quin & hominum pecuniarumque magno damno res ſtetit. multum quippe ſemper imminuti receſſere, quæ Perſis, domum ut reverterant, materia arcanis ſermonibus obtrectandi Choſroen, ut Perſicæ genti exitialem. Poſtremo ex ipſa Lazica aliquando cum rediſſent, irati quas ibi pertulerant ærumnis, conjurationem inter ſe, atque ipſi necem parabant, ni prævidens ſibi conſuluiſſet, præcipuum quemque demulcendo. Ex eo, quo magis ſe criminis purgaret, magno aliquo benefacto demereri Perſicum imperium nitebatur. Hoc conſilio, cùm Daras oppidum aggreſſus eſſet, à defenſoribus rejectus, ſpem potiundi amiſerat. Neque enim impetu capere ſe poſſe oppidum arbitrabatur, tanta cuſtoditum diligentia, neque obſidionis ad exitus proſperos perducendæ videbat rationes. Namque tum alia neceſſaria perpetuo ut ibi magna copia ſervarentur cura Romanis fuerat, ut ſi qua ingrueret neceſſitas diu tolerari poſſet, & fons ſolo in confragoſo prope oppidum enatus magnum de ſe flumen fundit, quod recto itinere ad oppidum fertur, neque hoſtium vi aut intercipi aut ullo modo violari poteſt, inacceſſa locorum difficultate.
Vbi

Vbi prope mænia venit idem flumen, oppidum circuit, impletisque aquarum conceptaculis exit, neque longe mænibus in hiatum terræ incidens apparere desinit. Ea vorago non ab antiquis ibi temporibus fuit, sed multo post enata est, quam oppidum exstruxerat princeps Anastasius, sponte sua optime oppido consulente natura: quippe cùm inde eveniat ut Daras obsidere parantibus aquarum egestas immineat. Hujus tentamenti irritus, ut narratum est alibi, Chosroes mox cogitat etiamsi quod aliud oppidum Romanæ ditionis capere posset, tamen fieri nequire ut medios inter hostes consisteret, tot eorum munimentis à tergo relictis. Nam & antehac ea ipsa de causa Antiochiam cum nactus esset in suam potestatem, urbe funditus diruta, Romanis terris excesserat. Postquam diu consilio fluctuaverat, tandem spes longinquiores concipit, ad res viribus suis majores adjecto animo. Cùm enim fando audiisset eos qui ad ponti Euxini læva barbari paludem Mæotidem adsident impune in Romanos fines incursus facere, putavit & Persis, Lazicam si tenerent, promtum fore suo arbitratu vel Byzantium usque penetrare, nusquam trajecto mari, præsertim post tot etiam aliarum barbaricarum gentium exempla. Hoc præcipue moti Persæ Lazicæ possessionem concupiscebant. Sed ego unde diverteram, eo sermonem refero. Chorianes & cum eo Persarum exercitus ad Hippin flumen castra habebant. quo Gubazes cognito, Colchorum rex, & qui Romanos milites regebat Dagisthæus, communi consilio, utriusque gentis educunt exercitum, ac, postquam flumen Hippin transierant, ambigunt, quietis sibi hostium exspectare incursum rectius foret, an ultro in eos ire, ut virium suarum fiduciam palam præferrent, ostenderentque hostibus quam eos non metuerent, ac sic à se facto pugnandi initio animos illorum infringerent: Vicit

cit fortior arma inferre ſuadentium ſententia: ſtatimque iter inchoatum. ſed Lazi Romanis ſociare aciem recuſant, obtendentes Romanis non de patria neque de rebus cariſſimis certamen: ſibi penates, uxores, liberos in periculo; ſi vincerentur, ne feminas quidem ſine rubore conſpecturis. Vt virtus deeſſet, pro virtute neceſſitatem fore. Primi ergo congredi hoſtibus ardebant, ne Romani, haud æque promti in diſcrimen, ipſorum obſtarent audaciæ. Hæc Lazis jactantibus alacer Gubazes, ſeorſim nonnihil à Romanis convocatos hortatur inſuper. Incitamenta vobis, viri egregii, ad virtutem addere an debeam equidem neſcio. quos enim ipſa rerum neceſſitas ſtimulat, apud hos hortamenta ſupervacua arbitror. Talis autem noſtra eſt fortuna. De conjugiis, de ſobole, de lare, ut verbo loquar de univerſis quæ noſtra ſunt, certamus. Horum Perſæ avidi nos ſibi ſumunt hoſtes. Aliquid horum eripere volentibus nemo concedit, ipſa quemque ad ſuorum tutelam excitante natura. An ignoratis Perſarum avaritiæ nullum eſſe modum, ſi licentiam nacta ſit? ſi hoc bello vicerint, non ſatis futurum illis imperare, tributa indicere aliaque facere regnantibus ſolita, docemur iis quæ nuper in nos ſæva edidit hic idem Choſroes. Veſtrum eſt curare, ne intra verba ſtet Perſici Dominatus experientia, neu Lazorum intereat nomen. Nec arduum nobis in Medos certamen, quos præliis compluribus victoriisque noſtris novimus. conſuetis rebus abeſt difficultas, quia ſi quid in iis eſt aſperi, id meditatio uſusque hebetavit. quare licet vobis impune contemnere fuſos ſæpe, animis quoque impares. neque enim reponi ſolet quæ ſemel excidit ſui fiducia. His recte cogitatis bona ſpe comite in hoſtem vadite: Dixerat Gubazes nihilque moratus educit ſuos. Acies hunc in modum conſtitit. in fronte Lazorum equites ante alios in pugnam ferebantur. pone,

ne, ſed magno ſatis intervallo Romanus equitatus, quibus duces Philegagus Gepida, vir ſtrenuus, & longe optimus bello Iohannes Armenius Thomæ filius, cognomento Guzes, cujus & alibi facta mihi mentio. Terga his claudebant Gubazes Lazorum rex, & Romanorum dux Dagiſthæus, ſuo uterque cum pedite, nimirum ut equiti, ſi forte pelleretur, ſubſidium in ipſis foret. Sic ordinati erant Romani Lazique. At Chorianes dilectos ſuorum mille loricis armiſque aliis bene inſtructos ſpeculatum præmiſit: ipſe cum omni exercitu ſequebatur, paucis ad valli cuſtodiam relictis. Quæ præcurrerant Lazorum turmæ, factis promiſſa everterunt, & ſpes de ſe datas, ubi ad rem ventum erat, mendaces oſtenderunt. Nam ſubito in hoſtium præcurſores illapſi, conſpectu eorum non tolerato, converſis equis turpiter ſe receperunt ad Romanos, nihil veriti ad eos confugere, quibuſcum in pugna adjungi abnuerant. Vbi tota vis equitum utrinque propinquarunt, ad manus rem non deduxere, neque concurrerunt inter ſe: ſed quoties accederent hoſtes, ceſſim ibant alii, contra ubi hoſtis retro ſe tulerat, inferebant gradum. ita modo ſe retrahentes, modo inſequentes vicibus alternis multum temporis abſumſere. Erat in Romano exercitu Artabanes gente Perſarmenius, qui ad militantes Romanis Armenios nuper transfuga venerat, nec ſine pretio, ſed pignus fidei in Romanos adferens cædem Perſarum centum viginti. Nam Valerianum, qui Romanorum Armeniis præerat, allocutus, rogaverat quinquaginta ſibi de illis adderet: quos conſecutus iverat in caſtellum Perſarmeniæ, quod cuſtodes numero centum viginti tenebant, qui eum, utpote incognita adhuc ejus defectione, gratabundi intra munimenta accepere. ille occiſis omnibus cuſtodibus, & pecuniis, quæ maximæ erant in caſtello, direptis, ad Valerianum ſe Romanum-

manumque exercitum retulerat, & iis ab eo tempore fideli commilitio adfuit. Hic Artabanes hoc in prælio, duobus aſſumtis militibus Romanis, medio inter acies loco conſtitit. Eodem cùm ſe tuliſſent hoſtium nonnulli, Perſam quendam animi virtute corporiſque robore præſtantem irruens Artabanes haſta transfigit, deque equo dejectum humi affligit exanimem. Sed qui juxta cadentem ſteterat barbarus capiti Artabanis Vulnus incuſſit,non tamen lethale.Hunc ipſum,dum adhuc manus ejus in vulnere adigendo occupatur, comitum Artabanis Gotthus gente lævo latere perfoſſo interficit. Terruit is caſus præcurſores Perſarum mille hactenus, retro ut cederent, Chorianenque cum cæteris tum Perſis tum Alanis opperirentur. nec diu fuit quin adeſſent ſocii. Interea & qui cum Gubaze Dagiſthæoque erat peditatus eo ubi equitatus ipſorum erat pervenerant, inſtabatque congreſſus acer. ibi Philegagus & Iohannes, cùm ad ſuſtinendam equeſtrem hoſtium procellam poſt Lazicarum virium infelix experimentum, impares ſe crederent & ipſi, de equis deſiliunt, idemque ut facerent cæteri tum Romani tum Lazi auctores ſunt: Phalangiſque in modum in oblongam ſtipati aciem, pedibus conſiſtunt fronte in hoſtem obverſa, protentiſque in eos haſtis. Barbari quid agerent incerti,cum neque incurſare in pedeſtre agmen hoſtium neque eorum diſturbare ordines poſſent, quod equi haſtarum ſpiculis ipſoque ſcutorum ſtrepitu conſternati ſeſe averterent,tandem arcubus uti conſtituunt, ſperantes telorum multitudine fugam ſe hoſtibus injecturos. Hoc Romani, hoc & Lazi agunt unum. Crebra utrinque miſſilia, multaque certantium cædes: denſiora à Perſis & Alanis tela jaciebantur, ſed quæ pleraque Scutorum repercuſſu irrita caderent. in hoc conflictu Perſarum rex vulnus accepit,qua manu incertum. ita conferto ex agmine miſſum telum cervice

vice percussa vitam illico ei ademit: uniusque viri morte inclinata prælii fortuna victoriam ad Romanos detulit. Et is quidem equo delapsus ore in terram procubuit, barbari effuso cursu castra repetebant. Romani Lazique tergis inhærentes multam edebant cædem, non sine spe, posse castra hostium impetu rapi. Sed Alanus quidam corporis viribus ferox, prorsum ac retrorsum jaculari eximius, in ipso castrorum introitu perangusto constitit, & irrumpere parantes spem præter inhibuit. Hunc Iohannes Thomæ filius, unus omnium proxime ausus accedere, hastæ ictu derepente interficit. Ea causa fuit cur Romani Lazique castra hostium caperent. Barbarorum ibi interierunt plurimi. pars qua quisque poterant via in patriam refugerunt. Hunc finem habuit ista Persarum in Colchidem irruptio. Alter Persarum exercitus, postquam Petræ custodes alimentorum, & quæ alia ad vitam sunt necessaria, pro visu firmaverat, cursim abiit. Interea alibi non quiescebatur. Nam Dagisthæum, postquam Byzantium is venerat, apud Imperatorem Lazi proditionis navatæque Persis operæ infamant. Namque inductum ab hostibus ajebant eum ne Petræ labefacta mœnia invaderet. interea datum tempus hosti congestis saccis arena completis, Saxorum vice, sarcire mœnium ruinas sive corruptus pecunia, sive officii negligens Dagisthæus quod faciendum erat distulisset, certe emissam è manibus occasionem, quam nunquam postea quîsset reprendere. Ipsum igitur Imperator in carcere claudi jussit. Tum Besam, qui ab Italia recens venerat, ducem Armeniis impositum in Lazicam mittit, universis ibi Romanorum copiis imperaturum. quo jam & Venulus cum milite venerat, Buzæ frater, Donachusque & ex Thracia Babas & Herulus gente Vligagus. At Lazicam, Persarum jussu, Nabedes armis invadens operæ pretium non

non fecit: nisi quod ad Abaſgos qui à Romanis Laziſque deſciverant penetrans, pueros ab iis ſexaginta ſumſit obſides. Simul in tranſcurſu Theodoram Opſitæ quondam conjugem (fuerat is Opſites patruus Gubazæ, Lazorumque rex) inventam apud Apſilios, in Perſarum terras abduxit, gente Romanam. Mos enim ab antiquo erat Lazorum regibus Byzantium mittere, & Imperatoris permiſſu uxores inde petere, per quas cum Senatus Romani primoribus affinitate jungerentur. Ipſe etiam Gubazes matre Romana erat genitus. Iam quæ deficiendi cauſa Abaſgis fuerit, memorabo. Poſtquam reges ambos, ut ante narravi, ſuſtulerant, Romani ab Imperatore miſſi milites multum in ea regione commorantes Romano eam imperio ſubdere nitebantur, nova & onera injungentes. Pertæſi hanc vim Abaſgi & Romanam ſervitutem perhorreſcentes, reges denuo ſibi præficiunt, ea in parte quæ Ortum ſpectat, Opſiten quendam: ad Occaſum, Sceparnam: Nam rerum bonarum ſpe dejecti, quæ prius ut mala damnaverant, deterioribus, quæ poſtea ſenſerant, prætulere. Et ob hæc facta non ignari, metuendam ſibi à Romanis ultionem, clam cum Perſis coïere. queis Iuſtinianus auditis, Beſam juſto cum exercitu in eos mittit. Atque is multis è Romano exercitu ſibi ſumtis militibus, duces iis ſub ſe imponit Vligagum & Thomæ Iohannem, inque Abaſgos properat. Forte regum, quos ſibi Abaſgi legerant, alter, Sceparnas, ut dixi, nomine, apud Perſas agebat, nuper à Choſroe advocatus. Alter domi qui manſerat, intellecto Romanorum adventu gentem Abaſgorum concit, hoſti occurſurus. A finibus Apſiliorum ad Abaſgos iter hunc in modum ſe habet. Mons editus à Caucaſo incipiens, paulatimque ſubmittens ſe ſcalarum in modum, poſtremo in Euxinum pontum procumbit. in ejus montis pede caſtellum raræ magnitudi-

tudinis ac firmitatis pridem excitaverant Abaſgi, quo, ubi res tuliſſet, refugi, eludebant inſultus hoſtium, inſuperabili locorum difficultate. Ad id caſtellum ipſamque Abaſgorum regionem unus eſt aditus, binis hominibus impervius. Singuli tantum pedibus euntes, & ſic quoque ægre, tranſitum reperiunt. Vltra hanc ſemitam vallis confragoſa admodum à Caſtello ad ipſum mare pertingit: & nomen habet naturæ ſuæ conveniens. Trachea Græca voce appellant. Romana claſſis oram legebat, quà Abaſgorum Apſiliorumque confinium eſt. Tum Iohannes & Vligagus expoſito in terram milite, pedeſtre cæptant iter, juſſis ſequi littus propter navigiis nautiſque. Trochea prope ut ventum eſt, armatos conſpiciunt Abaſgos omnes, ultra ſemitam quam dixi ſtructa acie, impleſſe vallem, perculſique re inexſpectata hærent conſilii inopes. Duro caſui conſilium invenit ſollers Iohannis cogitatio. relicto quippe illic cum parte dimidia exercitus Vligago, ipſe cum cæteris ſe navibus reddit, remigioque Trachea circumiens donec ad eorum finem perveniſſet, hoſtibus à tergo conſtitit. Tum ſignis infeſtis in hoſtes incedit. Abaſgi, ut Romanis ſe armis premi duabus è partibus vidêre, non virtutis, non ordinum retinentes, verſis tergis ſparſim ſe ſubducunt, tanto metu atque inde vecordia, ut locorum abrupta, quæ facilem indigenis gnariſque receptum dabant, non intelligerent. Romani utrinque eos inſequi, occidere multos, curſuque cum fugientibus ad caſtellum uſque pervenire, ubi portulam adhuc apertam reperiunt. Vigiles quippe obdere clauſtra nequierant, dum fugientes ſuos recipiunt: mixtique eo ferebantur illi qui fugerant ſalutis ſtudio; qui ſequebantur, avidi caſtellum exſcindere, & nacti patentem, ut dixi, introitum indiſcreti pariter ſe infundebant. Neque cuſtodibus ultra facultas aut diſtinguere hoſti-

bus ſocios, aut valvas claudere, ſuperurgente multitudine. ſic Abaſgi, quibus ſumma votorum fuerat intra caſtellum recipi, recepti una cum ipſo caſtello capiebantur. ſed Romanos jam pro victoribus ſe ferentes nova excipit difficultas. inveniunt enim ædificia crebra modiciſque intervallis clauſa undique muri vicem præſtare, quibus Abaſgi conſcenſis, ad ſui tutelam ſerio, tum metu præſente, tum uxorum liberumque miſericordia, ipſaque deſperatione converſi, inde capita ſubeuntium impetebant, donec Romanis in mentem venit faces injicere. Sic late vagante incendio conſummata victoria. Opſites rex Abaſgorum cum paucis fuga inventa ad Hunnos ſe finitimos & Caucaſi juga recipit. Cæteros aut cum ædibus flamma uſſit, aut hoſtium manus trucidavere. Etiam regum conjuges ſtirpemque omnem Romani in poteſtatem nacti ſunt, & muris caſtelli dirutis ſolitudinem circum fecere. Is defectionis exitus Abaſgis fuit. Iam quæ in Apſiliis gerebantur attexam. Apſilii ab antiquo Lazorum imperia patiuntur. Eſt in eorum terra caſtellum firmitate eximia: Tzibilum indigenæ appellant. Evenit ut Terdetes nomine è Lazorum primoribus, id munus inter ſuos obiens quod Magiſtri militum Latini vocant, in offenſionem Gubazæ Lazorum regis cum incidiſſet, ei mutuo iratus, Perſis clam polliceretur traditionem caſtelli illius, quod ut impleret, collecto Perſarum agmine intrat Apſiliorum fines, atque ubi caſtello non longe erat, prægreſſus cæteros cum ſuo Lazorum comitatu, intrat mœnia, nihil diffiſis cuſtodibus Lazorum duci nullaque de cauſa ſuſpecto hactenus. Receptus Terdetes adventantes Perſarum copias in caſtellum intromiſit. Læti Succeſſu Medi, non Lazicam tantum, ſed & Apſiliorum regionem jam ſuæ poteſtatis arbitrabantur. Neque vero ipſi Lazi neque Romani, averſi in Petræ curam & Perſico

ipſis

ipſis incumbente exercitu, opem ferre Apſiliis poterant: is qui præfectus Tzibili præſidio erat, fratris habebat filiam, inſigni ſpecie mulierem. Hujus cupidine ſupra modum incenſus Perſici ille agminis ductor, adhibitis primum tentamentis, cum ea non procederent, vi in eam utitur. Maritus contumeliæ impatiens & ducem & qui cum eo erant milites, acceſſionem factos alieni criminis, obtruncat, ſibique caſtellum ſervat. Hæc deſciſcendi à Colchis cauſa fuit Apſiliis, dicentibus ſe, cum à Perſis peſſime haberentur, nulla Colchorum ope defenſos. At Gubazes efficit ut milites Romani mille ſub Thomæ Iohanne, jam ante mihi dicto, in defectores eant. Pugna opus non fuit. Comitate delinitos Apſilios Iohannes Lazorum ſub imperia repoſuit. Hæc ſunt quæ de Apſiliis, deque caſtello Tzibilo narranda habebam. Sub hoc tempus accidit Choſroæ ut ſævitiæ ſuæ materiam ſuo in ſanguine reperiret. Filiorum ejus vetuſtiſſimus Anaſozadus nomine (Perſico id ſermone immortalitatis auctorem deſignat) multis patrem offendit, tum cæteræ vitæ flagitiis, tum ne mulieribus quidem paterni cubilis conſortibus abſtinens. Primum exſilio punire filium pater ſatis habuit: Eſt intra Perſarum fines Väzaïne regio optima, in qua urbs Bellapaton ſeptem dierum itinere Cteſiphonte abeſt. Huc patris juſſu ablegatus vivebat Anaſozadus, cum Choſroem morbus invaſit, gravis adeo ut jam & exſtinctus diceretur. Erat autem alias quoque natura imbecilli corpore Choſroes, turbamque medicorum undique ad ſe advocare ſolitus, in quibus & Tribunus erat nomine, ortu Palæſtinus, vir eruditus & medendi peritia nemini cedens, prudens adhoc, Dei amans, probitatis ipſum culmen obtinens. Is & olim cum ægrotanti Choſroi auxilium tuliſſet, è Perſarum terra domum redierat, multa & magna ab ipſo donatus: & cum poſtremæ induciæ

 con-

conveniſſent, Iuſtinianum rex Perſa rogaverat ejuſdem medici conſuetudine ſibi ut annum uti liceret. Eo tempore expleto, ut & alibi attigi; juſſerat Tribunum Choſroes quodcunque vellet muneris optare. ille nullis pecuniis expetitis, tantum poſtulavit captivorum ut quoſdam Choſroes ſuam in gratiam dimitteret. rex ter mille ei captivos conceſſit & ſupra numerum quos nominaret maxime nobiles. Ingentem ea res gloriam Tribuno tulit. Sed hæc ante evenerant. At Anaſozadus morbo patris intellecto, regni avidus, res novabat. nec deſtitit, commoda jam patris valetudine, civitatem in qua erat ad diſcidium impellere, ſumere arma, magnis in bellum animis rapi. queis Choſroes compertis, exercitum in eum mittit Fabricio duce. Victor prælio Fabricius captum Anaſozadum Choſroæ tradidit: is filii corrupit oculos, non viſu adempto, ſed palpebrarum ſuperna infernaque fœde invertens. ignita quippe acu ferrea clauſos orbes perſtringens detorſit palpebras, hoc tantum propoſito, ſpes ut regni omnis filio adimeretur: nam quavis parte mutilum regnare Perſarum non ſinunt leges alibi nobis memoratæ. Huc morum fortunæque devênit Anaſozadus. Iam quintus exierat induciarum annus, cum Petrum ſenatorii ordinis virum, militum fungentem magiſterio, ad Choſroem mittit Iuſtinianus, ut firma per orientem pax conſtitueretur. ille eum re dimiſit infecta, dicens brevi à ſe venturum qui communi ex uſu cuncta componeret. Nec multo pòſt miſit Iſdiagunam, incredibili hominem faſtu arrogantiaque: cujus elatos ſpiritus ac ſuperbiam ferre Romani nullo modo poterant. Sequebantur eum à nobiliſſimis Perſarum duo, aurea capitibus vincula ferentes. Adduxerat uxorem, filios, fratrem, miniſterii vero tantam turbam, ut prælio paratum venire diceres. Auxitque Byzantinorum invidiam, quod eum Iuſtinianus,

nus, ſupra quam legatos ſolitum, comiter magnificeque habebat. Sed non cum eo Byzantium venerat is de quo alibi retuli Badicius. dicebatur à Choſroe morte affectus, non alio crimine, quam quod menſæ Imperatoris fuiſſet particeps. ita enim argumentabatur, non futurum fuiſſe, ut tantus interpreti honos haberetur, niſi res Perſarum ab ipſo fuiſſent proditæ. quidam & ab Iſdiaguna infamatum dicebant arcani cum Romanis colloquii. Legatus hic, ut primum ad Iuſtinianum admiſſus eſt, de pace nihil quicquam locutus eſt: ſed accuſabat Romanos violatæ fidei: ab Alamundario induciarum tempore vim illatam Arothæ Saraceniſque Romanorum federatis, & alia minora, neque mihi digna quæ memorem viſa, referens. Iſta Byzantii agebantur. Petræ interim obſidionem omni cum exercitu Beſa impellebat, murumque ſuffodiebant Romani, eadem parte qua Dagiſthæus excavata humo mœnia dejecerat. Cur eo potiſſimum in loco foſſionem inſtituerint, jam explicabo. qui primi eam urbem condidere, in ſaxo quidem pleraque locarunt mœnium fundamenta: pars tamen & aggeri ſuperſtructa. Erat, quà urbs in occidentem ſpectat, muri pars non nimis lata, ad cujus latus utrinque murus inædificatus erat, cauti duræ neque foſſuram recipienti. Mediam igitur partem & olim aggreſſus erat tranſire opere Dagiſthæus, & nunc aggrediebatur Beſa, longe quidem procedere non concedente loci ingenio, ſed quantum ſatis eſſet deſtinatis. Cum vero Perſæ, poſt Dagiſthæi abitum, quæ collapſa erant mænium ſarcire vellent, non eodem quo ante modo ſtruxere: ſed poſtquam cavum illud ab oppugnatoribus factum fornice compleverant, craſſas ei fornicii imponunt trabes, quas multo labore ad æqualitatem dedolatas per amplum ſatis ſpatium inter ſe jugant: iiſque vice fundamenti ſubſtratis apte imponunt

mænium molem. Quod cum Romani ignorarent, credentes fundamenta se mænium subruere, cavato solo multum humi trabibus subjacentis emoverant, tandemque murum concusserant ita ut pars caderet, nec tamen ut aut procumberet aut recumberet, aut lapidum luxaret compagem, sed ut integra recto descensu, quasi per machinam, deorsum demissa hiatum versus quem fossores fecerant, staret, locum suum servans, non tamen edita quantum ante, sed paullo submissior. Cum enim id quod subter trabes erat, inane esset, eo sidebant & trabes & quicquid trabibus supersteterat. Verum ne id quidem transitum Romanis dedit, quia Persæ, quo tempore multi cum Mermeroe in eas partes venerant, magna adjectione muros in sublime admodum extulerant. ideo cum viderent Romani labefactam muri partem constitisse iterum, incerti anxiique hærebant. Neque enim fossione proficere quicquam poterant, solidato quod aperuerant; neque uti ariete, quod in arduo sita oppugnarent. id enim machinamentum nisi in plano æquabilique solo trahi se non patitur. Forte evênit, ut in Romanis castris Saberi essent pauci, qua de causa dicam. Saberi gens Hunnica, circum Caucasi juga ingenti numero habitant, in principatus secti mediocres. Principum pars jam antiquitus Romano Imperatori, pars alia regi amica Persarum: Et solent utraque potentia sociis suis auri certum modum mittere non quotannis, sed quoties illorum auxilio indigent. Tunc Iustinianus Saberorum sibi notos ad belli societatem invitans, miserat homines qui pecunias ad eos deferrent. Is vero cum ob interjectos hostes, Caucasum ad montem, pecuniis maxime onustus, tutum iter haud speraret, ad Besam & castra Petram obsidentia venerat: atque inde Saberis per nuntium significaverat, venirent ad se, donati-

nativum accepturi. Barbari primorum ſuorum tres exiguo cum comitatu in Laxicam ſine mora miſere. Hi poſtquam advenerant, laborum Romanis ſocii, eos cum viderent ſollicitos nihilque conſilii expedientes, novum machinamenti inveniunt genus, quod ab ortu humani generis non Perſæ, non Romano cuiquam in mentem venerat, cum talium artifices multi in utroque imperio fuerint, ſintque nunc etiam, & ſæpe unoquoque ſæculo tali commento opus fuerit, quoties munimenta in locis aſperis ac confragoſis poſita oppugnabantur. Nemini interim ante hos Barbaros talis incidit cogitatio. Sic cum proceſſu temporis etiam res novas invenire amat humanæ mentis natura. Arietem quippe edocti à nemine fabricant hi Barbari, non ſolitum in modum, ſed à vetere immutatum. Neque enim ad opus efficiendum trabes admovent rectas atque transverſas; ſed virgas eximiæ craſſitudinis cùm inter ſe colligatas ex omni parte ſic locaſſent, ut in arietis teſtudine locari trabes ſolent, corio machinam, ſpecie externa ab ariete vix differentem, obtegunt. medio ejus, ita ut mos habet, de mobilibus catenis unam trabem ſuſpenderant, cujus caput exacutum ferroque veſtitum, velut ſagittæ ſpiculum, mænibus crebro impingi debebat. Tam levem autem machinam fecerant, ut ab iis qui intus latebant, hominibus neque trahi neque impelli neceſſe haberet, ſed viri quadraginta, iidem qui incuſſu ac reductu trabis mænia labefactare ſuſceperant, intra machinam abditi, corioque tecti, nullo labore novi modi arietem portarent. tres igitur illi Barbari tales aliquot facere machinas, ex illis arietibus, quos Romani jam ante paratos pertrahere ad muros nequierant, ſumtis trabibus & ferramentis. Singulas dilecti ſubeunt milites non minus quadraginta, portataſque prope mænia locant.

Ad utrumque machinæ latus alii adſtabant, corpora loricis, capita galeis bene defenſi, contoſque habentes præferratos hamata cuſpide, hunc in uſum, ut ubi incuſſus aries compagem lapidum rupiſſet, luxatos lapides comprehenſoſque amolirentur. Romanis oppugnationem cœptantibus, arietata crebro mœnia deducebantur: & illi qui ad latera machinamenti erant centorum uncis, quod turbatum erat lapidum detrahebant, & jam prope ut caperetur urbs erat, cum novo reperto Perſæ ſua tutantur. Turrim ligneam, quam pridem ſtructam habebant, imponunt mænibus, implentque ſuorum acerrimis, qui clavis ferreis & loricis tum capita tum corpus omne ſepiebantur. Hi dolia referta ſulfure ac bitumine & eo unguine quod Medinaphtha, Græci Medeæ oleum vocant, immiſſo igne in machinas devolvebant, quo conflagraſſent omnes, niſi illi quos cum contis juxta ſtetiſſe dixi, injecta purgatis machinis, humi dejeciſſent: ſed ne ſic quidem continuare oppugnationem Romani ſperabant. Vt enim quæque attigerat ignis, ardebant illico, niſi confeſtim flamma reſtingueretur. At Beſa & ipſe lorica armatus, & omni armato exercitu, Scalas ruinis mænium admoliebatur, verbiſque hortatus quantum temporis ferebat ratio, majora incitamenta factis ſervabat. Ergo vir ipſe ſeptuagenario major & talium laborum per ætatem quoque immunis, primus Scalas aſcendit. ibi pugna virtutumque ſpecimina Perſas inter & Romanos tanta edita ſunt, ut nulla ætate majora eveniſſe arbitrer. Barbari ad bis mille & trecentos coierant: Romanorum erant ſex millia. Tot hominum qui non occubuerant, vulnerati prope omnes: paucis admodum integri artus. Romani ut ſcanderent, Perſæ ut eos depellerent nihil intentatum relinquebant. multa cæde utrinque facta paullum aberat, quin periculum evaſiſſent Perſæ. Nam cum

cum circa ſummas ſcalas atrociter pugnaretur, Romanorum plurimi, ut quibus in hoſtem loco ſuperiorem certamen erat, perpetuo cadebant, & ipſe dux Beſa dejectus humi jacebat. Ingenti ex eo caſu clamore orto à parte utraque, Barbari concurſantes undique, quicquid nocere poterat in eum jactabant. At ſatellites eum egregia fide circumſteterunt, & non caſſides tantum capite, loricas corpore geſtantes, ſed & ſcutis in militarem teſtudinem ſupra capita denſatis conſertisque, tum ducem ſuum in tuto abſcondebant, tum ſumma vi miſſilia arcebant. ſtrepebant omnia telis exeuntibus retuſis armorum ſcutorumve objectu, clamor ubique, anhelitus & in difficili labor: & Romani, ut pericula ducis depellerent, ſine intermiſſione in muros jaculabantur. Per quæ dum reprimitur hoſtium impetus, Beſa qui ſurgere non poterat armis gravantibus, ad hoc corpore ipſo per ſe ægre mobili, quod & obeſus eſſet & ætate, ut dixi, extima, non tamen in tanto poſitus diſcrimine deſpondet animum, ſed ſubito id excogitat quod & ipſi & rebus Romanis ſalutem attulit. Satellitibus imperat ſe ut pedibus tractum quam longiſſime à muro auferant. Parent illi: ſimulque & ipſum trahunt, & ipſi una recedunt, elatis perpetuo ſupra capita ſcutis connexiſque, atque ita attemperantes gradum, ut quantum ille protrahebatur, tantundem & ipſi ſe promoverent, ne quà intectus hoſtium ad tela pateret. Beſa, poſtquam extra periculum fuit, attollens ſe nova ſuis adhibet hortamenta, & ipſe in murum vadit, ſcaliſque ſe imponens, rurſum parat adſcendere. Tantum exemplum imitantibus Romanis, & univerſis eximiam fortitudinem demonſtrantibus, exterriti Perſæ tempus dari ſibi poſtulant ut vaſa colligere ſibi & urbe mox dedita exire liceat. Beſa dolum latere ſuſpicatus, ut interim mænia firmiora facerent, re-

 ſpon-

ſpondit: inhiberi à ſe oppugnationem non poſſe, verum ſi qui de pactis ſecum colloqui vellent, dum dimicarent cæteri, ſe cum illis ad aliam mœnium partem ſeceſſurum, & locum monſtrabat. illis id non accipientibus, recrudeſcit pugna, gravi colliſu. Dumque ibi dubio Marte certatur, alia regione murus, quem adfodere Romani modo deſierant, ſubito collabitur. concurſus eo multus fit utrinque. Romani numero validiores, quanquam in duas diſtracti partes, majore etiam quam ante impetu trudentes, jacientes, hoſti negotium ingens faceſſebant. Perſæ utrinque oppugnati reſiſtebant languidius, & notabilior erat in diductis paucitas. Hos inter labores, dum nec Perſæ incumbentes ſibi hoſtes queunt depellere, neque Romani viam ſibi in urbem inveniunt, juvenis Armenius Iohannes dictus, Thomæ filius, Guzes agnomine, relicto muri hiatu & iis qui circa eum fatigabantur, aſſumtis popularium non multis, per prærupta, qua parte inexpugnabilem urbem nemo non credebat, vadit, vi propugnatores aggreſſurus. Atque ubi ad pinnas pervenerat, Perſarum quendam viſum inter cuſtodes acerrimum, haſta interficit: ac ſic aditus ibi in urbem Romanis factus eſt. Perſæ interea, qui in turre lignea ſtabant, dolia, quibus alimenta ignium inerant, accendunt plurima, ut injectorum copia urerent machinas viroſque, cum non poſſent à machinarum propugnatoribus cuncta ſimul contis diſpelli. ſed aſpera ac vehemens auſtri vis, ſubito in illos magno cum ſtrepitu ſe inferens, retulit flammam, ita ut turris tabularum unam leviter contingeret. Dum id non animadverterunt Perſæ, (ita labor & tumultus ingens metuſque animis in tanto periculo perturbatis ſenſum ademerat) paulatim progreſſus ignis, donec ad Medeæ oleum & quæ alia in pernitiem hoſtium continuo paraban-

rabantur, penetraret, turrem & ſuperſtantes Perſas incendit. cadebant peruſti pars intra mænia pars extra, quo loco machinæ, earumque auxilia Romani conſtiterant. ſic factum eſt, ut qui Romanorum ad muri ruinas pugnabant, hoſtibus minus animoſe, minuſque diligenter rem adminiſtrantibus, irrumperent, Petramque vi caperent. quingenti Perſarum, occupato arcis præſidio, ibi ſe, nihil rei agentes, tenuere: cæteros omnes qui interfecti non fuerant (horum numerus ad ſeptingentos & triginta perveniebat) Romani captivos fecere. in his octo integri reperiebantur, reliqui vulneribus acceptis. ſed & Romanorum ceciderant multi, ac ferme optimus quiſque, & ipſe Thomæ Iohannes lapide à Barbaris percuſſus caput, in urbem dum irrumpit, poſt admirandæ virtutis auſa in hoſtem. Poſtridie Romani Barbaros, in arcem qui confugerant, obſidione claudunt, ſimulque verbis mulcent, parati fidem dare de vita ipſis ſervanda, ſpe concepta fore ut fracti animis Perſæ ſemet dederent. At illi colloquia aſpernati, ad reſiſtendum ſe comparant, non quod crederent diu ſe in quibus erant malis durare poſſe, ſed mortis honeſtæ avidi. Verum Beſa, cum hanc illis obſtinationem excutere & incolumitatis deſiderium injicere vellet, militem quendam Romanum adire quam proxime, & ſermonem ſociare juſſit, quæ dicenda eſſent præcipiens. Is ubi conſtiterat unde exaudiri facile poſſet, ſic orſus eſt. Qua de cauſa irati vobiſmetipſis, optimi Perſæ, extenditis ærumnas, in exitialia ſtolido ruentes impetu, cum veræ virtutis contemtu? Neque enim fortitudinis eſt contra inevitabilia luctari, neque prudentiæ cedere nolle victoribus, neque turpe vitam ducere fortunæ congruentem. Neceſſitas, cui ſpes omnis bona abeſt, merito à dedecore libera eſt, etiamſi ad actus veniat cæteroqui fædos. malum enim omne

cujus

cujus nulla eſt fuga veniam habet comitem. Nolite igitur in conſpicuo periculo temeritati credere, nolite ſaluti antehabere jactantiam. Cogitate mortuos in vitam hanc non reſtitui: vivis etiam pòſt tempus futurum mortis conſciſcendæ, ſi id melius judicetur. In ultima hac deliberatione quid expediat circumſpectate, memores ea conſiliorum eſſe optima quæ & pænitentiæ ſpatium relinquunt. miſeret nos veſtri, quos videmus cervice concuſſa jugum exaſperare, in noviſſima ruere, vitæ munus delicate faſtidire: hæc nobis utpote Chriſtianis & Romanis dolent. Nihil à vobis volumus, niſi ut ſtatum veſtrum mutetis in melius, Iuſtinianumque dominum habeatis pro Choſroe. in hoc fidem dare & accipere parati ſumus. cùm ſervari vobis liceat, ne vobiſmetipſos perdite. quid infelicius quam nullo cum bono inhærere malis, quorum pateat exitus? Non hoc virtus eſt, ſed vitæ impatientia. Magnanimus dicatur, qui dura perfert aliqua propoſita utilitate. Non laudant homines mortem ſponte quæſitam, quamdiu ejuſmodi ſunt pericula, quæ ſpem non omnem adimunt. Vitam abrumpere, nullo mortis uſu, præceps amentia eſt. cæca adverſus mortem ferocia, inanem quandam habet fortis animi ſpeciem, à ſapientibus inſipientiæ ducitur. Hoc quoque curare vos æquum, ne in Deum ingrati ſitis, cui ſi cordi fuiſſet vos perdere, non, credo, vos in manus tradidiſſet vitam. vobis ſervare cupientium. quo loco res veſtræ ſint, ego dixi. veſtrum jam erit conſtituere, an vobis ipſis judicibus vita ſitis indigni. Talem militis orationem Perſæ averſati, ne audiſſe quidem ſimulabant. Tum juſſu ducis Romani faces arci injecere, ſperantes hoc ſaltem malo coactos hoſtes corpora ſua dedituros. Iam ſpargebatur incendium, quod cum cernerent Perſæ, præviderentque futurum, ut brevi in cinerem verterentur, nulla ſpe

la ſpe reliqua, nihil profecturi victorem morando, noluere tamen in hoſtium venire poteſtatem, ſed hoſtibus ſpectantibus admirantibuſque cum arce ipſa ardentes perierunt. Quanti Lazicæ poſſeſſionem fecerit Choſroes, tunc apparuit. nam & militum ſtrenuiſſimos, dilectos undique, Petræ præſidium dederat: & armorum tantam ibi copiam collocaverat, ut cum ea diriperet Romanus exercitus, militi cuique inde armatura quina obtingeret, præter multa quæ arcis incendio conflagraverant. frumenti vero, conditæque carnis & victus cæteri vim tantam, ut per quinquennium obſeſſis ſufficere poſſet. Vinum Perſæ nullum ibi poſuerant, niſi acore factum durabile. mox cum etiam aquam ex locis inferioribus exundantem animadverterunt Romani, ſtupefacti hæſere, donec in notitiam abditorum alveorum venerunt. id quale ſit, exponam. Cum Petram Choſroes captam præſidio firmaſſet, haud dubitans quin omnino obſeſſum venturi eſſent Romani & aquarum vias diruturi, ſollertiam adhibuit. Omnem aquam in urbem quæ influit in tres diducturus partes, alte ſub terram facto caſtello, inde tres canales excitavit, unum ad caſtelli infima, quem lapidibus fimoque ſuperjecto abſcondidit. ad medium caſtellum pari modo occultavit alterum: tertium fecit ſupra terram eminentem conſpicuumque omnibus, ita ut aquæductus tribus quaſi contignationibus diſtingueretur. id cum initio obſidionis neſcirent Romani, cum illum qui apparebat canalem disjeciſſent, nec ad caſtellum uſque penetraſſent, ſed intermiſiſſent opus ante urbis excidium, pro certo habebant aqua obſeſſos defici, decepti opinione per ſcrutandi incuriam. Dum trahebatur obſidio, ex captivis quos nacti erant Romani didicerant aquam obſeſſis per canalem ſuppetere. ob id iterato fodiendi labore ſecundum quem dixi canalem
depre-

deprehendunt: & hoc quoque fracto, concidisse putarant hostium vires, ne secundo quidem experimento edocti interius latentia rimari. cum vero capta urbe ut dixi, aquam etiam tunc se subjicere viderunt, stabant velut miraculo perculsi. mox eo quod erat à captivis percepto, & hostium in eo opere sedulitatem & suam negligentiam sero, nulloque jam usu cognovere. Captivos Besa ad Imperatorem misit omnes: Petræ mænia æquavit solo, ne inde in posterum negotium rei Romanæ hostis facesseret. Exceptum benigne ipsum Iustinianus laudavit virtutis prudentiæque ergo, ob id maxime quod mænium nihil reliquum sivisset. Ex eo Besa tum felicitatis suæ tum & magni animi pretium habuit, ab omnibus suspici. Sane & cum Romæ præsidio impositus esset, magnam in eo spem, ob priora fortia facta, posuerant Romani. sed cum postea res cecidissent improspere, Roma à Gotthis capta, ut narravi alibi, ipsaque Romana stirpe pæne omni excisa, quamvis sic reversum in aulam Byzantii, Imperator bello in Persas præfecerat. nec ferme tum quisquam erat, qui non hoc Imperatoris judicium criminando aut per irrisum insectaretur, Besæ scilicet Gotthorum Marte superato decrepitoque Medicum mandari bellum in ipso vitæ occasu. Hæc quæ prope omnes senserant, revicit eventus, quo dux ille ut fortissimus ita & felicissimus apparuit. sic non pro hominum opinione, sed ut Deo visum res mortalibus procedunt, quod fortunam vocare mos hominibus, ignaris cujus rei causa proveniant ea quæ ipsi conspiciunt. Nam quod insolitum est ei congruere creditur fortunæ nomen. sed de his ita quisque ut ipsi libet æstimet. At Mermeroes dudum sollicitus, ne derelictis Persis ac Petræ temporis mora malum adferret, omni cum exercitu eo incesserat, vocante ipsa quoque anni tempestate post

hyemis

hyemis exitum. In via eorum quæ acciderant factus certior cæpto itinere deflexit, cognitum habens ultra Phasim Lazis, amissa Petra, nullum esse præsidium. Retrogressus igitur, occupatis locis per quæ ex Iberia Colchis aditur, postquam Phasim qua maxime vadosus est, pedibus transiisset, deinde & Rheonta amnem, ne hunc quidem ibi navigabilem, dextro Phasidis latere pergens, Archæopolim principem dignitate & magnitudine in Lazis urbem, toto cum exercitu petit. is paucis exceptis equitatu constabat, octo sequentibus elephantis, quibus insistentes Persæ hostium capitibus velut è turre imminerent. Erat mirari Persarum & laborem & sollertiam, qui iter ab Iberia in Colchidem ferens, confragosis saltibus silvestribusque saxis continuum, præterea nemoribus densis obumbratum, ut hactenus homini quamlibet expedito, impervium crederetur, ita complanarunt ut non equitatus tantum nullo negotio, sed & elephanti quot visum ipsis esset, illac transirent. Auxilia aderant Hunnorum qui Saberi vocantur, millia duodecim. verum pertimescens Mermeroes ne externi qui tanto essent numero imperia ipsius accipere nollent, aut etiam dirius quid in Persas animo conciperent, quater mille solis in commilitium assumptis, cæteros multis donatos pecuniis domum regredi jussit. Romanus exercitus duodecim erat millium, non tamen in unum collectus locum. tria enim millia Archæopoli erant sub præfectis Odonacho & Baba, viris bello egregiis. cæteri citra Phasim castris sedebant hoc animo, ut si apparuisset hostium exercitus, ipsi continuo suis opitulatum accurrerent. his Venulus & Vligagus præerat, quibus aderat & Persarmenius Varazes ab Italia recens, quem Tzani ad octingentos sequebantur. Nam Besa ex quo Petram ceperat, laborum fugiens in Ponticos Armeniosque recesse-

recesserat, id unum studens & quæstum quam maximum ex attributis sibi provinciis faceret. Hac ille avaritia res Romanas iterum jam afflixit. Nam si post victoriam, Petramque, ut dixi, captam, illico in Lazorum Iberumque fines duxisset, arctaque itinerum obsepsisset, nunquam, ut arbitror, Persarum arma in Lazicam venissent. Nunc verò ad segnitiem dux delapsus tantum non sua manu Lazicam hosti tradidit, iræ Imperatoris securus. Habebat enim hoc proprium Iustinianus, multa ducum delicta dissimulare, qui propterea effusi in licentiam publice privatimque gravissima peccabant. Duo fuerant castella Lazis ad finem Iberiæ, Scanda & Sarapanis, difficili utrunque aditu ob locorum aspera atque interrupta. Hæc Lazi jam pridem multo labore servabant. nam quia in illis locis nihil ad victum nascitur, hominum humeris alimenta importabantur. At belli cum Persis initio Iustinianus, amotis Lazis, præsidium substituerat Romanorum, qui non multo pòst, rerum inopia fatigati utroque castello excesserant, non soliti Colchorum ad morem leguminibus vitam diu ducere, & Lazis laborem, per longa itinera quæ opus erant inferendi, non ultra tolerantibus. Sic vacua loca Persæ invaserant: sed per inducias eadem ad Romanos redierant, commutatione castellorum Boli & Pharangii, ut in libris ante hac vulgatis dicere memini. Pòst Lazi hæc castella solo æquaverant, ne Persis ad bellum ipsis inferendum usui essent. sed horum alterum Scanda Persæ restituerant, quo tempore Mermeroes eo cum Persarum exercitu accesserat. E Colchide in Iberiam eunti primum occurrit oppidum Rhodopolis, plano situm, eoque & adiri & oppugnari facile. Hoc quoque nuper Lazi, dum Persarum metuunt adventum, destruxerant. Quo Persæ cognitò, recta Archæopolim ire constituerant.
sed

ſed Mermeroes acceptis nuntiis ad Phaſidis oſtia Romanos caſtra poſuiſſe, eo ſe vertit, optimum factu exiſtimans, his ante ſublatis, deinde Archæopolis obſidium aggredi, ne quid noxium à tergo Perſarum exercitui relinqueretur. Sed priusquam eo iret, Archæopolis ad mænia procedens, per jocum ſalutavit qui intus erant Romanos, jam jamque ſe ad ipſos rediturum jactans. Sed prius compellandos ſibi Romanorum illos, quibus caſtra ad Phaſim eſſent. Et illi pari facetia reſponderunt, ſinere ſe ipſum quo libitum eſſet ire: unum tamen certo ſe edicere. ſi in illos incideret Romanos, nunquam reverſurum. At Romanis caſtris qui præerant, intellecto hoſtium conſilio metuerunt, ut vim tantam in ſe ruentem ſuſtinere poſſent: itaque actuarias hunc in uſum paratas ingreſſi, Phaſim amnem trajiciunt, utenſiliaque omnia, quæ abſportari poterant, iiſdem imponunt navigiis, quod ſupererat in flumen immerſo, ne ea copia hoſtes inſtruerentur. Non multo poſt in ea loca cum veniſſet Mermeroes, factamque ab hoſte ſolitudinem conſpiceret, indoluit: caſtrisque incenſis, ira adhuc æſtuans, remeavit, in Archæopolim ducens. ſita eſt Archæopolis arduo in colle, præterlabente amne, quem montes fundunt impendentes urbi. Portarum aliæ infra ſunt ad collis pedem, non penitus inacceſſæ, ſed ex plano aſcenſu ad eas ſatis æquabili: aliæ ſuperius ad abrupta ducunt, adiri perdifficiles. Longe enim ſe porrigunt ſilveſtria ab iis portis loca. Aquæ cum non alia urbem incolentibus eſſet copia, muros duos inde ab urbe flumen usque ſtruxerant, ut ex eo hauriri tuto poſſet. Mermeroes omni modo oppugnandi urbem conſtanter cupidus, hæc conſilia reperit. Primum Saberis præcipit multos facere arietes ejus generis qui humeris facile portarentur. nam illos ante uſitatos admovere ne ad eam quidem mænium par-

partem quæ in declivi erat dabatur. Sed cum fama percepisset ea quæ Saberi Romanis militantes in Petræ oppugnatione fecerant, exemplum secutus, parem utilitatem spe præceperat. Illi jussis obsecuti multos istiusmodi arietes fecerunt, quales Romanorum in usum à Saberis aliis factos memoravi. Tum Dolomitas in partem alteram saxis cohærentem mittit, ut ibi quoque hostibus quantum posset negotii fieret. Dolomitæ isti Barbari sunt, qui cum Persarum imperio undique ambiantur, Persarum tamen regi non parent. Defensi locorum abruptis inviisque, libertatem tot per sæcula tutantur. mercede tamen conducti Persis in hostem quemvis militant, pedites cuncti, gladio armati scutoque & jacula manu gestantes terna: currere per confragosa perque montium vertebras non minus quam æquis locis norunt. Ideo Mermeroes eos ad quam dixi partem oppugnationi admovit, ipse ad portas infra sitas exercitum, machinas, elephantos agens. Hic Persæ cum Saberis telorum jactu in mænia tam denso, ut cæli conspectum adimerent, pæne Romanos adegerant propugnaculis decedere. multo magis Dolomitæ partem ad alteram, tela exacuentes, cautium illic eminentium attritu, hostem fatigabant. Vndique Romanis res malæ, undique periculum. Tandem Odonachus & Baba, seu virtutis instinctu, seu tentando militi, seu moti divinitus, paucos militum reliquere in mænibus, qui assultus hostiles depellerent: partem maximam seorsim advocatam sic hortari aggrediuntur. Quæ nos discrimina, quæ circumstet necessitas, videtis, commilites. Non tamen cedendum malis. Quorum salus pro deplorata est, iis una salus, salutis cupidine non teneri. Nam vitæ præparcis vicinum esse exitium solet. Id præterea proprie vobis in hoc periculo cogitandum est, dum propugnacula ista defenditis, nihil

nihil tutum esse vobis, etiamsi animos fortissimos ad certamen adferatis. Nam quæ ex locorum intervallo fit pugna, minimum virtute regitur, fortunæ arbitrio subjecta plurimum. At ubi conseruntur manus, ibi magnus animus præpollet, additque se fortibus victoria. Tum vero ut prosperrime pugnent mænium defensores, haud magnum est operæ pretium. nam depulsum hodie periculum, cras redit: quod si sequius res cadat, una cum ipsis mænibus pereundum est. At manu qui hostem vicerint, tuti vivunt in posterum. His bene cogitatis eamus in hostem alacres, cæleste auxilium implorantes, & ex ipsis rebus desperatis spem concipiamus, cum amet Deus eos maxime servare quos humana præsidia destituunt. Hæc ubi dixerant Odonachus & Baba, portis apertis currentem eduxere militem, paucis intus relictis ob quam dicturus sum caussam. Pridie Lazus vir nobilis, Archæopoli habitans, cum Mermeroe de oppido prodendo egerat. ille unam ab eo operam exegerat, ut cum repeteretur oppugnatio, ædificia incenderet, queis frumentum aliaque necessaria asservabantur. id autem flagitabat, de duobus alterum exspectans, ut aut Romani in restinguendo igne districti impeditique vacuum sibi tempus darent invadendi muros, aut, si tutanda ad mænia eidem verterentur, arderent interim domus prohibente nemine: quibus exustis, defecta alimentis aliisque rebus Archæopolis, obsidium haud diu toleratura sine Romanorum labore in potestatem eorum perveniret. Eo Mermeroes consilio, quod dixi Lazo præceperat: & Lazus, quod petebatur, facturum se promiserat. Vbi ergo cum maxime oppugnationem vidit in motu esse, ignem latenter ædibus illis intulit. Romani surgentem flammam ut videre, pauci accurrunt, multoque labore, ante noxam gravem, opprimunt incendium. Cæ-
 teri,

teri, ut dicere cæperam, adversos se hostibus ferebant. in quos incautos cum irruissent, multum terroris, ut in rebus improvisis fieri solet, intulere. cæduntur illi non modo pugnare non ausi, sed ne manus quidem contra tollere. Nihil enim minus cogitabant Persæ, quam tantillo numero qui essent Romanos, ausuros erumpere. itaque ipsi nullo ordine, nec modicis intervallis, ut cuique placuerat, muros assilierant, quorum alii humeris machinas ferebant, ob id, ut mos est, inermes pugnæque imparati, alii sparsi arcus tensos in manibus cum haberent, confertim superfusos sibi Romanos nullo modo arcere poterant. sic aversos plerosque, ad mortem cædunt Romani. Forte eodem tempore accidit ut elephantorum unus, seu vulnere accepto, ut quidam narrant, seu sponte territus verteret, cursuque effuso proriperet sese, ita ut non modo dejiceret eos qui inscenderant, sed & aliorum turbaret ordines. Iam ex eo magis magisque fugere Barbari, Romani impune grassari cædibus. Mirari heic subit, Romanos, cum non nescirent contra elephantorum impetum, magno hostibus futurum usui, quærenda sibi remedia, nihil fecisse quod oportebat, præsente nimirum periculo consternatos: casu vero impletum quod ipsi omiserant. Quid significem, apertius explicabo. Quo tempore Chosroes & Persæ Edessæ mænia impugnabant, ex elephantis unus, Persarum insessus & multis & acerrimis, prope mænia cum stetisset, parum aberat, quin defensores turris, ad quam accesserat, crebritate vulnerum, quæ in eos ex edito ingruebant, disturbaret, urbemque daret capiendam. ita usum ejus machinæ, quam Helepolim vocabant, præstabat bellua. sed Romani, porco repente de turri suspenso, vitarunt periculum. Nam grunnitu, ut mos ei pecudi est, edito, elephantus, offensam sentiens, commovit se,
mox

mox & retro tulit. Nunc vero quod Romani per negligentiam peccaverant, fortuna correxit. Cum Edessæ inciderit mentio, reticere non possum, quod ibi antequam hoc bellum oriretur, ostentum evenerat. Nam cum Chosroi propositum esset rumpere inducias, quæ ob præfiniti temporis longitudinem infinitæ dicebantur, mulier ea in urbe partum edidit, cætera humanæ figuræ, sed bicipitem, cui prodigio res secutæ satis apertam interpretationem dederunt. Nam & Edessa & oriens omnis, maxima præterea Romani Imperii pars, inter binos reges decertata est. Hoc de Edessa obiter dixerim. nunc ad institutum me recipio. Cum Medorum qui in oppugnatione versabantur ad eum quem narravi modum turbati essent, qui eorum pone erant, conspecto tumultu cujus causam ignorabant, formidini primum, deinde ablato pudore, fugæ implicantur. Pervasit metus ad Dolomitas, qui in edito pugnantes cuncta despectabant, ut ipsi quoque turpiter fugerent. clara hæc Romanis victoria, Barbaris cæsis ad quatuor millia, ducum tribus, captis signis Persicis quatuor, quæ Byzantium missa sunt. Equi dicuntur periisse haud minus vicies mille, non hostium conflictu missilibusve, sed longo itinere & tenui per Lazicam, multumque intra satietatem pabulo, pariter lassitudine inediaque exhaustos. Hic conatus infeliciter cum cessisset, Mermeroes cum exercitu Muchiresin abit. quanquam enim ab Archæopoli urbe dejecti Persæ, pleraque adhuc Lazicæ obtinebant. Abest Archæopoli Muchiresis diei itinere, multis plenisque hominum vicis habitata regio, & Colchidis pars longe optima, quippe & vini ferax & pomorum, quibus destituitur Lazica cætera. Amnis hanc regionem prælabitur, Rheon nomine, quo loco castellum jam olim struxerant Colchi: sed ipsi postea maximam partem diruerunt,

ruerunt, quod plano ſitum ad hoſtiles inſultus patêre nimium videretur. vetus caſtello nomen Græcum Cotyæum fuit: Lazis poſtea per originis ignorantiam deflexa voce dictum Cotaïs, ut quidem Arriano traditum eſt. nam alii urbem ibi antiquis temporibus fuiſſe memorant Cætæum, unde ortus Æetas ob id Cætiëus poëtis, terraque ipſa Colchica Cætaïs dicatur. Id Mermeroes nunc reſtituere volens, cum nihil ad ædificandum parati haberet, & ſimul inſtaret hyems, ea quæ corruerant congerie lignorum ſupplet, ibique ſe tenet. Non longe inde aliud eſt caſtellum firmiſſimum Vthimerium nomine, Lazis diligenter cuſtoditum, quibus in partem præſidii Romani milites acceſſerant non multi. Mermeroes, ubi dixi, moram trahens, terræ Colchidis optima poſſidebat, unaque obſtabat, ne quid neceſſarii hoſtes in Vthimereos caſtellum inferrent, neve in regionem Suaniam ac Scymniam, ipſis parentem, pervenire poſſent. Nam in Muchireſi medios ſe interjicientibus Perſis, Lazi Romanique ab ulterioribus intercludebantur. Hæc per Lazicam agebant exercitus. At Byzantii legatus Iſdiagunas de pace cum Iuſtiniano Imperatore tractis diu multasque per altercationes colloquiis, poſtremo convenit, ut in annos quinque per utrumque imperium induciæ eſſent, tranſitusque inter populos & internuntii ſecuri, per quos ea quæ ſuper Lazica ac Sarracenis ambigua reſtabant componerentur. Placuerat Perſas à Romanis accipere pro quinque his induciarum annis bis mille libras auri, pro menſibus autem octodecim, qui à prioribus induciis ad mutuas nuper legationes interceſſerant, libras auri ſexcentas. Dicebant enim Perſæ hac ſe Romanorum pollicitatione inductos, ut de ponendis armis ſermonibus ſe præberent. Bis mille autem illas libras illico poſcebat Iſdiagunas: Iuſtinianus dare volebat annis ſingulis

qua-

quadringentas, ut à violandis induciis eo velut pignore Chosroem retineret. sed concessere tandem Romani, summamque totam præsente pecunia exsolverunt, ne annua tributa pendere viderentur. Adeo vocabula magis turpia, quam res ipsas aversari, mos hominum est. Erat inter Persas vir magnæ claritatis, Bersabas nomine, Chosroæ inter primos amicus, quem Valerianus prælio in Armeniis victor captivum fecerat, Byzantiumque ad Imperatorem miserat, ubi custoditus diu vixit: nec auditus erat Chosroes, magnas pecunias offerens ut eum postliminio reciperet. Iam vero poscenti eum Isdiagunæ facile donavit Imperator. Pollicebatur enim is legatus Imperatori, se consiliis suis effecturum, ut è Lazica exercitum educeret Chosroes. Pactæ sunt hæ induciæ Romanis Persisque, cum quintum & vicesimum principatus annum Iustinianus ageret, ac fuere in offensa apud Romanorum plerosque, jure an injuria, ut unus in parendi conditione positorum, dicere non audeo. Cæterum hæc illi adferebant, factum fedus hoc à Persis cum valida possessione tenerent Lazicam, ne per quinquennium quicquam intercederet, quo minus tuto ac citra metum pulcherrima Colchidis inhabitarent, unde eos bene confirmatos nulla unquam ætate nullisque rationibus depellere Romani valerent. Accedere, quod ex illis locis iter Persis Byzantium usque aperiretur. Hoc igitur in tempore prospectantes multos dolor in præsens, in futurum metus invaserat. Nec tacebatur, quod pridem optatum Persæ non bello, non astu obtinere quiverant, ut Romanos sibi haberent stipendiarios, id nunc eis contigisse sub induciarum nomine. Nam cum jam pridem Chosroes annuum tributum quadringentarum librarum imponere Romanis flagrasset, jam sub induciarum specie honesta intra annos undecim

mensesque sex capere eum quater mille sexcentas, dempto tributi nomine, re manente, cum interim induciis contemtis Lazicam vi armisque apertis invasisset. Neque spem esse eo ut onere se exsolvere unquam Romani possent, sed mansuros eos in perpetuum Persico Imperio quid aliud quam vectigales? Hæc illis in partibus agebantur. At Isdiagunas pecunias auferens quantas nemo legatorum, factusque Persarum, ut credo, ditissimus, domum redibat. Magno enim tum honore tum liberalitate eum coluerat Imperator: solusque is conspectus fuerat legatus sine custode. Nec ipse tantum, sed & qui in ejus erant comitatu, magnis gregibus Barbari, in summa libertate per longum temporis spatium quibuscum vellent cumque versati erant, perambulaverant urbem, emerant, vendiderant, contractus inierant alios, negotia gesserant omnia suo arbitratu, plane quasi in Persica urbe, assectante aut observante Romanorum nemine, contra quam mos habebat. Hac eadem tempestate res accidit qualis nunquam ante, nostram notitiam quod attinet, evenerat. Autumnus erat, cum interim calor ingens siccitasque essent, velut media æstate, ita ut rosæ etiam plurimæ, velut vere, nihil solitis dissimiles, enascerentur: arboresque pæne omnes novis pomis essent gravidæ, in vinetis etiam novæ apparerent uvæ, modo primum facta vindemia. Qui signis talibus futura sperant se posse assequi, inopinatum aliquod magnumque augurabantur, alii bonum, alii malum. Ego vero naturalibus causis, non destinato, id evenisse arbitror, quod austri flassent plurimi, indeque insolitus calor alienam anni partem invasisset. quod si quid & non exspectatum hac re portenditur, optimus erit interpres ipse cum venerit exitus. Ista de induciis dum Byzantii Persas inter Romanosque aguntur, in Lazica non quiescebatur. Gu-

bazes

bazes quidem Lazorum rex Romanis optime volebat, quod mortem ſtrui ſibi à Choſroe, ut alio loco narravimus, ſenſerat. At plerique Lazorum alii, partim à Romano milite crudeliter habiti, partim variis è cauſis ducibus diſcordes, fremebant, non ſtudio in Perſas, ſed parati tamen Romanum imperium Medico mutare, experientia præſentium & ſpe futurorum. Erat non obſcurus in Lazis vir Theophobius nomine, qui clam Sociato ſermone cum Mermeroe caſtellum ſe Vthimereos ei traditurum affirmavit. Nec omiſit Mermeroes accendere hominem, magna pollicitus, hoc facto amicum eum inter primos Choſroi fore, nomenque ejus inter bene de Perſico imperio meritos in annales iturum, multum gloriæ, nec minus divitiarum affluxurum. Queis erectus Theophobius multo etiam magis flagrabat deſtinata exſequi. Non conſulebant eo tempore in medium Romani Lazique: ſed Perſæ quocunque vellent impune vagabantur: Romanorum Lazorumque alii latebant Phaſim ad amnem, alii Archæopoli aliove quo munimento ſe abſconderant. rex ipſe Gubazes montium jugis quietum ſe tenebat. ob hæc nullo negotio licuit Theophobio promiſſa Mermeroæ implere. Nam in caſtellum ut venit, cuſtodibus ejus tum Romanis, tum Lazis, dixit omnem Romanorum periiſſe exercitum: everſas Gubazi Laziſque res: Colchida omnem Perſarum teneri armis: nec ſpei quicquam reliquum, aut Gubazi aut Romanis, recuperandi amiſſam poſſeſſionem. Hactenus quæ facta ſint ab uno patrata regiorum ducum Mermeroe. Secuta hunc ſeptuaginta Perſarum pugnæ utilium millia, Saberos ad hoc plurimos. At nunc ipſum regem venire Choſroem innumero cum exercitu, ſubitoque adfore. anguſtam fore copiis ejus omnem Colchidem terram. Hæc deprædicans Theophobius ingentem terrorem in-

cussit præsidiariis, ita ut per Dei Patrii numen obsecrarent eum, imminentibus malis quo posset modo ipsos expediret. Promisit ille pro magno beneficio, curaturum se ut à Chosroe fidem acciperent, nihil nocitum ipsis iri, castellum tradentibus in Persarum manus. Hæc cum illis placuissent, abiit ad Mermeroem eique acta retulit. Is Persarum potissimos mittit in Vthimereos castellum cum Theophobio. qui præsidio fidem darent, vitam ipsis resque Salvas fore, & traditum castellum custodirent. Hunc in modum Persæ Vthimeridis potiti, Lazicam jam plane habebant in potestate: neque vero Lazicam tantum, sed & Scymniam Suaniamque, ita ut à Mucherisi Iberiam usque cuncta terrarum Romanis Lazorumque regi præclusa essent, neque aut Romanis aut Lazis ulla arcendi hostem facultas, egredi montes aut munimenta non audentibus, adeo non armis contra ire. Hyeme adventante Mermeroes, constructo in Cotai muro ligneo, præsidioque ibi posito Persarum militaris ætatis non minus ter mille, dato & milite qui sufficeret ad Vthimereos tutelam, præterea munito castello Lazorum alio, in ultimis sito Lazicæ finibus, cui Sarapalis nomen, hîc substitit. Mox intellecto, colligere se Romanos Lazosque, jamque castris consedisse ad Phasidos ostia, omni cum exercitu in eos se tulit. Verum id ubi cognovere Gubazes ducesque Romani, non exspectato hostium adventu, dilapsi quo poterant, sibi quisque consuluere: & Gubazes ad montium summa capto cursu ibi cum uxore, liberis, proximeque notis egit hyemem, necessitatem in præsens tolerans malorum non aliud remedium ferentium sensu, interim spe in futurum auxilii à Byzantio, quantum res humanæ ferunt, consolans se contra adversa, animumque exspectatione meliorum erigens. Reverentia regis minores quoque

Lazi

Lazi in rupibus vitam agebant, nullo quidem hostis metu, cùm bellantibus juga ista per hyemem maxime infesta sint atque invia, sed fame, frigore, incommodisque tantis, ut etiam vitæ tæderet. At Mermeroes, prohibente nemine, domos multas ædificabat per Mucherisim, instruebatque rerum sine quibus vivi nequit copia: præterea ex iis, qui ad se transfugerant, mittebat aliquos ad montium vertices, qui fide data multos ad ipsum pertrahebant: quos ille deinde ut suos curabat, necessariis eos egere non sinens: cæteraque omnia suo agebat arbitratu, quippe compos regionis totius. simul ad Gubazem has scribit literas. Duo vitam regunt hominum, vis & prudentia. Nam qui opibus plus valent, hi & ipsi pro lubidine agunt, & infirmiores alios, quo sibi visum est, ductitant. at quos sua calamitas in servitium dedit potentioribus, malam fortunam ingenio ut medicentur, blandiri discunt dominantibus, ac sic res suas servant, gratiamque ineundo eadem recuperant omnia, quæ per imbecillitatem amiserant. Hæc talia sunt, ut non apud gentes aliquas obtineant, alibi aliter se res habeat, sed cunctos apud homines æque valeant. Sunt enim hæc, si quicquam, omnium terrarum mortalibus per naturam ingenerata. Tu nunc ergo, mi Gubaze, si confidis te bello supra Persas fore, ne differ; nihil te moretur. invenies nos qua parte Lazicæ volueris paratos excipere impetum, & pro terræ hujus possessione totis viribus certare. virtutis per arma demonstrandæ ingens se tibi aperit materia. Sin imparem te Persarum viribus obniti & ipse sentis, veni ad id quod secundum est, & temet nosce. venerare Chosroem, regem semper, nunc & victorem tuum terræque dominum. precare quæ acta sunt condonet, ut in posterum immunis agas malorum quæ te nunc circumsident. Ego Chosroem tibi propitium spondeo.

nec

nec fidem tantum dabo, manſuram tibi vitam, regnumque perpetuo ſine ulla noxa; ſed & fidei firmandæ obſides ducum inter Perſas nobilium liberos. Quod ſi horum neutrum placet, certe in quamvis aliam regionem tutus digredere, & da Lazis ſemel reſpirare à miſeriis, in quas per tua mala conſulta inciderunt, da effugere impendentes adhuc calamitates, neque eos in ultimum exitium præcipita, dum tu ſpe fallace vectaris, auxilii nimirum à Romanis, qui non magis unquam ſe expedire poterunt, quam hactenus potuerunt. His Mermeroes ſcriptis non tamen permovit Gubazen, quin montium jugis ſe teneret, ſuppetias à Romanis opperiens, odioque Choſrois ad deſerendam illorum Societatem inflexibilis. Ferme enim homines conſilia ad voluntatis ſuæ accommodant appetitum, eique opinioni accedunt quæ ipſis placet, quæ inde pendent omnia recipiunt, non prius expenſo, verane ſit illa opinio, contraque eam quæ animo ingrata eſt, ſuſpectam habent atque averſantur, an non verum illa in ſe contineat, haud dijudicato. Sub hoc tempore monachi ab Indis venientes, edocti curæ eſſe Iuſtiniano, ne Romani ſericum à Perſis compararent, ad eum admiſſi, promittunt ita ſe id negotium tractaturos, ne Romani à Perſis hoſtibus externave gente alia hanc mercem petere opus haberent. Vixiſſe enim ſe diu in terra multos Indorum populos continente, cui Serinda nomen: ibi exacte cognitum ſibi, qua arte ſericum Romanos intra fines fieri poſſet. Percunctanti crebro Imperatori, ſcrutantique num vera adferrent, dixere monachi, vermes eſſe quoſdam ſerici opifices, qui natura magiſtra opus id nunquam intermitterent. Sed viva quidem ea animantia non poſſe in Romanas terras deportari, genituram facile poſſe, quæ ſingulis è vermibus edita ovis conſtet innumeris. Ova hæc multo poſt tempore quam pro-

prodiissent hominum opera tecta lætamine diuque fota in animantia enasci. Hæc dicta rebus ut approbarent, multis eos verbis, donorumque ingentium promissis hortatus est Imperator. Illi reversi in Serindam ova Byzantium referunt: quæ postquam in vermes memorata jam arte transformaverant, pascunt mori foliis, atque ex iis faciendi apud Romanos serici dant initium. Diximus de bello Romanos inter Persasque: diximus & de serico quæ dicenda erant. Hyeme finita profectus ad Chosroen cum pecuniis Isdiagunas, quæ cum Imperatore pacta retulit. & ille, accepto auro, statim probavit inducias: neque tamen eo magis Lazicam dimisit. quin iis ipsis pecuniis conductos magno numero Hunnos Saberos, additis & Persis nonnullis, sine mora mittit Mermeroæ, eique imperat, bello ut insistat, mox & elephantos complures ut habeat, facit. Mermeroes igitur cum omni Persarum Hunnorumque exercitu Mucherisi degressus, in Lazorum munimenta contendit, elephantis comitantibus. Nusquam ei occurrebant Romani, sed Martino duce ad Phasidos ostia, locorum præsidio tuti, conquiescebant: ubi cum eis erat Lazorum quoque rex Gubazes. Rara fortuna accidit, tantus ut Medorum exercitus nullo damno afficeret aut Romanos aut Lazos. Primum enim Mermeroes, cùm audisset in castello quodam sororem esse Gubazis, eam quovis modo capere cupiens, illuc ducit. Sed bene se tutantibus qui præsidio erant, & ipsa adjutis locorum naturali firmitate, irriti inde abiere Barbari, atque in Abasgos iter ceperunt. Sed qui Tzibulam custodiebant Romani, occupato transitu, quem descripsimus alibi arctum & abruptis invium, objecere sese. Nec videns Mermeroes quomodo perrumperet adversos, retro duxit, Archæopoli infestus. Sed ab insultu dejectus mœnium, hinc quoque abiit. Romani instan-

instantes discedentibus, in locis confragosis multos interfecere, quos inter & Saberorum princeps cecidit: circa cujus mortui corpus, ortâ pugnâ acri, tandem noctis initio Persæ hostem pepulere, deinde ad Cotaïn se & Mucherisim receperunt. Inter Romanos & Persas ista agebantur. At per Africam res egregiæ Romanis: nam Iohanni, quem ibi ducem Iustinianus fecerat, cuncta supra quam aut dici aut credi posset procedebant, qui conciliato sibi Maurorum principe Cutzina, cæteros ejus gentis prælio vicit: neque multo pòst Antalam quoque & Iäbdam, Maurórum qui in Byzacio Numidiaque erant rectores, ita perdomuit, ut servorum ritu ipsum sequerentur. Ab eo tempore nihil per Africam in Romanos hostile. sed exhausta præteritis bellis ac seditionibus Africa, magna sui parte deserta hominibus, squallebat. Quæ dum ibi sic se habent, Europæ interim in partibus hæc quæ dicam agebantur. Gepidæ, ut narratum nobis alibi, inducias cum Langobardis hostibus fecerant. Sed non multo post cùm, quæ controversa intercedebant, nequîssent componere, viderunt ad arma sibi redeundum. Magno igitur animo totarumque gentium viribus Gepidæ & Langobardi in bellum accingebantur. Duces Gepidis Thorisin, Langobardis Audovin nomine, multa uterque millia post se trahebant. Et jam non longe inter se aberant, sic tamen ut nondum invicem se conspicerent, cum limphatici pavores correptam utramque gentem, nullis timendi caussis, in fugam tulere, effusam adeo, ut soli duces paucis cum comitibus restarent, idque omni modo agentes cæteros ut revocarent, neque miserabiliter precando, neque horrendum minando quicquam proficerent. Audovin tam turpi suorum fuga exterritus, neque dum noverat parem vecordiam hostibus incidisse, statim suorum quosdam mittit ad hostem legatos cum mandatis postu-

postulandæ pacis. qui ubi ad principem Gepidarum Thorisin perducti solitudinem viderunt, causam ex iis quæ apud se evenerant conjectantes, interrogaverunt eum primo conspectu quo ivisset illi tanta popularium multitudo. Et ille nihil dissimulans, fugerunt, inquit, insequente nemine. Pari simplicitate legati idem, ajunt, evenit Langobardis. Vera enim fatentem te absit ut nostra cælemus. quare cùm interire has gentes noluerit Deus, ideoque arcendo prælio salutarem utrisque formidinem immiserit, sequamur quod Deo visum est, & ab hoc bello discedamus. Esto, inquit Thorisin: nec mora, quin biennii induciæ fierent, ut medio tempore commeantes inter se primores, aut per internuntios, quæ disceptata hactenus fuerant, radicitus tollerent. sic tunc alii ab aliis discessere. Sed cùm ne per has quidem inducias transigi controversa potuissent, rursus bellum parabatur: vimque Romanam metuentes Langobardi, quæ ad Gepidarum Societatem videbatur se inclinare, Hunnorum auxilia circumspectabant. Missis igitur ad principes Cutrigurorum, qui citra Mæotidem paludem sedes habent, oratum ut in belli hujus partem sibi advenirent; accepere ab his duodecim hominum millia, tum aliis ductoribus, tum Chinialone viro belli laudibus eximio. Sed horum celerem præsentiam gravati Barbari, nondum instantibus præliis, cùm ad induciarum finem annus etiam nunc superesset, auctores eis sunt, interim terras Imperatoris incursent, dum suam ipsi occasionem exspectant temporariam ipsis injungentes operam Romanorum damno. Cumque Romani magna cum cura tum in Thracia tum in Illyrico Danubii transitus obsiderent, ipsi è suo solo Hunnos trans eum amnem posuere, inque Romanas effudere terras, ubi cuncta late popularentur. Ei malo remedium quærens Iustinianus, mittit ad Hunnorum Vturgurorum princi-

pes,

pes, ulteriorem colentes Mæotidos ripam, queriturque injustum esse eorum in Cutriguros otium, nisi factis iniquis accenseri non debeat amicos summis calamitatibus pressos spectare ac negligere. Quippe finitimi, ajebat, vobis Cutriguri, contemtis vobis, soliti annua Byzantio accipere magna, tamen injuriis in Romanos abstinere nolunt, quin fines eorum quotidie invadunt, vastantque, nulla in re læsi. At vos, ad quos neque lucrum inde ullum, neque pars prædæ redit, vexari Romanos alienum à vobis ducitis, idque veteres Romanorum amici. Hæc illis significari Iustinianus jusserat, additis & donis, & commemoratione eorum quæ toties acceperant, rogans ut in reliquias Cutrigurorum quam primum irruerent. illi, accitis in auxilium duobus millibus Gotthorum, qui ipsorum sedibus proximi Tetraxitæ vocantur, transiere Tanaim. Præerat eis Sandil magno ingenio bellique peritia, nec minore animi ac corporis robore. Vix amnem transgressi multis Cutrigurorum occurrunt, quibus vim fortiter repellentibus, tracta in longum pugna est. Tandem superiores Vturguri hostium plerosque occidunt: paucis fuga, quo poterant quisque, intenta saluti fuit: feminæ puerique à victoribus in captivitatem abducti. Dum hi Barbari, ut jam dixi, inter se depugnant, in ipso prælii æstu multis Romanorum prosperrima adfuit fortuna. Nam qui ipsorum à Cutriguris captivi habebantur, erant autem millia admodum multa, versis in sua pericula dominis non observati subduxere se, & insequente nemine reditum in patriam invenere, ac sic rei maximæ fructus ad eos pervenit ex aliena victoria. Tum vero Iustinianus Aratium ducem misit ad Chinialona, & Hunnos qui ipsi aderant, nuntiaturum quæ ipsorum in terris evenerant, additis & pecuniis quibus deliniti Romanis finibus excederent. illi cognita Vturguro-

gurorum irruptione, magnisque donis ab Aratio acceptis, pollicentur se, neque vitæ, neque libertati, neque rebus Romanorum nocituros, sed, ut per amicorum terras, pacato usuros transitu. Convenerat & hoc, ut si possent hi Barbari se in veterem patriam reponere, ibi manerent, fidi in posterum Romanis. Sin eo pertingere impedirentur, redirent in terras Romanas, donoque Imperatoris acciperent Thraciæ agros,in quibus habitarent ea lege, ut æternum federati Romanis essent, tutasque servarent eas regiones à quorumcunque Barbarorum incursu. Iam vero & Hunnorum qui ab Vturguris prælio victi diffugerant, duo millia cum liberis conjugibusque in Romanas venerant terras, ducibus & aliis & Sinione qui sub Belisario in Gelimerem ac Vandalos militaverat, Iustinianoque se mancupii jure addixerant. Atque is promte eos susceperat; jusseratque monstratis Thraciæ locis considere. Hæc ubi Sandil intellexerat rex Vturgurorum, indignum ratus, si cùm ipse Cutriguros consanguineos suos, Romanæ ultioni inserviens, patriæ finibus exturbasset, iidem Cutriguri Imperatoris munere Romanis in terris collocati beatius victoribus agerent, mittit ad Iustinianum legatos, qui acta hæc exprobrarent, non epistola ipsis tradita, literas enim nec fando Hunni novere, adeo nullam de iis artem aut didicere ipsi aut liberos docent, sed barbarum in morem jussos enuntiare quæ mandata acceperant. Hi, ut ad Imperatorem perducti sunt, verba regis Sandilis, ita quasi perscripta essent referunt. Vetus proverbium puero auditum mihi, tenace memoria servo. Ait id proverbium, Lupo mutari pilos interdum animum nunquam. Interpretabantur qui mihi id tradiderunt senes, obliquo hoc sermone res hominum notari: Est & quod per me usu didici eorum ex genere quæ facile discat educatus in agris Barbarus. Pastores

catulos lactantes adhuc tollunt, multaque cum cura domi nutriunt. Fidum quippe altoribus animal canis, & beneficii accepti memor. Sumunt hanc operam pastores, ut, ſi quando lupi irruerint eorum, latrocinantium vim depellant canes, ovibuſque auxilio ſint & ſaluti. Puto per omnes terras idem fieri. Nemo enim, arbitror, vidit aut canem gregi inſidiantem, aut lupum auxilio venientem gregi. Leges nimirum has tum lupis, tum canibus ipſa tulit natura. quin & in tuo regno, credo, ubi multa rerum omnium, etiam vix credibilium eſt copia, nihil de eo variari. Aut ergo, ſi aliter eſt, docete id, quæſo, legatos meos, ut vel in ultima ſenectute aliquid addiſcamus novi: aut ſi ubique conſtat ſibi in eo quod dixi natura, non recte Cutriguros ſumis hoſpites, contagione nocituram viciniam, & quos non pertuliſti externos, eoſdem domeſticos facis: illi quippe non multo pòſt in Romanos vetus oſtendent ingenium. Ad hæc neque hoſtis unquam deerit Romanas terras qui incurſet, ſpe futurum ut quamvis victo melior apud te quam ante ſit locus; nec ſocius Romanis reperietur, qui obſtet illis terras populantibus, metu ne poſtquam victor bello evaſerit; victos cogatur cernere apud vos ſplendidius haberi, ſi nempe nobis in ſolo deſerto ac ſterili habitandum erit. Cutriguris autem licebit abundare frumento, vino ad crapulam uſque immergi, quoties velint mutare miſſus. Reſtat ut & balneis utantur, & aurea gerant ornamenta, errones, nec veſtibus careant tenuibus, aut pictis, auro illitis. Atque hi ſunt Cutriguri, qui Romanorum immenſam multitudinem vi captam in ſua tranſtulere, ubi eos nimirum ſervilia omnia pati fuit neceſſe, flagris ſcindi nullam ob culpam, occidi etiam credo, & ſi quid aliud Barbarorum fert ſævitia licentiam nacta victoris. At nos ii ſumus qui illos magno labore vitæque noſtræ diſcrimine,

mine, detractos de superbiæ fastigio, reddidimus fortunæ in qua erant geniti armorum nostrorum hoc fuit opus. quorum omnium & nos & illi contrariam, quam oportuit, vicem consecuti sumus, dum nos manemus in patriæ rebus duris, Cutriguri autem terrarum felici possessione illis æquantur, qui quod Cutriguris non serviunt nostræ debent virtuti. Talia Vturgurorum dixere legati. At Imperator eos omni comitate donisque solatus, non ita multo pòst dimisit. Hæc illis in locis gerebantur. Sub idem tempus Varnos inter & milites Brittiam tenentes insulam bellum ac pugna orta est, qua de causa dicam. Varni transdanubianus populus pertingit ad Oceani septentrionalia & amnem Rhenum, qui ipsos à Francis aliisque sedes Francis vicinas habentibus nationibus secludit. Omnes autem istæ ad Rhenum nationes suo quæque nomine censentur: at commune universis Germanorum vocabulum est. Brittia insula in eadem Oceani parte est, non procul à littore, ducentûm ferme stadiorum intervallo Rheni maxime ostiis objacens, Britanniam inter Thulenque medio positu. Nam Britannia ad occasum Hispaniæ ultimis obvertitur, à terra continente stadia non minus quater mille absita. At Brittia ad extima Galliæ, quæ Oceano alluitur, accedit, ab Hispania Britanniaque septentrionem versus semota. Thule quantum hominibus noscitur in supremo Oceani ad septentrionem recessu sita est. Sed de Britannia Thuleque & alibi egimus. At Brittiam insulam tres populi tenent ingenti hominum numero, suo quisque sub rege. Nomina populis, Angli, Frisones & cognomines insulæ Brittones. Tanta autem Sobolis felicitas est, ut quotannis inde multi cum uxoribus liberisque in Francorum transeant terras, qui illis dant incolendas regiones suarum desertas maxime. atque inde credi volunt Franci, ipsam quoque insulam ad se pertinere, sicut nuper cum Fran-

corum rex ex amicis ſuis Byzantium ad Imperatorem Iuſtinianum legatos miſiſſet, Anglorum quosdam iis addidit, famam imperii in eam quam dixi inſulam quærens.. Hæc de Brittia quæ dicerem habui. Varnis nuper imperaverat Hermegiſclus nomine, qui firmando regno Theudeberti Francorum regis ſororem conjugio ſibi ſociaverat, amiſſa nôn ita pridem quam habuerat uxore, filii unius matre quem moriens patri reliquerat, nomine Radigem. Ei puero pater virginem Brittia è gente deſponderat, cujus frater apud Anglos regnabat, magnamque ſorori dotem dederat. Forte Hermegiſclus cum Varnorum principibus per agros equitans avem vidit, eamque ſonorum crocitantem, ſive autem intellexit volucris ſonum, ſive aliunde edoctus, ominis iſtius finxit intellectum, omnibus qui aderant palam edixit, poſt dies quadraginta vitæ ſibi inſtare exitum, id ſibi avem prædicere. Deinde: ego, inquit, eam curam habens maximam, ut ſine metu in otio vivatis, affinitatem cum Francis junxi, ducta inde uxore: filio autem ex Brittia quæſivi matrimonium. Nunc vero cùm propinquam mihi mortem video, nullos ex ſecunda uxore habenti liberos, filium vero ad hunc uſque diem expertem nuptiarum, aperiam vobis animi mei cogitata. Ea ſi vobis in publicum utilia videntur, vos, ubi mortalitatem explevero, approbate & rata facite, quod Deus fortunet. Sic igitur exiſtimo conducere magis Varnorum rationibus Francos habere affines quam illos qui Brittiam inſulam habitant. Nam Brittii nobis ſe jungere, niſi ſero, idque magna cum difficultate nequeunt. Franci à Varnis medio tantum Rheno diſtant, cumque ſitu locorum vicini ſint, imperii autem magnitudine validi: tam commodare nobis quam nocere, utrumcunque voluerint, promtum habent. Nocebunt autem, niſi prohibeat affinitatis vinculum. Gra-

vis

vis enim per naturam hominibus quæcunque in vicino modum excessit potentia, & ad inferendas injurias parata. Neque enim deesse possunt præpollentibus quas in finitimos, quantumvis innoxios, obtendant bello causas. Hæc cum ita sint quæcunque à nobis sponsalium nomine Brittia virgo accepit, sibi habeat, spretæ conditionis suæ gentium ex jure solatium. Radigis apud novercam deinceps habitet, ut mos patrius jubet. Hæc postquam dixerat præsignificata die quadragesima fatum explevit. Filius ejus, ut in regnum successit, consilio virorum inter Barbaros eminentium, ultimam defuncti voluntatem implet, repudium sponsæ renuntiat, cum noverca commoratur. quæ ubi didicit sponsa Radigis, intolerans contumeliæ in ultionem tota ferebatur. Tanto enim honore pudicitia apud Barbaros colitur, ut femina, de cujus nuptiis actum est, etiamsi corpore sit integro, pro corrupta habeatur. Ante tamen amicorum suorum idoneos ad eum mittit, percunctatum cur ipsam dedecoret, non stupro à se, non re alia læsus. Id ubi nihil profecerat, viriliores ad curas versa, in bellum accingitur: navibusque contractis quadringentis, impositoque exercitu non minus millum centenûm arma qui ferrent, ipsa ducem se in Varnos præbet. Comitem sibi rerumque adjutorem sumserat fratrem, non eum qui regnum obtinebat, sed privatæ fortunæ alterum. Insulæ illius homines omnium quos novimus Barbarorum ad bella acerrimi, pedibus pugnas ineunt, equitatus adeo imperiti, ut etiam, quid sit equus, nesciant. Namque id animal ne ex imagine quidem norunt Brittii, ita ut credibile sit nullum unquam equum in ea visum insula. quod si quando eorum aliqui sive per legationem, sive aliud ob negotium ad Romanos veniunt, Francosve, aliasve gentes quibus equorum est usus, ibique ipsis equo vehi necesse est in-

 silire

ſilire in equum plane nequeunt, ſed alii eos attollunt inque equum imponunt, & ubi equitare deſierunt, iterum demiſſos humi collocant. Varni & ipſi omnes non equites ſunt, ſed pedites. Talis eſt Barbarorum illorum militia. At in ea de qua dicere cæperam claſſe, nemo erat vector, nautæ omnes, neque vero velis utentes, ſed remigio ſinguli miniſtrantes navigia. in continentem ut ventum eſt, virgo dux Anglis, caſtris bene munitis ad ipſa Rheni oſtia, ibi cum paucis reſedit, fratre miſſo in hoſtem cum toto prope exercitu. Varni eo tempore non procul Oceano atque iisdem Rheni oſtiis ſtativa habebant, quo cum veniſſent Angli, committitur prælium, infelix Varnis, quorum multi inter certandum periere, reliqui cum ipſo rege fuga ſe abſtulerunt. inhæſere eorum tergis quantum poterant pedites, & mox in caſtra reverſi ſunt. Eos reduces verbis aſperis objurgavit virgo, maxima in fratrem inſectatione, nihil actum exercitu tanto dicens, quamdiu vivus non adduceretur Radigis. itaque acerrimos ſuorum dilectos ex omni agmine mittit, id unum præcipiens, regem ut quovis modo captivum ſibi ſiſterent. illi dicto obedientes loca omnia diligenti inquiſitione obeunt, tandemque denſo latentem nemore inveniunt Radigem. Is ad ſponſam veterem adductus adſtitit tremens, mortem exſpectans, eamque non ſimplicem. illa vero præter ſpem ipſius, neque occidit eum neque ſævi quicquam admiſit: ſed exprobrans quod in ſe commiſſum fuerat, quæſivit qua de cauſa, contemta pactorum conventorum fide, aliam ſibi matrimonio ſociaſſet, cùm de ſponſæ pudicitia queri non poſſet. Captivus excuſationi patris juſſa ſtudiumque principum ſuæ gentis obtendere, ſupplicare, preces miſcere purgationi, in neceſſitatem transferre culpam, polliceri ſe cum ipſa victurum & quæ inique fecerat ſanaturum pænitentia.
Puella

Puella hæc probante, exſolvitur vinculis, comiterque habitus dimittit Theudeberti ſororem, & illam prius pactam rite uxorem capit: Eandem Brittiam inſulam jam olim qui habitaverant, muro exſtructo in longum procedente, prope omnem interſecuerant, parteſque fecerant, diverſas ipſo etiam ſoli cælique ingenio. Nam quæ à muro ſolem ſpectant orientem, aëris mediocritate anni tempeſtatibus ſatis reſpondent, calentia æſtate, frigida hyeme: vivuntque ibi homines plurimi ad morem hominum aliorum: arboreſque ſtatis temporibus fructus & quidem pulchros edunt, nec pecudes alibi lætiores: tum vero aquis regio ubertim irrigua eſt. Ad occaſum cuncta contraria, ita ut per ſemihoram vita ibi duci nequeat. Viperæ ac ſerpentes alii & nata nocere animalia terræ incubant. Addunt, quod maxime mirum, qui in proximo nati ſunt, ſi quis murum tranſeat, eum exſpirare continuo, cœli peſtilentis vi inſuperabili: quin & animantia eo ſi transferantur interire. Cùm in hæc loca narrationis me ſeries perduxerit, auditionem quandam à fabulæ ſpecie non alienam, omittere non auſim. Apud me quidem ea quanquam pluribus hominibus, qui viſu ſe atque auditu ſuo percepiſſe rem dicunt, teſtata, fidem non invenit: neque tamen ſubticenda viſa eſt, ne de Brittia ſcribens famam ſubeam ignorantis ea quæ ibi ſunt celebratiſſima. Dicunt igitur mortuorum animas in Brittiam perpetuo deportari ad eum quem dicturus ſum modum, ſicut ſerio admodum narrantes illorum locorum homines audivi, quanquam mihi ad naturam ſomnii accedere quæ illi referebant videbantur. in littore inſulæ alterius, quæ Brittiæ objacet, vici ſunt magno numero habitati partim piſcatoribus, partim iis qui agros colunt, partim iis qui cum Brittiis mercatum exercent, Francorum quidem ſubditi imperio, ſed ita ut à tributis immunes vi-

 vant,

vant, remiſſo eis pridem eo onere ob miniſterium quod ipſis incumbit, quod quale ſit dicam. Ajunt ſibi per vices injunctam animarum travectionem. Ad quos igitur nocte imminente labor circuitu redit, ii domum abeunt, dormituri donec veniat operæ exactor. Intempeſta nocte impulſas fores ſentiunt, ſimul claram audiunt vocem qua ad opus excitantur. Tum ſine mora ſurgunt de ſtragulis, & ad littus ſe conferunt, ignari quidem quæ ipſos eo impellat neceſſitas, neceſſitate tamen ducti. ibi paratas vident naves actuarias hominum vacuas, non ſuas quidem ſed alias, quibus conſcenſis remigare incipiunt, ſentiuntque gravari naves vectorum onere, ita ut deſcendant in aquas ſumma latera & ea pars qua remi tranſeunt, neque digiti unius latitudine aquis exſtet navigium. ipſi neminem conſpiciunt, ſed horæ unius remigatione attingunt Brittiam, cùm, ſuis ſi utantur navigiis, remiſque non velis trajiciant, ægre die nocteque tota conficiant idem ſpatii. In Brittiam ut advenerunt, depoſito onere ſtatim levari actuarias ſentiunt, deque aquis aſſurgere, ita ut ſola prope puppis merſa maneat. Neque vero quenquam hominem vident aut navigantem ſecum, aut de nave exſcendentem, ſed vocem audiri ſibi ajunt quandam, ſignificantem qui cum ipſis navigarint, expreſſis etiam honorum ſi quos geſſere vocabulis, & paterno nomine: & ſi mulieres ſint una vectæ, additis & maritorum nominibus quorum in matrimonio vixere. Hæc ſunt quæ homines illis in locis nati memorant. Ego quod interruperam repeto. Bella quidem aliis in terris ita ut dixi proceſſerant. Gotthicum vero bellum hunc ſe habebat in modum. Beliſarium accitum, ut alias dixi, Byzantium, in honore habuit Imperator. cæterum ne Germano quidem mortuo mittere eum in Italiam voluit, & quanquam prætorio orientis præfectum, ſpecie mandati ipſi impe-

imperii in eos qui Principis corpus custodiunt, Byzantii detinuit. Erat autem dignatione primus Romanorum omnium Belisarius, quanquam alii prius tempore & Senatui adscripti fuerant & consulatus adepti: nam & hi concedebant Belisario, neque contra tantæ virtutis majestatem jure quod lex indulgebat niti audebant: atque idipsum Imperatori valde placebat. At Vitaliani Iohannes hyemabat Salonis, quem opperientes qui in Italia erant Romanorum duces, tempus trahebant inutile. Et jam finiebat hyems unaque annus sextusdecimus belli ejus quod Procopius descripsit. Anno novo ineunte, constituerat idem Iohannes Salonis degredi, & quam primum in Totilam Gotthosque ducere exercitum. sed vetuit Imperator, jussitque eum subsistere, donec Narses spado adveniret, cui summam belli mandaverat. Quæ in id causa Imperatorem moverit, certo cognitum nemini. est enim is Imperator, ut consilia ejus, nisi ipsius voluntate, assequi nemo possit. Verum quid conjectando homines tum dixerint, explicare non pigebit. In mentem Iustiniano venerat, cæteros Romani exercitus duces Iohannis imperia detrectaturos, quod ei de dignitate quicquam nollent concedere: atque inde metuebat, ne diffidentes consiliis aut per invidiam malitiosi, publicum bonum perverterent. sed & aliud quid audivi cum Romæ agerem, ex viro Romano Senatorii ordinis. Ajebat is quo tempore Italiam tenebat Atalarichus Theuderichi filia genitus, gregem boum flexo in vesperam die venisse in Forum Pacis quod dicitur, juxta Pacis templum quod fulmine jam olim ictum nunc quoque conspicitur. Ante id forum fons vetus est, cui instat bos ænea Phidiæ Atheniensis aut Lysippi, ni fallor, opus. multa enim illorum artificum opera in eo loco apparent, unum etiam Phidiæ subscriptum gerens

 nomen

nomen: eſtque ibidem & Myronis illa bucula. Magnum enim ſtudium Romanis jam olim fuit Græciæ decora in ſuam urbem transferre. idem ille ajebat taurum caſtratum ab armento derelictum veniſſe ad fontem: ab eo inſcenſam bovem æneam. Prætereuntem tum forte Thuſcum hominem, agreſtem quantum apparebat, ex hoc ſpectaculo ſumta divinatione, (ſunt enim vaticini plerique Thuſcorum) dixiſſe futurum ut qui Romæ regnaret à Spadone vinceretur. Ac tunc quidem & Thuſcus ille & effata ejus irriſa ſunt. Mos enim eſt hominum ante eventa præſagitiones in ludibrium vertere, dum nullum eſt documentum quo refellantur, quia res ipſa nondum exſtitit, & quod dicitur ejuſmodi ſæpe eſt, ut riſum facilius quam fidem inveniat. Nunc vero omnes rei exitu victi ominis interpretationem illam admirantur. Forſan & inde factum eſt, ut dux in Totilam Narſes mitteretur, ſeu mens Imperatoris id quod futurum erat conjectabat, ſeu quod fato viſis fortuna præbebat miniſterium. Narſes igitur magnis militum, nec minoribus pecuniæ copiis, ab Imperatore inſtructus, in viam ſe dat. ſed cum & ipſe & comites ejus in mediam veniſſent Thraciam, Philippopoli reſtare coactus eſt, itinere interrupto. Hunnicum agmen in terras Romanas ſe infuderat, cunctaque agebat pro libidine, opponente ſe nemine. ſed cum horum Theſſalonicam alii, alii Byzantium petiſſent, ſic tandem liberatus, itineri inſtitit. At dum Iohannes Narſetem opperitur, Narſetem Hunni morantur, Totilas adventu Narſetis intellecto hæc agit. Romanos complures, etiam Senatorii quosdam ordinis Romam mittit, parte eorum alia Campaniæ intra fines retenta. Eis quos miſerat præcipit, Romæ ut quantam poſſent curam gererent, velut pœnitentia ductus eorum quæ in urbem egerat, cum pleraque ejus, & Tranſti-
berina

berina maxime, incenderet. At illi, qui in captivorum essent fortuna, rebus suis spoliati omnibus, ne privatæ quidem rei quicquam, nedum publicæ, tractare poterant. Alioqui gentium quas novimus Romani patriæ sunt amantissimi, omnique studio res urbis tutantur atque custodiunt, ne quid veteris gloriæ Romæ decedat. Nam cum tanto tempore sub Barbarorum potestate fuerint, publica ædificia præstiterunt incorrupta. Etiam quæ ornatui sunt pleraque contra tot sæculorum injuriam & dominantium negligentiam, ingeniorum reverentia servavit. Primæ quin & originis monumenta durant, in quibus Æneæ navis, quem gentis suæ conditorem Romani vocant, in hunc diem non sine admiratione conspicitur. Media enim urbe facto in ripa Tiberis navali collocatam ab immensæ antiquitatis usque temporibus incolumem ostendunt. quæ qualis sit, visu ipso edoctus expediam. uno est remorum ordine, oblonga. nam pedes in longitudine habet centum & viginti, patet in quinque & viginti, in altum erecta quantum remigii ratio patitur. Neque vero aut glutine aut ferri ope cohærent ligna, sed uniusmodi sunt omnia, supra quam fando exprimi aut percipi audiendo possit, qualia nusquam alibi extra hanc navem visa sunt quantum nobis noscitur. Ipsa alvus simplex à puppi ad proram pertingit, paulatim, quod mireris, primum in curvaturam assurgens, deinde rectam se attollens prout usus exigit. Costæ vero crassæ injunctæ alveo à latere navis ad latus alterum perveniunt. hæ quoque à summa parte utraque leniter subsidentes flexu pulchro se cum in modum demittunt, ut cavo navis sua constet forma, sive ipsa natura ad necessitatis dimensum ligna in curvaturam abrupit, sive manu & instrumentis statuminum obliquitas ita ut oportebat efficta est. Tum vero tabulatum quoque à puppe ad proram

proram ſe extendit, ſimplex & hoc, clavis ferreis in id tantum confixum ut coſtis cohærens tectum efficiat. Ex his partibus navis conſtans ſpecioſior eſt quam ut verbis digne depingi poſſit. quippe operum miranda ipsâ ſui naturâ difficilia hominibus ſunt explicatu: quantumque res cerni ſolitas artificii præſtantia vincunt, tantundem orationis vim ſuperant. Ad hoc lignorum quæ dixi nullum aut putruit, aut cariem oſtendit, ſed quaſi modo fabricata eſſet navis ad noſtram ætatem, quod & ipſum miraculi ſpeciem habet, manet incorrupta. Et hæc de navi Æneæ obiter dicta ſunto. At Totilas naves longas trecentas Gotthis implet, eosque in Græciam ire jubet, & populationibus quam late poſſent graſſari. Hæc claſſis, donec ad Corcyram, Phæacum olim inſulam, perveniret, tranſiit innoxia quod à freto ſiculo, ubi eſt Charybdis, Corcyram usque nulla occurrat inſula hominibus habitata. itaque ego cum ſæpe illac navigaverim incertus hæſi, ubi illa eſſet Calypſus inſula. nam in omni hoc mari nullam conſpexi inſulam, niſi tres à Corcyra ferme trecenta diſſitas ſtadia, vicinasque inter ſe, modicas admodum, nullo ad hominum animantiumve uſus tecto, nulla re alia inſtructas. Othonæ vocari ſolent. Suſpicetur aliquis hic habitaſſe Calypſo, atque inde Vlixem brevi trajectu, ſive rate ut Homerus ſcribit, ſive alio modo, cum nave deſtitueretur, Corcyram adveniſſe. Hæc ita conjectare liceat. nam vetuſtas narrationes ad exactam veritatem redigere, haud facile eſt, quando longa ætas, non locorum tantum nomina, ſed & quæ de iis ſunt tradita plurimum ſolet immutare. Exemplo ſit, quod navem quæ alto ex ſaxo facta in littore ſtat Corcyræ, illam eſſe nonnulli exiſtimant, qua Vlixes, cum hoſpitio à Phæacibus exceptus eſſet, in Ithacam travectus eſt. Atqui non uniuſmodi id navigium eſt, ſed ex multis

co-

coagmentatum lapidibus, & inſculptæ literæ manifeſto indicant mercatorum quendam olim id monumentum ſacraſſe Iovi Caſio. namque hoc cognomine Iovem venerari illorum locorum homines ſolebant, ipſumque oppidum in quo ſtat ea navis nunc quoque nomen habet Caſiope. Eundem in modum compluribus ex lapidibus navis illa compacta eſt, quam Agamemnon Atrei filius in Eubææ Geræſto Dianæ dicavit, ſic quoque ei de injuria ſatisfaciens, quo tempore poſt mactatam Iphigeneam navigandi Græcis facultas à Diana conceſſa dicitur. idque ipſum teſtantur verſuum literæ aut tunc aut ſerius inciſæ, ſed vetuſtate partem magnam evanidæ, niſi quod initium apparet quod ex Græco Latine ſic reddi poteſt,

Hæc eſt nigra ratis donum majoris Atridæ,
Cùm dedit in ventos claſſis Achiva ſinus.

In fronte eſt: Tenichus fecit Dianæ Boloſiæ: ſic enim ex veteri vocabulo partum ſignificante dicebatur quæ nunc Ilithyia. ſed me unde digreſſus fueram, tempus eſt redire. In Corcyram Gotthi claſſe ut venerant, tum ipſam curſim diripiunt, tum propinquas inſulas, quæ Sybotæ vocantur. Mox & in continentem transgreſſi, ſubito quæ circa Dodonam ſunt, populantur, Nicopolim maxime & Anchialum, ubi Anchiſen mortuum, cum capta Ilio una cum filio Ænea profugus navigaret, atque inde oppido factum nomen, indigenæ memorant. oram inde obeuntes naves Græcorum obvias oneraque navium capiunt, in quibus fuere & illæ naves quæ Narſetis exercitui commeatum ex Græcia ferebant. Et hæc quidem illis in partibus gerebantur. Non paullo ante in Picenum miſſus à Totila Gotthorum exercitus in Anconæ obſidium fuerat, cui præerant Scipuar, Gibal & Gundulf (hunc Indul vocabant mollius alii) Beliſarii quondam ſatelles. Aderant naves

ſeptem

ſeptem & quadraginta ut, oppido terra ſimul marique circumcluſo, certior eſſet faciliorque victoria. Tracto diu obſidio, cæperant qui in oppido erant multarum rerum quibus vita indiget penuria vexari. quod ubi Valerianus Ravennæ tum agens didicit, ſolus Romanis qui Anconæ erant opem ferre non ſufficiens, ad Iohannem ſorore Vitaliani genitum qui Salonis morabatur hæc ſcribit. Vna nobis in ora maritima Ancona reſtat, ut noſti, ſi tamen nunc quoque reſtat. Tam enim ſunt miſeræ Romanorum, qui ibi circumſedentur res, ut multum metuam ne ſerum adferamus auxilium, ſitque noſtra vel maxima nunc feſtinatio neceſſitate poſterior, & rem tentemus cujus tempora effluxerint. ſed manum abſtineo. nam mala quæ obſeſſi tolerant, produci epiſtolam non ſinunt, totos nos in ſe avocantia. tale quippe periculum eſt, cui, ſi fieri poſſit, remedium verbis celerius adhiberi debeat. His Iohannes lectis, quanquam Iuſtinianus interdixerat, ſe auctore ire auſus eſt, obſequendum potius cenſens fortunæ adeo præcipiti, quam Principis imperio. Adſumtis igitur viris quos bello maxime idoneos rebatur, cum eis naves longas octo & triginta impleſſet, ad citam navigationem pugnamque maritimam optime factas, impoſitis & rebus itineri belloque neceſſariis, à Salonis profectus non longe Ancona appellit. Paullo poſt eodem duodecim cum navibus adeſt Valerianus. conſultatoque in medium, multumque expenſis quæ præſens utilitas exigebat, inde digreſſi interiora Adriæ petunt, exſcenſumque faciunt ad Senam Gallicam, non longe Ancona. quo Gotthi comperto, naves longas & ipſi ad ſeptem & quadraginta Gotthorum potiſſimis complent, & reliquo milite ad continuandam obſidionem relicto, in hoſtem vadunt. obſidentibus Scipuar præerat, navigantibus Gibal & Gundulf. Vt hoſtiles inter ſe claſ-

ſe claſſes propinquarunt, inhibuere utrique, contractisque navibus hortari milites cæpere, prioresque Iohannes & Valerianus ſuos hunc in ſenſum ſunt allocuti. Nemo veſtrum commilites de Ancona tantum & incluſis ibi Romanis agi exiſtimet: non hac ſtabit pugnæ hujus exitus: ſumma belli, ut verbo rem dicam, vertitur in hoc certamine, & utrocunque cadet ſors prælii, eodem ſe dabunt fortunæ ultima. Videtis quantum in re bellica momentum annona habeat, ita ut vinci neceſſe ſit quibus neceſſaria parce ſuppetunt. Non ſolet famem virtus comitari, neque fert natura ut fortiter agat inanis venter. Hæc cum ſic ſe habeant, ecce nihil nobis ab Hydrunte Ravennam usque muniti relictum eſt ubi nobis cibi, equis pabula reponantur. ita valide terram omnem hoſtes tenent, ut ne unus quidem nobis relictus ſit locus amicus, unde vel ad breve tempus advenire nobis commeatus poſſint. In Ancona ſpes tota eſt, quo & ſocii ex adverſa ora appellere poſſunt, & ibi tutam habere ſtationem. Quare ſi hodie feliciter pugnamus, & Anconam, quod ſequitur, ſervamus Imperatori, cætera quoque belli in Gotthos in ſpe bona habebimus. ſi contra nos eventus eſt prælii, parco quidem male ominari, ſed Deum precor, diuturnum eſſe Romanis velit Italiæ imperium. Tum vero & illud cogitandum vobis, ſi hoc tempore ſegniter nos gerimus, ne fugam quidem ſupereſſe. Non terra patebit inſeſſa ab hoſtibus, non navigandi erit copia, mare tenentibus Gotthis. In his manibus ſalus omnis ſita eſt: prout nunc erunt actus noſtri, ita illa nobiſcum erit, aut nos deſeret. Nunc ergo, ſi unquam, viros vos oſtendite, pro certo habentes, ſi in præſens vincimini, eam poſtremam cladem fore; ſi vincitis, beatam vobis in poſterum vitam cum gloria dari. Iohannes & Valreianus talia dixerant: Gotthis vero ſui

duces

duces hæc adhibuere incitamenta. Quandoquidem omni Italia pulsi, multoque tempore nescio quibus terrarum aut pelagi latebris occultati homines nefarii audent se tandem nobis ostendere, velut retentaturi Martis aleam, nostrum est illam ex ignorantia sui nostrique ferociam vi omni reprimere, ne, siquid pigrescimus, temeritas ipsorum in majus procedat. Nam stolida audacia, ni ipso sui initio sufflaminetur, in immensum ruit, insanabili sæpe eorum in quos inciderit malo. Quamprimum igitur eos docete, Græculos esse ipsos & ingenio imbelles, superbos tamen etiam fractis jam viribus, neque sinite tentamenta ipsorum ultra progredi. Ignavus quamvis animus ex hostili negligentia libertatem sibi sumit, deinde ex successibus magis magisque expergiscitur. Diu illos ubi nobiscum concurrerint, fortiter facturos ne credite. Nam majores illi quam pro viribus spiritus ante discrimen exsultantes vigent: ubi ad rem ventum est, detumescunt. Id ut sciatis, reminiscimini, quo antehac eventu hostes virtutis vestræ periculum fecerint: deinde cogitate, non subito factos fortiores illos adversum nos venire, sed sicut paria prioribus audent, ita & priori parem ipsis imminere fortunam. Hæc elocuti Gotthorum duces occursant hostibus, statimque pugnam ineunt. Acre fuit navale hoc, pedestrique propius prælium. Cum enim frontibus adversis naves rostris inter se infestis constitissent, non tela tantum jacta utrinque, sed quibus erectior virtus, contigui consertique de tabulatis pugnabant hasta, gladio, ut in campo fieri solet. Hæc primordia pugnæ fuerunt. Sed mox Barbari rerum navalium imperitia tumultuosius agere cæperunt: pars tantis inter se disjuncti intervallis, ut solos se assultandos hostibus præberent, pars ita conferti stipatique ut compressu navium alii aliorum officia impedirent. di-

ceret quis in fascem compactos esse malos. Neque aut missilibus hostes à se longius remotos impetere potuerunt, nisi sero, & tunc quoque ægre, neque commovere gladios aut hastas, ubi eos cominus sibi imminentes conspexerant: sed clamando trudendoque se invicem tempus terebant, dum modo cohærebant sociis navibus naves, modo contorum vi turbulente divellebantur, per angustias collisis rostris, nunc iterum magno intervallo diremtis, magna ex utroque noxa. hortabantur sibi quisque proximos, clamore horribili, non in hostem, sed ut ab aliis alii se amoverent. His laboribus impliciti inter se consiliique inopes facilem hostibus victoriam dedere. Nam Romani prælium fortiter, rem navalem perite administrantes, ita naves in frontem direxerant, ut neque nimium distarent, neque propius quam usus ferebat coirent, sed rationis modo & conjunctionem & intervalla servarent: tum si quam hostilium navium segregatam viderant, eam nullo negotio deprimebant. qua vero parte confusio hostium erat maxima, eo missilia ingerebant & mox irruentes in turbidos atque ex tumultu inter se collisos, manu stragem edebant. Fracti animis Barbari dum adversam sibi non fortunam tantum, sed semetipsos commissis in prælio erroribus experiuntur, neque vero movere navigia, neque in tabulatis ad modum pedestris pugnæ consistere valentes, quod periculosum maxime, quietos se abjecto certamine tenebant, & fortunæ, quicquid restabat, permittebant arbitrio. Tandem fessi malis quærunt abire, nullo ordine, non virtutis, imo ne fugæ quidem honestæ, aut ullius omnino rei memores: sed inter naves hostiles sparsim deprehensi. plerique hærent consilii inopes. alii undecim navibus arreptam fugam ad tuta usque loca pertulere. cæteri in manus venere hostium, quorum multos Ro-

 mani

mani ferro obtruncarunt: multos cum ipsis navibus mari mergunt. Ducum, Gundulf inobservatus cum undecim illis navibus effugit: alter vivus à Romanis captus est. qui in undecim erant navibus, cùm in terram descendissent, ignem immisere navibus, ne earum hostes potirentur: pedibus ipsi ad exercitum perrexerunt, cui Ancona obsidebatur, & narratis quæ evenerant, subito cum illis discessum parant, castraque relinquunt hosti occupanda, & cursu citato ac turbido Auximum, quod oppidum non longe aberat, se conferunt. Romani non multo pòst secuti castra inveniunt hostibus vacua, copiamque omnem alimentorum inde Anconam important, deinde navibus abeunt: Valerianus Ravennam: Iohannes Salonas unde venerat. Hoc prælium dici non potest quantopere & animos & vires Totilæ Gotthisque contuderit. In Sicilia eo tempore quomodo se res habuerint Romanæ, nunc expediam. Liberius Imperatoris revocatu Byzantium redierat: Artabanes, ita Imperatori visum, omnibus per Siciliam Romanis armis præerat: qui cum Gotthos non ita multos in ejus insulæ præsidiis reliquos partim obsedisset, partim ausos erumpere, vicisset prælio, egestatemque illis fecisset rerum omnium necessariarum, postremo omnes pactis in fidem accepit. Hujus rei nuntio Gotthi accedente ad navalis prælii recentem memoriam, mæsti ac spe ultima exuti belli curas projecere, dum cogitant se jam nunc tanto suo dedecore ab hostibus devictos prostratosque, si vel modicum quid incrementi Romanis advenisset, nullo modo, ne ad minimum quidem temporis momentum, posse aut obniti, aut in Italia consistere. Neque magis per legationes impetrare se quicquam posse ab Iustiniano sperabant. sæpius enim jam legatos Byzantium miserat Totilas, qui ad Iustinianum admissi, ostenderant Italiæ

liæ pleraque à Francis teneri: cætera vaſta bello, ſine hominum cultu. De Sicilia ac Dalmatia, quæ ſolæ reſtarent incorruptæ, paratos ſe decedere, easque permittere Romanis: Etiam pro deſerta illa terra vectigal ac tributum ſolvere quotannis, & in quos vellet hoſtes Imperator, ſocia arma ferre, eique & in cæteris obſequi. At Iuſtinianus nulla inquiſitione de iis rebus facta, remiſerat legatos, infeſtus Gotthico nomini, ac penitus eos extra Romanos fines proturbare cupidus. Hæc erant quæ illis in locis gerebantur. Non multo ante ex morbo fatis conceſſerat Theudebertus Francorum rex, cum Liguriæ pleraque & alpes Cottias, Venetiarum quoque potiſſima, nullo obtentu probabili, ſibi ſtipendiaria feciſſet. Aliorum namque bello deſtrictorum negotia ſuam in occaſionem vertere ſollertes Franci citra ſuum periculum rebus inter illos decertatis fruebantur. in Venetiis certe pauca oppida Gotthis manebant, maritima Romanis tenentibus, cætera ſuam ſub poteſtatem habentibus Francis. Dum Romani Gotthique, ſicut narratum ſupra eſt, bellant inter ſe tanta vi, ut novos hoſtes pati non poſſent, Gotthi Francique colloquiis rem eo perduxere, ut convenirent in has leges: quamdiu bellum Gotthi cum Romanis gererent, quæ tenerent utrique ea tenere aliis per alios liceret, nihilque inter ipſos hoſtile eſſet: Quod ſi Iuſtiniano Totilas ſuperior fieret, tum Gotthi Francique communem ad utilitatem res ordinarent. Hæc ſic inter eos placuerant. Theudeberto regni ſucceſſor fuit filius Theudibaldus, ad quem Iuſtinianus Leontium, Athanaſii generum, ſenatorii ordinis virum, legatum miſit. tum ut eum ad ſocietatem in Totilam & Gotthos invitaret, tum ut eum rogaret, ne reddere cunctaretur quæ per Italiam loca Theudebertus manentibus adhuc induciis vi invaſerat. Leontius ad regem ut

venit, ſic eſt locutus. Forte & aliis aliquid inexſpectatum accidit. quale vero à vobis in Romanos factum eſt, puto expertum neminem. Imperator Iuſtinianus non ante hoc bellum ſuſcepit in Gotthos, ne ſuſcipiendi quidem voluntatem prodidit, priusquam Franci, magno amicitiæ, ac federis accepto pretio, ſocios ſe in id bellum promiſiſſent: Franci vero, parum eſt quod pactis non ſtetere, ultro Romanis eas injurias intulere: de quibus ne ſuſpicio quidem cuiquam incidere poterat. Tuus enim pater Theudebertus terram invadere auſus eſt, jure nullo, quam Imperator multo labore, multoque periculo, cum longe abeſſent Franci, ſibi pepererat. ob id nunc ad vos venio, non querelas tamen aut criminationes adferens, ſed rogaturus vos moniturusque ea quæ vobis ipſis conducunt, nimirum ut bonam veſtram fortunam in tuto collocetis; Romanos autem ſinatis ſua habere. Nam quamvis validos ſæpe injuſta poſſeſſio, etiam non magnarum rerum, rebus maximis evolvit, quia una eſſe nolunt æqui contemptus & boni ſucceſſus. Deinde ut nobis hujus in Totilam belli ſitis adjutores ad implendam quam pater dedit fidem. Hoc enim veræ ſobolis eſt, ſi quid genitoribus peccatum eſt corrigere; quæ vero ab eiſdem cum officio facta ſunt, ea tueri, iis inſiſtere. quid enim hominibus prudentibus optandum magis, quam ut præclara ipſorum facta filii imitentur; ſi quid ſecus admiſſum eſt, id ne ab aliis potius, quam ab ipſorum filiis corrigatur. Vos vero etiam nec vocatos Romanis in hoc bellum adeſſe rationis fuerat. Cum Gotthis enim nobis res eſt, qui ab omni ævo inimici infidique Francis bella in eos geſſere implacabilia atque æterna. Hi nunc noſtri metu vobis blandiri non defugiunt. quod ſi quando à nobis liberati fuerint, ſuum in Francos animum brevi oſtendent. Pravi enim homines non ſecundis

cundis rebus, non adversis ingenium immutant, sed in mala fortuna id occultant, maxime si alienæ indigeant opis, cogatque eos utilitas præsens velare malitiam. His cogitatis redintegrate cum Imperatore amicitiam, hostes vero antiquos viriliter ulciscimini. Hæc elocuto Leontio sic respondit Theudibaldus. Nec quod rectum est, nec quod æquum, facitis, cum nostra arma in Gotthos invocatis. Sunt enim amici nunc nobis Gotthi. si in eos leves erunt Franci, ne vobis quidem fidi erunt. Quæ enim semel in amicos patuit mala mens, facile iterum atque iterum de recto tramite decedit. de quibus agitis terris, hoc dicam. Mens patri meo Theudeberto non fuit vim inferre finitimis, aut aliena invadere. Argumentum ejus rei videte: dives non sum. Neque illos agros Romanis abstulit, sed cum Totilas eos possideret, Totilæ concessu apertissimo eos accepit. Quamobrem Iustinianum oportuit gratulari Francis, sibi gaudere. quicunque enim rerum suarum raptorem ab aliis spoliari videt, habet unde lætetur spectaculo justissimæ ultionis in eum editæ, à quo ipse per injuriam læsus est, nisi in ultores sit invidus. Nam inimicorum jura tutanda suscipere partum esse invidiæ cuncti homines existimant. Nos vero parati insuper sumus hujus controversiæ disceptationem arbitris permittere, ut si quid patrem meum vobis eripuisse pareat, id sine mora à nobis restituatur. Et legatos qui eam conditionem ferant brevi Byzantium mittemus. Cum his dictis dimisit Leontium legatosque non distulit mittere ad Imperatorem quatuor, quorum unus erat Leudardus Francus gente, qui cùm Byzantium venissent, mandata sibi exsecuti sunt. Interea Totilas objacentes Africæ insulas flagrans invadere. classe parata, impositoque satis valido exercitu, Corsicam & Sardiniam peti jusserat. qui Corsicam advecti fuere, indefensam insu-

Iam ſtatim tenuerunt, mox & Sardiniam. Vtramque inſulam Totilas tributaria lege imperio ſuo addidit. Quod ſimul intellexerat Iohannes qui per Africam Romano exercitui præerat, vim magnam navium militumque in Sardiniam expedit. Hi prope Caralim oppidum pervecti, caſtris poſitis obſidionem moliuntur. Nam oppugnandis mænibus haud pares ſe exiſtimabant, quod valido Gotthorum præſidio defenſarentur. ſed Barbari perſpecto eorum conſilio erumpunt ex oppido, impetuque facto hoſtes facile fundunt, occidunt multos: cæteris primum in naves ſuffugium fuit: velis deinde factis cum omni claſſe Carthaginem redierunt, ibique egere hyemem, eo animo, ut appetente vere majore paratu Corſicam Sardiniamque repeterent. Sardiniam Sardo Græci vocant, Corſicam vero Cyrnon veteres dixere. In Sardinia herba naſcitur qua homines guſtata diductionem muſculorum patiuntur. ea cum exitialis ſit ipſis, riſus tamen quandam præfert ſpeciem, qui Sardonicus ab inſula dictus in proverbium abiit. In Corſica pumiliones naſcuntur, & equorum greges pecorum magnitudinem vix excedentium. Et iſta quidem ſic ſe habent. At Slavorum immenſum agmen in Illyricum cum ſe injeciſſet, incredibili immanitate iis in locis graſſabatur. Adverſus eos exercitum miſit Iuſtinianus, cui duces tum alii præerant, tum Germani duo filii. ſed hi cognitis hoſtium viribus multo majoribus, prælium auſi nuſquam ſunt, contenti tergis Slavorum inſiſtere, & ſi qui eorum relicti ab agmine eſſent, partim interficere eos, partim captivos factos mittere ad Imperatorem. Nihil id impediit barbaros, quo minus peſſime haberent indigenas locorum; & diu tracta populatione, cum vias omnes mortuis impleſſent, homines innumerabiles egiſſent in captivitatem, vaſtaſſentque omnia, obſtante nemine,

mine, domum redirent præda graves. Nam ne tum quidem, Danubium cum transirent, aut ex insidiis aut vi eos adoriri valuere Romani, quando Gepidæ eos mercede conducti tutandos trajiciendosque susceperant, non modico æstimatos: in capita enim stater aureus pretium convenerat. Dolens Imperator, quod videret non esse posthac suæ potestatis prohibere barbaros, quo minus transmisso Danubio Romanas terras diriperent adeo facili certoque reditu, cum Gepidis pangendum sibi fedus censuit. Interea Gepidæ Langobardique inter se in bellum exarserant. Gepidæ Romanam vim exterriti, neque eos latebat societatem Iustiniano cum Langobardis etiam jurejurando sancitam, optabant in amicitiam fedusque à Romanis recipi: quare nihil morati legationem Byzantium mittunt, ut ab Imperatore pacta socialia impetrarent. Nec ille difficulter annuit postulatis, fidemque dedit, non solitam modo, sed & addito legatis id precantibus ut de senatu duodecim suo insuper juramento conventa firmarent. Non multo post tempore Langobardis, ex federe id poscentibus, exercitum auxiliarem in Gepidas misit Imperator, causam dissidii in Gepidas hanc adferens, quod diceret Slavorum aliquos Gepidarum opera transiisse Danubium, idque in fraudem rerum Romanarum. His auxiliis præerant Iustinus & Iustinianus, Germano nati patre, præterea Aratius & Suartual, qui ab Iustiniano præpositus quondam Herulis, cum in eum irruissent à Thule qui venerant novi hostes, de qua re alibi diximus, ad Imperatorem refugerat, atque ab eo factus fuerat præfectus agentium Byzantii cohortium. Præter hos Amalafridas, Amalafridæ ex filia nepos ejus quæ soror Theuderichi Gotthorum regis fuerat, filius autem Hermenifri Thuringorum principis, quem una cum Vitige Byzantium abduxerat Beli-
 sarius,

ſarius, at Imperator Romanis militibus ducem dederat, ſororemque ejus Audovini Langobardorum principi deſponderat. Verum ex tanto auxiliari exercitu, præter Amalafridam eique ſuppoſitos milites ad Langobardos nemo pervenit. cæteri in oppido Illyrici Vlpiana juſſu imperatoris hæſere, ob ſeditionem inter indigenas exortam, ex illis quæ inter Chriſtianos diſputari ſolent, de quibus agam libro ſingulari. Cum Amalafrida itaque gens tota Langobardorum in Gepidas it bellatum, quibus obviis prælio congreſſi, tam feliciter pugnarunt, ut non modo victi ſint Gepidæ, ſed & pars magna interfecti. Rex Langobardorum Audovin, de domo ſua quibuſdam Byzantium miſſis, proſpero quidem Iuſtinianum affecit nuntio devictis hoſtibus; ſed ſimul queſtus eſt non adfuiſſe ei ſocialem Imperatoris exercitum, cùm tam multa nuper Langobardorum millia iviſſent opitulatum Narſeti contra Totilam & Gotthos. Hæc erant quæ illis in locis agebantur. Eodem tempore motu terræ gravi admodum Bæotia, Achaia & quæ Criſſæo ſinui adjacent quaſſata ſunt. neque tantum vici plurimi conſedere ea peſte, ſed & oppida octo, in quibus Chæronea, Corone, Patra totaque Naupactus, ingenti hominum pernitie. multis quoque in locis hiavit terra: atque alibi quidem quæ diducta erant in ſe redeuntia veterem terræ ſpeciem reddidere. alibi manſit fiſſura, ita ut convenire inter ſe homines niſi longo ambitu nequirent. Ad hæc ſinus maris qui Theſſaliam Bæotiamque inter curvatur, ſubita eluvione, ad oppidum quod Echinæorum dicitur, & Bæotorum Scarpheam, late ſuperfuſus terris, multa ædificia ſubito dejecit. Nec parum fuit temporis quod in continenti detentum eſt mare, ita ut homines pedibus accederent eas quæ intra illum ſinum ſunt inſulas, dum undæ deſerta ſede propria incumbunt terris, adeo præter ſolitum ut

ad

ad montes juxta editos pertingerent. At postquam recepit se pelagus, relicti in terris pisces specie incognita pro monstris habebantur: quorum corpus omne, cùm coquere eos vellent qui edules crediderant, calore ignis contactum in putredinem fœdamque saniem diffluxit. Tum vero ad eum locum, qui ex eo quod narravimus Hiatus dicebatur, accedens terræ concussio majorem hominum stragem quam usquam in Græcia edidit, maxime festo quodam die. Nam convenerant ut eum celebrarent plurimi ex omni Græcia homines. Iam ad ea quæ in Italia gerebantur, redeo. Crotoniatæ & qui sub Palladio præfecto præsidium ibi habebant milites, gravi à Gotthis pressi obsidio, rerumque inopia quas vita desiderat, sæpe clam hostes in Siciliam miserant obtestatum Romanos duces eam tenentes insulam, ante alios Artabanem, sibi ut subvenirent: quod ni fieret, facturos se mox quod maxime nollent, ut se oppidumque potestati permitterent hostium. Neque tamen quisquam illis opitulatum venit. Iamque hyems exibat & annus septimus & decimus belli quod describendum sumsit Procopius. At Imperator, cum Crotonis statum didicisset, in Græciam mittit, jubetque eos qui Thermopylarum fauces servabant ire sine mora in Italiam, vique omni subvenire Crotone obsessis. Nec secus illi fecere. Velis quippe continuo factis, ventum nacti ferentem, inopinati plane ad portum Crotoniatarum appulere. Barbari superventu classis tam non exspectato exterriti, turbate admodum ab obsidione discedunt, aliique in Tarentinum portum navali fuga dilabuntur, alii terra se ad montem Scyllæum recipiunt. Hoc casu multo magis quam ante dejecti Gotthorum animi: atque ex eo Ragnares, qui clarus inter Gotthos Tarenti præsidio præerat, & Morras qui Acheruntida custodientibus erat impositus, voluntate suorum mili-

tum cum Pacurio Peranio (is Romanos Hydrunte qui erant regebat) colloquia miſcuere ut de ſua ſalute fide accepta ab Iuſtiniano Imperatore, Romanis ſeſe militemque & loca ſuæ cuſtodiæ permiſſa traderent. Super his pactis conſultatum it Byzantium Pacurius. At Salonis profectus Narſes in Totilam Gotthoſque ibat omni cum exercitu, magno imprimis. ſatis enim multas ab Imperatore pecunias acceperat, unde & copias ingentes conſcriberet, & quæ bello neceſſaria pararet, præterea veteri per Italiam militi quæ debebantur exſolveret. Tardum enim nomen factus erat Imperator, multo elapſo tempore quod militi ex publico ſtipendia de more nulla proceſſerant. Sperabat ex eadem pecunia vinci poſſe animos eorum qui ad Totilam perfugerant, ut commodis deliniti mutatæ fidei pœnitentiam oſtenderent. Negligentiam enim ſuam, qua nimis diu in bello hoc adminiſtrando uſus fuerat Iuſtinianus, poſtremum egregiis paratibus correxerat. Narſes quippe imperium belli ad ſe derivari videns, dignam duce curam ceperat, clare edicens, non aliter in hoc ſe Imperatori pariturum, niſi vires ſibi tanto operi neceſſariæ ſuppeditarentur. Sic ab Imperatore nactus militem & arma pro dignitate Romanæ rei, ipſe ſtudii impiger, exercitum magnificum confecerat. Nam præter quos magno numero Byzantio éque omni Thracia adducebat, multos ex Illyrico collegit. Iohannes præterea & cum ſuo milite & cum eo quem ſocer ipſi Germanus reliquerat, ipſi ſe addebat. Præter hos Audovin Langobardorum rex, tum federe ſociali, tum pecuniis ab Imperatore Iuſtiniano in id adductus, dilectos è ſuis bello egregios bis mille quingentos, auxilio ei miſerat, quos miniſteria ſequebantur, non minus tria millia, idonea & ipſa præliis. Ex Herulorum vero gente tria millia Narſeti ſe adjunxerant, equites omnes, quibus duces

duces & alii & præcipuus Philimuth: Hunni deinde magno numero: & cum suo comitatu Dagisthæus ob id ipsum è vinculis dimissus: & Cabades Persas secum transfugas permultos trahens, Zami filius, Cabadis nepos Persarum regis, quem in libris antehac editis narravi Chanarangis ope, cum infensum sibi Chosroem patruum effugisset, pridem in Romanas venisse terras. Iam vero & Gepida adolescens Asbadus nomine, manu egregius, quadringentorum popularium, militia spectatorum, ductor ei aderat: & Aruth gente Herulus, sed qui à prima ætate inter Romanos vivere elegerat, & uxorem Romanam duxerat, Mauritii Mundi ante conjugem, ipse strenuus imprimis & multos ducens Herulos virtutis per multa pericula cognitæ. Iohannes etiam Phagas qui dicebatur, memoratus nobis alibi, quem Romanorum manus & ipsa præliis optima sequebatur. Erat Narses largus & indigentibus bene facere promtissimus, magnaque apud Imperatorem pollens gratia ob id quæ volebat securius exsequebatur. Multique plane tum duces tum milites jam ante ipsius meritis obstricti erant. Cum ergo dux belli dictus esset in Totilam & Gotthos, omnes ad ejus militiam alacres decurrebant: alii ut vicem rependerent benefactis, alii, ut fieri solet, exciti exspectatione ingentium præmiorum. Ante alios studiosi ejus erant & Heruli & aliæ Barbaricæ gentes: quos ille miris modis fuerat demeritus. Venetias ut prope venerat, ad Francorum qui ibi præsidia habebant duces mittit, ut, tanquam amicis, Romanis transitum darent. At illi id se facturos pernegarunt, veram quidem causam non promentes, nisi hactenus ut dicerent se ad id consilium adigi suarum rerum respectu, non in Gotthos benevolentia: sed obtentum prohibendo itineri adhibebant non satis speciosum, eo quod Narses Langobardos secum haberet hostes

ſtes Francorum: Dum ſuper his cunctatur Narſes, & Italos qui ſecum erant, quid factu foret optimum interrogat, fuere qui dicerent, utut Franci maxime permitterent tranſitum, neque ſic Romanos Ravennam pervenire poſſe, ne Veronam quidem prætergredi: quia Totilas ipſa exercitus Gotthici decora, ſub duce Teïa, bellatore egregio, miſiſſet Veronam, oppidum Gotthis parens, ut omni ope Romano exercitui iter auferret. Vera erant quæ dicebantur, & ut Veronam attigerat Teïas vias hoſtibus omnes obſtruxerat, cunctaque Pado circumſita militari labore ita interſciderat ut tranſiri nequirent: alibi factis concædibus, alibi foſſis & terrarum cavis, alibi voraginibus profundis atque æſtuariis, quæ diligentiſſime cum Gotthorum exercitu ipſe ſervabat, ut ſi quà per tot difficultates pervadere conarentur Romani, armis obſiſteret. Hæc autem curaverat Totilas, quod pro certo haberet oram maritimam Adriæ Romanis perviam non fore ob ingentes & navigiorum patientes fluvios complures, qui ea parte ſe in mare evolvunt, iterque per littus interrumpunt: naves autem non eo numero eſſe Romanis, ut confertim cum omni exercitu Adriam poſſent transmittere: ſin pauci per intervalla nunc hi, nunc illi iiſdem navibus uti vellent, tum facile ſe cum eo qui ſibi reſtabat exercitu oppreſſurum partite proficiſcentes. Hæ erant cauſæ eorum quæ Totilas præceperat, quæque Teïas exſequebatur. Narſeti quid faceret ambiguo, peritus illorum locorum Iohannes Vitaliani, ſuaſit cum omni agmine iret pedibus per maris oram, habitatam, ut ſupra commemoratum eſt, hominibus Romana imperia agnoſcentibus; naves vero tum majores tum onerariæ juxta mari incederent, atque ubi ad amnium oſtia perveniſſet exercitus, tum onerariis in pontis uſum junctis conſtratiſque tranſirentur ſine periculo flumina. Secutus

tus consilium Iohannis Narses, ea ratione feliciter militem Ravennam usque perduxit. Quæ dum ibi aguntur, Indigisal vir Langobardus, memoratus nobis & alibi, Audovini eam tum gentem regenti inimicus (nam generis jure debitum ipsi imperium vi invaserat Audovin) domo profugus, Byzantium venerat, ubi Iustinianus eum prolixa humanitate excepit, præfecitque uni cohorti Palatinas excubias agentium quas cohortes Scholas vocant. Adjunxere se ei ex eadem gente Langobarda non minus trecenti, viri imprimis strenui, qui hactenus in Thracia unà sodalitii more vixerant. Audovin ab Iustiniano ut amicus & federatus Indigisalem sibi dedi postulat, societatis mercedem hanc exigens ut homo sibi subditus, suam in gratiam ab Imperatore proditus, sibi cederet. Id vero nullo modo ut faceret, induci Imperator poterat. Post evenit ut Indigisal, existimans neque honorem sibi neque commoda esse pro sua dignitate, proque imperii Romani magnitudine, impatientius id ferret. Animadvertit id Goar, homo Gotthus, qui captivus pridem è Dalmatia Byzantium venerat, quo tempore Vitigis Gotthorum rex in Romanos bellabat: animique & irarum plenus adversus fortunam præsentem æstuabat. At ubi post victum Vitigem Gotthi à Romanis discidium armaque in Imperatorem moliebantur, rerum novarum convictus fuga indicta Tanaiten Ægypti Nomum abiit; multumque temporis in ea pœna mansit, donec postremo miseratus eum Imperator Byzantium reverti jussit. Hic Goar Indigisalem, ut dicere cæperam, indignabundum cùm sensisset, frequens impulsu, hortatur ut fugiat, se Byzantio abeunti comitem pollicitus. Ea cum placuisset sententia, paucis comitibus fugam capiunt, & cùm Apros advenissent, Thraciæ oppidum, Langobardis qui ibi erant se conjungunt, insultuque facto
in

in ſaltus quibus Imperatoris armenta paſcebantur, magnam inde vim nacti equorum, procedunt ultra. de his Imperator admonitus per Thraciam Illyricumque mittit nuntiaturos ducibus ac militibus, ut fugitivorum manum, vi quanta poſſent maxima, opprimerent. Primi omnium, Hunnorum Cutrigurorum non multi, qui patriis egreſſi ſedibus agros, ut ante dixi, ab Imperatore in Thracia acceperant, cum deſertoribus manus conſeruere, prælioque inferiores partim cecidere, partim fuſi continuere ſe, nunquam poſtea auſi victoribus inſiſtere. Sic impune Indigiſal & Goar cum ſuis ſectatoribus Thraciam omnem percurrebant, obvio nemine. Sed eidem in Illyrium ut venerunt, exercitum ibi reperiunt Romanum magna diligentia adverſus ipſos collectum. Duces ejus exercitus erant Aratius, Recithangus, Leonianus, Arimuth, alii, qui totum diem equis vecti, in locum nemoroſum tenebris appetentibus cùm veniſſent, ibi ſub dio pernoctandi conſilio conſiſtunt: militibus inter alia præcipiunt duces, equos ut curent, eiſque amnis præterlabentis captato frigore, fatigationem itineri ſublevent. Ipſi interim cum tribus aut quatuor ſatellitibus ſinguli latentes aquam fluminis bibebant, ſiti non modica, ut poſt tantum laboris, urgente. Non longe aberant Goar & Indigiſal, perque emiſſos ſpeculatores edocti quid fieret, inopinati in bibentes adhuc irruunt, omneſque obtruncant. Ex eo cætera ipſis itineris ſine metu atque pro voto proceſſerunt. Nam Romani milites, ducibus orbati, conſilii inopes nihilque expedientes, tandem retro iere. ita ſervati Goar & Indigiſal ad Gepidas pervenerunt. At Gepida, Oſtrigotthus nomine, ad Langobardos profugerat, qua de cauſa dicam. Morbo non ita dudum finierat vitam Elemundus Gepidarum quondam rex, uno relicto filio eo quem jam nominavi Oſtri-

Ostrigottho: cujus spreta adolescentia vi imperium Thorisin invaserat. Iuvenis, injuriam ulcisci invalidus, derelicta patria, ad Langobardos, Gepidarum tunc hostes, concessit. Non multo post secutum est fedus Iustinianum inter & Langobardos, per quod mutua jurisjurandi religiosissimi fide æternam inter se amicitiam pepigerant. Cùm id fedus firmiter sancitum esset, mittunt & Iustinianus & Langobardorum rex Audovin ad Thorisinem Gepidarum principem, postulantque hostem suum utriusque Indigisalem dedi sibi, supplicis proditionem pignus novæ amicitiæ expetentes. Haud cunctatus est Thorisin procerum gentis sententiam exquirere, mosne gerendus esset regibus duobus. illi aperte negarunt id faciendum: rectius enim Gepidas cunctos cum feminis omnique sobole internecione perituros, quam tanto piaculo fœdarentur. Anxius hoc responso Thorisin, cùm neque destinata implere valeret invitis popularibus, neque in Romanos & Langobardos resumere arma, quæ, post multum temporis laborisque, finem ægre acceperant, tandem ad hoc commentum decurrit. Mittit ad Audovinem, sibique tradi Elemundi filium Ostrigotthum exposcit, parem ad culpam eum supplicis prodendi sollicitans, ut aut detrectatione manifeste turpis rei ipse quoque imperata defugeret, aut si nihil cunctaretur Audovin, haberet eum sibi & pacto & facinoris improbitate obnoxium. Hæc cùm satis placuissent utrique, sed simul gnarum esset neque Langobardos neque Gepidas adduci posse perfidiam ut participarent, palam cessarunt, in arcano autem alter alterius hostem dederunt exitio, quemadmodum, parco dicere. multum enim quæ traduntur, ut in re clandestina, discrepant. Hic finis Indigisali & Ostrigottho fuit. Narseti autem Ravennam ut venerat sociati sunt duces Valerianus & Iustinus, & militis si quid

quid illis in partibus Romano nomini restabat. Postquam his novem dies Ravennæ transierant, Gotthus Vsdrilas bello acer, præsidio Arimini præpositus, Valeriano hæc scripsit. Cùm impleveritis omnia vestri rumore, larvisque tremefeceritis Italiam, tumidi supra humanæ naturæ modum, sperantes & Gotthos his posse territari, jam Ravennæ considetis, atque ibi per latebras inconspecti hostibus retinetis superbiam, ingentique Barbarorum colluvie terris incumbitis ad vos nihil pertinentibus. Tandem surgite, hostibus solita aggredimini, ostendite vos Gotthis, neque diutius exspectatione nos cruciate jam dudum ejus spectaculi cupidos. Hic erat tenor literarum: quibus Narses perlectis, multumque irrisa Gotthorum vaniloquentia, relicto ad Ravennæ custodiam sub Iustino quantum satis erat, cum omni exercitu exit ipse. sed prope Ariminum ut venerant, reperiunt difficilem sibi transitum factum ponte nuper à Gotthis diruto. Nam qui præterfluit Ariminum amnis sine ponte homini inermi uni pedibusque eunti non sine magno labore ac molestia trajicitur, etiamsi vim faciat, obstetve nemo. At numeroso graviter armatorum agmine, maxime si & hostis se objiciat, ut transeatur nulla ratio effecerit. Narses postquam, cum paucis prægressus agmen, ad eum devenerat locum, ubi pons fuerat, hæsit diu incertus quomodo se ex hac difficultate expediret. Iam eodem & Vsdrilas venerat cum equitibus nonnullis, cupidus cognoscendi quæ hostibus agebantur. Ex Narsetis comitatu quidam emisso arcu cùm tela intorsisset, equorum hostilium unum interfecit. nec morati diutius qui cum Vsdrila erant, mænibus se reddidere: sed mox adsumtis pluribus viris strenuis per alteram portam erumpunt, cùm spe, inopinato superventu necem se ipsi Narseti illaturos. Iam enim is in alteram se fluminis ripam transtule-

tulerat, viam transmittendo militi exploraturus. Sed obvii forte Heruli Vſdrilam interimunt, & caput ab homine Romano cogniti abſciſſum in caſtra portant, monſtrantque Narſeti. Confirmavit ea res omnium animos, conjectantium ex eo quod evenerat iratum eſſe Gotthis Deum, qui cum Romanorum duci inſidiarentur, ſuum ipſi ducem, nece non ab hoſte ſtructa aut præmeditata, ita repente amiſiſſent. Narſes, quanquam præſidii dux Vſdrilas occubuerat, abduxit exercitum, neque Ariminum, neque oppidum aliud aggredi volens: ne temporis diſpendium faceret, & minora conſectando curarum præcipua ſibi ſineret elabi. Sed præfecti morte torpentibus hoſtibus, neque iter ipſius impedientibus, impune amnem ponte junxit, tutumque exercitum tranſtulit. inde omiſſa Flaminia via, ad ſiniſtram flexit. Nam Petram Pertuſam, quo de loco natura munitiſſimo actum nobis alibi, ab aliquammulto tempore tenentibus Gotthis, cuncta Flaminiæ viæ Romanis invia infeſtaque erant. quare relicto breviori itinere Narſes id quod patebat elegit. Et hunc quidem in modum profectionis Romanæ res ſe habebant. Totilas, ut ea cognorat quæ in Venetiis acta erant, Teïam, & quæ cum eo erat, manum exſpectans vicinis locis interim otioſus morabatur. Vbi illa manus advenit, demtis duobus millibus quæ opperienda non cenſuit, conjuncto jam agmine incedit, ſimul loca idonea nactus eſſet, hoſtem prælio aggreſſurus. Sed in hoc itinere edoctus mortem Vſdrilæ, & prætergreſſos Ariminum hoſtes, Thuſciam emenſus omnem, Apenninum montem ut attigit, ibi fixit caſtra, vicum propter quem Taginas indigenæ vocant. Non multo pòſt & Narſes Romano cum exercitu adveniens in Apennino eodem caſtra metatur, nec longius centum ſtadia ab hoſtium caſtris, æqua planitie, ſed quam tumuli cir-

cumdarent. quo in loco Gallos Camillo victore procubuisse vetus fama est. Famæ consentit nomen in hunc diem manens, cladisque barbaricæ memoriam servans, Busta Gallorum. Nam busta antiquo sermone sunt rogi reliquiæ: & apparet passim extuberans humus in mortuorum monumenta. Hinc Narses amicos misit, admonituros Totilam, pacem quam hostilia mallet, expenso paucas sub ductu ipsius esse copias, recens ac tumultuose contractas, & contra totius Imperii Romani vim certamen haud diu extracturas. Addidit mandata, ut si omnino ardentem in bellum viderent Totilam, nulla interposita mora poscerent ab eo prælii diem. Legati ad Totilam admissi prima mandata explicant, cùm ille ferociam ostentans bellandum omnino significaret, statim legati, in quod tempus, vir animose, prælium condicis? ille, post octo, inquit, dies pugnemus. Reversi ad Narsetem legati audita conventaque renuntiant. At ille fraudem Totilæ suspectans, parabat se ut postero dimicaturus, neque eum fefellit sua conjectura: sequenti enim luce adest nuntium omnem præveniens cum toto exercitu Totilas, nec jam longius inter se aberant Romani & Gotthi, quam ad duos sagittæ ex arcu jactus. Erat ibi collis non ita magnus, quem præripere aliis alii vehementer cupiebant, rebus eum suis idoneum rati, tum ut inde, tanquam ex loco editiore, tela in hostem injicerent, tum quod juxta surgebant illi, de quibus modo dicebam, tumuli: hac autem ex parte à tergo Romanos circumvenire non dabatur, nisi per semitam unam eamque colli propinquam. quam vel præcipue ob causam, collem antecapere magni erat utrisque: Gotthis, ut hostem velut indagine cinctum ancipiti contentione distraherent, Romanis vero, ut ne id mali paterentur. Sed prior Narses de peditatu suo dilectos quinquaginta nocte intempesta

pesta ire jubet, collem ut caperent servarentque. Facile illi, hostium obsistente nemine, quo vellent cum pervenissent, ibidem conquievere. Prælabitur collem torrens, juxta eam quam dixi semitam, ex adverso loci in quo castra erant Gotthorum. Ad eum se constituerunt quinquaginta illi, constipati inter se, servatis tamen, quantum angustiæ sinebant, ordinibus. die altera, cùm quod res erat conspexisset Totilas, depellere eos curæ suæ duxit, statimque misit turmam equitum qui insessoribus locum quamprimum eriperent. Hi equites ingenti clamore ac strepitu ibant velut primo impetu collem capturi. At Romani, coacti inter se, scutaque muri vice obtendentes, stabant. Pergebant Gotthi animo disturbandi ordines. At quinquaginta viri objectu scutorum, denso præterea atque inconfuso hastarum incussu strenue adversus insultum se tuebantur: ad hoc de industria scutorum motu fragorem edebant, ut equos eo, non minus quam viros hastarum spiculis, terrerent. Iamque retro ferebantur equi quod locorum offensas & insuetum sonum non ferrent, neque ulla esset ad perrumpendum via. Fatiscebant & viri, cum hominibus commissi, adeo conseptis inter se nihilque cedentibus, & imperandum habentes equis non obsequentibus. dejecti igitur à primo impetu cessim eunt, recollectisque animis tentamenta cùm iterassent, coguntur iterum ad receptum, quod cum & sæpius evenisset, destitere. Sed aliam turmam in eundem laborem substituit Totilas: & huic cum res similiter cecidisset, rursus aliam. mutatis ad hunc modum sæpe turmis, semper spei irritus Totilas, postremum omisit cæpta. Duo in eo conflictu maxime excelluerunt, Paulus & Ausilas, qui extra ordines progressi clara virtutis specimina dedere. Namque eductos acinaces humi deposuerunt, interim tensis arcubus certissi-

tiſſima in hoſtem vulnera dirigentes, multa hominum, multa equorum pernitie, quamdiu reſtabant in pharetris ſagittæ. Vbi miſſilia cuncta defecerant, reſumtis gladiis, protecti ſcutis, ſoli duo irruentem in ſe vim hoſtium repellebant. Cumque in ipſos equites haſtati inveherentur, gladiorum verberibus haſtarum cuſpides retundebant. Poſtquam diu infeſtos in ſe incurſus repreſſerant, alterius horum (is erat Paulus nomine) gladius incurvatus eſt, dum ſæpe ligno cæſim impingitur, ita ut uſum ſui perderet: Quo is humi projecto, manibus ambabus apprehendebat in ſe irruentium haſtas: atque eo modo quatuor haſtas cùm eripuiſſet Gotthis, præcipua fuit cauſa cur illi ſpe abjecta diſcederent. Eoque merito mox eum Narſes inter ſuos protectores allegit. His rebus ita exactis ad juſtum prælium utrique ſe parabant, militeſque ſuos Narſes in quam minimum poterat ſpatium contractos ſic alloquitur. Eos qui æquis cum hoſte viribus in certamen procedunt hortatu multo excitari & ad audendum impelli, credo, opus ſit, ut hac ſaltem parte præſtantiores parem votis ſuis conſequantur exitum. Vos autem, qui in hoc prælium & virtutem & numerum & paratum, cuncta hoſtilibus immenſum majora, affertis, una tantum re ſupereſt inſtrui, Dei benignitate. Hunc ſeria prece fautorem invocantes, ite magnis animis & latrones illos proſternite, qui ſervi quondam ſummi Imperatoris, deinde ejuſdem fugitivi, præpoſito ſibi de plebe homine nihili, furtim vexare terras Romanas per tempus aliquod potuere. qui rem recta æſtimet ratione, ne auſuros quidem aciem iſtos credat. At illi bruto quodam impetu & rabido furore mortem ante oculos poſitam in ſe advocant: Nullam illi ſpem bonam intuentur: ne inopinatum quidem quicquam quod exſpectent imaginantur. Deus illos, Deus ad ſcelerum pœnas trahit. nam qui-

quibus mali aliquid divinitus impendet, ad ſupplicia ſua currunt ultro. Ad hæc vos pro fundato legibus imperio Martem capeſſitis; illi res novas calcatis legibus moliuntur: neque vero parta ad hæredes ullos transmittere curæ habent: ſed gnari ſua omnia ſecum peritura, in diem vivunt. digni qui vel hoc ob ipſum contemnantur. Nam quos non lex, non jus ſociavit, ſicut virtutem fugiunt, ſic eos fugit victoria, non ſolita adverſari virtutibus. Talibus verbis ſuos Narſes accenderat. At Totilas, cùm Gotthos videret attonitos conſpectu Romani exercitus, concione advocata, ſic loqui cæpit. Noviſſima vobis hortamenta adhibiturus vos hic convivi milites. Nam ſi quid mei judicii eſt poſt hoc prælium nullus erit monitis locus: una dies de bello decernet. Nam & nos & Romanus Imperator ita debilitati viribuſque exhauſti ſumus, dum tanto tempore cum laboribus, periculis, ærumnis conflictamur, ita belli neceſſitatibus tolerandis facti impares, ut ſi nos hoc prælio vincimus, commovere ſe in poſterum non validuri ſint Romani: ſi contra nos hoc prælium cadit, reparandi belli nulla ſpes nobis maneat. Vtracunque gens cladem ſenſerit, cauſam habebit ſatis juſtam, quam ſuæ in poſterum quieti obtendat. Nam quibus res peſſime ciderunt, ad eandem redire aleam nolunt: & ſi qua forte neceſſitas eo trudat, refugiunt animi perterriti inhærente adverſorum memoria. His bene perceptis milites, nunc fortiter facite, non reſervata in aliud tempus animorum virtute: duriſſima quæque perferte, non cuſtodito in aliud periculum corpore: equis vero armiſque ne parcite, quorum uſus poſthac reſtat nullus. Cæteris noſtris rebus attritis, fortuna hanc nobis diem reliquam fecit: ea omnem ſpei ſummam in ſe continet. quare alacres ite & ad audendum vos componite. Nam quibus à filo res pendent, eis nec mini-

minimum tempus cessare expedit. quippe ubi è manibus emissa occasio est, vanus postea quantus libet labor, non admittente rerum statu seram virtutem. Prælapso utilitatis articulo, quicquid fit, intempestivum sit necesse est. Quare sic censeo, arripiendam nobis, dum se dat, pugnæ opportunitatem, ut deinceps bonis ejus frui liceat. Præcipue ad rem faciet cogitare, quam pernitiosum sit fuga. Non enim aliam arbitror ob causam desertis ordinibus in fugam se dant homines, quam ut vivant. At si fuga manifesto mortem fert secum, tutior erit qui in prælio perstat. illam vero hostium multitudinem quid ni spernatis, ex tot diversis collectam gentibus? Fortuito contracti, turba magis quam exercitus, non fidem inter se, non vires in hostem habent, ut origine dissoni, sic & affectibus. Hunnine & Langobardi & Heruli, nescio quanta mercede conducti, pro Romanis pericula in mortem ducentia amabunt? Non vilis adeo vita illis, ut & pecuniæ postferatur. Sat scio, in speciem pugnabunt corporibus, aversi animo, quippe aut illecti pretio, aut regentium imperio in id subacti. Etiam per se dulcia, nedum quæ aspera sunt, tædio sunt hominibus si non ex sententia cadant. At qui aut vi aut mercede aut qua alia necessitate quicquam suscipiunt, his nihil eorum quæ agunt cordi est: displicent quæque, ut extorta. Hæc nos cogitare oportet, maximoque studio in hostem vadere. vix dixerat Totilas, & infesti inter se processere exercitus, tali dispositu. Vtraque acies in oblongum porrecta adversis frontibus constitit. Lævum suorum cornu, ad colles, Narses ipse & Iohannes tenebant & Romani exercitus prima decora. Nam præter milites alios & huic & illi aderant satellitum, protectorum, Hunnorumque dilecta virtutis merito manus. In dextro pugnaturi erant Valerianus & Iohannes Phagas, cum Dagisthæo

gisthæo & Romanorum plurimis. Pedites ſagittarii è cohortibus deſumti ad octingentos ad latera conſtituti. mediam inter cornua aciem Langobardi, Herulique & Barbarorum alii compleverant, juſſi à Narſete de equis deſcendere & pedibus præliari, ne eos timor percelleret, aut, ſi mala mens eſſet, incluſi imperata facere ut cogerentur. Sed lævum cornu exſtante angulo prominere fecerat Narſes, antepoſitis equitibus bis mille quingentis. Horum mille & quingentis præcepit ire ſubſidio ſi qua pars Romanæ aciei labaſceret. mille aliis, ſimul hoſtium peditatus prælio implicitus eſſet, terga ejus invadere ut duabus ex partibus impugnaretur. Similem ad modum Totilas univerſum exercitum Romanis oppoſuit, ſuoſque circumiens non deſiit vultu, ſermone, ſingulis audendi ſuaſor eſſe & exemplum. Nec ſegnior Narſes armillas, torques, fræna aurea in ſublime ſublata oſtentare merituris, omnique modo animos accendere. Diu neutri pugnam cæptavere, dum ſuſtinent ſe utrique & hoſtis impreſſionem exſpectant. Pòſt Gotthorum unus Cocas nomine, fortium factorum clarus fama, equo provectus Romanos proxime accedit, & provocat, ſi quis ſingulari certamine congredi ſecum auderet. Erat is Cocas ex illis militibus Romanis, qui ad Totilam pridem perfugerant: obtulit ſe adverſarium ex Narſetis ſatellitio, gente Armenius, Anzalas nomine, equo & ipſe inſidens. Prior Cocas impetum fecit haſtam inferens & ictui deſtinans Armenii ventrem. At is protinus equum cùm deflexiſſet, inanem reddidit Cocæ conatum, ſimulque ex transverſo ſe injiciens latus ejus ſiniſtrum haſta tranſegit, unde exanimis de equo in terram delapſus Cocas jacuit. Tum clamor ingens à Romanis oritur: neque tamen hoc magis ad pugnam aut hi aut illi venêre, ſed vacuo inter caſtra loco incomitatus ſe oſtendebat Totilas, non ſingularis

pugnæ cupiens, ſed ut tempus hoſti perderet. Nam Gotthos quos pone relictos narraveram, non ita longe abeſſe gnarus, in eorum adventum prælium differebat. Interim hæc agebat. non defugiebat hoſtibus noſci. Arma quippe indutus erat auro ubertim illita: de pileo criſtæ, deque haſta phaleræ dependebant purpureæ planeque regales. ipſe ingenti invectus equo medio inter ſuos hoſteſque ſpatio miltariter exercitabatur. Equo namque in orbem acto iterumque reducto gyros edebat, interque equitandum haſtam in ſublime evibratam reprehendebat mediam, deinde è manu in manum commutatis ſæpe vicibus trajiciebat, artemque oſtentabat, modo reſupinato corpore, modo cernuo, interdum in latera inclinato, ut qui motus tales prima ab ætate didiciſſet. Talia oſtentando mane totum conſumſit: ultraque prolatare moras prælii ſtudens, miſit Romanum ad exercitum ut colloqui liceret. Narſes non dubitabat affirmare dolum ſubeſſe, quod is qui modo, cum laxa colloquii facultas eſſet, in bellum ardebat, nunc inter adverſas acies colloquii faceret mentionem. Interea vero Gotthorum illa duo millia appropinquabant, quos ut in caſtra veniſſe comperit Totilas, & jam inſtabat prandii hora, ad prætorium ſuum rediit, Gotthique diſſoluta acie ipſi quoque recedunt. In tabernaculum ingreſſus Totilas, reperit bis mille Gotthos ab itinere recentes, & his, nec minus cæteris, prandere juſſis, arma ſibi mutat: milites quoque ad prælium egregie armatos ſubito in hoſtem rapit ſperans inopinato ſuperventu cladem ſe illis illaturum. Sed ne ſic quidem incautos reperit Romanos. Nam Narſes quod agebatur metuens, ne improviſa hoſtium vis irrueret, vetuerat ſuorum quenquam aut prandium aut ſomnum ſumere, aut exarmari, aut fræna equis demere; neque tamen jejunos reliquit: ſed, ut erant armati,

mati, ſtanteſque in ordinibus, cibum eos capere, interim perpetuo intentos in hoſtium adventum paratosque eſſe juſſit. Non eadem quæ ante facies aciebus fuit. Nam quaternos millenos pedites, qui in cornuum quoque erant, lunatam in ſpeciem curvari Narſes voluerat. At Gotthi pone equitatum pedites denſi conſtiterant, ut ſi turmæ pellerentur, eſſet eis ad cohortes receptus, deinde juncti ſimul omnes prælium redintegrarent. Præceptum autem erat Gotthis, ne miſſilibus, reve ulla alia, præterquam haſtis uterentur. Hæc culpa Totilam evertit, qui in hac pugna, neſcio quo conſilio, militem ſuum neque armatura neque re alia ulla parem fecit hoſtibus. Nam Romani, ut ſe dederat occaſio, armis quibuſlibet utebantur, partim tela emittentes, partim haſtis trudentes, partim ferientes gladiis, aliaque agentes quæ temporis ac loci ratio ferebat, alii equis in certamen evecti, pedibus coſiſtentes alii, prout utilitas ſuaſerat: interdum & hoſtem circumveniebant undique, interdum excipiebant infeſtos, ſcutisque retundebant impetum. At Gotthorum equites, multum pone relicto peditatu, haſtis freti ſolis, improvida temeritate ferebantur: utque ad rem ventum eſt, pænas exſolverunt ſtultitiæ ſuæ. Namque in hoſtes medios facto incurſu, ignari ab octo illis millibus qui in cornibus erant, circumfunduntur, & utrinque telis ingruentibus, illico deſpondent animum: Sagittarii enim, ita ut præceptum fuiſſe dixi, cornua in lunæ figuram ſinuata mox compoſuerant. In hoc certamine multi viri, nec pauciores equi Gotthis perierunt, priuſquam ad manus res deduceretur: multaque perpeſſi mala & ſero & ægre ad ipſam Romanorum aciem penetravere. Heic magiſne Romanos an ſocios eorum admirari conveniat, haud diſcreverim: omnibus par alacritas ad certamen & virtus in certamine:
 ſingu-

ſinguliqne Gotthos in ſe ruentes repellebant ſumma fortitudine. Cum veſperaſceret, motari ſubito acies utraque, Gotthica ut ſe reciperet; Romana ut inſequeretur. Nam qui ultro in hoſtes incurſarant Gotthi, jam vim repoſitam non tolerabant, ſed urgentibus cedebant primum, deinde & terga vertebant, exterriti tum numerum, tum optimam eorum diſpoſitionem, uſque adeo officii immemores, ut monſtris agitatos, aut de cælo tactos diceres. Brevi, poſtquam ad cohortes ſuas pervenerant, duplicatum propagatumque eſt malum. Non enim ſervatis ordinibus ad eos retulerant ſe, velut reſpiraturi & cum illis pugnam iteraturi, ne recurſum quidem, aut aliud quicquam militaris ingenii meditantes: ſed conſternati confuſique, ita ut & peditum multi ab equis eorum obtriti interirent. quod cum ſentiret peditatus, non laxatis ordinibus recepit equitem, non ſaltem ut eum ſiſteret ſubſtitit, ſed una cum eo fugit effuſe, ipſique nocturnorum præliorum more ignorati inter ſe mutuis vulneribus cadebant: Fruebantur tam ſtupenda Gotthorum formidine Romani, ac ſine miſericordia ut quemque nacti erant occidebant. nec quiſquam erat Barbarorum qui hoſtem contra aſpicere, nedum tueri ſe auderet: quiſque ſe ſævientium arbitrio præbebant. ac ne ſic quidem decedebant ex animo terricula, quin gliſcebat metus. ſex millia hunc in modum perierunt, multi ſe tradiderunt victoribus, à quibus ad tempus ſervati paulo poſt interfecti ſunt. Neque vero Gotthorum tantum ſtrages facta eſt, ſed & multorum qui Romani quondam milites rupto priore ſacramento, ut narraſſe memini, ad Totilam Gotthoſque perfugerant. quibus vero barbarici exercitus neque interfici neque in manus hoſtium venire contigerat, hi fugam ignorati intenderunt in diverſa, ut quem equus, ut pedes tulerant, ut ſe fortuna,

tuna, tempus, locus dederant. Hic finis prælii fuit, multo jam noctis. Totilam per tenebras fugientem cum quinque comitibus haud amplius, quorum erat Scipuar, Romani aliquot insequebantur, quis tamen esset nescii. Inter hos Romanos erat & Gepida nomine Asbadus, qui Totilæ imminebat, ut hastam ei in tergum adigeret, cum forte adolescens Gotthus è Totilæ familia fugæ consors, conspecto regis periculo in indignationem commotus. Itane, inquit, canis dominum tuum percussurus ades? At Asbadus vi omni hastam Totilæ impegit, ipse vero à Scipuare pedem vulneratus ibidem loci mansit. substitit & Scipuar vulnere quod à persequentium aliquo acceperat. Asbado quatuor aderant milites qui ob curam salutis ejus à persequendo hoste destiterunt, cumque ipso ad retro relicta reversi sunt. At qui Totilam comitabantur, quod instare adhuc sibi hostem crederent, nihilo quam ante minus properabant, quamvis ipsum lethaliter vulneratum jamque semanimem traherent: cursum incitabat necessitas. spatio confecto stadiorum quatuor & octoginta ad locum veniunt cui Capris nomen, ubi sumto ad quietem sanandique corporis curam tempore, non multo post vitam explevit. mortuo comites humum cum injecissent, abiere. Hæc Totilæ regnandi annum agenti undecimum finis imperii ac vitæ fuit, minime prioribus ejus actis congruens. sed sicut res illi ante supra exspectatum processerant, ita & qui minime exspectabatur fuit exitus. Etiam in hoc fortuna, pulchrum renidens ac rebus illudens humanis, ostendit quam feratur temere, ut quæ cogi nequeat eorum quæ vult rationem reddere. illa Totilæ longam sine causa felicitatem præstitit, illa pavorem ei exitiumque struxit, unde non oportebat. sed hæc, ni fallor, ab hominibus percipi neque potuerunt unquam, neque poterunt

runt in posterum. fabulis dant interim materiam, dum quisque & sentit & loquitur, ut cuique se aliquid probabile ingessit, solatia quærenti ignorantiæ ad quam mortalitas damnata est. Ego unde diverteram illuc redeo. Periisse Totilam aliquamdiu ignorarunt Romani, donec indicavit ipsis mulier Gotthica gente, sepulchrumque ostendit. At illi, ne tunc quidem persuasi vera esse quæ dicebantur, ad locum perducti, effosso statim loculo Totilam exemerunt mortuum: cumque eum agnovissent & (quod additur) inhumano spectaculo pavissent oculos, terræ reddito corpore, Narseti rem compertam attulerunt. Sunt qui non sicut narravimus se res habuisse & Totilæ & prælii commemorant, sed eum in modum quem ipsorum fide referre non pigebit. Ajunt illi nec sine causa, nec ita subito evenisse ut se reciperent Gotthi, sed Romanis jaculantibus telum repente incidisse in Totilam, nullo mittentis consilio, si quidem Totilas inter gregarios positus parique ornatus modo in acie stabat, nihil præter cæteros agens, nolens nosci hostibus aut præbere se insidiis: casu scilicet parante ei exitium, sagittamque in corpus ejus regente. Tactum mortifero vulnere, cum maximos sentiret dolores, egressum acie paucis comitantibus retro cessisse, & usque dum Capras equo vectaretur suffecisse vires, exin liquisse animo, interque curationem vulneris exspirasse. At Gotthorum exercitum per se imparem hostibus, tum vero præter exspectatum remoto extra aciem duce stupuisse mirabundos, quod ita unus omnium Totilas nulla hostium destinatione exitialem plagam accepisset, inde tracta formidine rerumque desperatione obtorpuisse sine fine ac modo, versosque mox in turpem adeo fugam: sed de his cuique & sentire quod velit & loqui liberum esto. Narses lætus successu non desiit ejus laudem, ut certe debebat, ad

Deum

Deum referre, & ſimul quod opus erat procurare. Primum à Langobardorum inſolentia liberare ſe cupiens (hi namque ſuper multa alia fæda facinora domos, ut in quamque advenerant, incendebant, feminarumque corporibus, in ſacras ædes quæ profugerant, per vim illudere nihil verebantur) donatos pecuniis liberaliter, redire juſſit unde venerant: atque eos deducendi ad ultimos uſque Romanorum fines, ne cui in itinere noceretur, curam Valeriano & ſororis ſuæ filio Damiano & quos addiderat comitibus mandarat. Poſtquam Langobardi Romanas exierant terras, Valerianus caſtra ad Veronam ponit, ut obſidione id oppidum ſub Imperatoris ditionem retraheret. Territi qui præſidium ibi agitabant milites, jam de pactionibus, quibus ſe & oppidum dedituri eſſent, colloqui cæperant. ſed hoc ubi intellexerunt Franci, qui vicina per Venetiam oppida ſuis tenebant præſidiis, omni ſtudio ſe oppoſuere, tractum illum omnem, ut qui ſui eſſet imperii, ſibi curandum rati. Ita factum ut à Verona cum toto exercitu ſpei irritus diſcederet Valerianus. At Gotthi per fugam prælio ſuperſtites, Padum cum tranſiiſſent. Ticinum urbem & circumſita inſident, ibique regem ſibi conſtituunt Teïam: qui, magna pecuniæ vi reperta, quam in Piceno depoſuerat Totilas, Francos ad ſocietatem illicere parabat: Gotthos interim ſedulo recollectos undique præceptis armiſque inſtruere impiger. queis Narſes compertis, Valeriano ſequentibuſque eum militibus imperat Padi amnis cuſtodiam, ne mora in ea regione Gotthis ſecura eſſet. Ipſe cum reliquo exercitu Romam vadit, & in Thuſciæ tranſitu Narniam pactione ſibi adjungit. Spoletii quoque oppido, non munito per id tempus, præſidium imponit, jubetque reficere quamprimum murorum quicquid diruerant Gotthi. miſit & qui Peruſiam tentarent. militibus qui id oppi-

oppidum tutabantur duo præerant à Romana militia transfugæ Meligedius & Vliphus, is qui olim ſatelles Cypriani, deinde Totilæ pollicitatione corruptus Cyprianum præſidii illius præfectum dolo interfecerat. Meligedius à Narſetis conditionibus non averſus volebat cum ſuis Romanorum in poteſtatem oppidum tradere. Vliphus & qui eum ſectabantur, conſcientia facinoris, aperte ſe his opponebant: ſed à diſſentientibus oppreſſi pereunt, ſtatimque à Meligedio oppidum Romanis permittitur. Vltio Dei non obſcura Vliphum deprehenderat, quando eodem in loco mors ei illata eſt ubi Cyprianum ipſe obtruncaverat. Hæc quidem Peruſiæ acta ſunt. At qui Romam inſidebant Gotthi, ut venire in ſe magno cum exercitu Narſetem intellexerant, nec jam eſſe longe, ad vim hoſtium excipiendam parabantur. Cum primum urbem ceperat, pleraque ejus opera dejecerat Totilas: poſterius vero ſecum reputans redactos ad paucitatem Gotthos ad ambitum quantus erat mænium tuendum non ſuffecturos, partem urbis non magnam Adriani propter tumulum propriis amplexus munimentis ea ipſa muro annexuit, caſtellique fecit ſpeciem. Hunc locum in quo rerum ſuarum cariſſima depoſuerant Gotthi, pervigili cura tutari ſolebant, urbis mænibus neglectui habitis. ſed ingruente jam periculo Gotthi ad dicti jam loci cuſtodiam relictis non ita multis, cæteri in murorum propugnacula diſceſſerant, repellendæ oppugnationi. Verum tanta eſt mænium amplitudo, ut neque corona eam cingere valerent Romani, neque univerſam Gotthi defendere. Sparſi utrique, partem quæ cuique obtigerat, illi aſſultabant, hi pro viribus tutabantur. Narſes quippe magno cum ſagittariorum agmine regionem unam invadebat: in aliam ſe tulerat cum ſuis Iohannes Vitaliani: rurſus in aliud latus Philimuth Heruliquc

rulique faciebant impetum: longe alio alii ruebant: omnesque magnis intervallis inter se discreti urbem oppugnabant: contraque eos conglobati constiterant defensores, vimque arcebant. At mænium cætera, quo se non impegerant Romani, vacua erant à propugnatoribus, eo, ut dixi, coëuntibus Gotthis ubi arma hostilia conspexerant. Tum vero Narsetis voluntate Dagisthæus, militem secum numerosum trahens, ipsiusque Narsetis & Iohannis, scalas ad hæc plurimas, quandam è mænium partibus custodum vacuam subitus incurrit: scalisque statim omnibus, quippe cum nemo obsisteret, ad mænia applicatis nullo negotio ea superavit cum suis omnibus. portas deinde aperiunt. quod simul Gotthi senserant, nullam ultra in armis spem reponere, sed fuga se proripere, quo poterant quisque. Horum alii in munitiones apud Adriani tumulum saltu se injecere: alii celerrimo cursu in Portus oppidum se contulerunt. Subit hic me cogitatio, quam illudat fortuna rebus humanis, non eodem semper modo eosdem homines tractans, neque eisdem aspiciens oculis, sed aliis aliam se præbens, ac veluti in fabula diversis temporibus locisque diversas etiam partes miseris mortalibus assignans, siquidem Romam prius qui amiserat Besa, idem Romanis Lazicam Petram acquisivit: contra qui Petra ut hostium fieret causa fuerat Dagisthæus, per eum non multo post ipsa Vrbs Roma Imperatori reddita est. Sed hæc à rerum initio fuere semper, semperque erunt, quamdiu Fortuna eadem res hominum versabit. Mox Narses omni exercitu in illa munimenta quæ ad Adriani sepulchrum erant vadit. At Barbari illa seque, pejorum metu, & vitam salvam pacti, dediderunt. Sextum tum & vicesimum principatus annum habebat Iustinianus quo imperante quintum tum capta Roma est, nec cessavit Narses ad eum claves urbis mit-

mittere. si unquam alias hoc certe tempore manifesto hominibus apparuit, quos manet calamitas, iis & quæ prosperrima videntur, pestifera fieri. Sæpissime enim votorum compotes per ea quæ optaverant, pereunt. sic Senatui populoque Romano hæc ipsa Romanorum victoria ingentes clades attulit his quos dicam modis. Primum Gotthi dum Italiæ possessione desperata fugiunt, immisericorditer, ne in transcursu nihil agerent, Romanos quoscunque repererant, morti dabant. Rursum qui Romanis militabant Barbari in urbis introitu obvios omnes hostiliter tractabant. Accessit ad hæc aliud malum: multi pridem senatorii ordinis Totilæ jussu in Campania morabantur. Hi simul intellexerant armis Romanis Romam teneri, profugi è Campania urbem petebant. Cum id fieri sentirent Gotthi proxima præsidia tenentes, conquisitos sedulo eos qui Patricii vocantur, per villas agrosque interfecere omnes. In his & Maximus fuit, dictus mihi jam ante. Præterea cum adversus Narsetem iret Totilas omnibus ex oppidis nobilium Romanorum liberis ad se perduci jussis, trecentos inde elegerat, egregia corporis specie, comites futuros, quantum parentibus ipsorum diceba-tur, revera obsides. Eos vero tunc Totilas trans Padum deponi jusserat. sed repertos ibi Teïas hoc tempore occidit universos. At Ragnaris Gotthus, qui Tarentino præsidio præerat, quanquam à Pacurio fidem Imperatoris ipsius mandatu acceperat, & , ut ante dixi, transitionem promiserat, obsidibus etiam in pacta datis Gotthici nominis, postquam factum à Gotthis regem Teïam intellexerat, & ab eo Francos ad societatem sollicitari, jamque ire eum justo cum exercitu obviam hostibus, pænitentia ductus promissa noluerat implere, sed pro obsidibus anxius, eos ut recuperaret tali usus erat astu. miserat ad Pacurium, rogans ut ab eo mi-

eo milites ad ſe non multi mitterentur, quorum præſidio tutus cum ſuis Hydruntem proficiſceretur, inde Adria tranſmiſſo iturus Byzantium. Pacurius, illius conſilia minime aſſequens, quinquaginta de ſuis ei ſuppeditat. ille intra Tarenti mænia receptos continuo vinctos habuit, ſignificavitque Pacurio, ſi ſuos milites ſervare vellet, reddendos ab ipſo Gotthorum obſides. quibus Pacurius intellectis, paucos ad Hydruntis cuſtodiam relinquit: cum cæteris ipſe in hoſtem properat. Tum Ragnaris quinquaginta illos tempore nullo interpoſito interficit, Gotthosque è Tarento in hoſtem ducit, concurritur: vincuntur Gotthi, Ragnariſque poſt ingens ſuorum damnum, reliquias fugæ comites trahens intrare Tarentum nequiit, circumdatum jam Romanis copiis: ſed Acherontida pervenit, manſitque ibidem. Hæc illis in partibus agebantur. Interea Romani Portus oppidum pactis in fidem accepere, & aliud in Thuſcia Nepete dictum, & caſtellum in loco cui Petræ Pertuſæ nomen. Teïas, cum ſolos Gotthos Romanorum viribus impares crederet, ad Theudibaldum miſit Francorum regem, multa pecuniarum pollicitatione eum ad ſocietatem vocans. ſed Franci haud ſtulte, opinor, tam pro Gotthorum utilitatibus quam in rem Romanorum mori abnuebant; ſibi ſtudebant quærere Italiam, nec alia de cauſa ſubire pericula. Pecuniarum partem, ut jam dixi, in Piceno reliquerat Totilas: ſed partem earum maximam in caſtello Cumarum in Campania collocaverat, addito præſidio, cujus regimen fratri ſuo Herodianoque permiſerat. Caſtelli ejus capiendi cupidus Narſes mittit obſeſſuros, ipſe Romæ cuncta interim ordinans. ſed & alios miſit in Centumcellarum obſidium. Verum & pecuniis & pecuniarum cuſtodibus metuens Teïas, deſperata jam Francorum ſocietate, paravit ſuos, velut prælio certaturus,

turus. quod cum intellexiſſet Narſes, Iohannem Vitaliani & Philimuthem, cum eis quos ſub ſe habebant militibus, ire jubet in Thuſciæ agros, ibique ſtativis poſitis hoſtem itinere in Campaniam intercludere, quo facilius Cumana munimenta aut vi aut pactis in poteſtatem Romanam redigerentur. ſed Teïas vias ad dextram, qua breviſſimum iter, ut plurimum evitans, longo circumactu per oram Adriæ maritimam clam hoſtes in Campaniam pervenit. Edoctus ea de re Narſes Iohannem & Philimuthem & eorum militem qui Thuſciæ tranſitum obſidebant, ad ſe vocat, nec minus Valerianum & qui cum eo Petram Pertuſam modo erat quod ceperant. Sic contractis copiis, quantum maximum poterat exercitum ducebat & ipſe in Campaniam. Attollit ſe in Campania Veſuvius, qui, ut alibi jam ediſſerui, non raro mugitum edit, quod quoties accidit, cineris quoque velut ebullientis vim magnam eructat. ſed de his videri poſſunt quæ ſupra diximus. In hoc monte medio, non minus quam in Ætna Siciliæ, ingens inane ab imo ad ſummum natura conſtituit, ſubter æſtuante ſemper igne. cavi tanta profunditas eſt, ut homini in ſummo jugo ſtanti, ſi deſpicere audeat, ægre conſpicua ſit flamma. quoties vero ea quæ dixi fit eructatio, fractos à Veſuvii fundo lapides alios majores, alios minores vis incendii in ſublime jaculatur ſupra montis cacumen, diverſaque in loca late ſpargit. Fluit tum & igneus rivus à ſummo ſe monte ad radices uſque demittens, atque etiam longius, quale & apud Ætnam videre eſt. Ripas autem utrinque altas facit flammeus ille torrens ſubjacentia ſecans. Ac cum primum ferri cæpit ignis impetus, aquæ ardentis gerit ſpeciem. is ubi marcens paulatim, deinde exſtinguitur, inhibetur & rivi curſus ne longius ſe proferat: quod vero ſubſedit, lutum è cineribus dicas. Ad pedem Veſuvii

ſuvii montis idonearum potui aquarum ſunt ſcatebræ, ex quibus amnis naſcitur Draco nomine, ac prope à Nuceria labitur. Romani in riparum altera, in altera Gotthi poſitis caſtris amnem hunc habebant medium. Modicus amnis eſt Draco, non equiti tamen, non pediti pervius, quod in arctum aquas cogens, terramque in magnam altitudinem deradens, multum erigit ripas, terræne an aquarum ita ferente ingenio haud dixerim. ſed præcepto fluminis ponte Gotthi (nam juxta eum caſtra habebant) turribus ad eum excitatis ligneis, machinamenta in illis tum alia, tum baliſtas collocavere, ut ex edito hoſtem infra poſitum infeſtarent, manus conſeri non poterant, flumine, ut dixi, ambos exercitus dividente. ſed proxime ad ripam accedentes utrique, telis inter ſe certabant. Interdum & ſingularis pugna apparebat, Gottho forte aliquo pontem tranſgreſſo provocandi cauſa. Inter talia duo menſes abiere: duraruntque Gotthi, dum mari potiebantur: unde facilis commeatuum invectio, quippe caſtris pelago non longe ſitis. ſed non ita multo poſt Romani naves hoſtium omnes ab eo qui eis præerat ſibi proditas in poteſtatem ſuam accepere, & aliæ iiſdem Romanis advenerunt è Sicilia cæterisque Romani imperii regionibus. Tum vero & ligneis turribus in ſua ripa ſtructis Narſes infregit hoſtium animos: qui metu ſimul victusque inopia preſſi, in vicinum montem confugiunt, quem Latini Lactarium vocant, quo eos Romani perſequi non poterant, prohibente locorum arduo. ſed brevi qui eo aſcenderant Barbaros ultra conſilii ſui pænituit, cum multo quam ante durior premeret egeſtas, neque aut hominibus cibi, aut equis pabula ſuppeterent. Quare pugnando mori, quam fame atteri optabilius arbitrati, cum minime id crederetur, in hoſtem profecti ſunt, ſubitique incautos invaſerunt. Romani, ut res tam im-

provisæ ferebant, se tuebantur, non in duces, turmas, cohortes distributi, ullove digesti ordine, nec ut imperantium præceptis parituri, sed quo quemque impetus tulerat, ibi obstituri hostibus. At Gotthi equis omissis omnes facti pedites, fronte in hostem obversa, in oblongum aciem extenderunt. conspicati id Romani & ipsi quotquot equites erant de equis desiliunt, & quo hostes modo struunt aciem. Scribenda mihi jam venit pugna memorabilis, & nulli heroum, quos vetus ætas celebrat, cessura virtus, quam hoc tempore Teïas demonstravit. Gotthos ad audendum inflammabat desperatio. Romani, quanquam videbant cum furentibus sibi rem esse, omnes suas vires excitabant, pudore ne invalidioribus cederent. Vtrique magna vi rapiebantur, hi virtutis acti stimulis, illi vitæ tædio. mane cæpit prælium. stabat conspicuus omnibus, scuto protectus, hasta protenta, cum paucis ante ipsam aciem Teïas. Romani, cum id viderent, existimantes, si is caderet, finem continuo fore certandi, intulerunt se in eum acerrimus quisque, magno numero, alii hastis trudentes, jacientes alii. Ipse sub scuto abditus, eo hastas excipiebat omnes, deinde irrumpens subito trucidabat multos: cumque videret jam infixis hastis horrere scutum, ut vix quicquam esset vacuum, protectorum cuidam id tradens poposcit alterum. sic diei tertiam circiter partem pugnare perstitit. Iamque & alteri huic scuto duodecim hastæ inhæserant, neque Teïas diutius aut illud movere aut in se irruentes depellere poterat: sed è protectoribus quendam instanter ad se vocabat, ne digitum quidem ab ordine discedens, non pedem referens, non hostibus permittens ut se promoverent. ne converso quidem corpore, aut tergo in scutum incumbens, sed velut solo infixus stans cum scuto manebat, dexteraque manu cædem edebat hostium,

ſtium, læva eoſdem à ſe repellebat, nihil aliud quam protectoris nomen inclamans. Atque ille ubi cum ſcuto aderat, novum hoc ſumit pro eo quod haſtis onuſtum erat. ſed hæc dum aguntur, per punctum temporis pectus ejus patuit, ac forte jaculo ictum eſt, ex quo eum ſtantem mors occupavit. caput impoſitum conto, ut in ſublime tolleretur, Romani quidam utrique exercitui oſtentarunt, Romanis, quo auderent magis, Gotthis, ut ſpe omni abjecta bello finem imponerent. ſed ne ſic quidem prælio Gotthi abſceſſere, quin id produxerunt in ipſam noctem, haud ignari quanquam, cecidiſſe regem. Poſtquam obortæ erant tenebræ, diremti inter ſe utrique noctem eam in armis egere. Poſtero bene mane exciti aciem eodem quo pridie modo ordinavere, rurſumque ad noctem uſque dimicare perſeverarunt. Neque vero aut cedebant alii aliis, aut terga vertebant, aut pedem referebant, quamvis utrinque plurimi occumberent, ſed infenſis animis concurrebant efferati, Gotthi hoc ſe ultimum certare ſatis intelligentes, Romani vero indignum rati ſi ab eis ſuperarentur. Tandem Barbari miſſis ad Narſetem nobilibus viris, edoctos ſe ajunt bellum ſibi cum Deo eſſe: ſentire ſe quippe vim adverſam omni humana ope majorem: ſero ſe verum quod eſſet eventu coactos agnoſcere. Exuere ſe pertinaciam, nec ultra uti armis infelicibus, dum ne Imperatoris juſſa paterentur, ſed aliorum Barbarorum more ſui juris viverent. Poſt hæc rogabant Romanos, abitum ut pacatum darent Gotthis, nec inviderent mutatam in melius mentem: ſed & in uſum viatici concederent pecunias quas eorum quisque in Italiæ præſidiis depoſitas habebant: Narſes ſuper his conſilium ſuos popoſcit. Iohannes Vitaliani ſuaſor fuit annuendi petitis, neque ultra certandi cum hominibus vitæ pertæſis,

neque tentandi natam ex desperatione audaciam, ingens & ferentibus & iis in quos incurrerit malum. Sufficit, inquit, sapientibus vincere. Velle quod nimium est, quis scit an non male vertat? Paret Narses monitis, convenitque ut Barbarorum superstites, rebus suis deportatis, Italia omni quamprimum excederent: neque post id unquam bellum in Romanos sumerent. mille admodum Gotthi castris egressi in Ticinum & transpadanam regionem concedunt. Præerant eis & alii & is qui supra memoratus est aliquoties Indulph. Cæteri quoque omnes jurejurando interposito, quæ placuerant, rata habuere. sic Cumas & quicquid ipsis aberat, in potestatem Romani acceperunt, finiente ipso anno decimo & octavo belli hujus, cujus scriptor est Procopius.



EXCERPTA

ex arcana Procopii historia ad res Vandalicas & Gotthicas pertinentia: quæ prioris historiæ multis locis lucem adferunt:

HVGONE GROTIO

interprete.

THeodosius (Antoninæ adulter) ex palatiis Carthaginis & Ravennæ ad decem millia pondo auri peculatu sibi abstulerat.

Antoninæ mos erat, quovis terrarum maritum comitari, ne sine ea si esset, bonam mentem reciperet, contemptisque ejus delinimentis id de ea constitueret quod pro sua esset dignitate.

Quadratus Augustæ literas ad Belisarium tulit hæc continentes. In nos quæ commiseris non ignoras, sed quod uxori tuæ plurimum debeam, id in causa est, cur tibi culpas condonem, vitamque tuam ei largiar. spem incolumitatis in posterum, rerumque tuarum omnium illi debes. qualis posthac in eam futurus sis, ex factis cognoscemus. Hæc ubi legit Belisarius exsultare cæpit gaudio, animique sui testem facere cupiens ipsum Quadratum, de sede surgens ad uxoris suæ pedes pronus accidit, manu utraque tibias ejus prehensans, & linguam circa plantas pedum ejus circumagitans: illam vitæ, illam salutis suæ auctorem prædicans. addebat quin etiam posthac non maritum se ei, sed mancipium fore. de pecuniis quas ex Oriente ad se ferri jusserat, tria millia auri pondo Augusta Imperatori dedit, cætera Be-

 ra Be-

ra Belisario. Hæc summo duci Belisario accidere, cui fortuna non multo ante captivos reges Gelimerem, Vitigimque dederat. Pridem sane & Imperatorem & Augustam Theodoram urebant viri opes immensæ & regalis plane fastigii. Et querebantur clam ab eo detineri maximam partem pecuniarum quæ publicæ regum illorum fuerant, cum exiguum quid & retentis minime comparandum ad Imperatorem detulisset. sed taciti id ferebant, expensis laboribus quos ille pertulerat, simul & aliorum obtrectationes veriti, nulla ad eum evertendum causa satis probabili se offerente.

Belisarius Imperatoris præfectus stabulis, iterum in Italiam mittitur, pollicitus, ut fama fert, Imperatori, nullas se ab ipso in hoc bellum pecunias flagitaturum, sed rem gesturum omnem suis impendiis. Existimabant plerique, in id tantum uxori suæ blanditum Belisarium, & de pecuniis id quod dixi asseverasse Imperatori, ut exitum Byzantio reperiret: cæterum ubi mænia egressus esset, arrepturum arma, capturumque generosa ac viro digna consilia, tum de uxore, tum de iis quorum per vim oppressus fuerat. At ille oblitus injuriarum, oblitus jurisjurandi quod Photio amicisque dederat, uxori obsequebatur, miro ejus amore captus jam sexagenariæ. In Italiam ut venit, in pejus quotidie res ibant, Deo aperte ei adversante. Ante quidem, dum cum Theudato & Vitige res fuit, consilia ejus, quanquam pro rebus præsentibus non optime capta videri poterant, plerumque felicem nanciscebantur exitum. Pòst vero inter consultandum quidem famam prudentiæ retulit, tanquam usu longo quæ bellum per Italiam requireret edoctus, sed eventu infelix plerumque, per hoc & imprudentiæ de se opinionem hominibus concitavit. Ita nimirum res hominum, non ipsorum

rum cogitatis, ſed divinis arbitriis diſpenſantur, quod fortunam homines vocant. Ignari enim quorſum ea fiant, quæ fideri vident, id cujus ratio non apparet, fortunam vocant. de his libera ſit cuique ſententia. Altero ergo Beliſarii in Italiam adventu, peſſime ei res provenere. Nam quinque per annos, ut alibi à nobis narratum eſt, terram penetrare nuſquam valuit, quod nullum ibi haberet tutum præſidium, ſed nihil aliud quam navigans maritima loca aliis maritimis mutabat. Totilas extra munimenta eum cernere inſanum cupiens, conſequi id nequiit.tantus pavor & Beliſarium & Romanos milites invaſerat. qua de cauſa non modo amiſſorum nihil recepit, ſed inſuper Romam amiſit, aliaque pæne omnia.Erat autem hoc tempore pecuniæ perquam avidus, omniſque lucri quamvis turpis attentiſſimus conquiſitor, ut qui ab Imperatore nihil acciperet. Italos primum omnes, qui Ravennam Siciliamve habitabant, aut alibi ſub ejus erant poteſtate, fœde deprædabatur, obtentu uſus velut ad rationes eos ante actorum vocarent. Sic Herodiano per neſcio quas non criminationes ac minas pecuniæ vim extorquere conabatur: quibus ille accenſus Romanum exercitum illico deſeruit, deinde ſe ſuoſque milites & Spoletium tradidit Totilæ & Gothis. Iam unde inter ipſum Iohannemque Vitaliani ſorore genitum inimicitiæ intervenerint, maximo rei Romanæ malo, dicere aggredior. Tanto Germani odio Auguſta flagrabat, adeoque id teſtatum fecerat omnibus, ut nemo ejus, quanquam Imperatorem propinqua neceſſitudine, fratre quippe ejus genitus, contingeret, affinitate uti auderet. Illa dum vixit, filii cælibes Germano manſere: Iuſtina vero filia etiam ad decimum & octavum ætatis annum innupta. Hæc res Germanum ſubegit, ut cùm miſſus à Beliſario Iohannes Byzantium veniſſet, verba apud eum faceret de filia in ejus,
 quan-

quanquam dignitate multum infra positi, matrimonium collocanda. Cùm placuisset negotium, jurejurando se invicem devinciunt sanctissimo, conventa se ad exitum perducturos. nam diffidebant nonnihil alter alteri: Iohannes quod videret affinitatem speratam sua fortuna esse majorem; Germanus, quod non nesciret quas ob causas generum hactenus non inveniret. Anxia ob hanc rem intellectam Augusta, nihil ut eam disturbaret omisit intentatum, nunc hunc, nunc alterum aggrediens omni arte. Vbi dissuadendo apud neutrum profecit, palam Iohanni exitium minari. Ea fuit causa cur Iohannes in Italiam remissus à Belisarii consuetudine abstineret, insidias Antoninæ metuens, donec ea Byzantium profecta est. quippe ab Augusta Antoninæ delegatam necem Iohannis haud vana videbitur suspicio, si quis norit mores Antoninæ & uxorium Belisarii animum. Nec mirum, si tam justa formido animum Iohannis vehementer commoverit. Hinc ruinam traxit res Romana, nutans jam ante leviterque fulta. Belisarius bello in Gotthos, ut dixi, improspero, nec sperans meliora, Imperatorem orabat, ut sibi ab Italia discedere liceret. quo impetrato lætus, moram interposuit nullam quominus valere juberet Italos Romanumque exercitum, loca pleraque in hostium manu relinquens, Perusiam vero arcto pressam obsidio: quæ illo jam iter faciente vi capta omne mali genus experta est, ut diximus alibi. Interim & domesticum incommodum Belisario obvênit. Augusta Belisarii filiam illigare nuptiis volens nepotis sui è filia Anastasii, crebris literis parentes adolescentis obtundebat. qui affinitatem eam ut declinarent, primum nuptias in suum reditum distulerunt, deinde, revocante eos Byzantium Augusta, negarunt res pati ut ex Italia tunc discederent. Augusta id unice studens, nepotem ut suum ingentium Belisarii divitiarum

rum

rum compotem faceret (norat enim virginem ex aſſe fore hæredem, non aliis exſtantibus Beliſario liberis) ſed Antoninæ animo parum fiſa, ac præmetuens, ne ſibi ubi quid accidiſſet humanitus, immemor illa beneficiorum quæ rebus ſummis erat experta, domuique Auguſtæ parum fida, verteret quæ conveniſſent, facinus impium cæptat. Nam ſine mora puellam adoleſcenti domo jungit. Additur & nolentem coactam clam venerem pati, ac ſic, ademta virginitate, firmatum matrimonium ne ullo prætextu diſſolvi ab Imperatore poſſet. Hac re peracta, amore ſe mutuo incredibili puella & Anaſtaſius devinciebantur, neque minus octo menſes duravit is convictus. Antonina mortua demum Auguſta Byzantium venit, meritorumque ejus quantumvis recentium depulſa memoria, ne id quidem cogitans, puellam ſi alterius in domum nuberet, jam prioris concubitus velut ſtupri infamem fore; Theodoræ nepotem ſpernit generum, puellamque invitam ab adamati complexibus abſtrahit. magnam ex eo facto ſibi improbitatis famam apud omnes homines concivit, neque tamen difficile ei fuit maritum, poſtquam & is ab Italia venerat, ſuaſionibus ſuis in partem flagitii trahere: in quo maxime ſe nudavit Beliſarii ingenium. Nam antehac cùm Photio amiciſque aliis & juraſſet & juratis non ſtetiſſet, veniam ab hominibus cunctis acceperat, exiſtimantibus fidem ei non affectu uxorio, ſed Auguſtæ metu excidiſſe. At poſtquam exemta rebus humanis Theodora, ut dicere cæperam, non Photii, non ullius ſibi benevoli rationem habuit, uxori lenonique ejus Calligono, velut dominis, obnoxius, ex eo vero omnes, velut nulla de eo honeſti ſpe reliqua, virum contemnere, & velut ſtolidum fabulis traducere. Hæc ſunt quæ, ut ſimpliciter loquar, peccavit Beliſarius. De iis quæ Sergius Bacchi filius in Africa commiſit, atque ut res

res Romanas illis in locis everterit, dum fidem Levathis per Evangelia juratam nullius ducit, & legatos octoginta ſine cauſa interficit, propriis locis explicavi. Hoc tantum in hac reſervata parte addendum eſt, neque dolo malo ad Sergium eos veniſſe, nec quicquam Sergio ſuſpicionis præbuiſſe, ſed ad cœnam vocatos, deinde ab eo interfectos fœde ac perfide, quod exitiale fuit & Solomoni & exercitui Romano & Afris univerſis. Nam ob id tum ante, tum maxime exſtincto Solomone, dux nemo, miles nemo belli pericula ſubire voluit. Præcipuus vero pugnæ detrectator, Sergii odio, fuit Iohannes Siſinioli, donec in Africam Areobinthus advenit. Erat quippe Sergius animo mollis atque imbellis: cæterum non ætate tantum ſed & moribus valde juvenilibus, invidiæ faſtuſque in omnes nullum habens modum, vitæ in luxum effuſæ, ipſo quoque oris habitu flans glorias. Sed quia is procum agebat puellæ quæ neptis erat Antoninæ Beliſarii conjugis, Auguſta ne imperium quidem ei adimi, adeo non ſupplicium de eo ſumi paſſa eſt, quanquam videns Africam indies magis magiſque collabi. Solomonem quoque juniorem, fratrem ejuſdem Sergii eadem Auguſta & Imperator liberarunt Pegaſii interfecti crimine, quod quale ſit dicam. Poſtquam hunc Solomonem à Levathis Pegaſius emerat, barbari quidem domum ſuam rediere, at Solomon cum redemtore Pegaſio militibuſque paucis Carthaginem proficiſcitur. In itinere cum Solomon quædam præter æquum ageret, monuit eum Pegaſius ut meminiſſet Dei ſe munere recens hoſtium manus evaſiſſe. ille velut exprobratorem captivitatis Pegaſium illico trucidat. Vbi jam Byzantium venerat Solomon, Imperator eum homicidii purum pronuntiavit, ut qui Romani imperii proditorem occidiſſet: ſcriptum etiam ei impunitati firmandæ dedit. Sic vitato ſupplicio gaudens Solomon

lomon in orientem abit, patriam ibi domeſticaſque neceſſitudines reviſurus. Sed in ipſo itinere deprehenſum divina ultio rebus humanis ademit. Et Pegaſii quidem Solomoniſque res, ut dixi, ſe habent.

Parum fuerat Iuſtiniano terras Romanis poſſeſſas peſſime tractare, niſi & Italiæ Africæque recuperandæ ſe intendiſſet, non ob aliud quam ut has quoque in eandem cum iis provinciis, quæ ante parebant, miſeriam vaſtitatemque involveret.

Quo tempore Amalaſuntha conſtituerat abdicatis Gotthorum rebus mutare vitæ genus, & ſe transferre Byzantium, ut in aliis libris commemoravi, ſecum cogitans Theodora feminam eſſe prænobilem, reginam, ſpecie egregiam, ſollertis ad hæc ingenii: ſuſpectamque habens tum illius magnificentiam, tum vere virilem animum, ac mariti ſui inconſtantiam, non intra mediocria æmulatum exercuit, ſed vitæ ejus ſtruxit inſidias. Viro igitur perſuadet Petrum ut legatum in Italiam mittat. Et Petro Imperator ea præcepit quæ in aliis libris noſtris reperire eſt. Cæterum metus Auguſtæ tunc prohibuit me, quo minus in apertum ferrem quæ ipſa egerat. quippe hoc unum Petro mandaverat ut Amalaſunthæ quamprimum vitæ finem faceret, ſpes maximas oſtentans ſi conficeret negotium. Ille poſtquam in Italiam venit, ut ſolent ad cædem, quantumvis injuſtam, facile rapi homines ubi honorum aut divitiarum ſpem imbiberunt, neſcio quibus rationibus Theudatum ad reginæ cædem impellit. Hoc merito Petrus Magiſtri dignitatem magnamque potentiam, infenſis quanquam omnibus, adeptus eſt: Amalaſuntha autem talem habuit exitum.

Nume-

Numerum exacte iniri eorum quos Iustinianus exitio dedit nisi à Deo posse non arbitror. citius quis arenas omnes numeraverit, quam quorum ille neci causam dedit. illud, obiens animo terras quas hominibus desolavit, sine periculo affirmaverim, periisse ejus opera non minus decies millies dena millena decem millia. Africam late adeo patentem ita perdidit; ut iter facienti hominem conspicere rarum sit ac miraculo propinquum. Atqui Vandalorum qui arma ferrent fuerant ibi millia octoginta. Mulierum, puerorum, servitiorum numerum quis dixerit? Iam Afrorum tum urbes habitantium, tum agros colentium, tum mari viventium tanta erat (nam ipse vidi) multitudo, ut ab homine nullo exprimi possit. His autem plures multo Mauri. omnes illi cum feminis ac sobole stirpitus interiere. Tum vero & Romanorum militum & qui eos Byzantio secuti fuerant, magnam partem ea terra sepelit. quare si quis dixerit interiisse in Africa quinquies decies centena hominum millia minus, opinor, vero dixerit. Causa tantis malis fuit, quod post devictos Vandalos cura nulla Iustiniano fuit firmare possessionem earum terrarum, & bonis quæ obvenerant fidum apponere custodem, subditorum benevolentiam. sed revocatus statim ab eo est Belisarius, falso atque in eum hominem minime cadente affectati principatus crimine. Deinde ut Africam posthac pro arbitrio exsugeret spoliaretque, censitores imposuit & inaudita tributorum onera, prædiorum optima insuper ad se pertrahens. Arianos ritibus suis interdixit. militibus stipendia solvere distulit, neque eo minus multis eos modis vexavit. unde ortæ seditiones immensa mala attulere. Sic erat illi ingenium, ut nunquam præsentibus contentus novaret semper res ac novando confunderet. Italia quæ ad provinciam Africam tripli habet rationem, multo etiam desertior ab

ab hominum cultu per eum facta est: unde conjectura de numero eorum qui perierunt sumi potest. Causas eorum quæ per Italiam improspere evenerunt, jam ante aperui. Plane quæ in Africa, eadem & in Italia peccata sunt. Missis quippe rationum dispunctoribus cuncta retro tulit, evertitque. Pertinebat ante bellum hoc, imperium Gotthicum à Gallorum finibus ad fines Daciæ, ubi Sirmium est. Gallias & Venetiarum partem maximam tenebant Germani. Postquam in Italiam venit Romanorum exercitus, Sirmium & circumjecta Gepidæ insederant. Omnia hæc vasta videre est. Alios bellum absumsit, alios quæ bellum consequi solent morbi famesque. Italiam Thraciamque omnem & quicquid ab Adria ad suburbana usque Byzantii protenditur, in quo spatio Græcia est & Chersonesus, Hunni ac Slavi ferme annuis, ex quo imperium potitus est Iustinianus, incursibus fædissime populantur. Credo singulis irruptionibus non minus ducenta millia Romanorum occisa aut in servitutem abducta, ita ut terras illas omnes non immerito Scythicas solitudines appellare liceat. Hæc sunt quæ per Europam Africamque bellum peperit.

Sæpe cum Hunni hostili exercitu captivos prædasque abducerent ex Romanis quas intraverant terris, Thraciæ & Illyrici duces insilire abeuntibus properabant. sed statim inhibuere eorum conatus ab Iustiniano literæ, vetantes offendi barbaros, ut quorum societate res Romana adversus Gotthos, hostesve alios indigeret. ita factum est ut barbari, tanquam hostes qui essent, Romanos spoliarent & in servitutem raperent, cæterùm, velut socii, cum præda omni atque captivis abire impune sinerentur.

Sic factum est, ut milites fracti penitus & ad summam in-

inopiam redacti, alieno essent à belli usibus animo: cui porro consequens fuit, ut res per Italiam Romanæ collaberentur. Alexander enim ille rationum dispunctor militum patriam, ætatem, vacationes calumniari nihil verebatur: Italis vero extorquebat pecunias, obtendens ea quæ Theuderichi Gotthorumque temporibus acta erant. Neque vero soli gregarii à dispunctoribus ad summas miserias detrudebantur, sed plurimi qui in ducum erant ministerio, clari ante atque conspicui, ad egestatem famemque spectabantur provoluti.

Theuderichus postquam Italiam suæ ditionis fecerat, ut veteris reipublicæ speciem servaret, Palatinam quæ fuerat militiam reliquerat, & qui in ea erant singulis tantundem in diarium dederat. Erant autem numero multi, tum qui silentiarii dicuntur, tum qui domestici ac Scholares, quibus de prisca fortuna nihil erat reliquum, præter nomen militiæ, & diaria illa exigua & ad vitam sustentandam ægre sufficientia, quæ à parentibus ad liberos posterosque transmitti Theuderichus voluit. quin & mendicis qui circa Petri Apostoli ædem se tenebant annua de publico dari tritici tria millia medimnûm rex idem jusserat. Hæc illis omnibus paupertatis solatia mansere donec Alexander, Forficula dictus, in Italiam venit. nam hic nihil cunctatus est ea penitus cuncta tollere, factumque ejus ut intellexit Iustinianus probavit, ipsum Alexandrum majore quam ante in pretio habuit.

EX AGATHIÆ

HISTORIA A FINE PROCOPII AD GOTTHOS PERTINENTIA.

HUGONE GROTIO

interprete.

EX LIBRO PRIMO.

POstquam Teïas Fredigernæ filius, post Totilam factus Gotthorum rex, totius gentis vires in bellum præliumque adversus Narsetem & Romanos tulerat, victusque inter pugnandum interierat ipse, Gotthorum superstites, instantium perpetuo Romanorum fatigati incursibus, præterea deprehensi in locis aqua carentibus, pepigere cum Narsete, ut suas sibi terras habitare tutum esset, Romano Imperatori parituris in posterum. His peractis credebatur omnibus finem accepisse per Italiam bellum, cum ejus initia tantum spectata essent hactenus. Ego sic existimo, nunquam desitura mala hujusmodi, quamdiu erit humanum genus, quando jam ab antiquo se in vitam humanam induerunt, ita ut plena bellorum certaminumque sint carmina, sint annales, nihilque in scriptorum monimentis occurrat crebrius. Causam non arbitror esse in siderum cursu constitutisque fatalibus & incredibili necessitate. quippe si vincit ubique fati vis, periit ab hominibus li-

bera voluntatis electio, tum vero monita omnia, artes, disciplinæ in irritum cadunt: evanescunt spes eorum qui vitam honestissimam egerunt. Sed neque fas rear cædes mutuas & vulnera Deo asscribere. Naturam quippe illam optimam, ac medicam malorum bellis ac sanguine delectari neque dixerim ego, neque dicenti alteri assentiar. Sponte sua ad injustitiam & habendi cupiditatem inclinati hominum animi hos tumultus, has pugnas cient. Hinc non singulorum tantùm mortes, sed totarum gentium interneciones & mille malorum facies. Gotthi ergo post illa conventa diversi iverant, quibus citra Padum sedes fuerant, in Thusciam Liguriamque aut alio quo vellent, atque ubi vivere assueverant: cæteri in castella oppidaque circa Venetiam, quibus se multo ante tenere erant soliti. Hîc cum essent, exspectabatur ut promissa rebus implerent, suisque contenti, defugerent pericula atque à tot calamitatibus respirarent. At illi exiguo intervallo temporis res novas & bellum aliud moliuntur: ac per se Romanis armis semet impares rati, ad Francos se vertunt. id in præsens optimum factu, rebusque utilissimum visum est, petito à finitimis auxilio bellum redintegrare. Sunt enim vicini Italiæ Franci, iidem qui Germani olim dicebantur. quippe Rhenum utrinque accolunt, & olim quidem tenent transrhenana, Gallias non ab initio, sed pòst addita possessione, in quibus & Massiliam Ionum coloniam. Hanc olim Phocæenses Medorum vi ex Asia pulsi eo deduxere, quo tempore Persis Darius Hystaspis filius imperabat: paulatim è Græca facta est barbara, veterique republica amissa legibus utitur dominantium, ne sic quidem à conditorum suorum gloria multum degenerans. Non enim feri sunt Franci, ut multi barbarorum, sed institutis legibusque, ut plurimum, Romanis vivunt, pari nuptiarum, pari con-

contractuum cura, neque Dei cultu discrepantes. Christiani enim omnes sunt rectissimarum sententiarum: habent in oppidis magistratus, habent sacerdotes & communes nobiscum festos dies, &, ut inter barbaros, insigni mihi videntur modestia atque humanitate: vix ut quicquam eos à nobis discriminet, præter habitum barbaricum patriumque sermonem. Mirari sane subit, tum alia eorum bona, tum justitiæ inter se concordiæque tutelam. Nam & antehac & mea ætate in tres pluresve divisi reges nunquam in bellum exarserunt, nec patriam fædarunt civili sanguine. Atqui ubi jus imperii controversum, & æqualis partium potentia, inflari solent & crudescere animi, attollere se honorum locique principis appetitus & quæ aliæ affectiones seditionum ac tumultuum sunt gravidæ: Apud ipsos tamen, scissos quantumvis sæpe, ut dixi, imperiis, nihil tale: sed & si quod inter reges dissidium intervenerit, armantur quidem omnes, velut Marte usuri arbitro, inque campum procedunt: sed ubi invicem se conspexere populi, desidente æstu ad pacis amorem redeunt, jubentque reges quæ ambigua habent jure potius disceptare, aut si id abnuant, ipsos inter se singulari certamine experiri, quod æquum non sit neque patriis ipsorum moribus congruens ob privatas ipsorum controversias rempublicam labefactari, forte & everti. Subito igitur dissolvunt acies, deponunt arma; pax iterum & tranquillitas & sine custode commeatus atque colloquia, longeque illa quæ timebantur. Tanta subjectis æqui patriæque reverentia: tanta imperantibus bonitas, & in suos obsequium. Talibus se moribus jamdudum in imperio valido sustentant, legibus semper iisdem, damni adeo expertes, ut pridem possessis multa adjunxerint. Nimirum justitia & famæ respectus, quibus institutione insita sunt, statum præstant beatum

 ac

ac durabilem, hoſtibuſque minime obnoxium. Hunc in modum Franci vivunt optime, ſibiq; & finitimis imperitant, regno à patre ſemper ad filium tranſeunte. Hoc ipſo tempore, cum Gotthi ad eos legationem mitterent, tribus ſub regibus erant. Haud abs re arbitror, quando huc ventum eſt, re altius repetita, regium genus & rerum cohærentium ſummam ob oculos ponere; donec ad eos, qui tum regnabant, perducta ſerie, cæpta perſequar. Fratres fuere Childibertus, Lotharius, Theuderichus, Chlothomerus. Hi, patre Chlodoæo mortuo, quatuor partibus, gentium urbiumque numero quam maxime æqualibus, imperium inter ſe diviſerunt. Non multo pòſt Chlothomerus, dum in Burgundiones bellat (gens eſt Gotthica, manu prompta belliſque inclyta) jaculo in pectus adacto interiit. collapſo eo Burgundiones ut capillum videre ſolutum inque terga demiſſum, agnovere hoc indicio occiſum à ſe hoſtium regem. mos enim eſt Francorum regibus tonderi nunquam, ſed à pueris comam alere, quæ pulchre impendet humeris, etiam frontis crinibus dividuis & in utramque ſe ſpargentibus partem: nec eſt, ut illa Turcorum & Avarorum, horrida, impexa, ſquallens, inque nodum indecore collecta, ſed variis medicaminibus purgari, ac pectine curari ſolet, idque apud illos regiæ gentis inſigne decuſque eſt, cùm privati in orbem tonderi ſoleant, neque promittere capillum ſinantur. Chlothomeri caput abſciſſum ſecutis ipſum cùm oſtentarent, trepidationem eis injecere tantam ut ſpem abjicerent Franci, frangerenturque animis velut nunquam arma reſumturi. Victores quibus volebant legibus bello finem impoſuerunt. Francicus exercitus pro magno habuit vitam domum reportare. Chlothomero mortuo ſine ſobole, fratres, ejus parte aucti ſunt. Neque ſuperſtes diu Theuderichus. morbus eum abſtulit ad filium Theudebertum tum bona alia, tum regni honos pervenit.

nit. Is ut possessionem paterni imperii nactus est, Alemannos devicit aliosque in vicinia populos, audax, inquies, periculorum, etiam ubi necesse non erat, appetens. Huic Theudeberto, postquam Romanis in Totilam bellum exarserat, mens incidit, dum Narsetem ejusque copias Italia & arma hostilia detinent, collecto quod militis robustissimum fortissimumque habebat, invadere Thraciam, perdomitisque omnibus quæ in medio erant in ipsam urbem regnatricem Byzantium transferre bellum: tantoque id studio & tam ingenti paratu moliebatur, ut ad Gepidas quoque & Langobardos aliasque in proximo gentes mitteret legatos, qui eos ad belli hujus societatem invitarent, minime tolerandum ratus, quod Iustinianus Francicum, se Alemannicum, Gepidicum, Langobardicum scriberet, aliarumque etiam gentium titulis se jactaret, quasi earum omnium debellator ac dominus. neque id indignabatur modo ipse, sed & alios ut dedecoris participes iritabat. Mea quidem hæc sententia est, etiamsi ingressus esset destinatum iter, nihil ea temeritate profecturum, sed periturum fuisse ubi in Romanos exercitus sive in Illyrico sive in Thracia incidisset. Attamen, quòd rem tantam cogitaverit concupiveritque, nihilque ob id reliquerit intentatum, satis argumenti est, unde ingenium noris hominis, excitatum, ferox, & quæ ad insaniam accederent fortitudini ducens. quod ni vitæ exitus conatibus intervenisset, credo, jamjam suscepturus erat expeditionem. Sed forte venatum progresso taurus se obtulit magnus, editis cornibus, non ex hoc mansueto genere quod rustico in usu est, sed montano atque silvestri, & cornibus in adversantes exitium ferente, bubulos id animal vocant, quales multi illam terram depascuntur. Vmbrosa enim nemora & montes horridi, regioque frigida circum, quibus omnibus fera illa delectatur. Taurum illum ex silvæ latebris exsilientem

 venien-

venientemque in ſe ut vidit Theudebertus, fixit veſtigium, velut haſta ſubiturus. at ille dum rapido curſu ſe jactat, cùm jam propinquus eſſet, in arborem haud nimis magnam fronte impingitur, vi tanta ut arbor & diſſiliret, & in latus utrunque procumberet. Forte ex defractis ramis unus maximorum ruinæ vehementia reſultans caput Theudeberti verberat. ille ictus mortem daturo vulnere ac dolore inſuperabili illico ſupinus cadit, ægreque à ſuis domum reportatus eodem die vivendi fecit finem: Succeſſor ei fit filius Theudibaldus, quem, puerum quamvis valde, agentemque ſub cuſtode, ad principatum lex patria vocabat. Quo tempore mortuus eſt Teïas, & Gotthorum res externi egebant auxilii, præerat Francis partim hic Theudibaldus, etiamnum adoleſcens, partim patrui ejus magni, ut Romano more ſanguinis gradum eloquar, Childibertus nomine & Chlotharius. Ad hos, quod habitarent à ſe longius, non recurrerunt Gotthi, ſed Theudibaldum publica adjerunt legatione, non univerſi, ſed qui trans Padum ſedes habebant. nam cæteri optabant quidem & ipſi motus & res novas, ſed hærebant incerti futurorum, & fortunæ metuentes inconſtantiam, ſuſpenſa tenebant inque ancipiti conſilia, quid aliis ageretur intenti & percunctabundi, cæterum præda futuri victoris. Legati aliorum, ut in regis procerumque Francorum conſpectum admiſſi ſunt, precabantur eos, ne Gotthos calcari à Romanis pro nihilo ducerent, ſed potiùs ſocii certaminis ſervarent gentem & viciniam & amicam, &, abſque eo ſit, propediem perituram. Nec omittebant, debere Francos, etiamſi ſibi ſolis conſulere vellent, non pati in majus augeſcere vim Romanam, ſed omni modo incrementa ſuſpectæ potentiæ prohibere. Si namque, ajebant legati, nomen Gotthicum exciderint, jam mox aderunt in vos vetera bella inſtauraturi.

Neque

Neque cupiditati deerit quam obtendant juris ſpecies. Marios quippe & Camillos & Cæſarum plurimos memorabunt, qui in Germanos bellaverint, & trans etiam Rhenum ſita tenuerint. & ob hæc videri volent non vim inferre, ſed juſtis armis alieni nihil, verum majoribus poſſeſſa repetere. Nam non diſſimili in nos uſi criminatione, tanquam princeps quondam noſter & huc immigrandi auctor Theuderichus per injuriam Italiæ ſe ingeſſiſſet, res nobis eripuere, gentis partem maximam exſtinxerunt, virorum quondam inter nos fortuna eminentium conjuges liberoſque in crudele ſervitium abſtraxerunt, cùm tamen Theuderichus non ipſis nolentibus; ſed Zenonis quondam Imperatoris conceſſu veniſſet in Italiam, neque eam Romanis abſtuliſſet, qui pridem eam amiſerant, ſed depulſo Odoacro invaſore peregrino belli jure quæſiviſſet quæcunque ille poſſederat. At contrà Romani, poſtquam vires ipſis ſuæ placuere, nihil pro æquo & bono fecerunt. ſed Theudato primum iratos ſe ſimulantes, Amalaſunthæ ſcilicet cauſa (id enim belli initium ac prætextus fuit) ex eo non deſinunt per vim cuncta rapere. Et tamen hi ſunt, qui ſolos ſe ſapere, ſolos Dei metu tangi, ſolos ad juſtitiæ normam cuncta dirigere jactitant. Ne igitur aliquando, cùm eadem patiemini, ſero vos inertiæ pæniteat, anteveniendi ſunt hoſtes, neque prætermittenda vobis præſens occaſio, quo minus parem rebus agendis mittatis, exercitum & è vobis gnarum belli ducem, qui prudenter ac fortiter adverſus Romanos rem gerens, illos quidem Italia quamprimum deturbet, nos autem in ejus poſſeſſionem reſtituat. Hæc ſi facitis, primùm Gotthos ingenti beneficio obligabitis, ſalutis auctores, depulſores calamitatum; tum vero veſtra in tuto locabitis, longe veſtris à finibus remoto hoſte: pecuniæ præterea vobis affluent, partim è præda Romana, partim quas non

ingrati nos dabimus. Hæc elocutis legatis Theudibaldus, ut qui adolescens esset segnis & imbellis, invalido etiam per morbos frequentes corpore, non assentiebatur petitis, neque existimabat aliena mala suum in periculum vertenda. Sed Leutharis & Butilinus, quanquam rege suo non probante, Gotthorum societatem induerunt. Fratres hi erant gente Alemanni, sed apud Francos eximie honorati, quippe & suæ nationis duces pridem facti, Theudeberto volente. Alemanni, si Asinio Quadrato fides, viro Italo & Germanicarum rerum exacto scriptori, convenæ sunt variis è nationibus collecti, id ipsum apud eos significante vocabulo. Hos quondam Theuderichus Gotthorum rex, cùm omnem Italiam teneret, in obsequio habuerat sub tributi lege. Eo vita functo, cùm jam Iustinianum inter, maximum Imperatorem, & Gotthos bellum exarsisset, Gotthi Francorum captantes gratiam, ut quorum amicitiam summe expeterent, tum alia loca deseruere, tum etiam Alemannis abstiterunt. contrahendas enim undique suas censebant copias, & ob id, qui subjectorum oneri magis quam usui erant, habendos derelictui, utpote cum ipsis jam non de longinquis imperiis & gloria, sed de Italia ipsa deque vitando ultimo exitio certamen esset. Futuri itaque incerta facto voluntario prævenientes de necessitate fecere prudentiam. Hunc in modum à Gotthis desertam gentem Alemannorum sibi subdidit Theudebertus: eoque, ita ut narravi mortuo ad filium ejus cum cæteris populis hi quoque pervenerunt. Habent privatim & propria instituta. in publicum Francico imperio ac moribus gubernantur: circa divina discrepant: Arborum illis cultus & amnium, colliumque & vallium. hæc numina placant equis aliisque animalibus, quæ desectis cervicibus sacrant. Verum perpetua cum Francis consuetudo, sensusque beneficio-
rum

rum prudentiores emollit trahitque in rectiora, & puto paulatim universos evincet. Insanum enim illud & à ratione abhorrens opinionis, etiam ipsis sectantibus, ni stulti plane sint, in aperto est, ut arbitror, utque deprehensu ita exstinctu facile. Misericordia magis ac venia quam ira eos prosequi par est qui à vero sunt devii. Non enim volentes errant labunturque, sed cum id quod bonum est expetant, judicio decepti instant semel creditis, qualiacunque ea sunt, pertinaciter. At immanitatem sacrificiorum, nisi miseria potius dicenda est, nescio an ulla ratio excusaverit, sive per illa luci coluntur ut apud Barbaros, sive alii qui Dii putantur, ut Græcorum habent ceremoniæ. Ego nullam naturam esse existimo, cui voluptati sint fædata sanguine altaria & animantium lanienæ. quod siqua tamen est, cui ista sint cordi, non ea mitis ac benigna est aliqua sed fera ac rabida, qualem Pavorem poëtæ fingunt & Metum, & Bellonam & Malam Fortunam & Discordiam quam indomitam appellant. Adde his si placet quem Persæ Arimanium dicunt, & è terrenis spectris siqua sunt malefica atque sanguinaria. quod si quis hæc putet non convenire promisso, sed supervacua esse & à destinato aliena, at mihi dulce est quæcunque didici proferre in medium, & quæ honesta sunt ornare laudibus, quæ non talia palam traducere & quam sint damnosa demonstrare. Hanc enim partem, quæ maxime vitæ est utilis, ni habeat historia, sed nuda sit & judicationis expers rerum narratio, apud multos certe non pluris videbitur, nisi durum hoc dicere est, quam fabulæ quibus mulieres laborem lanificii solantur. sed de his cuique ut volet sentire arbitrarium esto: ego unde me receperam revertor. Leutharis & Butilinus ut primum impetum ceperant bellandi in Romanos, in magnas spes erecti ambo erant, minimeque contenti

præſente fortuna. Narſeti duci putabant non ſatis animi fore ad vim ipſorum exſpectandam: ſuam illico fore Italiam omnem, acceſſuram deinde Siciliam. Negabant ſatis mirari ſe poſſe, quod Gotthi ita expaveſcerent homunculum, cubilium cuſtodem, umbratili vitæ mollitiæque aſſuetum, cui virile quicquam nec natura permitteret. ita ſibi placentes ac gloriabundi ingens conciverant virorum fortium agmen ex Alemannis Francisque, ad quinque & ſeptuaginta hominum millia, impellebantque bellum, velut jam mox Italiam Siciliamque rapturi. Narſes, etſi non omnia exacte noverat, cura providus, omneſque hoſtium conatus anteire properus, ſtatim Thuſciæ oppida, quæ Gotthis etiam tunc poſſidebantur, vi perdomare ſtatuit. Neque enim ille aut victoria ſupra modum tumens inſolentiæ ſe dabat, nec, quod eventurum prope cuivis alii fuerat, ex laboribus in otium ac delicias revolvebatur, ſed ut quidque cogitaverat exſequens movebat exercitum, ut nunc Cumas verſus. Eſt id oppidum Italiæ firmiſſimum, & perdifficile expugnatu. ſitum eſt in arduo & vix aditum admittente colle, unde in Tyrrhenum mare deſpectus eſt: quippe ex ipſo littore collis editur, ita ut pedi ejus adſtrepant illiſi fractique fluctus. ſupra ſunt mænia turribus & propugnaculis egregie defenſa Totila Teïaque regnantibus, quicquid raritate ſpectabile aut pretio carum habebant aut ipſi aut Gotthi, id in hoc loco ut omnium tutiſſimo abdiderant. Gnarum id Narſeti; eoque magis flagrabat & oppidum & pecunias capere, tum ne belli ſedem haberent Gotthi unde Italiam infeſtarent, tum ut plena ipſe abſolutaque victoria potiretur. Erat in oppido Aligernus fratrum Teïæ, qui Gotthis imperaverat, natu minimus, cum exercitu quantus potuerat colligi, à pace alienus animo, quanquam & bello cecidiſſe Teïam, & Gotthorum

thorum res labefactas debilesque certo cognoverat. ille verò nihil ob hæc fractus, neque ad tantos fortunæ ictus pavescens (tantum in loco victusque copia fiduciæ erat) ferociebat ultro, jactabatque sese, ut facile vim omnem depulsurus. Narses, dato signo, admovet exercitum. cujus milites magno cum labore in collem enisi ac propinqui jam oppido, jaculis petunt eos qui in propugnaculis apparebant. Sonabant arcus ultro citroque volantibus sagittis, excutiebantur in sublime fundæ, machinamenta, quæcunque oppugnandis urbibus reperta, movebantur. Neque segnius Aligerni milites conglobati in media inter turres spatia repugnare jaculis ac missilibus aliis, ingentia saxa manibus demittere, caudicesque & secures & quicquid usui proximum; nec machinis abstinere aut si quid aliud avertendo periculo. Ipsius Aligerni manu jacta tela à cæteris facile Romani internoscebant: ingenti enim stridore ac velocitate ferebantur, ita ut si quem lapidem aut durum quid aliud inciderent, id ictus violentia dissiliret. Palladium forte (non vulgari erat is apud Narsetem loco, sed tunc Romano proprie agmini præerat, locumque inter cohortium præfectos præcipuum pridem obtinebat) conspicatus Aligernus ferrea indutum lorica, magnoque spiritu inferentem se murris, superne in eum sagittam mittit, hominemque per scutum, per loricam transadigit. tantum illi supra alios erat robur & arcu torquendo validæ manus. multa talia jaculantium certamina posteris etiam diebus fuerunt, neutrisque res ex voto procedebat. sed & Romanos pudebat re infecta discedere, & Gotthi satis ostendebant non esse sibi in animo cedere obsidentibus. Narses, dux facti, & dolebat & indignabatur ad unum oppidum idque modicum temporis plurimum perire. Diu ambiguo & varianti sententias tandem hæc oppugnandi ratio

tio placuit. in eo flexu collis qui orienti obvertitur, ſpelunca eſt tecta undique, & valde cava, ita ut & penetralia habeat nativa & alvum lato hiatu. Hic Sibyllam Italicam vixiſſe ajunt, & Apolline afflatam ventura prædixiſſe ſciſcitantibus. Eandem Æneæ Anchiſæ filio, cum ad ipſam veniſſet, vaticinatam quæ poſtea evenerunt. Huic ſpeluncæ pars quædam incumbebat mænium. quod Narſes obſervatum pro ſe eſſe cenſuit: immiſſisque continuo in cavum ſpeluncæ viris, qui inſtrumenta ſaxis incidendis murisque fodiendis ferrent, ſenſim abraſit pertuditque convexum ſpecus cui munimenta innitebantur. Et eo quidem uſque cavando atque ipſum diruendo ædificii ſolum pervenit, ut jam fundamenta inſtructi operis apparerent. Tum vero tigna conjunctim erecta ſubſtituit quæ muri onus ſuſtinerent, ne eorum compages brevi diſſoluta ruinam faceret, & quid ageretur Gotthi perſentiſcerent. qui cæteroqui accurriſſent ſtatim, curataque labe diligentem in poſterum cuſtodiam adhibuiſſent loco. quare ad rem cælandam, avertendumque cæſuræ fragorem, tunc cum maxime Romanus exercitus in ſumma muri impetum faciebat, non ſine vociferatione armorumque concuſſu, ut major ſolito ſonus ederetur, plenaque tumultus eſſet oppugnatio: cum vero jam murus, quouſque ſpelunca ſe porrigebat, ſuffoſus penderet, lignis tantum illis in altum ſtantibus ſuffultus tum arentium foliorum ſtrue & quicquid flammam facile recipit funditque ſubjecto, immiſſo igne ſubduxere ſe illico. Non multo poſt alente ſe incendio flagrarunt fulturæ, ut ferendo jam oneri non eſſent. ibi quicquid eis impendebat mænium vi ſubita ſidere labique in vacuum. Turres etiam & propugnacula abrupta ab iis quibus cohæſerant in præceps fundebantur. Porta autem ejus regionis anxie quidem, ut propinquo hoſte, clauſa

clausa tenebatur, servantibus clavem custodibus. sed & hæc tota cum vectibus repagulisque loco suo excussa in littus marisque scopulos projicitur. dissiliere simul omnia quæ connexa fuerant, postes, projecta, limen superum, & qui solo infixi fuerant cardines. His peractis, facilis videbatur Romanis aditus in oppidum, tutoque hostis posse contemni. sed ne sic quidem pro spe successus fuit: Fissuræ quippe & abrupta tum in colle ipso tum in citeriore ejus ambitu in longum spatium extensa confragosam transirique difficilem adhuc reddebant humum. Narses tamen audacter assultat oppidum, velut ipso impetu capturus: verum à Gotthis eo se conglobantibus strenueque sua tutantibus depellitur, nullo facto operæ pretio. Cum neque assidendo neque incursu capi oppidum quiret, constituit non ultra ibi totum fatigare exercitum, sed Florentiam, Centumcellas inque alia Thusciæ oppida se conferre, ut priusquam adveniret hostis res ibi constitueret. jam enim audierat cis Padum constitisse Leutharim & Butilinum cum Francicis Alemannicisque copiis. quare maximam illuc exercitus partem trahens, properat. Cum non multis ante diebus morbo interiisset Philimuth dux Herulorum qui in eo erant exercitu, propriumque eis ducem dari mos exigeret, popularem eorum Phulcarim Phanithei sorore genitum in eum locum promovet, eique mandat ut cum Iohanne Vitaliani & Valeriano, Artabane aliisque ducibus & cohortium præfectis, ac parte exercitus majore ac potiore Apennini juga circumeat, quæ Thusciam inter Æmiliamque se attollunt, donec ad Padum perveniat: ibi metatus castra firmissimis locorum antecaptis obstet hostibus iterque impediat. quod si penitus effectum dare posset, gratias agendas Fortunæ: sin id nequirent, superante hostium multitudine, at retardaret hostium iter,

iter, neque securos eis permitteret processus, sed terrorem quantum posset incutiendo retentaret eos quam longissime, donec ipse Narses destinata ordinasset. Et illi quidem quo jussi ibant. sed & ad Cumas Narses non modicam reliquerat manum, quæ moram juxta trahens, hostem teneret inclusum & longa obsidione, si aliter non daretur, subigeret oppidum. illi vallo cinxere Cumas, exitusque observavere, ut si quis pabulatum exiret eum caperent. credebant enim per annum jam circumsessis absumptas res necessarias. Narses oppida, quo advenit, pleraque cepit facili negotio. Florentini obviam progressi fide accepta nihil sibi nocitum iri, se suaque omnia sponte tradiderunt. Tantundem fecere Centumcellani, Volaterrani, Alsienses & Pisani. tam prosperis utebatur successibus, ut etiam in transitu cuncta subigeret. Soli Lucenses moram facere, deditionemque abnuere. quanquam ante pacta cum Narsete inierant, ut, ni intra tricesimum diem auxilia ipsis advenirent, tanta ut non de muris ac turribus sed aperto Marte ac prælio certare possent, tum oppidum continuo ei in manus traderent. sperabant enim brevi Francos adfore sibique opitulaturos: atque ejus rei fiducia quod dixi pepigerant. Iam vero cum dies condicta effluxisset, nec apparerent suppetiæ, libebat illis nihilominus conventa spernere atque exuere. Deceptum se Narses, ut par erat, graviter ferens oppugnationi se parat. Erant apud eum qui perdendos putabant obsides, ut suos lugens civitas perfidiæ pænas daret. At dux, ratione cuncta expendere solitus, nec iræ nimium concedere, eo sævitiæ devenire noluit, ut insontes alienum ob crimen plecteret, sed astum hujusmodi excogitavit. produxit obsides in apertum revinctos post terga decussatis manibus, capitibus cernuis, eaque specie miserabiles ostendit popularibus, comminatus

natus & interfecturum se continuo istos, ni civitas festinaret promissa implere. Ligna autem duo brevia cuique obsidum ab interscapulio ad cervicis nervos oppacta erant, atque ita velata panniculis ut ab hostibus, longe præsertim distantibus, conspici nequirent. cum oppidani imperata non facerent, jussit omnes ex ordine decollari. Spiculatores magna vi gladios incutiunt tanquam cervices abcisuri. ictu in ligna illiso nihil pejus passi obsides ita ut jussi erant proni cadebant, ac sponte palpitantes contrahentesque sese morientium imaginem præbebant. queis oppidani conspectis, cum ex magno satis intervallo non rem ipsam sed speciem rei obductam cernerent, lamentari cæpere ut in magno malo. Erant enim obsides illi non ex vulgo sed nobilitate fortunisque præcipui. Talibus orbatos cum se crederent Lucenses, ploratus undique & vociferationes mæstæ longæque. præcipue mulieres pectora plangentes ruptis vestibus in propugnacula procursabant, sive matres eorum qui periisse putabantur, sive filiæ, sive alio necessitudinis vinculo conjunctæ. Etiam Narsetem maledictis incessebant, superbum vocantes & improbum, qui inhumanum sanguinariumque ingenium ficta pietate & Dei cultu incrustaret. Talia clamantibus, an non vos ipsi, inquit Narses, consanguineis vestris causa estis exitii, qui iis contemtis atque proditis consilio pessimo jurisjurandi religionem sanctimoniamque federum violastis? sed si vel nunc agnoscere vultis id quod expedit, & effecta dare quæ pepigistis, nihil vobis perierit: reviviscent quippe obsides, & nec oppido vestro quicquam à nobis erit mali: sin recusatis, non hac vobis stabit dolor: cavendum ne universi paria patiamini. Hæc ubi audierant Lucenses dolum esse putabant quod dixerat eos qui ceciderant in vitam redituros. & suberat certe dolus, sed non qua parte ipsi existima-

iſtimabant. Promte igitur pollicentur ac jurant etiam, ſe voluntati ipſius oppidum ſuaque corpora permiſſuros, ſi vivos obſides videant. nam quia per naturam fieri non poſſe credebant, ut mortui vitam reciperent, ſpecioſum factu putabant, à ſe removere culpam & cauſæ ſuæ æquitatem circumdare. Tum Narſes confeſtim erectos juſſit ſtare obſides, ita ut à popularibus ſuis aſpicerentur incolumes atque integri. illi eos conſpicati, tam incredibili ſpectaculo, ut par eſt, commoti obſtupuerant. ne tum quidem omnibus placuit exſequi pacta, ſed fuere qui detrectarent. Nimirum cum ſuos ſalvos viderent, inque doloris ac luctus locum ſpes ſucceſſiſſet, vulgi more ad priora revolvebantur, vincente fas perfidia. Tanta cum eſſet Lucenſium vecordia, Narſes tamen, ut magni erat animi, obſides domum remiſit, neque pretium libertatis ullum depoſcens, neque per id ullas conditiones civitati extorquens. Mirantibus oppidanis, &, qua de cauſa id faceret, dubitantibus, moris mei non eſt, inquit, inanibus verbis & ſpe lubrica lactandum me præbere. Etiam absque his, niſi continuo deditionem facitis, iſti vos cogent, & gladios monſtrabat. At qui dimiſſi fuerant, immixti popularibus per omnes circulos Narſetis laudes prædicabant, commemorantes, quam comiter benigneque ab eo fuiſſent excepti: Tum ut ſuavis, ut affabilis, ut æquitate animi celſitatem temperaret, ſingulorum auribus inſtillabant. Brevique hi ſermones plus armis peregiſſent, mulcendo plebem diſcordem ac mutabilem, ita ut plerique inciperent ad res Romanas ſe vertere. Dum hæc Narſetem obſidio adhuc detinet, miſſæ in Æmiliam Romanorum copiæ rebus adverſis percellebantur, & , ut fit, animis languebant. Nam ut primum eo ventum erat, egerant cuncta conſulto atque diſpoſite. ſi quem vicum aut op-

pidum

pidum direpturi ibant, ſervabant ordines, neque longe inde ſe amovebant excurſores. ipſi receptus non temerarii aut diſſoluti, ſed compoſiti erant, locum ſuum ſervantibus queis mandatum aliorum terga tutari, ipſo agmine quadrato incedente, ſuoque complexu prædam ambiente mediam, quo rectius cuſtodiretur. Hoc modo cum primum hoſtiles agros eſſent populati, paucis poſt diebus cuncta in pejus fluxere. Herulorum namque dux Phulcaris, fortis ſane erat & hoſtile nihil metuens, ſed ferox idem ac turbidus, & extra quam ratio præciperet vehemens, ut qui boni ducis indicium poneret, non bene ſtruere ac regere aciem, ſed ſi ipſe in pugna conſpicuus aliosque præcurrens & ingenti ardore hoſti ſe inferens manu pleraque perageret, hoc opere lætus ac gloriabundus. Ac tunc forte plus ſolito amens, Parmam excurrerat, quod eo tempore oppidum Francis tenebatur. Rectum fuerat mittere primum exploratores qui hoſtium conſilia rimarentur: deinde ab his edoctum, iter facere ordinato agmine. At ille omne in audacia atque inconſulto impetu præſidium reponens, incompoſitum Herulorum agmen & qui è Romanis cohortibus aderant, curſim agit, nihil infeſtum ſuſpicans. ſed admonitus ejus rei Butilinus in amphitheatro ſub urbem ſito, in quo auctoritati in id homines ſpectante populo depugnare cum beſtiis ſolebant, dilectos ſuorum fortiſſimos robuſtiſſimosque abſcondit, prævalidisque inſidiis eum in modum oppoſitis tempus agendi opperitur. Poſtquam citra eos Phulcaris Herulique penetraverant, dato ſigno erumpunt Franci, ſparſimque & negligenter euntibus inſiliunt ſubiti, &, quemque nacti, promiſcue occidunt, perculſos quippe ſuperventu inopinato ac circumventos velut indagine. Pars maxima ubi tandem ſenſere quo malorum veniſſent, degeneres turpem ſa-

lutem quæsivere, tergis in hostem obversis, effusa fuga, non virtutis, non longæ armorum tractationis quicquam memores. ita dilapso exercitu suo dux Phulcaris cum satellitibus suis restans, non & sibi fugiendum putavit, mortem præoptans honestam quam vitam cum dedecore cladi superstitem. stetit igitur quam tutissimo potuit loco, tergum fultus sepulchri monumento, multamque hostium stragem edens, modo in eos procurrebat, modo retrahebat, vultu semper in hostes obverso. cum fugam facile posset capere, idque eum comites sui orarent, & quomodo, inquit, perferre possem Narsetis linguam temeritatis mihi exprobratricem? Ergo maledicti, ut videtur, quam ferri metuentior, mansit in loco, & pugnare perseveravit indefessus, donec multitudine obrutus, multis pectus telis transfixus, impressa præterea in caput securi, moribundus in scutum procubuit. Inde cæteri omnes passim cædebantur, quicunque cum eo sua voluntate sive ab hostibus inclusi permanserant. Ita Phulcari, ex quo dux suæ gentis factus est, non diu frui honore licuit, sed post fortunam prosperam brevem, ut ii qui in somniis læta conspiciunt, finem fecit imperii vitæque. multum hoc successu elati sunt obfirmatique Francorum animi. Tum vero & Gotthi, qui Æmiliam, Liguriam & contermina habitabant, cum antehac cum Romanis pacem societatemque iniissent non veram sed subdolam, metu eo adducti quam sua voluntate, hoc nuntio ad audendum erecti, aperte rumpunt federa, & barbaris, conciliante simili vitæ genere, se adjungunt. At Romanorum copiæ, quibus Iohannes Vitaliani, ut dictum est ante, & Artabanes præerant, cumque his quicquid Herulorum agminis fuga servaverat, Faventiam contulerant sese. Ad Parmam enim hærendum sibi diutius non putabant, quod non longe essent hostes

& tam

& tam inopinata felicitate exſultantes non cum modo haberent fortunam. quippe & Gotthorum oppida eis ſe pandebant, & capto caſtello bene firmo, jamjamque irruituri in illos quos dixi timebantur. Hanc ob cauſam duces quam proxime Ravennam accedendum, atque ſic vim hoſtium, quam ſua ſuperiorem hoc tempore credebant, vitandam cenſuere. Narſes, hæc cum ipſi nuntiata eſſent, indoluit & Barbarorum faſtu & amiſſo Phulcare, viro non è multis, egregie quippe forti, multisque victoriis inclito, & tanto, ut, ſi prudentia robori adfuiſſet, nunquam de eo gaviſuri fuerint hoſtes. His de cauſis mæſto quidem triſtique erat animo, non, ut alii ſolent, abjecto pavidove. quin & exercitum ſuum, quem caſu inopinato perculſum videbat, concione advocata alloquendum ſibi cenſuit, ut ſanato metu ad audendum eos revocaret. Erat enim Narſes imprimis mente validus, acer, ſollersque aptare ſe temporibus, & quanquam literis tinctus non erat, nec ad eloquentiam exercitus, compenſabat hæc ingenii felicitate, nec conſiliis exprimendis verba deerant, mirum in ſpadone interque aulæ delitias educato. Corpus illi natura breve, curatura etiam gracile, ſed fortior & celſior quam credi poſſet animus. Adeo ubicunque libertas generoſa in pectore eſt, ne quis vir ſit optimus, cætera non impediunt. Narſes itaque medius ſuorum hæc cæpit dicere. Solitis hoſtem vincere, & res habere proſperas, ſi vel ad breve tempus acciderit quod non putarant, defluit gaudium, ſpes hebetantur. Ego vero ſapientum reor, non nimium inflari aſpirante fortuna, ſed cogitata rerum mutabilitate ad eam animum componere. Talibus læta quidem quæ proſpera, at ſi quid ſecus ceciderit, haud nimius dolor. Vos ego intueor, milites, plus æquo mæſtos: nec aliunde id vobis evenit, quam quod vincendi aſſuetudine ſupra modum

 elati,

elati, nihil vobis credidiſtis poſſe accidere adverſi. ſi hac opinatione excuſſa rem qualis per ſe eſt ſpectetis, apparebit non tam gravis & atrox quam videtur. Si Phulcaris, dux Barbarus & more gentis præferox, cum tanta hoſtium multitudine acie inordinata congreſſus, malum invenit, quod exſpectari par erat, non ideo & vos concidere animis & deſtinata deſerere oportet. Turpe enim ſit, ſi cum Gotthorum pauci, gentis exitio ſuperſtites, ſocios ſibi parent, nobis labores novos; neque tantis fracti cladibus deſperent; nos non alio perſuaſi victos non eſſe, quam quod non ſatis vicimus, tot priora decora prodamus animi alacritate abjecta. quin eſt quod de caſu hoc gaudeamus ultro. caſtigata quippe eo eſt nimia felicitas, detractaque nobis pars magna invidiæ, & velut novis auſpiciis in pugnas denuo cum fiducia eundum. Nam ſi numero ſuperbit hoſtis, nos eos, ſi ſapimus, diſciplinæ cuſtodia facile ſuperabimus, bellaturi præterea in externos & ut credibile eſt rerum quibus vivitur inopes. Tum vero receptum nobis, ſi opus ſit, præbebunt oppida & caſtella quæ illis deſunt. Aderit nobis & Deus jure noſtra repetentibus, cum illi inhient alienis. Vſque adeo ad timendum nobis nulla cauſa eſt, ut ad optime ſperandum nulla deſit. Quare Lucenſes iſtos ab obſidii malis reſpirare non patiamur, ac veſtrum ſe unusquisque ad cuncta belli munia promtum exhibeto. Hoc ſermone cum confirmaſſet exercitum Narſes, Lucam diligentius quam ante obſidet. Succenſebat interim ducibus aliis, quod, relictis locorum maxime opportunis, Faventiam ſe contuliſſent, quo facto recte ipſi conſtituta corruperant. Namque copias illis attributas circum Parmam voluerat eſſe velut propugnaculi vice, ut hoſtem vetarent procedere, ipſe interim tempus ad Thuſciæ res conſtituendas, quod ſatis eſſet, nactus, mox ad ipſos perveniret.

niret. Nunc contra evenerat, ut illis longe digreſſis, qui Narſeti aderant primi ad hoſtium vim paterent. quod minime tolerandum ratus, miſit ad eoſdem duces hominem ſibi familiarem, cui nomen Stephanus, patria Epidamnus Illyrica, qui exprobraret ipſis ignaviam, apertumque faceret teneri eos deſertæ reipublicæ, niſi ad imperata loca continuo redirent. Stephanus mandata exſecuturus, aſſumtis equitibus ducentis præſtanti virtute atque armis, properat iter laboris ac ſollicitudinis plenum. Pars enim Francorum illos campos percurſabat, partim pabuli, partim prædæ ex agris raptandæ cauſa. ob id noctu plerumque pergebant Romani, conglobati inter ſe & vicibus terga ſervantes, ut, ſi opus eſſet, prælio invenirentur non imparati. Audire erat ululatus agreſtium, & boum qui abigebantur mugitus, & fragorem arborum quæ cædebantur. Tales inter ſtrepitus ægre Faventiam & ad exercitus pervenere. Ducibus conſpectis Stephanus, quid egiſtis, ait? ubi veteres gloriæ, ubi novarum victoriarum promiſſa? quomodo Lucam capiet & cis Apenninum ſita pacabit Narſes, ſi vos, non aliter quam ex convento, tranſitum hoſti datis, & quicquid ei lubet agere liberum facitis? Et ego quidem nihil inclementius dicam, ſed non deerunt forte qui ignaviam id vocent, contemtumque boni publici. Ni properatis Parmam redire, non deſinet Narſes iraſci vobis & imputare ſiquid ultra mali evenerit. ſimul & hoc videte, ne & Imperatorem ſentiatis implacatum. Satis intelligebant duces, Narſetis audire ſe verba, neque dicere poterant per injuriam ſe objurgari. excuſationes tamen quasdam obtendebant facto, quaſi coacti emigrare, quod in vicinis Parmæ locis alimenta non ſufficerent militi, neque vero adfuiſſet Antiochus magiſter militum, cui curæ talia, neque ſtipendia de more perſoluta eſſent. Stephanus Ravennam

ut venit, illico inde magiſtrum militum adduxit ad duces, & difficultatibus omnibus remedia adferens, effecit ut ad Parmam reverſi caſtra ibi figerent. His curatis ad Lucam ſe referens, optimo animo Narſetem eſſe juſſit & cum prudentia cæptis inſiſtere. non enim ultra hoſtem obſtiturum, cujus repreſſi impetus eſſent, Romanis copiis in locum veterem repoſitis. Narſes neutiquam ferendum ratus Lucenſes ob lentum obſidium tam diu reſiſtere, audacter mænibus propinquat. Admoventur machinæ, quas Græco vocabulo helepoles vocant, in muri coronam ignita tela mittuntur, lapides præterea ſagittæque in eos qui intervalla turrium tuebantur: alicubi etiam luxari cæperat mænium compages, & omnis malorum facies circumſtare oppidum. qui obſides ante fuerant, diligentius jam res Romanas promovebant: & paulo minus permoverant populares ſuos. ſed qui Francorum nomine cuſtodiæ oppidi aderant, inſtigare plebem, &, armis ut hoſtem pellerent, hortari aſſidue. Igitur portis apertis ſubiti in Romanos irruunt, hac audacia victoriam ſperantes, reipſa parum hoſtibus, ſibimet plurimum nocituri. Nam plerique ipſorum Lucenſium jam inclinato per deditionis ſuaſores animo pugnam averſabantur. Poſtquam multa conantibus nihil ſucceſſerat, multis ſuorum amiſſis, turpem faciunt fugam, & mænibus redditi arctius deinde premuntur, ut egredi ultra non liceret. Tum univerſi, non alia ſpe ſalutis reliqua, ad neceſſitatis imperium mutarunt ſententiam, & conſilia à tempore ſumſerunt. Et cum fidem dediſſet Narſes, ſe ipſis ob ante acta infenſum non fore, dedidere oppidum, Romanumque exercitum læti admiſere, feſſi trimeſtri obſidio, ſeque Imperatoris in ditionem reddiderunt. Narſes, Luca potitus, cum nihil hoſtile ea in regione reſtaret, neque morandum ibi cenſuit, neque vel minimum intermit-

tendos

tendos labores: sed relicto ibi Bono, duci orto è Mysia Danubio prætenta, viro summe prudenti rerumque tam civilium quam bellicarum egregio, tradit copias, quantæ Barbaros, siquid novarent, reprimere facile possent. Hoc curato, Ravennam iter instituit, ut qui illic erat exercitum in hyberna distribueret. Nam cum finisset autumnus & bruma immineret, non existimabat bellandum sibi illo anni tempore. id enim fuisset res Francorum agere, quibus æstus inimicus & animo quoque languorem adfert, unde per æstatem pugnare volentibus non est. vegetantur frigore, tunc firmissima corpora, tunc dulcis labor. Gelida quippe patria natis familiare & velut cognatum algere. Hac de causa moram interponere statuerat, bellumque in annum posterum differre. Divisum igitur in tribunos præfectosque exercitum oppidis & castellis, quæ in proximo, hybernare jussit: vere autem novo Romam omnes concurrere, ut inde structo agmine prodirent. Milites, quo cuique mandatum, discessere. Narses secum Ravennam duxit servitia tantum sua & satellites, & magistratus ejus quem gerebat apparitionem, cui curæ prætorium, tum decori causa, tum ne promiscue ad eum pateret aditus. His Romanum à cancellis, circa quos morantur, nomen est. sequebatur & Zandalas primicerius domesticorum, familiaque cætera, & eos inter ministri cubilis spadones. cum his, qui universi supra quadringentos non erant, Ravennam, ut dixi, ibat. Interea Aligernus Fredigerni filius frater Teïæ, memoratus mihi & ante in Cumarum obsidione, postquam Franci in Italiam venerant & ab iis pendere res Gotthorum cæperant, solus ostendit intelligere se quid expediret, & de futuris rectum judicium facere. Expendenti enim quæ gerebantur, in mentem venit, Francos honestum captasse titulum societatis ut acciti ve-

nire viderentur: ſed apparituram aliud illos agere: neque vero ſi Romanis ſuperiores fuerint, Italiam conceſſuros Gotthis, ſed reipſa illis primum impoſituros jugum quibus verbo auxiliatum veniſſent: vivendum mox Gotthis ſub Francis magiſtratibus, carendum patriis legibus. Hæc ſæpe cogitans ſecumque revolvens, ſimul feſſus obſidii ærumnis, rectius duxit oppidum & pecunias Narſeti tradere, partemque ſe facere Romani poſthac imperii, abdicatis periculis & Barbaricis ritibus. quippe ſi Gotthos Italiam tenere fata non ſinerent, optimo jure eam redituram ad veteres dominos & ſtirpitus indigenas, ne hi æternum ſuis domibus exſularent. Hæc & ipſe pro ſua parte decrevit exſequi, & popularibus recta ſapiendi exemplum dare. quare cum ſignificaſſet obſidentibus, velle ſe conventum ducem, idque impetraſſet, Claſſes ivit, caſtellum Ravennæ ſuburbanum, ubi tunc eſſe Narſetem cognoverat. Eumque ut vidit, clavibus Cumarum traditis, cuncta ſe facturum ejus in gratiam promiſit. Narſes benigne accepto reſpondit, cumulate ſe vicem beneficio redditurum. ſtatimque partem eorum qui in caſtris ad Cumas erant juſſit intra mænia ingredi oppidumque & pecunias tranſſumere & diligenter adſervare. cæteros autem milites in alia oppida caſtellaque hyematuros ire. omnia ut juſſerat facta. Cum Herulorum manus proprii rurſum ducis egeret, vota gentis in duos viros inſignes ambos, dubio uter utri præſtaret, diviſa ſunt. multi Aruthem maximi facere, cunctaque proſpera illo duce ominari; pro Sinduale alii nitebantur, ut ſtrenuo manu, bellis exercito: quibus Narſes accedens, hunc prætulit, & Herulis quoque ſua monſtravit hyberna. Aligerno autem præcipit Cumas ut iret, & cum veniſſet, mænibus conſcenſis inde ſe cunctis tranſeuntibus conſpicuum agnoſcendumque daret. Hujus conſilii

ſilii ea fuit ratio ut Franci, nam illac prætergreſſuri erant, cognito Aligerni transfugio, & iter Cumas & ſpem pecuniarum ex animo projicerent, forte & de belli ſumma, ereptis quippe munimentis omnibus, deſperarent. ille de ſublimi prætereuntes Francos conſpicatus, cæpit illudere ut ſero feſtinantibus omni jam occaſione elapſa, quippe cùm tenerent jam Romani gazam Gotthicique imperii inſignia, ita ut ſi quis poſthac rex à Gotthis fieret is nihil habiturus eſſet quo ſe oſtentaret præter militare ſagum, privatis par habitu: Franci regerere convitia, proditorem appellare gentis ſuæ. Sed ambigui hærebant intuitu præſentium, hoc ipſum inter ſe diſputantes, perſeverandumne in bello eſſet. Vicit tamen ſententia, ne quid mutaretur, ſed inſtaretur cæptis. Inter hæc Narſes Ravennam poſtquam venerat, locutus cum iis qui ibi erant militibus rebusque bene conſtitutis Ariminum ivit, cum ſuo quem modo deſcripſi comitatu. Nam mortuo non ita pridem Vaccaro gente Varno, viro acri & bellicoſo, filius ejus, cui Theudebaldo nomen, cum Varnis qui ipſum ſequebantur, Romani Imperatoris militiam concupivit & de eo cum Narſete acturus venit Ariminum. Ea Narſetem eodem cauſa perduxerat, ut multa donatos pecunia barbaros ſocietati Romanæ devinciret. Dum ibi moratur, Francorum duo millia, pedites partim, partim equites ad prædas ac populationes à ducibus ſuis miſſi ſub urbem agros vaſtabant, trahebant ruris boves, cunctaque pro libidine agebant, intuente ipſo Narſete. fortè enim in ſublimi cænaculo conſederat, unde deſpectus erat in campos. Is turpe ac ſe indignum ratus ſi inultus talia cerneret, equum conſcendit, generoſum quidem ſed fræno audientem, quique non temere jactaret ſe ac ſubſiliret, ſed progredi reflectique uſu didiciſſet. Suorum ſequi ſe juſſit quotquot belli non

li non expertes erant. Hi trecenti admodum, insessis equis, cum duce in hostes invehebantur. quos ut appropinquantes videre Franci, non ut ante sparsi palabantur, neque de præda cogitabant, sed pedites equitesque congregati in aciem constitere non multum porrectam, (qui enim possent pauci numero ad rapinas egressi?) validam tamen scutorum continuatione & adductis in artem cornibus. Romani ut ad teli jactum accesserant, concurrere cum hostibus bene compositis non ex re sua arbitrati, jaculis missilibusque aliis conabantur labefacere primores, frontisque compagem solvere. At illi egregie protecti scutis stabant intrepidi, inconcussi, nusquam interrupta ordinum serie. & forte silvam juxta densam nacti arboribus ejus pro vallo utebantur. Defensabant se & hastarum conjectu quas patrio sermone angones vocant. Cùm damni vix quicquam paterentur, Narses ad commentum se vertit barbaricum Hunnisque usitatius: jussit enim suos vertere terga, & cursu concitato retro cedere, velut fugientes metu, ut sic Francos à nemore remotos in camporum aperta prolicerent, sibi cætera curæ promittens fore. illi, ut jussum, in fuga se dant. Decepti ea specie Franci, qui verum pavorem suspicabantur, audentiores aciem dissolvunt: relictaque silva persequi incipiunt, primis equitibus procurrentibus, deinde peditum qui robustissimi velocissimique. Ardebant omnes velut ipsum Narsetem vivum jam jamque capturi, & facili negotio exoptatum bello imposituri exitum: gaudioque ac spe gestientes, ordinis cautionisque omnis immemores ruebant. Romani effusis habenis in ulteriora ferebantur: diceres reipsa impulsos formidine. tam prope ad verum accedebat simulatio. Postquam barbari longe à nemore campis patentibus spargebantur, tum vero, jussu ducis, gregatim Romani convertunt equos,

equos, & contrario capto itinere, insequentibus frontem opponunt obvii, cunctosque inopina rei facie perterritos cædunt truduntque, donec vicissim fugêre Franci persequentibus Romanis. Sed barbarorum equites, intellecto periculo, ad silvam, inde ad exercitum revecti salutem sibi peperere. Ad pedites turpi fato occubuere, ne manum quidem movere ausi. adeo eos subita rerum mutatio consternatos velut mente orbaverat. jacebant passim velut suillum aut ovillum pecus fæde lancinatum. His interfectis, flore ipso Francorum, numero ad non gentos, alii gentis ejus qui per diversa loca vagati fuerant, abiere ad duces suos, intutum rati à corpore suo divelli. Narses Ravennam rediit atque ibi rebus ordinatis, Romam perrexit hyememque in urbe transegit.

EX LIBRO SECVNDO.

VEr inierat, cùm ex imperio Romam convenere copiæ: quas Narses ut plurimum in campo exercebat, firmabatque animum belli meditamentis: nunc currere jubens, nunc in equos se injicere, modo armata saltatione moveri, plerumque tuba Martium canente circumstrepi, ne per otiosam hyemem militiæ obliti, mox inter pericula segnes se ostenderent. Interim barbaris vacuum fuit, agere, raptare locorum plurima. Romam quippe & contigua longe prætergressi, ultra procedebant, dextrum habentes mare inferum, parte altera oram late diffusam quæ infero pelago alluitur. Postquam Samnium, nomen id regioni est, attigerant, scindunt se bifariam. Butilinus cum majore eademque validiore parte exercitus Tyrrheno adhærens littori

Cam-

Campaniæ pleraque vaſtabat, mox in Lucaniam Brutiosque penetrans fretum uſque pergebat, quod Italiam extimam ab inſula Sicilia diſpeſcit. Leutharis cum reliqua manu Apuliam Calabrosque infeſtabat: ac poſtquam Hydruntem venit, qui in ipſo confinio eſt Adriæ & Ionii maris, quotquot aderant gente Franci magna religione ac reverentia ſacris ædibus parcebant, ut qui rectas legitimasque de Deo ſententias ſequerentur, ut dixi alibi, rituſque haberent Romanis concordantes. At Alemannicæ originis qui erant, quippe alia perſuaſi, templa diripere ac nudare: multas auferre urnas ſacris dictas uſibus, multa aquæ luſtralis conceptacula aurata, pocula nec minus, & caniſtros & quæ alia ſanctiſſimis cæremoniis inſerviunt, eaque cuncta pro ſuis habere. neque his contenti, templorum tecta dejicere, movere fundamenta. manabant delubra ſanie, agrique inſepultis ubique corporibus fœdabantur. Non tarda ſacrilegos ſecuta eſt pæna: alios bellum, alios morbus abſumſit, nec cuiquam rata fuit fruendi ſpes. quippe juris Deique contemtus deteſtanda ſemper atque exitialia, ſed nuſquam magis quam in bello atque acie. Patriam tutari legeſque avitas, hæc violantibus nihil cedere, quin omni modo eos ulciſci, pium ac forte haberi fero. At qui lucri cupidine, aut improbo odio, cùm nihil habeant quod jure alios criminentur, alienas terras invadunt, innocentibus graves, hi inflati ſunt & inſolentes, extra æqui bonique ſenſum, nihilque penſi habent an Deum factis ſuis offendant. Supplicia igitur eos ſequuntur acerba, & calamitoſus rerum exitus, quanquam ad tempus felices creditos: qualia & Leuthari huic & Butilino evenisse jam videbimus. Nam poſtquam impia iſta patraverant, onuſtique erant nefariis ſpoliis, vere jam elapſo, æſtate quin etiam adulta, Leuthari ducum alteri placebat domum redire,

redire, & parta copia frui. miserat & nuntios ad fratrem, hortans eum ut quam primum & ipse abiret, seque absolveret à bello & venturi incerta sorte. At Butilinus, tum quod jurasset Gotthis se in bello contra Romanos cum ipsis perstiturum, tum quia rumore sparso deliniverant eum Gotthi, velut regem ipsum facturi, manendum sibi censebat, pactaque implenda. His ergo motus causis substitit ille, belloque se paravit. Leuthari cum suo agmine abeunti consilium erat, ubi domum venisset prædamque in tutò collocasset, auxilia fratri mittere. Sed neque ipsi destinata provenerunt, neque fratri suo opitulari potuit. Ad Picenum usque eunti nihil obvium hostile. Eo ut venit; Fanum ad oppidum sedet ipse castris. misit autem de more præcursores speculatoresque tria millia, non tantum ut prospectarent quæ agebantur, sed ut & hostem, si quis se offerret, propulsarent. Artabanes & cum eo Vldaches Hunnus, (nam Pisaurum coëgerant Romanam Hunnicamque manum, itineribus insidiaturi; ut præcursores illos viderunt, per ipsas littoris Adriatici arenas gradientes, effusi ex oppido insiliunt improvidos, ipsi optime ordinati, multosque gladiis trucidant. Nonnulli vitando periculo in scopulos littoris abruptos enisi, præcipites se in mare cum jecissent, vi undarum abrepti perierunt. Attollit enim ibi se littus, & velut collem facit, non facilem aditu incursuve, nec ubi superaveris clemente descensu, sed lapsui oportunum, modo sub jacentibus cavernis, modo in pelagi profundum inclinante se supercilio. His modis pereuntes multos conspicati alii, sparsim fugiunt, magnisque clamoribus & ululatu injicientes se in castra, cuncta implent tumultu ac trepidatione, velut superventuris jamjam Romanis. Leutharis ad pugnam se comparans, suos excitat: qui armis propere sumtis consistunt in aciem,

pro-

projectis in longum ordinibus. Dum id agunt, nec aliud eos cogitare tempus ſinit, captivorum plerique incuſtoditi fruuntur illorum negotio, nec tantum fugiunt ipſi, ſed & de præda quantum poterant deportant in vicina oppida. ſed cùm Artabanes & Vldaches, impares ſe pugnæ rati, non educerent exercitum, Franci, diſſoluta jam acie, ad rerum ſuarum curam reverſi, quantum damni fecerint cognoſcunt. ac priuſquam plus acciperent mali, optimum factu judicarunt quamprimum à Fano in ulteriora digredi. Moventes inde, relicto ad dextram Adria & ſabuloſo littoris itinere, per Apennini radices procedunt, velut Æmiliam Alpeſque Cottias petituri. Sed Pado non citra difficultatem transmiſſo, in Venetiam deflectunt, Ceneſæque conſiſtunt, quod tum oppidum in ipſorum erat poteſtate. Hic in tuto quidem erant, ſed dolebant cruciabanturque, ita ut appareret, animi, dum pauca vident prædæ reliqua, tantosque ſibi labores factos utilitatum ſteriles. Sed neque hac ſteterunt ipſis adverſa. Nam mox orta lues peſtifera multitudinem depaſcitur. multi cauſam referebant ad cæli circumfluentis vitium: alii ad mutatam vivendi rationem, quod ab actibus bellorum longisque itinerum repente ad mollia ac delicias transiiſſent, veram interim cauſam, ni fallor, non attingentes. Ea enim erat, me judice, immanitas facinorum, ſpretis Dei hominumque legibus. Conſpicua maxime in ipſo duce divina ultio. Vecordia enim inſaniaque, plane ut rabidi ſolent, agitabatur. trepidabat corpus: ejulatus edebat horrendos: & modo pronus, modo in hoc, rurſumque in alterum latus humi cadebat, manante ſpumis ore, trucibus diſtortisque oculis. Eo denique furoris venit homo miſerandus, ut ſuos ipſe artus veſceretur. infixis namque in brachia dentibus carnes avellebat, mandebatque ut feræ

feræ ſolent, ſanguinem lingens. ita ſimul & impletus ſui, & paulatim decreſcens, eum finem vitæ infeliciſſimum habuit. moriebantur interim & alii, nec remiſit malum donec omnes abſumſerat. febre ardentes plurimi, mente tamen integra moriebantur. alios capitis gravedo vexabat, aliis aderat delirium: varia malorum facies: unus omnibus ad mortem exitus. Hunc terminum expeditioni Leutharis & qui eum ſecuti ſunt, fortuna conſtituit. quæ dum in Venetia aguntur, ducum alter Butilinus cum freto Siculo tenus oppida caſtellaque pæne omnia populatus eſſet, reverſus iter in Campaniam Romamque cepit, ubi Narſetem agere viresque Romanas colligi intellexerat. Neque enim cunctandum ſibi amplius, palandumve cenſebat, ſed toto exercitu Martis ſubeundam aleam: eoque magis quod jam & ad ipſos milites morbi pervaſerant, multis exitiales. Exacta quippe æſtate cæperat autumnus, vitesque erant uvis gravidæ,& ipſis rerum aliarum inopia, quòd alimenta cætera Narſes prudente conſilio præripuerat. Uvas itaque manibus preſſantes, educto liquore, vini odorati imitamenta peragebant. Hinc concitari ac fluere alvus: interire non pauci: nonnulli & evadere: Ergo antequam ad ſuperſtites malum perveniret pugnare feſtinabat, qualiscunque tandem futurus eſſet eventus. In Campaniam ut venerat, caſtra ponit Capua non longe in Caſilini fluminis ripa, quod ex Apennino decidens multum oberratis campis, in mare Tyrrhenum evolvitur. Hic vallo egregio circumdat exercitum, fiſus & loco. nam dexter labens amnis & ipſe pro munimento erat adverſus hoſtiles incurſus. Sed & rotas curruum, quos habebat plurimos, contiguas inter ſe ſtantes immerſit ſolo mediolo tenus, ita ut pars tantum orbis altera emineret. His lignisque aliis cum ambiiſſet caſtra, non latum reliquit ſpatium

tium inobſeptum, per quod in hoſtem exitus & ab hoſte reditus pateret. Ac ne, omiſſa pontis amnem jungentis cura, damnum inde acciperet, eum occupat, turreque adfabricata lignea, viros fortes optimeque armatos in ea præſidio locat, qui locum tuerentur, Romanosque tranſitum molientes arcerent. His ita diſpoſitis, cuncta ad uſum præſentis temporis bene proviſa credebat, ſuæque poteſtatis fore inchoare prælium, nec ante pugnatum iri quam ſibi placeret. quæ fratri in Venetia acciderant, nondum cognoverat. ſed mirabatur, quod auxilia ab eo ut convenerat non mitterentur non tardaturum ſuſpicans, niſi quid interveniſſet adverſi. attamen & abſque eo victoriæ ſpem præceperat, hoſtem etiam ſic numero ſuperans. Nam ad triginta millia aptorum prælio perveniebant ei exercitus reliquiæ, cum ſub Romanis ſignis plus octodecim millia non eſſent, ipſe promtus animo milites monebat conſiderare, nihil leve in hoc prælio verti. aut Italiam, inquit, poſſidebimus cujus ergo ventum eſt, aut mors nos manet, eaque turpis. Nonne igitur, viri fortes, illud huic anteponendum eſt? nam id quidem dubium non eſt, quin ſi officium noſtrum facimus, optatis frui liceat. Hæc atque his ſimilia Butilinus hortamenta ſuis continue adhibebat. atque illi ſpe bona pleni arma parabant, ut mos cuique: cerneres hic ſecures acui: ibi haſtas gentilitias, quibus angonum nomen: alibi fracta ſcuta ad uſum refici: & hæc quidem omnia parvo negotio. Parabilis enim eſt, quantum intelligo, gentis ejus armatura, nec multis opificibus indigens, ſed ab ipſis quibus geſtatur facilis, ſi quid luxatum ſit, reconcinnari. Loricas & tibialia plane ignorant: intecti caput plerique, pauci galeati præliantur. pectus & terga nudi lumbos usque: inde feminalia induuntur ad tibias deſcendentia è lino alii, non-

nulli

nulli è corio. Equis nisi pauci admodum non utuntur, avito more & educatione ad pedestrem pugnam exerciti. Ensis à femore, à sinistro latere clypeus dependet. Arcus, fundas, & quæ alia eminus feriunt non habent, sed ancipites secures & angones maximorum operum instrumenta. Sunt angones hastæ neque magnæ omnino, neque nimium exiguæ, tales ut & jaci possint, & si conserta manu pugnandum sit incussu validæ. Pars harum maxima ferro obducta est, vix ut hastile appareat, & id qua terræ infiguntur. in summo ad cuspidis latera spicula prominent hamorum in modum ad inferna se inflectentia. Non temere inter pugnandum angonem emittit Francus: si corpus intraverit, penetrat cuspis, nec facile se ea liberaverit qui vulnus accepit. Prohibent enim unci inhærentes carni, tantosque excitant cruciatus, ut etiamsi cæterùm lethalis ictus non fuerit, dolor ad interitum satis sit. quod si impactus sit clypeo, dependet & cum eo circumagitur, parte extima solum verrens. Neque potest qui impetitus est aut evellere hastam spiculis retinentibus, aut gladio abscindere, quod ad lignum pertingere nequeat, ferro intercedente. id simul conspexit Francus, partem anconis infimam instans ac premens pede, prægravatum deducit clypeum, ita ut ferentis cedat manus, caputque ejus & pectus nudetur. Sic patentem nactus, nullo negotio interficit, aut securi in frontem adacta, aut hasta alia gulam transverberans. Talia sunt Francis arma, quibus tum prælio se aptabant. At Narses Romanorum dux, hæc ubi cognovit, omni cum exercitu Roma egressus, castra ponit ita non remota ab hostibus, ut & fragor audiri eorum & spectari vallum posset. Postquam mutuo conspicere se potuerant infensi inter se exercitus, strui crebro utrinque acies, multæ stationes, intentæque vigiliæ, obibant suum militem duces: spes, metus,

tus, consiliorum inconstantia, & qui certaturos de rebus summis invadere solent miri motus animorum, nunc his nunc illis oboriebantur. Italiæ urbes à futuri casu suspensæ nutabant, utro se darent ambiguæ. interea Franci proximos vicos raptantes alimenta non clam sibi auferebant, quod ubi vidit Narses graviter tulit, & erubescendum sibi censuit, si hostium calonibus liceret ita secure circumsita perambulare, velut hostile nihil in conspectu foret. quare id non ferre ultra, sed omni vi prohibere constituit. Erat inter Romanos præfectos Chanaranges Armenius, vir fortis ac prudens, & ad pericula, quoties oporteret, intrepidus. Huic Chanarangæ (tendebat enim fine castrorum, hostem proxime) mandat Narses, ut impetu in barbarorum plaustrarios facto damnis eos coërceret quam maximis, nec pabulari sineret. Et ille cum paucis turmalibus suis evectus cætera plaustra abducit, interfectis qui agebant. Vnum eorum onustum silvestri veterique fæno ad turrem admovet, quam à Francis impositam ponti jam ante memoravimus. ubi appropinquatum est, ignem immittit fæno, qui in flammam illico exardescens spargensque sese, turrem, utpote ligneam, corripuit incendio. qui in præsidio erant barbaris, cum eam pestem adeo arcere non possent, ut jamjam ad ipsos perventura videretur, visum est loco decedere. Evaserunt ægre, nec fugere ante desierunt quam suorum castra introgressi sunt. Pons Romanorum factus est. His rebus eum in modum se habentibus Franci damno, ut gentis ingenium est, commoti arma spectabant. ira scilicet rabidi animo imperare non poterant, sed sine modo stolideque audaces, nec quietis patientes nec moræ, eo ipso die certare armis cupiebant: quantumvis prædicto ab Allemannis vatibus non pugnandum eo die, aut si facerent, instare exitium. Ego quidem censeo

seo etiamsi postero aut alio die commissum esset prælium, idem passuros fuisse quod tunc passi sunt. Neque enim temporis mutatio satis valebat ad eximendos eos suppliciis, quæ impietate commeruerant. Sed sive casus ita tulit, sive Alemannorum vates futura, qualicunque tandem modo, conjectaverant, non vana visa est plerisque neque irrita fuisse divinatio. Nunc quæ secuta sunt, ordine quæque suo, quam potero curatissime, persequar. Franci ita ut dixi animati armisque instructi erant. Eduxit & suos castris Narses armatos in locum in quo ordinanda erat acies. movebat jam se exercitus, & dux equo insederat, cum nuntiatur ei Herulorum quidam non è vulgo sed clarus inter suos & ortu nobilis servum suum ob culpam nescio quam fœde trucidasse. Fræno igitur equum inhibens, homicidam in medium protrahit, non fas existimans aggredi prælium, nisi expiato hoc facinore. Cùm rem perscrutanti barbarus factum agnosceret, nihil inficiatus, quin & jus diceret dominis mancipiis suis quod vellent statuere, ut cæteri, nisi bene parerent, idem sibi scirent imminere. videns Narses nihil pænitentia motum hominem superbire ultro & esse grandiloquum, satellitibus suis imperat eum interficere. Et ille quidem transfossus ilia moritur. At Herulorum multitudo, ut barbara, indignabunda prælio subducere se agitabat. Narses lætus abstersa piaculi labe, nec Herulos nimium curans, in aciem progreditur, clamatque ut cuncti exaudirent, victoriæ qui particeps esse vellet, is se ducem sequeretur. Tanta illi erat in Deum fiducia, ut velut futuri certus in rem ferretur. At dux Herulorum Sindual turpe ac probrosum putabat fore, si tanto in certamine ipse milesque ipsius desertorum crimen incurrerent, crederenturque hostium formidine teneri, sed metui obtentum facere studium hominis mortui. ob

 id

id quietis impatiens ſignificat Narſeti, paulisper opperiretur: jam & ſe adfuturos. Reſpondit Narſes, moræ non eſſe tempus: curæ tamen ſibi fore ut locum convenientem in acie haberent etiamſi aliquanto pòſt advenirent. Heruli igitur bene armati ordinatique incipiebant incedere. Narſes ubi ad locum prælio electum pervenerat, ſtruxit aciem. Latera tegebant equitum alæ, levibus cum haſtis peltisque & arcubus, accinctæ & gladiis. quibusdam & ſariſſæ erant. Ipſe in dextro cornu conſtitit, unaque domeſticorum ejus præfectus Zandalas, ſervitii ac miniſterii quicquid arma ferre poterat, ſecum habens. Parte altera Valerianus & Artabanes cum ſuis: ſed his præceptum occultari ad tempus inter nemoris umbras, & cum cæpiſſent confligere hoſtes, tum è latebris in eos irruere & circumventos includere. His interjecta pedes implebat. in fronte primores loricati ad pedes usque, galeis tecti firmiſſimis, præterea ſcutis conſertis ſe obſepſerant. inde longa ſerie poſt alios alii, donec extremi ordinum in agros deſinerent. velites & quorum in jaciendo vis eſt, terga circumcurſabant, tempus opperientes quo tela expedire juberentur. vacabat media in acie deſtinatus Herulis locus: nondum enim advenerant. interea Herulorum duo, qui aliquanto ante ad hoſtes perfugerant, ideoque poſtrema Sindualis conſilia ignorabant, non deſinebant incitare barbaros, quamprimum ut in Romanos inſilirent. Reperietis, ajebant, diſcordes ac turbidos, dum irati Heruli prælium detrectant, horumque ſeceſſione conſternantur cæteri. Butilinus quæ vera volebat credebat facile: itaque ſtatim in hoſtem rapit. ibant barbari magna alacritate in Romanos, non placide ac compoſito gradu, ſed (ita nuntiatis exſultabant) cum impetu ac violentia, velut illico quicquid erat hoſtium diſcerpturi. Acies ipſis cunei aut Deltoti in

in ſpeciem, à latitudine in arctum procurrebat, ferme ut caput ſuillum, cujus velut os denſum firmumque ſcutis vallabatur. latera per ordines cohortesque in longum porrigebantur, transverſo ferme poſitu, paulatimque magis ac magis diducebantur, ut in fine ampliſſimum occuparent ſpatium, tanta ibi raritate ut multum loci inanis interponeretur, tergaque hominum aperta conſpicerentur. ſtabant averſi inter ſe, ut recta ſe hoſtibus objicerent, pugnarentque tutiores ſcutis protecti, terga autem mutuo illo contrapoſitu munita eſſent. At Narſeti, aſpirante fortuna rectisque ipſius conſiliis, optime cuncta procedebant. Nam ſimulac barbari magno cum fremitu & clamore, citato curſu ſe in Romanos intulerant, ſtatim disjecere primores mediæ aciei, irruperuntque in vacuum quem ſignificavimus locum. necdum enim venerant qui eum implerent Heruli. Primus barbarorum globus penetratis ordinibus, cæde non magna edita in poſtremam Romanorum aciem incubuit, quidam & progreſſi longius, ſpe hoſtilia caſtra capiendi. Tum Narſes paulatim productis curvatisque cornibus, quam formam talium artifices inflexam anticam vocant, equitibus ſagittariis imperat, ut ex latere utroque coëuntibus telis, terga hoſtium infeſtent. quod illi nullo negotio fecere. quippe barbaros pedeſtri fungentes militia, ipſi ex equis editiores ferire facile poterant, raros præſertim & diſtantes nulloque objectu defenſos. Neque arduum illis maxime equitum, qui & locis ſublimioribus conſtiterant, hoſtium ſibi proximos urgere deſuper telis, & ſi quis adverſum ire auderet, abſterrere vulneribus. ita undique à tergo feriebantur Franci, alii ab his qui in dextro cornu, alii ab his qui in lævo erant poſiti. Atque ita contrario inter ſe curſu ferebantur ſagittæ & quicquid in medio erat lancinabant, ut neque cavere ſibi poſſent barbari, nec

 ſatis

ſatis diſpicere unde tela advenirent. Nam quia illos tantum ſpectabant quibus fronte adverſi conſtiterant, manuque pugnabant in velites ſibi oppoſitos, equites autem jaculatores qui pone ipſos erant non videbant, vulneraque non pectoribus ſed tergo accipiebant, quid illud eſſet mali, nequibant intelligere. multis nec dubitare aut quærere vacabat: ita mors ſubita ictum ſequebatur. Nam ablatis qui extimi ſteterant, interiores nudabantur, idque cùm magis ac magis fieret, multitudo quæ fuerat ad paucitatem redigebatur. Interea Sindual ac Heruli ad pugnam adventantes in eos hoſtium incidunt, qui primi Romanorum trajecerant aciem, jamque à ſuis, ut dixi, longius vagabantur. Hos illi cominus adorti rem ſtrenue gerebant. At Franci re inopinata perculſi, & inſidias ſubeſſe ſuſpicati, terga ſtatim vertunt, multa transfugas criminando, à quibus deceptos ſe arbitrabantur. inſiſtebant Heruli donec alios proſtravere, alios in flumen egere præcipites. Hác re peracta ingreſſi ſunt iidem Heruli ſervatum ſibi locum, & impleto quod vacabat, conſummata eſt acies. Franci ex eo, clauſi velut indagine, ex parte omni cædebantur. diſſoluta quippe eorum acies erat, aliique in alios ſuorum convolvebantur, quid agerent, quid non, ignari. Neque eos ſagittis tantum interficiebant Romani, ſed & gravis & levis armaturæ qui erant pedites, partim haſtis eos transjiciebant, partim trudebant contis, partim concidebant gladiis. equites præterea productis, donec coirent, cornibus circumventos quaſi irretiebant. Si qui gladios effugerant, vi perſequentium coacti in amnem ſe demittebant: miſeraque erat ubique barbarorum pereuntium facies. Tantaque internecio fuit, ut dux Butilinus exercitusque ejus omnis caderet, etiam illi duo qui ab Herulis ante prælium transfugerant, nec quisquam Germanorum in patriam rediit, dem-

demtis quinque ſolis, quibus neſcio quæ fortuna effugium dedit. quis non videat impietatis illos dediſſe pænas, & vim ſuperam eorum impendiſſe capitibus, cùm tantus ille numerus Francorum, Alemannorum, & qui ex aliis gentibus aderant, ita funditus interierit Narſetis de exercitu vix octoginta deſideratis, qui primum impetum hoſtilem exceperant. Virtutis laudem in hoc prælio tulere Romani gente quot fuerunt prope omnes: ſociorum Aligernus Gotthus (nam & hic pugnantibus adfuit) & aliorum nulla gloria inferior Herulus Sindual. Narſetem autem omnes & celebrabant & mirabantur, ut cujus prudentia tantum decoris partum erat. Victoria enim tam clara atque illuſtris & tot rebus excellens haud facile, credo, veterum cuiquam contigit. quod ſi qui olim populi parem cladem ſenſere, reperias & hos per ſua inique facta everſos. Datis olim Darii regis ſatrapa cum Perſico exercitu Marathonem cùm veniſſet, Africæ quin imo & Græciæ omni exitium moliebatur. Cauſa belli neque ſancta neque juſta erat, ſed quod Darium Aſia tanta non caperet, inquietum animi, niſi & Europam adjiceret. Victi igitur egregia Miltiadis virtute Medi: tantaque barbarorum occidio fuit, ut qui ante prælium Dianæ voverant Athenienſes capras pares numero hoſtibus quos interfecturi eſſent, adeo faventem habuerint Deam in venatu hoc bellico, ut implere promiſſam gratiæ vicem non poſſent, nequaquam ſufficiente ad id victimarum copia. jam vero magnus ille & mirificus Xerxes, qua cauſa à Græcis ſuperatus eſt, niſi quod inſolens atque violentus, ſervituti eos deſtinans à quibus injuriam nullam acceperat, ſola fretus ſuorum multitudine & ingenti armorum paratu, conſiliis rectis non utebatur? Græci nimirum pia induerant arma pro ſua libertate, viribus neutiquam comparandi, ſed recta conſilia captando, & capta exſe-

 quen-

quendo, felices. Videamus & Gylippi Spartani trophæa, & Niciæ Demosthenisque interitum & omnia Syracusarum mala. Aliunde ne ea orta sunt quam ex vecordia & alieni cupidine? quid enim in mentem venerat Atheniensibus, ut, relictis ad limen patrium hostibus, longinquam ad eo navigationem susciperent, Siciliæ infesti? multa ejusmodi commemorari possint imprudenter atque injuste cogitata, quæ in malum cogitantibus verterint. sed hæc in præsens suffectura arbitror. At tunc Romani, ut ad priora revertar, mortuis suorum quidem justa fecere, hostium vero detraxere spolia, magnumque armorum coacervarunt cumulum. Captis dein direptisque barbarorum castris, præda onusti, ovantes canticis, coronis revincti, ducem suum Romam usque composito agmine prosequuntur. cernere erat plerosque apud Capuam campos perfusos cruore, amnem vero ita cadaveribus refertum ut supra ripas exundaret. Mihi vero & indigenarum quidam carmen retulit lapideæ tabulæ quæ ad ripam posita erat inscriptum, quod sic habet.

Vnda Casilini Tyrrheni ad littoris oram
Fluxit barbaricis plena cadaveribus,
Butilini cum signa Deis invisa sequentes
Occîdit Francos hasta Latina viros.
Felix amnis, eris tu pro fulgente trophæo
Hostili longum sanguine tinctus aquas.

Sive autem reipsa incisi saxo fuere hi versus, sive fama celebrante vulgati ad me usque pervenerunt, non alienum censui ab operis instituto eos hic inserere, monumentum, ut credo, non insuave prælii illius eventuumque. sub hoc tempus nuntiantur Romanis & quæ in Venetia Leuthari ejusque copiis acciderant. Per id duplicato gaudio & plebs & miles festos dies agere, ducere choreas, ut omni ab hoste metu sublato alta in posterum

rum

rum pace fruituri. Nam cum ita funditus interiissent qui hostiliter Italiam invaserant, neminem posthac idem ausurum suspicabantur. Et hæc quidem vulgus ita existimabat, non solitum exacte de rebus judicare, sed ut otii est cupiens, ita ad vota sua opinionem futuri inflectere. At Narseti, rationis ad examen cuncta vocanti, intemperantia animi insanire videbantur, qui crederent nullum laboris usum in posterum, sed ad mollitiem luxumque verti securum semper fore. Neque enim multum aberant quin clypeos & galeas vini amphoris citharisque commutarent; adeo supervacua nullique usui deinceps arma futura sibi persuaserant. At dux magnis indiciis Francica bella reditura præsumens, metuebat ne Romani immersi otio & otii vitiis animos enervarentur: deinde, si tempora prælium poscerent, per ignaviam pericula defugerent. Fortè & hoc ipsum brevi evenisset, nisi ille ex usu arbitratus esset, vocare quamprimum concionem, egregiisque præceptis ad modestiam simul & fortitudinem excitare mentis & jactantiæ nimium illud compescere. Postquam convenerant, progressus in medium sic infit. Qui subito ac recens admodum bonam nacti sunt fortunam, non mirum si parum moderate id ferant, elati re insolita, maxime si quod evenit, non exspectantibus modo, sed & indignis evenerit. At vos, siquis immutati animi arguat, quid est quod excusationi possitis obtendere? An præter solitum evenisse vobis victoriam? atqui vos estis, qui Totilam, qui Teïam, qui gentem omnem Gotthicam profligastis. An majorem vobis quam capiatis obtigisse fortunam? At vero quæ est tanta felicitas, quæ Romanam magnitudinem æquare possit? innatum vobis avitumque est semper hostem vincere. Vicistis ergo: sed rebus digni non inferioribus quam hæc fuit victoria, neque vos mino-

rem impendiſtis operam quam res exigebat. veniſtis huc bonorum, non per ſegnitiem ac voluptates, ſed per labores aſſiduos, ſudoreſque & periculorum exercitamenta. quare manendum vobis in iiſdem inſtitutis, neque præſentibus gaudendum modo, ſed cura adhibenda ut & futura reſpondeant. Nam qui non ita rem deputant, his non ſtabilis ſolet eſſe felicitas, ſed in contrarium verti fortuna Argumentum habete Francorum cladem, de qua jure nunc gloriamini. Erant in rebus proſperis, ſed faſtu tumidi, bellum in nos ſumſerunt, non proſpecto ſpei lubrico. Periere igitur omnes, ſuapte magis temeritate quam armis noſtris. Turpe autem fuerit vos, Romani qui eſtis, eodem quo Barbaros modo affici, neque conſilio tantundem præſtare, quantum robore. Nemo enim veſtrum exiſtimet nihil ultra infeſtum imminere, velut confectis hoſtibus cunctis. Primum ſi maxime id exploratum foret, ne ſic quidem vertendi vobis mores neque ab honeſto demigrandum. At vero qui ſapiet, res ipſas reperiet multum diſtare à veſtris cogitatis. Francorum maxima gens eſt & populorum fæcunda & apprime valida belli meditamentis. Exigua eorum portio qui victi ſunt, & quæ reliquis adeo metum non incuſſura, ut iras magis excitatura ſit. Non igitur credibile eſt quieturos, & ſecum concocturos hoc dedecus. Brevi, brevi, majore cum exercitu aderunt, bellumque inſtaurabunt. Vos igitur rogo, ut, abjecta pigritia, repetatis veterem ad ſubeunda pericula ardorem, atque augeatis etiam, quanto majora præteritis nunc ſunt exſpectanda. Nam in eo animo perſtantibus vobis, ut illi quam celerrime adſint, paratos vos invenient, nulliuſque moræ indigos. quod ſi illi forte ceſſaverint, utrumque enim dicendum eſt, at veſtra in tuto erunt, & conſilia ceperitis longe optima. Hæc ubi dixerat Narſes, ſubiit animos

mos pudor & lasciviæ pænitentia. Et illi quidem, exu-
ta secordia immodestiaque, veteri disciplinæ se reddi-
derunt. At pars Gotthorum, septem ferme millia, apti
pugnæ omnes, egregium antehac Francorum rebus
auxilium, cum apud se reputarent, non quieturos diu
Romanos, sed in se quamprimum facturos impetum,
recipiunt se in castellum cui Campsæ nomen, firmum
satis munimentis, situ magis, quippe monti impositum
arduo, in cujus vertice. abruptæ undique rupes in al-
tum eminebant, suoque ambitu aditum prohibebant
hostibus. Huc cum se collegissent Gotthi, in tuto se
esse rati, non modo de deditione non cogitabant, sed
& Romanis, si in se venirent, vi obsistere decreverant.
Auctor instigatorque audaciæ vir erat Barbarus, præ-
fectus ipsorum, Ragnaris nomine, quanquam nec gen-
tis nec nationis ejusdem, (erat enim ille ex Vturguris,
quod Hunnorum genus est) sed quod sollers esset at-
que etiam vafer, & gnarus parandæ quocunque modo
potestatis, multitudinem suam fecerat, & bellum re-
parare agitabat, quo majorem sibi famam circumda-
ret. Narses sine mora omni cum exercitu in eos ibat,
cumque incursu locum adoriri, interque confragosa
pugnare non posset, ad obsidionem se parabat, diligen-
ti custodia nequid importaretur, neve illi impune exi-
rent. Verum nihil eo afflictabantur Barbari, quibus
abunde erat necessariarum rerum: neque enim alimen-
ta tantum, sed & rerum pretiosissima in hoc castellum,
tanquam inexpugnabile, incluserant. dolentes tamen
circumsideri se & turpe habentes ita arcto se loco te-
neri inclusos, sæpe excursabant in hostem, si eum sic
possent depellere. nullum tamen operæ pretium fece-
runt. Inter hæc hyems cum transiisset, appetente jam
vere colloqui cum Narsete Ragnaris ad res præsentes
conducere existimavit. Cumque impetrasset, adfuit
cum

cum paucis medio inter castra & castellum loco. Postquam coierant, multa commutavere verba. sed cum animadverteret Narses Regnarem superbientem, crepantemque alta, poscentemque majora sua sorte, non aliter quam si bello superior leges dictaret, dissolvit colloquium, pactaque abnuens, dimisit eum, mansurum cujus tunc erat conditionis. At is ubi in jugum ascendit, nec procul muro aberat, indignatus elusum se spei, tendit arcum sagittamque in Narsetem dirigit. Sed irritus & hic fuit, alioque cecidit telum, noxium nemini. Nec tamen perfidiæ pæna defuit. Nam qui Narseti aderant satellites detestati hominis superbiam in ipsum jaculantur tam feliciter, ut lethaliter ictus ceciderit, merito sane, ut qui injustum flagitiosumque conscivisset facinus. Vix eum sui comites portarum intra castelli mænia pertulere. Biduum vulneri superstes, inglorius interiit, dignumque tulit pretium tum fastus sui, tum violatæ fidei. Eo mortuo Gotthi, qui sustinendæ obsidioni impares se sentiebant, à Narsete vitam pacti incolumem, jurejurando in id ejus accepto, se & castellum dediderunt. Interfecit eorum neminem Narses, tum promissi tenax, tum quod in victos sævire inhumanum crederet. sed ne iterum rebellarent, omnes ad Imperatorem Byzantium misit. quæ dum aguntur adolescens Theudibaldus, qui vicinos Italiæ Francos regebat, ut dixisse memini, miseram obiit mortem, congenita sibi tabe adesus. Cumque Childibertum & Chlotharium, sanguine proximos, ad successionem pueri lex vocaret, grave dissidium intervenit, parumque abfuit quingenti universæ exitium adferret. Childibertus & declivis erat senecta & male se habebat, attenuato arefactoque corpore: neque ei erant virilis stirpis liberi, sed unicum senectutis solatium, filiæ. Chlotharius, & robusto erat corpore & vix senex,

ſenex, ut qui rugare tum primum inciperet, & filios habebat quatuor, adultos, animoſos, ad audendum impigros. His fretus, negabat fratrem in partem venire debere bonorum Theudibaldi, cum ipſum etiam Childeberti regnum & patrimonium propediem ad ſe liberosque ſuos eſſet deventurum: Nec fefellit eum ſpes ſua. ceſſit enim ſenior hæreditate, vim, credo, viri veritus, ſimul inimicitiarum fugiens: finiitque vitam non multo poſt: & ſic omne Francorum imperium unus accepit Chlotharius. Hic erat eo tempore ſtatus Italicarum Francicarumque rerum.

FINIS.



NO-

NOMINA APPELLATIVA,

ET VERBA

GOTTHICA, VANDALICA, ET LANGOBARDICA

Quæ in hoc volumine reperiuntur, cum explicatione.

ACtogild in manuſcripta lege Langobardica: octuplum.

Adalingi. Athalingi. nobiles Paulo interprete.

Adrhamire. Solenniter condicere. *Ramen.*

Agagula. lena. manet in Langobardico ſermone. *Goochelen*, præſtigiis uti. unde & *cauculatores.*

Aldius. libertus operas debens. *halten.* in manuſcriptis eſt *Haltius,* id eſt nutritus, alumnus.

Alode. Allodes. Allodium. Anlod. Sors hæreditaria quæ *Allote* in moribus Anglicis.

Aliorumna. Alrunna. Al-runna. Infernalis mulier. maga. *Al* olim, nunc *Hel. Runa* mulier in Gloſſis.

Amond. A-mond. extra poteſtatem.

Anagrif. An-grif. aggreſſio.

Andigavum. Hand-gave. datum manu, ut à ſanis fieri ſolet, inde verbum barbarum *Andigare.*

An-ranſcing. Aggreſſio in via publica. Corrupte pro eo in legibus *Araſcild.*

Aratreit. Har-treit. pars tertia. Male *Aratreib.* in manuſcripto *hariraib.* ſed ſcribendum *haritrait.*

Arga. ignavus, nunc malitioſum ſignificat.

Arimanus. Her-man. Milos gregalis qui publicum munus non habet. Poſtea pro paupere ſumpta vox. Hinc jus Arimandiæ in feudis.

Arti-

Artigavum. vvort-gave, quod voce datur ut ab ægrotis. Hinc verbum *Artigare.*

Aſtalium. deceptio. à Latino aſtus, unde *aſto animo.* apud Plautum.

Bandum. Vexillum: à *binden.* vincire.

Bannum. jurisdictio: & inde, mulcta.

Barbanus. patruus, manet in Langobardico ſermone. In manuſcriptis Barbas.

Baſſus. cuſtos populi. *Baes.* manet in Belgici.

Bellagines. leges, Gotthis. *By-lagen.* pagi *leges.* *Bi* pagus. *lagen*, leges.

Blus-rais. Sanguinis emotio. Male pro eo in lege Langobarda Lib. I. tit. VIII. Cap. 24. *Pluslaib.* quod aliud eſt. Ex vicino ſono nata confuſio.

Blutare. blooten. ſpoliare, inanire.

Brunia. lorica.

Bunnarium. Bunner. Menſura terræ, corrupte bunnuarium.

Bunna. Bunda. Bodo. terminus.

Cadarfida. mendoſe. *Cadarfreda*: *Caderfedra. Gederfde.* Vſitatum. Nam *Ca* pro augmento hodierno *Ge* frequens, & *derven*, uti in dictionario. Vſus, *piderbi*: id eſt *bederf.*

Campio, pugnator, à campo.

Carratium. palus vitis. *Gard-trun.*

Caſſus. in foro Hiſpaniæ vertitur pierna. *Gaſs*: natos. male capſum.

Comacin. architectus. *Gemachin. Gemach.* domus.

Derzon. ſepis ruptura. *deer-zun.*

Evva. lex, & teſtamentum, quia vim habet legis. inde *eu-vverd*, legis cuſtos. ſacerdos in dictionario.

Faderſium. Fader-feh. paterna pecunia. quod mulier de bonis paternis ad maritum attulit. *Feh* olim pecus, poſtea res omnis mobilis, ut pecunia Latinis.

Faja.

Faja. glans.

Faida. Faith. Fede. Feithe. Inimicitiæ teſtatæ.

Fara. generatio,familia. à verbo *faren* quod eſt progredi. poſt Chriſtianiſmum dicta ſic paræcia,unde *far-her.*

Fegangi. Dum cum re mobili it. Deprehenſio furis dum rem furtivam penes ſe habet. *Feh-gang.*

Feld. campus patens.

Ferquidum. ferquiit. Compenſatum. *quiten*, par pari referre. *fer,* præpoſitis. *farſalia. verval. ferbannitur, verbannen. forbatitus, verboden.*

Fodrum. fœder. annona militaris. Nunc ferme de pabulo tantum dicitur.

Forbannuus. Ferbannen. extra territorium poſitus.

Foreſtum. Forſt. Nemus. aliis dialectis. *Hurſt. Horſt.*

Fornacca. in manuſcripto legum Langobardicarum, campus aruus. *Forn* ſulcus.

Frea. libera femina, inde *frauvv.*

Freda, fredum. pax: & inde compoſitio cum Rege.

Fulboran. Ful-boren. plene natus id eſt optimo jure.

Fulfreal. Ful-fre-al. plene, & omnino libera perſona,quæ nec operas debet.

Gajum. Sylva denſa. In Manuſcripto: *Gehagium. Gehage.* Silva ſepta.

Garathinx. Gar-thinx. Vniverſitatis donatio in judicio. *Thingen* judicare. ſed inde ſumptum pro actu legitimo omni, qualis ceſſio in jure.

Gardingi. VVardingen. vulgo *VVarders.* cuſtodes, præfecti judiciis G. pro *VV.* ponunt Itali.

Gargathingi. exponitur, ſecundum qualitatem perſonæ, compenſatio, *vergoething.*

Gamales. Exponitur confabulati, à fabula quod eſt pactum nuptiale. ſignificat affines,vulgo *gemalen,* conjuges: inde *Gemaliſchen* per conjuges conjuncti. *Gamahales* in Manuſcripto legum Langobardicarum.

Ga-

Gaphans. Gasandus. in manuscripto *Gasand. Gas-hand.* manus donataria. Hæres, quia hæreditatis relictio per modum donationis peragebatur.

Gasindium. Gesinde, familia. Inde *Gasindii*, domestici Regis.

Gassaldus. Gastalde. Exponitur qui curtim gubernat. proprie, Positus, qui vicem gerat, *Ga* & *Ge* augmenta pro dialectis variant. Alii *Ca* pro eodem ponunt unde *Castaldus.*

Gildonia. sodalitas, adunatio. *Gilden.* ab arca commune.

Gillonarii. poculorum ministri. *Gillo* poculum.

Gisiles. testes. Item obsides: sed proprie Sodales.

Gravio. comes, sive judex, unde *Dijc-gravii* aggerum judices, *Landgravii*, terrarum. &c.

Giusa. Guipha. VVissa. signum ex panno. *VVippe.* unde verbum *Guisare*, insigne proprietatis apponere.

Harniscara. Harnis-scare: Armorum ruptura: Gallis *rotture.* & inde mulcta, quæ ea ignominia redimitur. *Scaren* abscindere. vide infra *Obscariones*, & *Scariones.* Ab eadem origine *Lidscarti*, membri scissio. *Orscarti* auris scissio, verbalia in ti.

Heribanum. Her-ban. Castrense edictum, quo ad exercitum homines vocantur & inde mulcta in emansores.

Heriliz. Herisliz. Her-liz. exercitus desertio. in Glossis exponitur armorum depositio. item absque licentia principis ab hoste (id est exercitu, Gallice *host*) reverti.

Impans. In-pand. oppignoratus, id est servus Regi traditus sub fiducia, ut eum manumittat.

Intopa invasio à *Top*, vel *Zup* Germanico. Manet apud Langobardos. in Glossario *Herizup.*

Laiscum. Cerrus arbor. In manuscripto, *Lahisclo.*

Lama piscina. *Lada* posterioribus. Paulus Langobardus

in Festi compendio *Lacunam* suæ gentis non Romana voce *lamam* interpretatur.

Largica coxa supra geniculum, à largitate.

Launchild. In manuscripto *Launigild. Loon-gild.* Pecunia in pretium data. Donationes solemniter fieri in jure debebant. siquis privatim facere vellet induebat & venditionis speciem, vel veram vel dicis causa; ut sestertio nummo, sicut Romani loquebantur, rem addicerent. id est *Launechild.* Inde est quod Glossæ *Launechild* exponunt, *sine solemnitate.*

Leudum. leudis. compositio, proprie quæ pro homine *leude* datur. Species *VVidrigildi.*

Lidelaip. Lido-laip. in manuscripto *Lidinlaib.* in derelictionem vitæ, donatio mortis causa.

Mallum. placitum generale, id est conventus totius Regionis: unde, *Mael-stede.*

Mannire. Manen. citare. nomen à luna nova aut plena, quæ tempora rebus agendis captabant Germani, Tacito teste.

Marchio. contracte uti pleraque in o. *Marck-Graef*, limitis judex.

Mar-hais, strator. qui equis imperat. ita meliores codices, pro *Marpahis.*

Marvvorphin. Mervvorphin. Mar-vvorfing. de equo dejectio.

Masca. venefica, saga. Manet vox Langobardis in Italia. proprie est larva.

Methium. Methe. Mede. Sponsalitia largitas, & generaliter quævis merces. In manuscripto: *Metfio*, dotali pecunia.

Morgengap. Morgen-gaf. Matutinum donum, quod post primam noctem novæ nuptæ datur: ἀνακαλυπτήρια, θεώρητρα. Hinc matrimonium ad *Morgengabicam*, minus justum: male *ad morganaticam* in Feudis.

Mor-

Morjoc. Mor-joc. major junctura. Brachii pars ſupra cubitum. *Mor*, pro comparativo paſſim. *Ioc.* jugum. in dictionario ſcribitur *Iokhe.*

Morth. mord. murd. cædes latrocinalis. Latinis ſequioris ævi *mordrum, murdrum.*

Mund. mundium. poteſtas ab ore; quod qui eam haberet, pro alio in jure loqueretur. inde *Munt-here* qui tali poteſtate eſt præditus: item *Mund-vvald.*

Mundeburd. mundbyrd. Mundboran. unde vulgare *Mamburn*, ad poteſtatem obtinendam natus.

Obſcariones. Carcerum cuſtodes, iidemque carnifices, qui & *Scariones* à *ſcaren*, & *obſcaren*: quod eſt abſcindere. *Oueſcariones* in Manuſcriptis.

Ploum. vomer cum rotis: Plinio Gallica voce compoſita, *plammo-rati. ploug*, vulgo, vomer.

Pluſlaib. Plus-laib. Deſpoliatio corporis. *Pluſſen* alia dialecto *Blooten.* vide *Blutare.* in Manuſcripto pro *pluslaib* eſt *plodraub* ſpoliatio ad nudum.

Rapuuorſin, in manuſcripto legum Langobardicarum *Graef-roving*: ſepulturæ deſpoliatio.

Sajo. proprie Explorator, miniſter publicus qui merces explorat, quod *Saien* Belgæ, & Saxones; Franci *Eſſayer* vocant. Significatio mox latius fluxit.

Sala. domus, hodie aula domus.

Scabinus, Scabineus. Scepeno. Verum nomen *Eſcepen*, electus, à *ſcepen* eligere. *Eſchevin* Gallis. alibi *geſvvoren*, & *eleus.* ſunt adſeſſores ex quorum ſententiis judex pronuntiat, non promiſcue, ut in civitatibus magis popularibus, ſed ad hoc à principe conſenſu univerſitatis electi. vide Capitulare.

Scacchum. Schaeken. Rapina: unde & ludo latrunculorum nomen, quod à Germanis ad Græcos & Perſas uſque pervenit.

Scamera. explorator. à *Scemer* tenebris.

Scariones, vide *Obſcariones.*

Scematio. Schenden, corruptio.

Schala. patera. Facta olim quidem ex calva interfecti hominis: (quæ *ſchele*, *hooft-ſchele*) poſtea ex alia materia ad illius modum.

Schilpor. Schilt-forer. Scutiger.

Sculd-Hais. debiti præfectus. qui non de capite ſed de pecunia judicat, manente in hunc diem nomine, varie corrupto. *Scultheizo*, *Sculdaſius*, *Scultes*, *Scultet*, *Scoutet*, *Scout.*

Sculta. à latino auſcultare. hoc eſt in manuſcripto: male in editis *Sculca.* vocem eſſe latinam etiam Theophylactus notat. Exponunt Gloſſæ vigiliam & Cavalcatam. Græci σκουλκεύειν, βίγλαν.

Selpmundio. Selp-mund. ſuæ poteſtatis arbitrium, in manuſcripto legis Langobardici.

Snaida. in manuſcripto corruptè *Sinaida.* Sciſſio in ſylva, Latine collucatio. Gloſſis via. Galli *eſſartum*, id eſt exertum vocant.

Soga. Gloſſis bene, funis. *Sogen* trahere. Inde in dictionario: Protrahendo *furzechanto.*

Sonopair. Gallicum *ſans-pair.* Verres omnium verrium victor.

Spata. enſis, latus ſcilicet, à ſimilitudine ligonis.

Stallarium. Stalle. ſtabulum. Salicetum gloſſæ exponunt.

Stolizaz. Stoli-zaz. Solii inſeſſor, nomine Regis ſcilicet. Miſſum regis interpretantur leges.

Strava, *ſtraba*, *ſtraffe*, ultio. Eximie dicitur de inferiis ex captivis hoſtibus.

Sumnis. Suimnis. Impedimentum, mora. Corrupte ſcribitur *Sunnis*, *Sonnis*, *Sunnia*, unde, *exſoniare*, moram purgare.

Theclatura. Teecken. ſignatura.

Thinx. Solemnis donatio, ſive potius in Iure ceſſio, à

Thin-

Thingen quod eſt judicare, aut rem in judicio peragere. unde *Thinxdagh*, dies dicatus judiciis. Hinc *thingare* in jure emancipare. *Haſtingum*, domus judicii. *Thanganare*, in Gloſſis, judicium petere. *Thinc*, Saxonibus eſſe concilium teſtatur Adamus Bremenſis.

Threus. dicitur de eo qui ex filio naturali natus, quaſi *Thres*, Tertius: connumerata ipſa femina in qua fuit culpa.

Tremum. Trimme. Redimitum, etiam nunc Saxonice. Sic dicta in legibus pars brachii infra cubitum, quod armillis ornari ſoleret.

Trotingi. Troſtinge. Solatia. Ita dicti Ludiones quod luctum pellant.

Truſtis. Toe-ruſt. Expeditio.

Tyuphadi. Tyf-faden. furum captores. Latrunculatores: nomen minoris magiſtratus. *Ghiulda*, *Thiob.* furtum.

VVad. Latino-barbaris *Vadium. vvedde*, pignus. Vnde francis *Gage.*

VVadiare. gager. pignus dare, obligare.

VValapauz. VVala-pauz. Externus, ſive falſus ornatus. *VVaal*, peregrinus, & inde pro falſo, ut in annalibus, Francicis *VValamer* falſus princeps. *Pauzen*, ornare.

Valvaſores: VValdfeſter, nemoris cuſtos. Ea ſignificatione hanc vocem reperies ſemper in tabulis quas Romanas vocant.

VVarend. VVaer-hand. verum faciens manus. id eſt qui auctoritatem præſtat. *VVarantus*, Francis *guarand.*

VVardin. VVarding. cuſtodia. Vide *Guardingi.*

VVarengang. qui errando ambulat. *VVarren*, oberrare.

Vaſſi. Vaſten firmi. minus quam Drudi in beneficiis. etiam fidejuſſores ſic dicti, quod alienam obligationem confirment. Alii ſcriberent *feſten. Faſtermannes*, fidejuſſores ab eadem origine Saxonibus.

Vecorin. VVec-vveren. via, *vvec.* Ita ſcribitur in dictionario: nunc *vvegh.* leges *vecorin* exponunt, viam anteſtare. in manuſcripto *VVeruorin.* ſed ſcribendum *VVecvvorin.* Saxonibus hoc dicitur *Fariſtel.*

Veſtire, non Latino ſignificatu, ſed Germanico, *feſten* confirmare: id eſt jus alicujus ſolemniter affirmare, ut ſine vitio poſſeſſionem adipiſci poſſit.

VViderboren. VVider-borene. renata: id eſt ſolenni modo manumiſſa, ita ut nullum ſervitutis veſtigium maneat.

VVidrigilt, VVeregilt, VVeregil. contracte *vvere*: & Saxonibus *VVithe. VVeder-gelt* retributio, pretium damni dati. Compoſitio, more veteri Germanorum, de quo Tacitus. *Pars mulctæ regi, vel civitati: pars ipſi qui vindicatur vel propinquis ejus exſolvitur.* Hoc eſt, *VVidrigilt.* illud, *freda.*

VViſa. VViſſa. VVip. vide *Guipha.* Scribitur, & *Hiupha.*

Zama. adunatio. Corrupte *Zana*, aut *Zacia.* Gloſſæ bene interpretantur *Rotte.* Hinc *Leudſamium*, ſubditorum congregatio, in formulis.

INDEX
PROPRIORVM NOMINVM
Gotthicorum, Vandalicorum, Langobardicorum,
Quæ in hoc volumine reperiuntur.

Abiſtulfus. *Haiſt-hulf*. Celer auxiliator. In Alemannico vocabulario: *Heiſt-olf*.

Aii. inſulanus. *Ai*, *Ei*, Inſula ab ovi ſimilitudine.

Alachis. *Al-gis*. omnino fortis.

Alanovvamuthis. *Alan-vval-muth*. Erga Alanos optime affectus. Gotthus erat apud Alanos eductus.

Alarichus, *al-rijch*. omnibus rebus pollens. In vocabulario Alemannico. *Alarich*, & *Alaricus*.

Alatheus. *Al-athe-vvis*. in omni juramento fidelis.

Albos. *Albiſch*. *Alpiſch*. Montanus. In vocabulario Alemannico, *Albi*, & *Alpinus*.

Alboin. *Al-bevvin*, omnia regens.

Albilas. *Albi-las*. Montium derelictor. in vocabulario Alemannico, *Albolus*.

Aligernus. *Al-gern*. omnium amans. Pamphilus. in voc. Alem. *Alker*, & *Alcarius*.

Alpſuinda. Fœmininum in voc. Alem. *Alf ſuind*. *Halfſchunte*. media forma.

Alſi. *Al-ſie*. cuncta videns.

Amali. cæleſtes. Familiæ Gotthicæ nomen. *Amal*. in vocab. Alem. unde *Amalrac*, *Amalſis*, *Amalthruth*. & alia.

Amalafridus. Maſculinum. *Amal-fride*. Cæleſtis pax. in voc. Alem. *Amalfrid*. *Amilfrid*.

Amalafrida. fem. idem.

Amaleſuenta. Fem. Iornandi. Græcis. *ἀμαλασοῦνθα*. & Marcellino in Chronico Amalaſuntha. *Amal-ſchuente* cæleſtis forma *Amalaſuentha*, Caſſiodoro: *Amalaſuinth* aliis minus recte.

Amaloberga. Femin. *Amal-berge*. Cæli hoſpita. in voc. Alem. *Amulberg*.

Amalarichus. *Amal-rijck*. in Cælo pollens. in voc. Alem. *Amalrih*. *Amalrich*. *Amalricus*.

Amalongus. *Ameling*. Cælo ortus. in voc. Alem. *Amelongus*: & *Amilin*. *ling*. terminatio plerumque originem notat.

Am-

Ambri. In voc. Alem. *Ambricho. Ambt-reich.* Ministeriis pollens.

Ammatas. Ambt-hais. Ministeriis imperans.

Amo. idem contracte, ut supra alia.

Andagis. Hand-gis, manu fortis.

Andala. Handala. manu partiens.

Antfrid. Ans-frid. in voc. Alem. *Ansfrid* & *Ansfredus.* Gratiosa pax. *Ans*, vel *Anst* gratia in novo testamento, & dictionario: unde *Ansericus Anstgisus* & alia.

Ansila. Ans-ile. Ad gratiam festinans. Festinatione, *ilunge*, in dict. & manet in usu *Ilen* festinare.

Ansprandur. Ans-brand. Gratia fervens.

Ansul. Ans-huld. Gratiæ fidelis.

Aordus. Auvvard. Campi custos.

Aoricus. Au-rijch. Campi pollens.

Appa. in vocab. *Apa.* & *Appo. Apertus. Apen*, dicunt pro quo alii *Open.* inde *Apennis*, relata in publicum. in formulis.

Araricus. Ara-rijc quod alias *Ere-rijch*, ut solent illa vocales commutari. Honore pollens. *Erih*, & *Eriho* in voc. Germ. Ericus alias. Saxones *Ara* retinuere honoris significatu. Nec minus Dani, unde *Arnfasti* nomen apud Saxonem Sialandicum, quod alia pronuntiarent *Ernfast*, & contract *Ernst.*

Ardaburis. Ard-buren indigena. in voc. Alem. *Arbirn.*

Ardaricus. Ard-reich Terrarum pollens.

Argaid. Argaithus. Arg-hait. Ignaviam exosus.

Arioaldus. Ar-vvalt. Honoris tenax. in voc. Aleman.

Arialdus. contracte *Ario.* in voc.

Arigis. alias *Arichis. Ar-gis.* honore fortis.

Aripertus. Ar-preht. honoris copiosus.

Ariulf. Are-ulf. honoris auxiliator. in voc. Al. *Arolf.*

Arodus. Ar-oud honoris vetus.

 Arnul-

Arnulfus. *Aren-ulf*. idem quod *Ariulf*; ſed à plurali. Honoris auxiliator.

Asbadus. *Haiſt-bode*: celer nuntius.

Aſcalervus. *Aſcal-erf*. navium poſſeſſor. Ex eadem origine. *Askirih*. in voc. All. idem *Eskerich*, & *Aſulf*. vox diu manſit apud Saxones, quibus *Aſcomanni* ſunt piratæ, teſte Adamo Bremenſi.

Aſcalrhamus. *Aſchal-rham*. Navibus glorioſus.

Aſdingi. *Haiſt-dingen*. Celer in judicio publico. Sic *Theodinc*. & ſimilia.

Aſpar. *Haiſt-ſpar*. cito comparcens.

Aſſi. *Haiſt-ric*. Celer ad videndum.

Athulfus. alias *Athaulfus*, & *Athiulfus*: *Atha-ulf*. juratus auxiliator.

Athalarichus. aliis *Atalarichus*, & *Athalaricus*. *Athalrijch* Nobilitate pollens. Contractè *Atalo*. in voc. *Athal*. nobilis.

Athanaricus. aliis *Atanaricus*. *Aten-rijc*. commeatibus pollens. contractè *Ato* in voc.

Athanagildus. aliis *Atanagildus*. *Aten-gild*: commeatus tribuens.

Atto. contractum ex aliquo præcedentium ut ſupra alia.

Audovin. Græcis αὐδοΐν. aliis *Audoin*. *Aud-vin*. vetus vincendi. in voc. Al. *Autoin*: *Aut-vin*.

Auſuſus *Auſ-haus*. patentis domus. eſt & in voc. Allem.

Augis. *Aud-gis* vetus fortitudinis.

Aurona. Fem. *Au-rna*. campeſtris femina. Runa femina; unde *Friderun* in voc.

Autarich. ut habet Abbas Biclarienſis Gotthus. aliis *Aut-rich*. ab antiquo potens. Al. *Autharis*.

Balthi. familiæ Gotthicæ nomen. Audaces recte interpretatur Iornandes, & Otto Friſingenſis.

Baodo-

Baodolinus. Baud-lins. Audax & mitis.

Baza. idem quod *Bassa, Bassus, Bassing. Baas.* custos.

Berig. idem quod *Berg.* Receptus. in voc. Allem. *Bericho.*

Bertaridus. Breht-reid. Late equitans. *Berd, Brehd, Breed,* idem sunt. *Reita,* equitatus in legibus.

Berto. idem contractum ex præcedente.

Berimundus. VVare-mund. B. pro W. posito, ut sæpe Latinis scriptoribus, veracis oris.

Beza. idem quod *Baza.*

Bledas frugifer. *Blada* & *Blade* nunc ferme folium, sed olim frugem significabat, ut apparet ex libris Saxonicis, & sermone Francorum.

Caco contractum ex *Caganhart*, ut in voc. All. aut *Cakan-hart* Libo simile cor, id est dulce.

Chindasvvinthus, Chindasvvindus. Chindasvvinth. Liberis potens.

Chintila. Plenius *Chintilanus*: sicut in Historiis Hispanicis. idem *Froyla*, & *Froylanus. Chint-lands*: filius regionis. *Chind*, quod nunc *Kind*, infans. Est & alibi, & in dictionario Alleman. ut *Chela Keel, Chinsi Kinne.* & similia passim. *Chintilo* in voc. Alleman.

Classo contractum ex *Clas-maer*, Resonantis famæ. Idem alibi *Cleph.*

Cnivida. Cnijf-da. cultro efficax. *Cniva* contracte.

Cocus. idem quod *Caco*: mutatis vocalibus.

Coniberga. Fem. *Coning-berge.* Regum hospita.

Corvulus. in voc. Al. & sic, & expressius *Ker-volch.* Promtus sequi. *Ker* & *Ger* promiscue ponuntur; ut *Kisal, Gisal.* &c. *Cod* pro *God.*

Crocus. Krook quassator.

Cunibertus. Cun-breet. Animi abundans. in voc. All. *Chunibert: Cunipertus.*

Cuni-

Cunimundus. Cun-mund. Animosus oris.

Diethmarus. Dieth-maar. Per populos famosus. Idem est *Diet, Deot, Theod, Theot, Thiet, Theud*, quæ vocalibus & literis cognatis mutantur.

Droctulf. Drucht-ulf. Fidelis auxiliator. *Druch*, & *Trud, Trouvve*, fides. *Truchtin* dominus. sæpe occurrit in novo Testamento vetere Germano. *Truchtin* in Glossario, & nunc quoque Suedis Regina. *Drot-ning*: puto quod fides ei data sit: ut qui fidem dederunt *Drudos, Drudi, Druides.* Scribitur hoc nomen in voc. All. *Tructolf. Truhtolf. Thrutolf*, contracte *Truto.*

Ebrimur, Græcis ἐϐερμȣ̃ρ. Iornandi *Eber-mor.* Transmarinus, natus trans mare quale cognomen regum quidam in Gallia ab educatione habuit. *Ebir* quod nunc *Over*; unde *Ebirmuot. Ebirvvin* & alia in voc.

Ediulf. Idem quod *Atha-ulf.* alii enim *Atha*, alii *Ede* pronuntiabant.

Egiga. Egi-gay. Sua conjuge, scilicet contentus; unius uxoris, ut mos vetus Germaniæ.

Erarichus idem quod Araricus, mutata vocali pro varietate dialecti.

Erelieva Fem. *Ere-lieve.* Honesti amans. in voc. Allem. *Erleve, Erlivi, Erlevi. Erliup, Erlieb.*

Ermanarichus. Erman-rijch. Militibus pollens. In voc. Al. *Ermenrih. Ermenricus*, apud Ammianum. *Ermenrichus. Erman, Herman, Arimani, Erimani, Ermini* (tot enim modis scribitur) sunt Manipulares. Iohannes Abbas Gotthus in Chronico à fine Victoris Tumunensis, *habens secum gentes fortissimas quæ barbaro sermone Herman nuncupantur. Her* exercitus *Man* vir. Nec aliunde Arminio nomen, & statuæ *Irmansul* dictæ.

Erminigildus. Erman-gild. Militibus tribuens.

Ervvi-

Ervvigius. *Er-vvig*. Honoris refugium. *VVig*. & *VVic*. in voc. Allem. promiſcue ponuntur.

Evarix. alias *Evaricus*. *Evva-riich*. Legibus pollens. In Gloſſis *Lex Evva*. Sic in Cantico Canticorum vetere Germanico, & in Evangeliis: Et paſſim in legibus Saxonicis aliiſque Eoricus. Sic ſcribitur Ennodio in vita Epiphanii.

Ethesſpamara. Puto *Ethos-pavvara*. Iuramenti cuſtos.

Evages. *Evvages*. pro lege fortis.

Euin aliter *Eui*. utrunque eſt in voc. All. Æquus.

Euricus. *Evv-riich*. lege pollens.

Eutharicus. *Euther-rijch*. *Either-reich*. gleba pollens.

Faroald. *Faraldus* & *Faroaldus*. in voc. *Far-vvald*. familiæ potens. *Fara* familia ſive generatio, Paulo interprete. *Faro* idem contracte.

Faſtida. *Faſti-da*, conſtans factis. Ex eadem origine femininum nomen *Faſtirada*.

Ferdulfus. *Ferd-ulf*. longe auxilium ferens.

Filmer. in Voc-Al. *Filemarus*. *Filimarus*. *File-mer*. Multorum Princeps. *Mer* princeps Gregorio Turonenſi, & aliis.

Finni. *Fenni*. *Finnon*. Inopes. Vetuſtiſſimi populi nomen etiam nunc manens. Tacitus: *Fennis fœda paupertas*.

Frea libera. Deæ nomen apud veteres Germanos. quæ matrimoniis præerat per quæ virgines è manu parentum liberabantur.

Fredigerna. *Fridigernus*. *Frid-gern*. pacis amans. in voc. Alem. *Friduger*.

Fridericus. *Fredericus*. *Frigdaricus*. *Frid-rijch*. pace pollens.

Godaricus. *Gader-reich*. Advenis pollens. *Gader* peregrinus etiam nunc Anglo-Saxonibus. Male alibi *Gandaricus*.

Gaidoal-

Gaidoaldus. Gaide-vvald. Conjugi imperans.

Gaidul. Gaid-ulf. conjugi auxiliator.

Gailaf. Gai-lof. à conjuge laudatus.

Gambara. Fem. *Ganc-baere,* cito pariens

Gapt. dator.

Geberich. Gebe-rich. dando pollens.

Geiſerichus. Gaiſericus. Gizerichus. Gizericus. Geſaericus. Geis-reich. viris fortibus pollens.

Gelilaris Geld-vvilar. Pecuniam exſpectans.

Gelimer. aliis *Gelſmer. Gilimer. Geld-mer.* pecunioſus princeps.

Genzo. contractum ex *Genz-reich.* Plane pollens.

Gepidæ Græcis γήπαιδες, *Gepait* cunctati. pigros interpretatur Procopius, & Iornandes, nomen gentis è Scandinavia.

Geſelicus. Giſelichus. Geſellich, ſocialis.

Gibal. Gib-al. dans omnia.

Gibamundus. Gave-mond. purum os.

Giſa. in voc. Al. *Giſo. Gizo* contractum ex *Giſalbreht.* vide mox.

Giſelberga. Fem. *Giſel-berga.* comitum hoſpita. Germani principes ſuos habebant comites ut Tacitus docet. ii Germanis dicti *Giſal. Giſel. Geſel* : unde corrupte *Vaſalli.*

Giſelbertus. Giſel-brebt. comitum copioſus. in vocabul. Alleman. *Giſalbert. Giſalbret. Giſalbreht. Giſelbertus.*

Giſelricus. Geſalricus. Geſel-reijch. comitibus pollens.

Giſulfus. Giſel-ulf. comitum adjutor.

Goar. Go-ar. Regionis honor.

Goda. bonus. *Guda* apud Caſſiodorum.

Godaricus. Goede-rijch. bonis pollens.

Godebertus. Goede-breht. bonorum copioſus. In voc. Al. *Gotabraht* : *Gotapreht.*

Godi-

Godigiſelus. Goed-geſel. bonus comes. id eſt principi ſuo fidus.

Godeſcalcus. Gode-ſcalcus. Dei ſervus. Nam Deum non aliter quam bonum nominare mos erat Germanis. *Schalck* ſervus in novo teſtamento ſæpe. hinc *Marſchalk* & alia.

Gontharis. Idacio *Gundericus. Gontha-rich.* Benevolentia pollens. Simile *Theuderichus*, *Theuderis*: Ex duplici ſcribendi modo *Rich*, & *Rih.*

Gotthi, Græcis γόθοι. Ptolemæo γόθωνες, Finnis proximi. Plinio, Saxoni, aliis, *Guttones: Gothones* Tacito. adjecta ſcilicet plurali terminatione, ſicut iidem ſunt Franci, & Francones. Friſii, Friſones, ſive Freſones, *Gutten*, *Guten*, *Goten*, id eſt boni, id nomen à vicinis accepêre ob hoſpitalitatem, ut à contrariis moribus ſuum Quadi.

Gotthæus. Got-hais: Gotthis imperans.

Gothiſcanzia. Gotte-ſchans. Gotthorum caſtellum. Loci nomen apud Iornandem.

Graſulfus. Gros-hulf. Grande auxilium. eſt & in voc. Allem.

Grimoaldus. Grim-vvald. iræ potens. Eſt & in voc. Al. & alibi.

Gudehoc. Gude-hoc. Bonum latibulum.

Gundamundus. Gund-mund. Benevolum os.

Gundbertus. Gund-breht. Benevolentia abundans. voc. Allem. *Gunt-praht. Gundebertus. Gundpertus.*

Gundemarus. Benevolentia celebratus.

Gundualdus. Benevolentia potens.

Gundiberga. Benevola hoſpita.

Gundulf. Benevolus adjutor.

Guningi. benevoli, familiæ nomen.

Guntabundus. Gunt-bund. Benevolus in fæderibus.

Gun-

Guntherichus. Gundericus. Gund-rijch. idem quod *Gontharis.* Benevolentiâ pollens in voc. Alem. *Gunderich.*

Gunthigis. Gunth-gis. Benevolus, & fortis.

Guntruda. Fem. *Gun-trude.* Benevola, & fida.

Guodan. VVodan. VVœden. Ferus. Dei nomen apud Germanos, cui humanis hoſtiis litabatur.

Haiſtan furor in Manuſcripto legum Langobardicarum.

Hamala. idem quod *Amalus.*

Hardericus. idem quod *Ardaricus. Herthum* terra Germanis, ut ſcribit Tacitus.

Helderich. Hilderich. Hilderichus. Viris eximiis pollens.

Helmichis. Helm-gis. Galea fortis.

Herdvvich. Aerd-vvijck. Terræ refugium.

Hermenrich. Herman-rijck. militibus pollens. Idem plane quod *Ermanarichus* ſupra.

Herminigildus. idem quod Erminigildus.

Herſerme. Harſe-mer. Equorum princeps.

Hibba. Habens.

Hildechis. Hilde-gis. Eximie fortis.

Hilderichus. Hilderis. Idem quod *Helderich.*

Hildeprandus. Eximie fervens. *Hildibrand,* in voc. All.

Hildibaldus. alias. Ildibaldus. *Hilde-bald.* eximie audax.

Himmerit. Him-reit. domeſticum equitatum habens. *Reita* equitatus in lege Bavara.

Hoberos. Curas ruptura exponitur in manuſcripto legum Langobardicarum. *Hobe-ris.*

Hunilas. alias *Lenilas. Hunne-las.* ab Hunnis liberatus.

Hunimundus. Centuriæ os, ſive præpoſitus. Centuria. *Hundreda* & contracte *Hun*, unde & *Hunni* à Germanis dicti. Hinc *Humbert. Humfrid.* & alia.

Hunulfus. Hun-ulf. Centuriis auxiliator. In voc. Alem. *Hunolf.*

Hune-

Iunerichus, Hunnericus. Hundrichus. corrupte *Honorichus. Hun-rijch.* centuriis pollens. In vocab. Alleman. *Hurich.*

bor. in voc-Al. *Iburc. Idaburg.* In voc. All. *Idaburch.* Familiæ munimentum. *Ida*, *Hida.* Beda interprete, familia. Vnde *Hidenen*, qui in familias sparsi vivunt, non in populum collecti. Sumitur & pro fundo. *Burg*, quod & *Burc.* & *Buruc* scribitur, unde *Burgundiones*, *Burg-vvoners.* munimentum, castellum. Similis sensus in voc. Allem. *Hebtolff.* & alia scriptione, *Ierad.*

ldibaldus. vide *Hildibaldus.* corrupte *Ildibadus. Ildibold*, in voc. Allem.

ldiges. idem quod *Hildechis.*

ndigisal. Indigeselus. Indigisilus. Inde-gisal. ultimus comitum.

ndulf. Ἴνδελφ. *Ind-ulf.* ultimum auxilium.

sarna. Isar-na. ferro propinquus.

tta. Portus. *Aith* Saxonibus. in voc. Allem. *Itô.*

amissio. Lamis-sohn. Piscinæ filius. *Lama* piscina. vide Paulum.

angobardi. Lang-barden. longis barbis. Sic Paulus, Longobardus ipse, interpretatur.

appi. Loppi. Lupiones. in Tabula Peutingeriana. Cursores. Gens est cursu valida.

euderis. Leuderichus. Liderichus. Liuterich in voc. Allem. *Leud-rijch.* subditis pollens.

eupichis. Liup-gis. Amore fortis. *Liup* amor. hinc *Liupman.* & alia in voc. Germ.

iutpertus. Liut-preht, vel *Liutbreht.* nam utrunque idem est, subditis copiosus. in voc. All. *Liutpert*, *Liutpret. Liutperth. Liudepertus. Liutpertus.*

Liut-prandus. Liut-prand. Subditos accendens. in voc. Allem. *Liut-prand.*

Livva. Leo.

Livvigildus. Levvigildus. Leovigildus. Leonipar.

Lupus. Lup. alias *Læf.* quies. eſt & in voc. All. Hinc *Lupfrid. Lupvvald.* in eodem voc.

Marcias. Mar-kies. equorum dilector.

Maſſana. Fem. *Maſſe-na.* Modo congruens. *Maſſe*, & *Mate*, idem : dialecto differunt : ut, *VVaſſer*, *VVater*, & mille alia.

Mathaſuenta. Fem. Iornandis aliiſque *Matheſuenta. Μαζασῦνθα. Mate-ſchuente.* Mediocris pulchritudo.

Mauriſco. Mauriſch. Niger.

Miccas. Mick-hais. multis imperans. *Mich. Megen. Muck.* Saxonibus multi. hinc *Megingol. Meginolf.* & alia nomina in voc. Allem.

Minulf. Minn-ulf. Feminis auxiliator. A man, femininum, menne. unde *Meerminne*, maris femina : & nutrix, femina per excellentiam : & *Minnen* feminarum amore tangi. Id enim proprie & antiquitus ſignificat.

Mitola. Mot-las. Turbæ expers. *Moth.* cætus etiam nunc Anglo-Saxonibus : & inde *Schiregemotum. Burgemotum. Folkmotum.*

Morras. Mor-hais. Mauris imperans. natum in Africa nomen.

Munitaurius. Mun-thaur. oris clauſtrum.

Oamer. Oam-mer. Cognatorum princeps.

Octaris. Oockt-hari. adauctus dominus. *Oocken*, augere. in Gloſſario Allemanico : augeamus, *auchomes. Hari. Har.* dominus.

Oſtrigotthi. Gentis nomen. *Oſter-Gotthen.* Orientales Gotthi. Et hinc fæminæ nomen *Oſtrogottha.* Servat nomen pars Regni Suedici. Corrupte *Auſtrogotthi*, Vopiſco.

Oſtrigottha. corrupte *Auſtrigottha*, & *Auſtrigoſa*, ſicut ex

Ooſt-

Ooſt-reich, imperio Orientali, tum apud Langobardos tum apud Francos factum *Auſtria*, & *Auſtraſia*.

)uida. *Ou-ida*. Vetere familia. *Oud*. *Old*. *Ald*. vetus. ſæpe in voc. & alibi, & manet in dialectis Germanicis.

'aldus. idem quod *Balthus* & *Baldus*. Audax. nam p. & B. ut d. & t. ſive th. permutari in Germanico ſermone frequentiſſimum. Pald. in voc. Al.

emmo. melius in voc. Al. penno. *Penn-hoh* Vertice eminens *Penne* vertex. unde *Penninus* Iupiter. in Alpium vertice. *Hoh*. *Hooch*. ſublimis.

eredeo. *Pered-eu*. Late patentis legis. eſt & in voc. Alleman.

eret pro *Preht*. ſæpe in voc. Allem. ut *Perethman*. *Perehterich*. & ſimilia.

eria. *Perjag*. Vrſorum venator. *Per* pro urſo in multis nominibus voc. Al. alii *Ber* dicunt.

ertarit. *Perth-rith*. Equo vectus.

etzamin. *Pet-zamin*. Lecti ſociator. In dictionario lectulus *Petum*. Belgis *Bed*.

huſcia. *Fus-ga*. pedes. in voc. Allem. *Fuſſio*.

itza, Procopio *Pitzia*, Ennodio *Punctor*. in voc. All. *Piezo* : & *Piſo* : & *Piccius*.

adagathus. *Rad-gath*. Celer ire. idem alibi *Ratehait*.

adoaldus. *Rad-vvald*. celer & potens.

aginbertus. *Ragin-breht*. Puritatis copioſus. *Ragin*, & *Regin*, idem quod *Rein* purus. In voc. Al. *Regimbert*, *Reginbreht*, *Reginpret*, *Rekinpreht*, *Reinbreht*, *Reinbreth*.

agnares. *Ragin-hare*. Purus dominus. In voc. Al. *Reginhere*, *Reginheri*, *Reinhere*.

aligo. *Ralig*. Conſilii patiens. Idem cum augmento *Perahtlo*, in voc. Allem.

anigunda. pura benevolentia. In voc. *Regnigund*.

Raptus. Raft. rapax.

Raberga. Fem. *Rat-berga.* concilii celans. in voc. All. *Ratbirg.*

Ratchis. alias *Rat-gis.* Confilio fortis. In voc. All. *Ratgis* & *Ratkis* : *& Ratgisus.*

Raus. Rausch. Streperus.

Recesuindus. Recessuindus. Reke-svvind. ultione potens. *Svvind* in novo testamento sæpe, potens. inde *Svvinthibold.* & similia nomina. *Rebchan* ultor. in dictionario antiquo. inde *Rechinolf*, in voc.

Reccaredus. Recaredus. Ricaredus. Reke-reden. ultor cum ratione. Contractè *Recco.*

Regericus. Regin-rijck. puritate pollens.

Reginbertus. vide *Raginbertus.*

Respa. Red-spa. loquens tarde.

Rhodanas. Road-nast. quieti proximus. *Road. Ruad. Rod.* in nominibus Germanicis idem valent, & quietem significant.

Richilanes. Rich-lands. Pollens terrarum.

Ricimundus. Rijc-mund. Pollens ore. in voc. Al. *Rihmund. Richmunt.*

Risiulfus. Reise-ulf. itineris auxiliator.

Rodelinda. Fem. *Rode-linde.* quies tranquilla. in voc. Al. *Ruadlind. Ruoadlind. Ruodlind.*

Roderichus. Ῥουδερῖχος. *Rode-rijch.* quiete pollens. Alibi, & in voc. Al. *Rodericus.* nomen etiamnum Hispanis ex Gotthico frequens.

Rodoaldus. Rod-vvald. quietis compos.

Romoaldus. Romvvaldus. Rumoldus, & *Rumoaldus*, in vocabulario *Rom-vvald.* vel *Rum-vvald.* Fama potens.

Rosimunda. Fem. *Roseum os.*

Rotemer. Rote-mer. quietis princeps. *Ruad-mer.* in voc. Alleman.

Rothar.

Rothar. Rothari. Rotharius. Rot-hari. quietis dominus. in voc. Alleman. *Ruadhari, Ruadhere, Ruadheri, Ruodhere, Ruodhiri.*

Rotharie. Rotha-rijk quiete pollens. in voc. Alleman. *Ruadarib. Ruadrib.* idem quod *Rodericus* ſupra. Alibi *Ruderichus.*

Rugelant. Terræ nomen. quæ *Rugia*, Latinis. *Ruge-lant.* hirſuta terra.

Rumetruda. Fem. *Rume-trud.* celebratæ fidei.

Rumilda. Rumhilda. Famæ eximia. in voc. Al. *Ruomhilt. Rumhilt.*

Safrais. Saft-rais. Placide iter faciens. Ammiano *Saphrax.*

Sallanes. Sal-lands. Salus terræ. *Sal* Germanis *Salus*, unde *Salach* beatus; *Salefrid*, ſalutaris pax, & ſimilia.

Sandil. Sand-heil. mittens ſalutem. ut *Sandolf* mittens auxilium. In dictionario, Salus *Heily.* unde *Heilfrid.* & ſimilia nomina.

Scanzia. Scandinavia. Schantze. Schantzenau. Caſtellorum terra. quod in exeſis rupibus velut in Caſtellis habitarent. Vide Iornandem.

Scipuar. Σκιπϰάρ. *Scip-vvard.* Navium cuſtos.

Scritofinni, ut habet Paulus: male *Scritobini. Scrit-finnen. Salientes Finni*, interprete Paulo.

Schoringia inſula. *Scoring.* Locus erectis ripis: ubi abluvio eſt.

Segericus. Sege-rijc. Victoriis pollens. Aliàs *Sigericus.*

Sesvvaldus. Sits-vvald. Sedum potens.

Sigibrandus. Sige-brand. Victoria incenſus. in voc. Al. *Sigeprandus.*

Sigismundus. Siges-mund. Vincens os. in voc. Al. *Sigimunt.* Tacito *Sigimundus.*

Sigvvald. Sig-vvald. victoriæ compos. in voc. Alleman. *Sigoaldus Sigvvaldus.*

Silingi, Sulingen. populi nomen. ad latus positi.

Sinderich. Sind-rich. Sensu pollens. *Sind*, sensus. unde *Sindarat, Sindpert, Sindinand*, & alia in voc. Al.

Sittones. Sitten. Sedentarii. nomen oppositum vicinis *Suetonibus*, id est, laboriosis. Ejusdem nominis, credo, & originis *Sitini* ad Vistulam Ptolemæo memorati, & *Sidones* inter Bastarnas Straboni. Sic & in voc. Alleman. nomen viri *Sito*, quod aliter *Sizo* scribitur.

Sisebutus. Sise-but. Firma præda. *Sise*, firmus, unde *Saisir, Sessen.*

Sisenandus. Sise-nand. constanter celebratus. Nand à nomine, ut Ferdinand, Procul celebratus. Contracte *Sizo* in voc.

Sisifridus. Sise-frid. Firmæ pacis.

Stilicho. Sic in optimis libris. qui corruptius *Stilico* nobilissimus Romanorum dux, domo Vandalus. *Stillick.* modestus. in dict. *Stille*, *Silentium.* Inde *Stillolf* in voc. & *Stillimuor.*

Suartus. Σϐαρτέας. *Svvart-auser.* A nigra terra, loco natali: ut *Svvartilah* in vocabulario Alleman. nigro nemore. *Suartau* vetus oppidi nomen non longe Lubeca.

Subo. Sus-bold. Suaviter audax. in voc. Allem. *Svvabold. Suabolt.*

Suithones. Suethones. Svvithen. Sudatores, Laboriosi. *Suethans*, & *Suethidi* apud Iornandem. *Sueones* corrupte apud Tacitum. *Suedi*, Adamo Bremensi. *Sueti* Saxoni. unde *Suetia*, & corrupte *Suecia* & *Sueci*, sicut ex Dania Daciam fecere. *Svvitger*, laboris amans. in vocab. Alleman. *Svvidrich*, labore pollens.

Suin-

Suinthila. Svvintila. Svvint-las. potentia exutus.

Sunierîcus. Sune-rijc. Concordia pollens. *Sunen* pacificare. in confeſſionis formula *Giſuonthai*, conciliavi. Contracte *Suno* in voc.

Taſo. Tato. Tazo apud Paulum. *Trazo* apud Procopium. in voc. Al. *Taſſo, Tatto.* coacervator.

Taunaſis. Taun-hais. Collibus imperans. *Taun, Tun, Dun.* collis. & inde *Thon* oppidum Anglo-Saxonibus, quod pleraque in collibus ſita erant.

Teia. Tuias. Tei. lentus.

Tetraxitæ. Tetraug-ſitten. Sub induciis ſedentes. quod nomen græca voce ἐκεχειρεῖς reddidit, additque Scylaci, ut multa alia, exſcriptor aliquis. Gotthica gens quietis amans ad Pontum Euxinum. Sic dicti ab Vturgaris. Vide Procopium Gotthicorum quarto.

Theodemir. Theode-mer. Populorum princeps. De utraque voce unde hæc compoſita eſt dictum ſupra.

Theudas. Theud-hais. Populis imperans.

Theudatus. Theudathus. Theodahadus. Theodahatus. Theodatus, Theud-aht: vel *Theod-aht*: Populis æſtimatus. *Aht*, & *Acht*, idem.

Theudelapius. Theodelappo. Theud-tolapo. ad populum accurrens.

Theudelinda. Fem. *Theude-linda.* populis mollis.

Theudenanta. Fem. *Theude-nanta,* per populos celebrata. vox poſterior & in Gudinandi, apud Caſſiodorum, & in Ferdinandi nominibus apparet.

Theuderada. Fem. *Theude-rada.* Populo conſulens.

Theuderedus. Theudoridus. Theud-ered. Populis honoratus.

Theuderichus. Theude-rijch. Populis pollens. Sic ſcribunt Græci Θευδέριχος. Latinis *Theodoricus*, *Theo-*

derichus, Thiodericus, Theudericus. Ex quo factum *Theudoris* apud Sidonium. in voc. Al. his modis, *Theoterib, Theotirib, Thiotirib, Thiotiribe, Thiorich, Tieterich, Tieteribe, Tehtrich*. Contracte *Theudo*, sive *Theodo*, ut apud Cassiodorum. Et sic Gregorio Turonensi dicitur *Theudericus* primus Wisigotthorum Rex.

Theudichusa. Theud-chisa. Populos eligens.

Theudigisilus. Theud-gisil. Populorum comes. Alias *Theodigisilus*, & corrupte *Theudisclus*.

Theudigottha. Theudi-gottha. Fem. populo bona. Scribitur & *Theudicoda*, g in c mutato, ut sæpe in eadem *boni* voce. in voc. Al.

Theudis. Thiodis. Theudisch. popularis.

Thurus. ferox.

Torisin, Thorisin. Thorisendus. Thori-sind. Ferax sensu. id enim olim vox *Thor* significabat, quod nunc pro stolido sumitur.

Torismund. Thorismund. Turismundus. Thoris-mund. Ferox ore.

Torismodus. Thurismodus. Turismodus. Thoris-mod. Ferox animo.

Todascus. idem quod *Theudas*.

Toto. contractum ex *Totilas*. Varie scribitur in voc. Al. *Totto, Tuto, Tuato, Tuoto, Todo*.

Totilas. in voc. Al. *Totila. Toutilo. Tot-las.* morte liber. Athanasius.

Trasamundus. Trasemundus. Trost-mund. consolans os. *Drasamunt*, in voc. Al. & *Thrasamunt*. contracte *Thruso*. *Thriuso* ibidem.

Triarius. Tri-bar. Trium dominus.

Tulca. interpres. Alibi *Isulca*.

Turicus. Turic. durabilis.

Tzazo. vide *Taso*.

VValamer. Scribendum Germanice, *VVal-ab-mer.* bene æsti-

æstimatus. Princeps. ut *VValach*, in voc. Nam *VValemir* est Princeps externus sive falsus.

VVachilapus. *VVachi-lap*. viæ cursor.

VVacho. idem contracte.

Vaaces. *Vacis*. Græcis Οὐαάκης. *VVaack-hais*. Excubitoribus imperans. Latini vetustiores W Germanicum per V exprimunt: ut *Vabalis*, *VVaal*: Posteriores notam propriam fecere, *VVabal*, *VVinidæ*.

Vacimus. Græcis Οὐάκιμος. *VVaak-him*. Excubans domi.

Vaccarus. Græcis Οὐάκκαρος. *VVaker*. Vigil. In voc. *VVachar*.

VValadamarca. *VVal-da-marca*. bene faciens territorio.

Valdarus. Græcis Οὐάλδαρος. aliis, *VValtari*. vulgo *VValterus*. *VVald-har*. Nemoris dominus. in voc. Al. *VValdhere*. *VValdheri*. Contracte *VValdo*.

VValeramus. corrupte alibi, *Valeravaris*, alibi *Valeranaus*. *VVale-ram*, Bene celebratus.

VValderada. Fem. *VVal-rade*. bene consulens. in voc. Al. *VValerat*, & soni mitioris causa *VValdrada*.

VVallia. *VVal-lia*. bene patiens. scribitur & *Vallia*.

VVamba. Ventrosus.

VVandali. Vulgo *Vandali*. Græce Βανδίλοι, Procopio, Zonaræ, Οὐάνδηλοι. Obambulatores. Cassiodoro *VVandalii*.

VVandalarius. *VVandal-hari*. Wandalorum dominus. Alibi corrupte *VVandalaricus*.

VVarnecautius. in voc. Al. *VVarnegausus*. *VVarne-gaut*. Custos auri. Vnde & *Gausoaldus*, & *Gausvvinus*. In voc. Al.

VVarnefridus. *VVarne-frid*. Custos pacis.

Varus. *VVaar*. Verax.

VVectari. *VVect-hari*. Vigiliæ dominus. *VVacta* aliàs, *VVachta* in Capitulari, Ofrido, & alibi.

Vedacus. *Ve-dack*. pecuniam tegens. *Vee* olim pecus. postea res omnis mobilis, ut Latinis pecus. *Feh*. Saxonibus & *Fia*.

Vernulfis. *Vern-ulf*. Longe auxiliator. Alii ſcriberent *Fern-ulfus*. ut *Ferd-nand*. ita dialectis differunt.
VVidin. *VVijd-vvin*. Late victor. Ex eadem origine. *VVignant*. Late nominatus. in voc. Al. Et *VVithram*, late celeber.
VVidigola. *VVijd-gelant*. Late poſſeſſor. Alibi *VVidicula*. in voc. Al. *VVialand*. *VVielant*. *VViolant*.
VVidimer. *VVidemer*. Late Princeps.
VVidericus. *VVitirichus*. *VVijd-rijch*. Late pollens. Alibi *Vedericus* corruptius ſcribitur.
VVidulf. *VVitulf*. *VVijd-ulf*. Late auxiliator. Sic habet Vrſpengenſis, ex Iornande. ubi nunc male *VVuldulf*. in voc. Al. *VVitolf*.
VVigilanda. Fem. in vocabulario Alleman. *VViclind*. *VVic-linde*. Mollis, ac lenis. Molliti, *Kervikheti*, in dictionario.
Viliaris. Οὐιλίαρις. *VVil-gare*. Volens promte. in voc. Al. *VVol-ger*.
Vilas. Græce Οὐΐλας. *VVil-las*. voluntatis expers.
VVinberta. Fem. *VVun-breht*: Partu copioſa. *Bert* pro *Breht* ſæpe in nominibus. ut *Albreht*, *Albert*. Apparet in voc. Al. *VVunen* parere.
VVintharius. in voc. Al. *VVintheri*. *VVinthiri*. *VVinithiri*. *VVint-hari*. Venedorum dominus.
VViſandus. *VVijs-hand*. Sapiens manu.
VViſegarda. *VViſe-garda*. Sapientiæ collectio. Sic *Boomgaerd* arborum collectio.
VViſimar. *VVijſe-maar*. ſapientia celebratus. Alibi corruptius *Viſumar*.
VViſigotthi. *Viſigotthi* vulgo. *Veſegothæ* Iornandi. *VViſt-Gotten*. occidentales Gotthi. Servat nomen Suedici regni pars. Conciſe *Viſi* apud Sidonium.
VVittichis. Vulgo, *Vitigis*. Græcis Οὐΐτιγις. *VVit-gis*. ſapiens,

ſapiens, & fortis. Sic *VVitichind.* ſapiens puer. *VVit-rad.* in voc. Al. ſapiens conſilium. nam t & s in hac voce, ut in multis aliis, idem valent. Sic *vveten* Scire; *vvijs*, is qui ſcit.

VVittericus. VVitte-rijc. Sapientia pollens. Alibi corruptius ſcribitur. *Vittericus.* Apud Ammianum *Videricus.*

VVitiza. VVit-iza. Sapiens in metu. *Izen*, metuere. unde multa nomina.

Vlfarii. VVelf-hari. Luporum dominus.

Vlias, Οὐλίας. Idem quod *VVallia*; ſed corruptius elatum.

Vliphus. Οὔλιφος. *VVelf.* Lupus. Nomen Germanis frequens, ut alia à feris. Eſt & in vocabulario Allemannico.

Vligiſalus, Οὐλιγίσαλος. *VVol-giſal.* bene comitatus.

Vlitheus, Οὐλίθεος. *VVel-ithe.* bene familiatus.

Vnilas, vide *Hunilas.*

Vnilt. Hun-ild. In centuriis eximius. *Hild*, & *Ild*, virum eximium, *Hilde* feminam eximiam ſignificat. Vide ſupra ex eadem origine *Vnolf. Vnpert*, in vocab. Alleman.

VVodan. Sic rectius ſcribitur quam *Guodan.* quod vide.

Vraias. Οὐραΐας. *VVar-jaag.* belli quæſitor.

Vſdrilas Οὐσδρίλας. *VVasre-las.* ex aqua liberatus. d. interjectum mitigando ſono ut in *VValdrada.*

Vthericus. Glebæ pollens. *Vther*, & *Either.* pinguis gleba.

VVulfilas. VVulfi-las. à lupo liberatus. Scribitur & *Gulfilas.* W in G mutato quod frequens Italis, & Gallis.

Zaban. Zab-an. Lorica indutus. Gloſſ. *Zaba* Lorica. Scribitur & *Zava* in legibus. Exſtat & apud Leonem, & Vibicum.

Zaman,

Zaman. Zaam-man. in agmine vir. Papias *Zavas* interpretatur *Rutas*, *Rotten.* Legendum *Zamas.* pro quo in lege Langobardica itidem corrupte *Lanas*, id eſt, adunationes.

Zangrulf. Zangr-ulf. Infirmis auxiliator.

Zotto. Suavis. nunc ſtultum ſic vocant, mutata in pejus ſignificatione, ut in multis.

Zuchilo. Zuch-heilo. quærens ſalutem. Inde verbum *Zuchheilen*: corrupte, *Zuckelen.*



IORNANDES
Epiſcopus Ravennas

DE

GETARVM

Sive

Gothorum origine, & rebus geſtis.

Ex Recognitione

BON. VVLCANII BRVGENSIS.



IORNANDES
Episcopus Ravennas
DE
GETARVM
Sive
Gothorum origine, & rebus gestis.

CAP. I.

De totius orbis terrarum divisione.

MAIORES nostri, ut refert Orosius, totius terræ circulum Oceani limbo circumseptum triquetrum statuere, ejusque tres partes, Asiam, Europam, & Africam vocavere. De quo tripartito orbis terrarum spatio innumerabiles penè scriptores existunt: qui non solum urbium locorumve positiones explanant; verùm etiam, quod est liquidius, passuum miliariumque dimetiuntur quantitatem. Insulas quoque marinis fluctibus intermixtas, tam majores, quàm etiam minores, quas Cycladas, vel Sporadas cognominant, in immenso maris magni pelago sitas determinant. Oceani verò intransmeabilis ulteriores fines non solum non describere quis aggressus est, verùm etiam nec cuiquam licuit trans-

transfretare: quia reſiſtente ulva, & ventorum ſpiramine quieſcente, impermeabiles eſſe ſentiantur, & nulli cogniti, niſi ſoli ei qui eos conſtituit. Citerior verò ejus pelagi ripa, quam diximus, totius mundi circulum in modum coronæ ambiens, fines ſuos curioſis hominibus, & qui de hac re ſcribere voluerunt, perquam innotuit, quia & terræ circulus ab incolis poſſidetur. Et nonnullæ inſulæ in eodem mari habitabiles ſunt, ut in Orientali plaga, & Indico oceano, Hippodes, Iamneſia, ſole peruſtæ, quamvis inhabitabiles, tamen omnino ſui ſpacio in longum latumque extenſæ. Taprobane quoque, in qua exceptis oppidis, vel poſſeſſionibus, dicunt munitiſſimas urbes, decoram Sedaliam, omnino gratiſſimam Sileſtantinam, nec non Etheron, licet non ab aliquo ſcriptore dilucidas, tamen ſuis poſſeſſoribus affatim refertas. Habet in parte occidua idem Oceanus aliquantas inſulas, & penè cunctas ob frequentiam euntium & redeuntium notas. Et ſunt juxta fretum Gaditanum haud procul, una Beata, & alia quæ dicitur Fortunata, quamvis nonnulli & illa gemina Galliciæ & Luſitaniæ promontoria in Oceani inſulis ponant. In quorum uno templum Herculis, in alio monumentum adhuc conſpicitur Sciponis. tamen quia extremitatem Galliciæ terræ continent, ad terram magnam Europæ potius, quàm ad Oceani pertinent inſulas. Habet tamen & alias inſulas interius in ſuo æſtu, quæ dicuntur Baleares, habetque & aliam Mevaniam: nec non & Orcadas numero XXXIIII. quamvis non omnes excultas. Habet & in ultimo plagæ occidentalis aliam inſulam nomine Thylen, de qua Mantuanus:

--- *tibi ſerviat ultima Thyle.*

Habet quoque hoc ipſum immenſum pelagus in parte arctoa, id eſt, ſeptentrionali, amplam inſulam nomine Scan-

Scanziam, unde nobis ſermo, ſi dominus juverit, eſt aſſumendus: quia gens, cujus originem flagitas, ab hujus inſulæ gremio velut examen apum erumpens, in terram Europæ advenit. Quomodo verò, aut qualiter, in ſubſequentibus (ſi Dominus donaverit) explanabimus.

CAP. II.

De Britannia inſula.

NVnc autem de Britannia inſula, quæ in ſinu Oceani inter Hiſpanias, Gallias, & Germaniam ſita eſt, ut potuero, paucis abſolvam. Cujus licet magnitudinem olim nemo (ut refert Livius) circumvectus eſt, multis tamen data eſt varia opinio de ea loquendi. Quamdiu ſiquidem armis inacceſſam Romanis, Iulius Cæſar præliis, ad gloriam tantum quæſitis, aperuit perviam: deinceps mercimoniis, aliasque ob cauſas, multis patefacta mortalibus, non indiligenti, quæ ſecuta eſt, ætati, certius ſui prodit ſitum. quam, ut à Græcis Latiniſque autoribus accepimus, perſequimur. Triquetram eam plures dixere, cono ſimilem, inter ſeptentrionalem occidentalemque plagam projectam; uno, qui magnus eſt, angulo in Rheni oſtia ſpectantem: dehinc correpta latitudine obliqua retro abſtractam in duos exire alios: geminoque latere longiore Galliæ prætendi, atque Germaniæ. In duobus millibus trecentis decem ſtadiis latitudo ejus ubi patentior: longitudo non ultra ſeptem millia centum triginta duo ſtadia fertur extendi: modò verò dumoſa, modò ſylveſtri jacere planicie, montibus etiam nonnullis increſcere: mari tardo circumflua, quod nec remis facilè impellentibus cedat, nec ventorum flatibus intumeſcat, quia remotæ longius terræ cauſas motibus negant. quippe

illuc latius, quàm usquam, æquor extenditur. Refert autem Strabo, Græcorum nobilis scriptor, tantas illam exhalare nebulas, madefacta humo Oceani crebris excursibus, ut subtectus sol per illam penè totam fœdiorem, qui serenus est, diem negetur aspectu, noctem quoque clariorem. In extrema ejus parte Memma, quam Cornelius etiam annalium scriptor narrat, metallis plurimis copiosam, herbis frequentem, & his feraciorem omnibus, quia pecora magis, quàm homines alat. Labi verò per eam & multa quàm maxima relabique flumina, gemmas margaritasque volventia. Xylorum colorati vultus, torto plerique crine & nigro nascuntur. Calidoniam verò incolentibus rutilæ comæ: corpora magna, sed fluida: qui Gallis sive Hispanis à quibusque attenduntur assimiles. Vnde conjectavere nonnulli, quòd ea ex his accolas continuo vocatos acceperit. inculti æquè omnes populi, regesque populorum: cunctos tamen in Calidoniorum metallum concessisse, nominandi autor est Dio celeberrimus scriptor annalium. Virgeas habitant casas, communia tecta cum pecore, silvæque illis sæpè sunt domus. Ob decorem nescio, an aliam ob rem, ferro pingunt corpora. Bellum inter se aut imperii cupidine, aut amplificandi quæ possident, sæpius gerunt; non tantùm equitatu vel pedite, verùm etiam bigis, curribusque falcatis: quos more vulgari essedas vocant. Hæc pauca de Brittanniæ insulæ forma dixisse sufficiat.

CAP. III.

De Scanziæ insulæ situ, & nationibus.

AD Scanziæ insulæ situm, quam superius reliquimus, redeamus. De hac enim in secundo sui operis libro Claudius Ptolemæus orbis terræ descriptor egre-

egregius meminit, dicens: Eſt in Oceani arctoo ſalo poſita inſula magna, nomine Scanzia, in modum folii cedri, lateribus pandis poſt longum ductum concludens ſe. ejus ripas influit Oceanus. Hæc à fronte poſita eſt Viſtulæ fluvii; qui Sarmaticis montibus ortus, in conſpectu Scanziæ ſeptentrionali Oceano triſulcus illabitur, Germaniam Scythiamque diſterminans. Hæc ergo habet ab Oriente vaſtiſſimum lacum, in orbis terræ gremio: unde Vagi fluvius velut quodam ventre generatus in Oceanum undoſus evolvitur. Ab Occidente namque immenſo pelago circundatur: à Septentrione quoque innavigabili eodem vaſtiſſimo concluditur Oceano, ex quo quaſi quodam brachio exeunte, ſinu diſtento, Germanicum mare efficitur. Hic gentes, quæ carnibus tantùm vivunt: ibi etiam parvæ, ſed plures perhibentur inſulæ eſſe diſpoſitæ; ad quas ſi congelato mari ob nimium frigus lupi tranſierint, luminibus feruntur orbari. ita non ſolum inhoſpitalis hominibus, verùm etiam beluis terra crudelis eſt. In Scanzia verò inſula, unde nobis ſermo eſt, licet multæ & diverſæ maneant nationes, ſeptem tamen earum nomina meminit Ptolemæus. Apum ibi turba mellifica ob nimium frigus nunquam reperitur. In cujus parte arctoa gens Adogit conſiſtit, quæ fertur in æſtate media quadraginta diebus & noctibus luces habere continuas: itemque brumali tempore, eodem dierum noctiumque numero lucem claram neſcire. Ita alternato mœrore cum gaudio, beneficio aliis damnoque impar eſt. Et hoc quare? Quia prolixioribus diebus ſolem ad Orientem per axis marginem vident redeuntem: brevioribus verò non ſic conſpicitur apud illos, ſed aliter; quia Auſtrina ſigna percurrit, & qui nobis videtur ſol ab imo ſurgere, illis per terræ marginem dicitur circuire. Aliæ verò ibi gentes tres. Creſennæ; qui frumentorum non

quæritant victum, sed carnibus ferarum atque avium vivunt: ubi tanta paludibus fœtura ponitur, ut & augmentum præstent generi, & satietatem ac copiam genti. Alia verò gens ibi moratur Suethans, quæ velut Thuringi equis utuntur eximiis. Hi quoque sunt, qui in usus Romanorum Saphirinas pelles, commercio interveniente, per alias innumeras gentes transmittunt, famosi pellium decora nigredine. Hi quum inopes vivunt, ditissimè vestiuntur. Sequuntur deinde diversarum turba nationum, Theusthes, Vagoth, Bergio, Hallin, Liothida, quorum omnium sedes sub humo plana ac fertili, & propterea inibi aliarum gentium incursionibus infestantur. Post hos Athelnil, Finnaithæ, Fervir, Gautigoth, acre hominum genus, & ad bella promptissimum. Dehinc mixti Evageræ Othingis. Hi omnes exesis rupibus, quasi castellis inhabitant, ritu beluino. Sunt ex his exteriores Ostrogothæ, Raumaricæ, Raugnaricii, Finni mitissimi, Scanziæ cultoribus omnibus mitiores: nec non & pares eorum Vinoviloth, Suethidi, Cogeni in hac gente reliquis corpore eminentiores, quamvis & Dani ex ipsorum stirpe progressi, Erulos propriis sedibus expulerunt: qui inter omnes Scanziæ nationes nomen sibi ob nimiam proceritatem affectant præcipuum. Sunt quanquam & illorum positura Grannii, Aganziæ, Vnixæ, Ethelrugi, Arochiranni, quibus non ante omnes, sed ante multos annos Rodulf rex fuit, qui contempto proprio regno, ad Theoderici Gothorum regis gremium convolavit, & ut desiderabat, invenit. Hæ itaque gentes Romanis corpore & animo grandiores, infestæ sævitia pugnæ.

CAP.

Cap. IV.

Gothi unde primum egressi. quo pacto paulatim sedes suas promoverint in Scythiam Pontico mari vicinam.

Ex hac igitur Scanzia insula quasi officina gentium, aut certè velut vagina nationum, cum rege suo nomine Berig, Gothi quondam memorantur egressi: qui, ut primùm, è navibus exeuntes, terras attigere, ilico loco nomen dederunt. Nam hodie illic, ut fertur, Gothiscanzia vocatur. Vnde mox promoventes ad sedes Vlmerugorum, qui tunc Oceani ripas insidebant, castrametati sunt, eosque commisso prælio propriis sedibus pepulerunt, eorumque vicinos Wandalos jam tunc subjugantes suis applicuere victoriis. Ibi verò magna populi numerositate crescente, etiam penè quinto rege regnante, post Berig, Filimer, Filogud, Arigis, Consilio sedit, ut exinde cum familiis Gothorum promoveret exercitus. qui aptissimas sedes, locaque dum quæreret congrua, pervenit ad Scythiæ terras, quæ lingua eorum Ovim vocabantur: ubi delectato magna ubertate regionum exercitu, & medietate transposita, pons dicitur, unde amnem transjecerat, miserabiliter corruisse, nec ulterius jam cuiquam licuit ire aut redire. Nam is locus, ut fertur, tremulis paludibus voragine circumjecta concluditur: quem utraque confusione natura reddidit impervium. Veruntamen hodieque illic & voces armentorum audiri, & indicia hominum deprehendi, commeantium adtestatione, quamvis à longe audientium, credere licet. Hæc igitur pars Gothorum, quæ apud Filimer dicitur in terras Ovim emenso amne transposita optatum potita solum. Nec mora, ilico ad gentem Spalorum adveniunt, consertoque prælio, victoriam adipiscuntur: exindeque jam velut victores

ctores ad extremam Scythiæ partem, quæ Pontico mari vicina eſt, properant: quemadmodum & in priſcis eorum carminibus penè hiſtorico ritu in commune recolitur: quod & Ablabius deſcriptor Gothorum gentis egregius veriſſima adteſtatur hiſtoria. In quam ſententiam & nonnulli conſenſere majorum. Ioſephus quoque Annalium relator veriſſimus, dum ubique veritatis conſeruit regulam, & origines cauſarum à principio revolvit; hæc verò, quæ diximus, de gente Gothorum principia cur omiſerit, ignoramus. Sed tamen ab hoc loco eorum ſtirpem commemorans, Scythas & natione & vocabulo aſſerit appellatos: cujus ſoli terminos, antequam aliud ad medium deducamus, neceſſe eſt, uti jaceant, dicere.

CAP. V.

Scythiæ ſitus & deſcriptio, & variæ Gotthorum in ea ſedes.

SCythia ſiquidem, Germaniæ terræ confinis, eotenus ubi Hiſter oritur amnis, vel ſtagnum dilatatur Myſianum, tendens uſque ad flumina Tyram, Danaſtrum, & Vagoſolam, magnumque illum Danubium, Taurumque montem, non illum Aſiæ, ſed proprium, id eſt Scythicum, per omnem Mæotidis ambitum, ultraque Mæotida per anguſtias Boſpori uſque ad Caucaſum montem, amnemque Araxem, ac deinde in ſiniſtram partem reflexa, poſt mare Caſpium, quæ in extremis Aſiæ finibus ab Oceano Euroboreo in modum fungi primum tenuis, poſt hæc latiſſima & rotunda forma exoritur, vergens ad Hunnos, Albanos, & Seres uſque, digreditur. Hæc inquam patria, id eſt Scythia, longè ſe tendens, lateque aperiens, habet ab oriente Seres, in ipſo ſui principio ad littus Caſpii maris commanentes;

tes; ab occidente Germanos, & flumen Viſtulæ. ab Arctoo, id eſt Septentrionali, circundatur Oceano: à meridie Perſide, Albania, Hiberia, Ponto, atque extremo alveo Hiſtri, qui dicitur Danubius ab oſtio ſuo uſque ad fontem. In eo verò loci latere, quo Ponticum littus attingit, oppidis haud obſcuris involvitur, Boryſthenide, Olbia, Callipode, Cherſone, Theodoſia, Pareone, Mirmycione, & Trapezunte; quas indomitæ Scytharum nationes Græcos permiſere condere, ſibimet commercia præſtaturos. In cujus Scythiæ medio eſt locus, qui Aſiam Europamque ab alterutro dividit, Riphæi ſcilicet montes, qui Tanaim vaſtiſſimum fundunt intrantem Mæotida; cujus paludis circuitus paſſuum millia CXLIV, nuſquam octo ulnis altius ſubſidentis. In qua Scythia prima ab occidente gens ſedit Gepidarum, quæ magnis opimatiſque ambitur fluminibus. Nam Tiſianus per Aquilonem ejus Corumque diſcurrit. Ab Africo verò magnus ipſe Danubius, ab Euro fluvius Tauſis ſecat, qui rapidus ac verticoſus in Hiſtri fluenta furens devolvitur. Introrſus illi Dacia eſt, ad coronæ ſpeciem arduis alpibus emunita. juxta quorum ſiniſtrum latus, quod in Aquilonem vergit, & ab ortu Viſtulæ fluminis per immenſa ſpacia venit, Winidarum natio populoſa conſedit. Quorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen Sclavini & Antes nominantur. Sclavini à Civitate nova, & Sclavino Rumunnenſi, & lacu qui appellatur Muſianus, uſque ad Danaſtrum, & in Boream Viſcla tenus, commorantur. hi paludes ſylvaſque pro civitatibus habent. Antes verò, qui ſunt eorum fortiſſimi, qui ad Ponticum mare curvantur, à Danaſtro extenduntur uſque ad Danubium. quæ flumina multis manſionibus ab invicem abſunt. Ad littus autem Oceani, ubi tribus faucibus fluenta Viſtulæ flu-

minis ebibuntur, Vidioarii resident, ex diversis nationibus aggregati, post quos ripam Oceani Itemesti tenent, pacatum hominum genus omnino. Quibus in austro adsedit gens Agazzirorum fortissima, frugum ignara, quæ pecoribus & venationibus victitat. Vltra quos distenduntur supra mare Ponticum Bulgarorum sedes, quos notissimos peccatorum nostrorum mala fecere. Hinc jam Hunni quasi fortissimarum gentium fœcundissimus cespes, in bifariam populorum rabiem pullularunt. Nam alii Aulziagri, alii Aviri nuncupantur, qui tamen sedes habent diversas. Iuxta Chersonem Aulziagri, quò Asiæ bona avidus mercator importat, qui æstate campos pervagantur effusos, sedes habentes, prout armentorum invitaverint pabula; hyeme supra mare Ponticum se referentes. Hunugari autem hinc sunt noti, quia ab ipsis pellium murinarum venit commercium: quos tantorum virorum formidavit audacia. Quorum mansionem primam esse in Scythiæ solo juxta paludem Mæotidem, secundò in Mœsia, Thraciaque, & Dacia, tertiò supra mare Ponticum, rursus in Scythia legimus habitasse: nec eorum fabulas alicubi reperimus scriptas, qui eos dicunt in Britannia, vel in unaqualibet insularum in servitutem redactos, & unius caballi precio quondam redemptos. Aut certè si quis eos aliter dixerit in nostro orbe, quàm quod nos diximus, fuisse exortos, nobis aliquid obstrepit. nos enim potius lectioni credimus, quàm fabulis anilibus consentimus. Vt ergo ad nostrum propositum redeamus, in prima parte Scythiæ, juxta Mæotidem, commanentes præfati unde loquimur, Filimer regem habuisse noscuntur. In secundo, id est, Daciæ, Thraciæque & Mœsiæ solo Zamolxen, quem miræ Philosophicæ eruditionis fuisse testantur plerique scriptores annalium. Nam & Zeutam prius habuerunt eruditum, post

etiam

etiam Diceneum, tertium Zamolxen, de quo superius diximus. Nec defuerunt, qui eos sapientiam erudirent. Vnde & penè omnibus barbaris Gothi sapientiores semper extiterunt, Græcisque penè consimiles, ut refert Dio: qui historias eorum annalesque Græco stylo composuit. Qui dixit primùm, Zarabos Tereos, deinde vocitatos Pileatos hos, qui inter eos generosi extabant: ex quibus eis & reges, & sacerdotes ordinabantur. Adeo ergo fuere laudati Getæ, ut dudum Martem, quem poëtarum fallacia deum belli pronunciat, apud eos fuisse dicant exortum. Vnde & Virgilius,

Gradivumque patrem Geticis qui præsidet arvis.

Quem Martem Gothi semper asperrima placavere cultura. Nam victimæ ejus mortes fuere captorum, opinantes bellorum præsulem aptius humani sanguinis effusione piacandum. Huic prædæ primordia vovebantur, huic truncis suspendebantur exuviæ. eratque illis religionis præter cæteros insinuatus affectus, quum parenti devotio nominis videretur impendi. Tertia verò sedes supra mare Ponticum. Iam humaniores, & ut superius diximus, prudentiores effecti, divisi per familias populi, Vesegothæ familiæ Balthorum, Ostrogothæ præclaris Amalis serviebant. Quorum studium fuit primum, inter alias gentes vicinas, arcus intendere nervis, Lucano plus historico quàm poëta testante.

Armeniosque arcus Geticis intendere nervis.

Ante quos etiam cantu majorum facta modulationibus citharisque canebant, Ethespamaræ, Hanalæ, Fridigerni, Widiculæ, & aliorum, quorum in hac gente magna opinio est, quales vix heroas fuisse miranda jactat antiquitas. Tunc, ut fertur, Vesosis Scythis lachrymabile, sibi potius, intulit bellum, eis videlicet, quos Amazonum viros prisca tradit autoritas. De queis feminas bellatrices & Orosius in primo volumine pro-

fessa voce testatur. Vnde cum Gothis eum dimicasse evidenter probamus, quem cum Amazonum viris absolutè pugnasse cognoscimus, qui tunc à Borysthene amne, quem accolæ Danubium vocant, usque ad Tanain fluvium circa sinum paludis Mæotidis considebant. Tanain verò hunc dico, qui ex Riphæis montibus dejectus adeò præceps ruit, ut quum vicina flumina, sive Mæotis, vel Bosporus, gelu solidentur, solus amnium confragosis montibus vaporatus, nunquam Scythico durescit algore. Hic inter Asiam Europamque terminus famosus habetur. Nam alter est ille, qui montibus Chrinnorum oriens, in Caspium mare dilabitur. Danubius autem ortus grandi palude, quasi ex mari profunditur. Hic usque ad medium sui dulcis est & potabilis, piscesque nimii saporis gignit, ossibus carentes, cartilaginem tantum habentes in corporis continentiam. Sed ubi fit Ponto vicinior, parvum fontem suscipit, cui ex Ampheo cognomen est, adeo amarum, ut cum sit XL dierum itinere navigabilis, hujus aquis exiguis immutetur, infectusque, ac dissimilis sui, inter Græca oppida Callipidas & Hypanis in mare defluat. Ad cujus ostia insula est in fronte, Achillis nomine. Inter hos terra vastissima, silvis consita, paludibus dubia.

CAP. VI.

Gothi Vesosim Ægyptiorum regem profligant, & Asiam in reditu ex Ægypto subjugant. Item, De Parthorum origine.

HIc ergo Gothis morantibus, Vesosis Ægyptiorum rex in bellum irruit: quibus tunc Taunasis rex erat. Quo prælio ad Phasim fluvium, à quo Phasides aves exortæ, in toto mundo epulis potentum exuberant,

berant, Taunaſis Gothorum rex Veſoſi Ægyptiorum occurrit, eumque graviter debellans, in Ægyptum uſque perſecutus eſt: & niſi Nili amnis intranſmeabilis obſtitiſſent fluenta, vel munitiones, quas dudum ſibi ob incurſiones Aethiopum Veſoſis fieri præcepiſſet, ibi in ejus eum patria extinxiſſet. Sed dum eum ſemper ibi poſitum non valuiſſet lædere, revertens penè omnem Aſiam ſubjugavit, & ſibi tunc charo amico Sorno rege Medorum ad perſolvendum tributum ſubditum fecit. Ex cujus exercitu victores tunc nonnulli provincias ſubditas contuentes, & in omni fertilitate pollentes, deſerto ſuorum agmine ſponte in Aſiæ partibus reſederunt. Ex quorum nomine vel genere Trogus Pompeius Parthorum dicit extitiſſe proſapiam. Vnde etiam hodieque lingua Scythica fugaces, quod eſt Parthi, dicuntur: ſuoque generi reſpondentes, inter omnes penè Aſiæ nationes ſoli ſagittarii ſunt, & acerrimi bellatores. De nomine verò, quod diximus eos Parthos, id eſt fugaces, ita aliquanti etymologiam traxerunt, ut dicerentur Parthi, quia ſuos refugêre parentes. Hunc ergo Taunaſim regem Gothorum mortuum inter numina ſui populi coluerunt.

CAP. VII.

Amazones, abſentibus in prælio maritis, hoſtium variis incurſibus reſiſtunt, & diverſas Aſiæ gentes bello ſuperant.

POſt cujus deceſſum, exercitu ejus cum ſucceſſore ipſius in aliis partibus expeditionem gerente, feminæ Gothorum, à quadam vicina gente tentatæ, in prædamque ductæ à viris, fortiter reſtiterunt, hoſteſque ſuper ſe venientes cum magna verecundia abegerunt. Qua parata victoria, fretæque majori audacia, invicem ſe cohor-

cohortantes, arma arripiunt, eligenteſque duas audaciores Lampeto & Marpeſiam principatui ſubrogarunt. Quæ, dum curam gerunt ut propria defenderent, & aliena vaſtarent, ſortitò Lampeto reſtitit, fines patrios tuendo: Marpeſia verò feminarum agmine ſumpto, novum genus exercitus duxit in Aſiam, diverſaſque gentes bello ſuperans, alios verò pace concilians, ad Caucaſum venit: ibique certum tempus demorans, loco nomen dedit, Saxum Marpeſiæ. Vnde Virgilius:

Ac ſi dura ſilex aut ſtet Marpeſia cautes.

In eo loco, ubi poſt hæc Alexander Magnus portas conſtituens, Pylas Caſpias nominavit: quòd nunc Lazorum gens cuſtodit pro munitione Romana. Hic ergo certum temporis Amazones commanentes confortatæ ſunt. Vnde egreſſæ, & Alym fluvium, qui juxta Garganum civitatem præterfluit, tranſeuntes, Armeniam, Syriam, Ciliciamque, Galatiam, Piſidiam, omniaque Aſiæ oppida, æqua felicitate domuerunt: Ioniam, Æoliamque converſæ, deditas ſibi provincias effecerunt. Vbi diutius dominantes, etiam civitates caſtraque ſuo nomini dicaverunt. Epheſi quoque templum Dianæ ob ſagittandi venandique ſtudium, quibus ſe artibus tradidiſſent, effuſis opibus, miræ pulchritudinis condiderunt. Tali ergo Scythicæ gentis feminæ caſu Aſiæ regno potitæ, per centum penè annos tenuerunt, & ſic demum ad proprias ſocias in cautes Marpeſias, quas ſuperius diximus, repedarunt, in montem ſcilicet Caucaſum. Cujus montis quia facta iterum mentio eſt, non ab re arbitror, ejus tractum, ſitumque deſcribere, quando maximam partem orbis noſcitur circuire jugo continuo. Caucaſus ab Indico mari ſurgens, quà meridiem reſpicit, ſole vaporatus ardeſcit. Qua ſeptentrioni patet, rigentibus ventis eſt obnoxius & pruinis. Mox

in

in Syriam curvato angulo reflexus, licet amnium plurimos emittat, in Asianam tamen regionem Eufratem Tigrimque navigenos ad opinionem maximam perennium fontium copiosis fundit uberibus. Qui amplexantes terras Assyriorum, Mesopotamiam & appellari faciunt, & videri; in sinum maris rubri fluenta deponentes. Tunc in Boream revertens, Scythias terras, jugum antefatum magnis flexibus pervagatur: atque ibidem opinatissima flumina in Caspium mare profundens, Araxem, Cyssum, & Cambysen, continuato jugo ad Riphæos usque montes extenditur. Indeque Scythicis gentibus dorso suo terminum præbens, ad Pontum usque descendit: consertisque collibus, Histri quoque fluenta contingit, quo amnis scissus dehiscens, in Scythia quoque Taurus vocatur. Talis ergo, tantusque, & penè omnium montium maximus, excelsas suas erigens summitates, naturali constructione præstat gentibus inexpugnanda munimina. Nam locatim recisus, qua disrupto jugo vallis hiatu patescit, nunc Caspias portas, nunc Armenias, nunc Cilicas, vel secundum locum qualis fuerit, facit; vix tamen plaustro meabilis, lateribus in altitudinem utrinque directis, qui pro gentium varietate diverso vocabulo nuncupatur. Hunc enim Iamnium, mox Propanismum Indus appellat: Parthus primum castra post Nifacen edicit. Syrus & Armenius Taurum, Scythæ Caucasum ac Riphæum, iterumque in fine Taurum cognominant: aliaque complura gentes huic jugo dedere vocabula. Et quia de ejus continuatione pauca libavimus, ad Amazones, unde divertimus, redeamus.

CAP. VIII.

De Amazonum cum vicinis gentibus concubitu, earumque partubus.

VEritæ hæ, ne earum proles rarefceret, à vicinis gentibus concubitum petierunt, facta nundina femel in anno, ita ut futuris temporibus eis deinde revertentibus in id ipfum, quicquid partus mafculini ediDiffet, patri redderetur: quicquid verò fœminei fexus nafceretur, mater ad arma bellica erudiret. Sive, ut quibufdam placet, editis maribus, novercali odio infantis miferandi fata rumpebant: ita apud illas deteftabile puerperium erat, quod ubique conftat effe votivum. Quæ crudelitas illis terrorem magnum cumulabat, opinione vulgata. Nam quæ, rogo, fpes effet capto, ubi ignofci vel filio nefas habebatur? Contra has, ut fertur, pugnabat Hercules, & Melanes penè plus dolo quàm virtute fubegit. Thefeus verò Hippolyten in prædam tulit, de qua genuit & Hippolytum. Hæ quoque Amazones poft hæc habuere reginam nomine Penthefileam, cujus Trojano bello extant clariffima documenta. Nam hæ feminæ ufque ad Alexandrum Magnum referuntur tenuiffe regnum.

CAP. IX.

De viris Amazonum, & eorum rege Telepho, deque ejus ortu & rebus geftis.

SEd ne dicas, de viris Gothorum fermo adfumptus cur in feminis tamdiu perfeveret: audi & virorum infignem, & laudabilem fortitudinem. Dio hiftoricus, & antiquitatum diligentiffimus inquifitor, (qui) operi fuo Getica titulum dedit: quos Getas jam fuperiori

riori loco Gothos esse probavimus, Orosio Paulo dicente: Hic Dio regem illis post tempora multa commemorat, nomine Telephum. Ne verò quis dicat, hoc nomen à lingua Gothica omnino peregrinum esse; nemo est qui nesciat, animadverti, usu pleraque nomina gentes amplecti, ut Romani Macedonum, Græci Romanorum, Sarmatæ Germanorum; Gothi plerunque mutuantur Hunnorum. Is ergo Telephus, Herculis filius, natus ex Auge sorore Priami, conjugio copulatus, procerus quidem corpore, sed plus vigore terribilis, paternam fortitudinem propriis virtutibus æquans, Herculis genio formæ quoque similitudinem referebat. Hujus itaque regnum Mœsiam appellavere majores. Quæ provincia ab oriente ostia fluminis Danubii, à meridie Macedoniam, ab occasu Histriam, à septentrione Danubium habet. Is ergo antefatus habuit bellum cum Danais, in qua pugna Thessandrum ducem Græciæ interemit: & dum Ajacem infestus invadit, Vlyssemque persequitur, equo cadente, ipse corruit, Achillisque jaculo fœmore sauciatus, diu mederi nequivit. Græcos tamen, quamvis jam saucius, è suis finibus proturbavit. Telepho verò defuncto, Eurypilus filius successit in regno, ex Priami Phrygum regis germana progenitus. Qui ob Cassandræ amorem bello interesse Trojano, ac parentibus soceroque ferre auxilium cupiens, mox ut venit extinctus est.

CAP. X.

De variis Gothorum adversus reges Persarum, & Macedonum bellis & victoriis.

CYrus rex Persarum post grande intervallum, & penè post sexcentorum triginta annorum tempora, Pompejo Trogo testante, Getarum reginæ Thamyri

myri ſibi exitiale intulit bellum. Qui elatus ex Aſiæ victoria, Getas nititur ſubjugare, in quibus (ut diximus) regnaverat Thamyris. Quæ cum ab Araxe amne Cyri arcere potuiſſet acceſſus, tranſire tamen permiſit, eligens armis eum vincere, quàm locorum beneficio ſubmovere. quod & factum eſt. & veniente Cyro, prima ceſſit fortuna Parthis tanta, ut & filium Thamyris, & plurimum exercitum trucidarent: ſed iterato Marte, Getæ cum ſua regina Parthos devictos ſuperant atque proſternunt, opimamque prædam de eis auferunt: ibique primum Gothorum gens ſerica vident tentoria. Tunc Thamyris regina acta victoria, tantaque præda de inimicis potita, in partem Mœſiæ (quæ nunc ex magna Scythia nomen mutuata, minor Scythia eſt appellata) tranſiens, ibi in ponte Mœſiæ colitur, & Thamyris civitatem ſuo de nomine ædificavit. Dehinc Darius rex Perſarum Hyſtaſpis filius, Antriregiri regis Gothorum filiam in matrimonium expoſtulavit, rogans pariter atque deterrens, niſi ſuam peragerent voluntatem. Cujus affinitatem Gothi ſpernentes, legationem ejus fruſtrarunt. Qui repulſus, furore flammatus eſt, & octoginta millia armatorum contra ipſos produxit exercitum, verecundiam ſuam malo publico vindicare contendens; navibuſque penè à Chalcedonia uſque ad Byzantium ad inſtar pontium tabulatis æquè conſertis, petit Thraciam & Mœſiam; ponteque rurſus in Danubio pari modo conſtructo, duobus menſibus crebris fatigatus intaphis octo millia perdidit armatorum; timenſque ne pons Danubii ab ejus adverſariis occuparetur, celeri fuga in Thraciam repedavit: nec Mœſiæ ſolum credens ſibi tutum fore aliquantum remorandi. Poſt cujus deceſſum iterum Xerxes filius ejus paternas injurias ulciſci ſe æſtimans, cum ſuis ducentis & auxiliatorum trecentis millibus armatorum,

torum, rostratas naves habens mille septingentas, & onerarias tria millia, super Gothos profectus ad bellum, nec tentata re in conflictu prævaluit, animositate constantiæ superatus. Sic namque ut venerat, absque aliquo certamine suo cum rubore recessit. Philippus quoque pater Alexandri magni cum Gothis amicitias copulans, Medopam Gothilæ filiam regis accepit uxorem, ut tali affinitate roboratus, Macedonum regna firmaret. Qua tempestate, Dione historico dicente, Philippus inopiam pecuniæ passus, Vdisitanam Mœsiæ civitatem instructis copiis vastare deliberat, quæ tunc, propter viciniam Thamiris, Gothis erat subjecta. Vnde & sacerdotes Gothorum aliqui, illi qui pii vocabantur, subito patefactis portis, cum citharis & vestibus candidis obviam sunt egressi, paternis diis, ut sibi propitii Macedones repellerent, voce supplici modulantes. Quos Macedones sic fiducialiter sibi occurrere contuentes stupescunt; & si dici fas est, ab inermibus tenentur armati. Nec mora; acie soluta quam ad bellum construxerunt, non tantùm ab urbis excidio removere; verùm etiam & quos foris fuerunt jure belli adepti reddiderunt, fœdereque inito ad sua reversi sunt. Quem dolum post longum tempus reminiscens egregius Gothorum ductor Sitalcus, CL virorum millibus congregatis, Atheniensibus intulit bellum, adversus Perdiccam Macedoniæ regem, quem Alexander apud Babyloniam ministri insidiis putans interitum, Atheniensium principatui hæreditario jure reliquerat successorem. Magno prælio cum hoc inito, Gothi superiores inventi sunt: & sic pro injuria, quam illi in Mœsia dudum fecissent, isti in Græciam discurrentes, cunctam Macedoniam vastavere.

CAP. XI.

De Dicenei Boroistæ ad Gothos adventu, qui eos omnem Philosophiam docuit. deque ejus summa apud Gothos autoritate. Item de Comosico Dicenei successore.

DEhinc regnante in Gothis Sitalco, Boroista Diceneus venit in Gothiam, quo tempore Romanorum Sylla potitus est principatu, quem Diceneus suscipiens Boroista, dedit ei penè regiam potestatem: cujus consilio Gothi Germanorum terras (quas nunc Franci obtinent) depopulati sunt. Cæsar verò, qui sibi primus omnium Romanum vindicavit imperium, & penè omnem mundum suæ ditioni subegit, omniaque regna perdomuit, adeo ut extra nostrum orbem Oceani sinu repositas insulas occuparet, & qui nec nomen Romanorum auditu quidem noverant, eos Romanis tributarios faceret, Gothos tamen crebro tentans nequivit subigere. Gaius Tiberius jam tertius regnat Romanis, Gothi tamen suo regno incolumes perseverant; quibus hoc erat salubre, aut commodum, aut votivum, ut quicquid Diceneus eorum consilarius præcepisset, hoc modis omnibus expetendum, hoc utile judicantes, effectui manciparent. Qui cernens eorum animos sibi in omnibus obedire, & naturale eos habere ingenium, omnem penè Philosophiam eos instruxit. erat enim hujus rei magister. Nam Ethicam eos erudivit, ut barbaricos mores ab eis compesceret: Physicam tradens, naturaliter propriis legibus vivere fecit, quas usque nunc conscriptas Bellagines nuncupant: Logicam instruens, eos rationis supra cæteras gentes fecit expertos: Practicen ostendens, in bonis actibus conversari suasit: Theoricen demonstrans, signorum duodecim, & per ea planetarum cursus, omnemque astro-

aſtronomiam contemplari edocuit, & quomodo lunaris orbis augmentum ſuſtinet, aut patitur detrimentum, edixit: ſoliſque globus igneus quantum terrenum orbem in menſura excedat, oſtendit: aut quibus nominibus, vel quibus ſignis in cœli polo vergentes, aut revergentes CCCXLIIII ſtellæ ab ortu in occaſum præcipites ruant, expoſuit. Qualis erat, rogo, voluntas, ut viri fortiſſimi, quando ab armis quatriduum uſque vacaſſent, doctrinis Philoſophicis imbuerentur? videres unum cœli poſitionem, alium herbarum frugumque explorare naturas; iſtum lunæ commoda incommodaque, illum ſolis laborem attendere, & quomodo rotatu cœli raptus, retro reduci ad partem occiduam, qui ad orientalem plagam ire feſtinarit, ratione accepta quieſcere. Hæc & alia multa Diceneus Gothis ſua peritia tradens, mirabilis apud eos invenitur; ut non ſolum mediocribus, imò & regibus imperaret. Elegit namque ex eis tunc nobiliſſimos prudentiores viros, quos Theologiam inſtruens, numina quædam & ſacella venerari ſuaſit, fecitque ſacerdotes, nomen illis Pileatorum contradens, ut reor, quia opertis capitibus tiaris, quos pileos alio nomine nuncupamus, litabant: reliquam verò gentem Capillatos dicere juſſit, quod nomen Gothi pro magno ſuſcipientes, adhuc hodie ſuis cantionibus reminiſcuntur. Decedente verò Diceneo, penè pari veneratione habuere Comoſicum, quia nec impar erat ſolertia. Hic etenim & rex illis, & pontifex ob ſuam peritiam habebatur, & in ſua juſtitia populos judicabat.

CAP. XII.

De Corillo Gothorum rege. Item Descriptio Daciæ antiquæ. Item Descriptio Danubii.

ET hoc rebus excedente humanis, Corillus rex Gothorum in regnum conscendit, & per XL annos in Dacia suis gentibus imperavit. Daciam dico antiquam, quam nunc Gepidarum populi possidere noscuntur. Quæ patria in conspectu Mœsiæ trans Danubium corona montium cingitur, duos tantum habens accessus, unum per Bontas, alterum per Tabas. Hanc Gothicam, quam Daciam appellavere majores, (quæ nunc, ut diximus, Gepidia dicitur) tunc ab oriente Roxolani, ab occasu Tamazites, à septentrione Sarmatæ & Bastarnæ, à Meridie amnis Danubii fluenta terminant. Tamazites à Roxolanis alveo tantum fluvii segregantur. Sed quia Danubii mentio facta est, non ab re judico pauca de tali amne egregia judicare. Nam hic in Almanicis arvis exoriens, LX habet à fonte suo flumina usque ad ostia in Pontum vergentia, per mille ducentorum passuum millia hinc inde suscipiens flumina in modum spinæ, quæ costas ut cratem intexunt. omnino amplissimus est, qui in lingua Bessorum Hister vocatur. ducentis tantum pedibus in altum aquam alveo habet profundam. Hic etenim amnis, inter cætera flumina immanis, omnes superat, præter Nilum. Hæc de Danubio dixisse sufficiat. Ad propositum verò, unde nos digressi sumus, adjuvante domino, redeamus.

CAP.

CAP. XIII.

De Dorpaneo Gothorum rege, & variis eorum contra Romanos sub Domitiano Imp. præliis & victoriis.

LOngum poſt intervallum, Domitiano Imperatore regnante, ejus avaritiam metuentes, fœdus quod dudum cum aliis principibus pepigerant Gothi ſolventes, ripam Danubii jam longè poſſeſſam ab imperio Romano, dejectis militibus cum eorum ducibus, vaſtaverunt, cui provinciæ tunc poſt Agrippam Poppæus præerat Sabinus. Gothis autem Dorpaneus principatum agebat, quando bello commiſſo Gothi Romanis devictis, Poppæi Sabini capite abſciſſo, multa caſtella & civitates invadentes de parte Imperatoris publicè deprædarunt: qua neceſſitate ſuorum Domitianus cum omni virtute ſua in Illyricum properavit, & totius penè reipublicæ militibus ductore Fuſco prælato cum electiſſimis viris amnem Danubium confertis navibus ad inſtar pontis tranſmeare coëgit, ſuper exercitum Dorpanei. Tum Gothi haud ſegnes reperti, arma capeſſunt, primoque armati conflictu, mox Romanos devincunt, Fuſcoque duce extincto, divitias de caſtris militum deſpoliant, magnaque potiti per loca victoria, jam proceres ſuos quaſi qui fortuna vincebant, non puros homines, ſed ſemideos, id eſt Anſes vocavere. Quorum genealogiam ut paucis percurram, ut quo quis parente genitus eſt, aut unde origo accepta, ubi finem efficit, abſque invidia qui legis vera dicentem auſculta.

CAP. XIV.

Genealogia Procerum Gothorum, quos illi Anses, id est semideos vocabant, deque eorum origine & fine.

HOrum ergo (ut ipsi suis fabulis ferunt) primus fuit Gapt, qui genuit Halmal, Halmal verò genuit Augis, Augis genuit eum, qui dictus est Amala, à quo & origo Amalorum decurrit. Et Amala genuit Isarna, Isarna autem genuit Ostrogotha, Ostrogotha genuit Vnilt, Vnilt genuit Athal, Athal genuit Achiulf, Achiulf genuit Ansilam & Ediulf, Vuldulf & Hermerich; Vuldulf verò genuit Valeravans. Valeravans autem genuit Winitharium, Winitharius quoque genuit Theodemir & Walemir & Widemir: Theodemir genuit Theodericum, Theodericus genuit Amalasuentam, Amalasuenta genuit Athalaricum & Mathasuentam, de Vtherico viro suo, cujus affinitati generis sic ad eam conjunctus est. Nam supradictus Hermericus filius Achiulfi genuit Hunnimundum, Hunnimundus autem genuit Thorismundum, Thorismundus verò genuit Berimund, Berimund genuit Widericum, Widericus genuit Eutharicum, qui conjunctus Amalasuentæ genuit Athalaricum & Mathasuentam; mortuoque in puerilibus annis Athalarico, Mathasuentæ Witichis est sociatus, de quo non suscepit liberum, adductique simul à Belisario in Constantinopolim, & Witichi rebus excedente humanis, Germanus patricius fratruelis domini Iustiniani Imperatoris eandem in conjugio sumens, patriciam ordinariam fecit; de qua filium genuit item Germanum nomine. Germano verò defuncto ipsa vidua perseverare disponit. Qualiter autem, aut quomodo Amalorum regnum destructum est, loco suo (si dominus voluerit) edocebimus.

bimus. Nunc autem ad id, unde digreſſum fecimus, redeamus, doceamuſque quando ordo gentis, unde agimus, curſus ſui metam expleverit. Ablavius enim hiſtoricus refert, quia ibi ſuper limbum Ponti, ubi eos diximus in Scythia commanere, pars eorum, qui orientalem plagam tenebant, eiſque præerat Oſtrogotha (incertum utrum ab ipſius nomine, an à loco orientali) dicti ſunt Oſtrogothæ, reſidui verò Veſegothæ in parte occidua. Et quidem jam diximus, eos tranſito Danubio aliquantum temporis apud Mœſiam, Thraciamque vixiſſe.

CAP. XV.

De Maximini Imp. è gente Gothicâ orti mira fortitudine, & quo pacto ad Imperium pervenerit, fragmentum ſumptum ex Symmachi hiſtoriarum lib. v.

EX eorum reliquiis fuit & Maximinus Imperator, poſt Alexandrum Mammeæ, ut dicit Symmachus in quinto ſuæ hiſtoriæ libro. Alexandro, inquit, Cæſare mortuo, Maximinus ab exercitu factus eſt Imperator, ex infimis parentibus in Thracia natus, à patre Gotho nomine Mecca, matre Alana, quæ Ababa dicebatur. Is triennium regnans, dum in Chriſtianos arma commoveret, imperium ſimul & vitam amiſit. Nam hic Severo Imperatore regnante, & natalem filii diem celebrante, poſt primam ætatem & ruſticam vitam, de paſcuis in militiam venit. Princeps Severus quidem militares dederat ludos; quod cernens Maximinus, qui erat ſemibarbarus adoleſcens, poſitis præmiis, barbara lingua petit ab Imperatore, ut ſibi luctandi cum militibus licentiam daret. Severus admodum miratus magnitudinem formæ, (erat enim, ut fertur, ſtatura ejus procera ultra octe pedes) juſſit eum cum lixis corpo-

reo nexu contendere, ne quid à rudi homine militaribus viris veniret injuriæ. Tunc Maximinus sedecim lixas tanta felicitate prostravit, ut vincendo singulos nullam sibi requiem intercapedine temporum daret. Hic captis præmiis, jussus est in militiam mitti, primaque ei stipendia equestria fuere. Tertiam post diem, cum Imperator prodierat in campum, vidit eum exsultantem more barbarico, jussitque tribuno ut eum coërcitum ad Romanam imbueret disciplinam. Ille verò ubi de se intellexit principem loqui, accessit ad eum, equitantemque præire pedibus cœpit. Tum Imperator equo adacto in cursum calcaribus incitatum, multos orbes huc atque illuc usque ad suam fatigationem variis inflexibus interpedavit, ac deinde ait: Numquid vis post cursum Thracisce luctari? respondit, Quantum libet, Imperator. Ita Severus ex equo desiliens, recentissimos militum cum eodem certare jussit. At ille septem valentissimos milites ad terram elisit, ita ut antea nihil per intervalla respiraret. Solus à Cæsare & argenteis præmiis, & aureo torque donatus est, jussus deinde inter stipatores degere corporis principalis. Post hæc sub Antonino Caracalla ordines duxit, ac sæpè famam factis extendens, inter plures militiæ gradus centuriasque strenuitatis suæ pretium tulit. Macrino tamen postea in regnum ingresso, recusavit militiam penè triennium, tribunatusque habens honorem, nunquam se oculis obtulit Macrini, indignum ducens ejus imperium, quod perpetratum facinus erat quæsitum ab Heliogabalo. Dehinc quasi ad Antonini filium revertens, tribunatum suum adiit, & post hunc sub Alexandro Mammeæ contra Parthos mirabiliter dimicavit. Eoque Mogontiaco militari tumultu occiso, ipse exercitus electione absque Senatus consulto effectus est imperator, qui cuncta bona sua in Christianorum persecu-

tione

tione malo voto fœdavit, occiſuſque Aquileiæ à Pupione, regnum reliquit Philippo. Quod nos idcirco huic opuſculo de Symmachi hiſtoria mutuavimus, quatenus gentem, unde agimus, ad regni Romani faſtigium uſque veniſſe doceamus. Cæterùm cauſa exigit ut ad id unde digreſſi ſumus redeamus.

CAP. XVI.

Gothi antea Romanorum fœderati, ob diſtracta ſibi ſtipendia hoſtes facti, Mœſiam Thraciamque vaſtant, ductu Oſtrogothæ regis.

NAm gens iſta mirum in modum in ea parte, qua verſabatur, id eſt Ponti in littore Scythiæ ſoli innotuit, ſine dubio tanta ſpacia tenens terrarum, tot ſinus maris, tot fluminum curſus, ſub cujus ſæpè dextra Wandalus jacuit, ſtetit ſub precio Marcomannus, Quadorum principes in ſervitutem redacti ſunt. Philippo namque antedicto regnante Romanis, qui ſolus ante Conſtantinum Chriſtianus cum Philippo, id eſt filio, fuit, cujus & ſecundo anno regni Roma milleſimum annum explevit, Gothi, ut aſſolet, diſtracta ſibi ſtipendia ſua ferentes ægrè, de amicis facti ſunt inimici. Nam quamvis remoti ſub regibus viverent ſuis, Reipub. tamen Romanæ fœderati erant, & annua munera percipiebant. Quid multa? Tranſiens tunc Oſtrogotha cum ſuis Danubium, Mœſiam Thraciamque vaſtavit. ad quem repellendum Decius ſenator à Philippo dirigitur; qui veniens dum genti nihil prævalet, milites proprios exemptos à militia fecit vita privata degere, quaſi eorum neglectu Gothi Danubium tranſiſſent, factaque utputa in ſuis vindicta, ad Philippum revertitur. Milites verò videntes, ſe eſſe poſt hos labores militia pulſos, indignati ad Oſtrogothæ regis Gothorum auxilium

lium confugerunt. Qui excipiens eos, eorumque verbis accensus, mox triginta millia virorum armata produxit ad prœlium, adhibitis sibi Thaphilis & Astringis nonnullis. Sed & Carporum tria millia, genus hominum ad bella nimis expeditum, qui sæpe Romanis infesti sunt; quos tamen post hæc, imperante Diocletiano, Galerius Maximinus Cæsar de civitate Reipublicæ Romanæ subjecit. Is ergo habens Gothos & Peucenos, ab insula Peuce, quæ ostio Danubii Ponto mergenti adjacet, Argaitum & Gunthericum nobilissimos suæ gentis præfecit ductores. Qui mox Danubium vadati, & secundò Mœsiam populati, Marcianopolim ejusdem patriæ urbem famosam metropolim aggrediuntur, diuque obsessam, accepta pecunia ab his, qui inerant, reliquere. Et quia Marcianopolim nominavimus, libet aliqua de ejus situ breviter intimare. Nam hanc urbem Trajanus Imperator hac re ædificavit, ut fertur, eò quòd Marciæ sororis suæ puella, dum lavat in flumine illo, quod nimiæ limpiditatis saporisque in media urbe oritur, Potami cognomento, exindeque vellet aquam haurire, casu vas aureum, quod ferebatur, in profundum cecidit, metalli pondere gravatum, & longè pòst emersit; quod certè non erat usitatum, aut vacuum sorberi, aut certè semel voratum undis respuentibus renatare. His Trajanus sub admiratione compertis, fontique numinis quiddam inesse credens, conditam civitatem germanæ suæ in nomine Marcianopolim nominavit.

Cap. XVII.

Fastida, Gepidarum rex, Ostrogothæ Gothorum regi bellum infert, Gothi victores evadunt. Item de cognatione inter se Gothorum & Gepidarum.

ABhinc ergo, ut dicebamus, post longam obsidionem accepto præmio ditatus Geta, recessit ad patriam: quem Gepidarum cernens natio subitò ubique vincentem, prædisque ditatum, invidia ductus, arma in parentes movet. Quomodo verò Getæ Gepidæque sint parentes si quæris, paucis absolvam. Meminisse debes, me initiò de Scanziæ insulæ gremio Gothos dixisse egressos cum Berich suo rege, tribus tantùm navibus vectos ad citerioris Oceani ripam; quarum trium una navis, ut assolet, tardius vecta, nomen genti fertur dedisse. nam lingua eorum pigra Gepanta dicitur. Hinc factum est, ut paulatim & corruptè nomen eis ex convitio nasceretur. Gepidæ namque sine dubio ex Gothorum prosapia ducunt originem: sed quia, ut dixi, Gepanta pigrum aliquid tardumque signat, pro gratuito convicio Gepidarum nomen exortum est.quod nec ipsum credo falsissimum. Sunt enim tardioris ingenii, graviores corporum velocitate. Hi ergo Gepidæ tacti invidia, dudum spreta provincia, commanebant in insula Visclæ amnis vadis circumacta, quam pro patrio sermone dicebant Gepidos. Nunc eam, ut fertur, insulam gens Vividaria incolit, ipsis ad meliores terras meantibus. Qui Vividarii ex diversis nationibus acsi in unum asylum collecti sunt, & gentem fecisse noscuntur. Ergo (ut dicebamus) Gepidarum rex Fastida, qui etiam gentem excitans, patrios fines per arma dilatavit, Burgundiones penè usque ad internecionem delevit, aliasque nonnullas gentes perdomuit.

Gothos

Gothos quoque malè provocans, consanguinitatis fœdus prius importuna concertatione violavit: superbaque admodum elatione jactatus, crescenti populo dum terras cœpit addere, incolas patrios reddidit rariores. Is ergo misit legatos ad Ostrogotham, cujus adhuc imperio tam Ostrogothæ quàm Vesegothæ, id est ejusdem gentis populi, subjacebant; inclusum se montium queritans asperitate, silvarumque densitate constrictum; unum poscens è duobus, ut aut bellum sibi, aut locorum suorum spatia præpararet. Tunc Ostrogotha rex Gothorum (ut erat solidi animi) respondit legatis, bellum se quidem tale horrere, durumque fore & omnino scelestum armis confligere cum propinquis; loca verò non cedere. Quid multa? Gepidæ in bella irruunt, contra quos ne nimii judicarentur, movit & Ostrogotha procinctum, conveniuntque ad oppidum Galtis, juxta quod currit fluvius Aucha, ibique magna partium virtute certatum est; quippe quos in se & armorum, & pugnæ similitudo commoverat. Sed causa melior, vivaxque ingenium juvat Gothos, inclinata denique parte Gepidarum, prœlium nox diremit. Tunc relicta suorum strage, Fastida rex Gepidarum properavit ad patriam, tam pudendis opprobriis humiliatus, quàm fuerat elatione erectus. Redeunt victores Gothi, Gepidarum discessione contenti, suaque in patria nostri in pace versantur, usque dum eorum prævius existeret Ostrogotha.

CAP. XVIII.

Cniva rex Gothorum post obitum Ostrogothæ exercitum in Mœsiam ducit, & variis præliis Romanos infestat. in quibus Decius cæditur.

POst cujus decessum Cniva exercitum dividens in duas partes, nonnullos ad vastandum Mœsiam dirigit,

rigit, ſciens eam negligentibus principibus defenſoribus deſtitutam. Ipſe verò cum ſeptuaginta millibus ad Euſteſium, id eſt Novas, conſcendit: unde à Gallo duce remotus, Nicopolim accedit, quæ juxta Iatrum fluvium eſt conſtituta notiſſima; quoniam devictis Sarmatis Trajanus eam fabricavit, & appellavit Victoriæ civitatem. ubi Decio ſuperveniente Imperatore, tandem Cniva in Hæmoniæ partes, quæ non longè aberant, receſſit: inde apparatu diſpoſito Philippopolim ire feſtinans. Cujus ſeceſſum Decius Imperator cognoſcens, & ipſius urbi ferre ſubſidium geſtiens, jugo montis tranſacto, ad Berrœam venit. Ibique dum equos exercitumque laſſum refoveret, ilicò Cniva cum Gothis in modum fulminis ruit, vaſtatoque Romano exercitu, Imperatorem cum paucis qui fugere quiverant, ad Thuſciam rurſus trans Alpes in Mœſiam proturbavit, ubi tunc Gallus dux limitis cum plurima manu bellantium morabatur; collectoque tam exinde quàm de hoſte exercitu, futuri belli reparat aciem. Cniva verò diu obſeſſam invadit Philippopolim; prædaque potitus, Priſcum ducem, qui inerat, ſibi fœderavit, quaſi cum Decio pugnaturum. Venienteſque ad conflictum, ilicò Decii filium ſagitta ſaucium crudeli vulnere confodiunt. Quod pater animadvertens, licet ad confortandos animos militum dixiſſe fertur; Nemo triſtetur; perditio unius militis non eſt reipublicæ diminutio: tamen paternum affectum non ferens hoſtes invadit, aut mortem aut ultionem filii expoſcens; venienſque abrupto Mœſiæ civitatem, circumſeptus à Gothis & ipſe extinguitur, imperii finem vitæque terminum faciens. Qui locus hodieque Decii ara dicitur, eò quòd ibi ante pugnam miſerabiliter idolis immolaret.

CAP. XIX.

Quo pacto Gallus & Volusianus fœdus cum Gothis inierint; & Æmylianus Mœsiam infestarit.

DEfuncto tunc Decio, Gallus & Volusianus regno potiti sunt Romanorum, quando & pestilens morbus pænè istius necessitatis consimilis, ut nos ante hos novem annos experti sumus, faciem totius orbis fœdavit, supra modum quoque Alexandriam totiusque Ægypti loca devastans, Dionysio historico super hanc cladem lachrymabiliter exponente, quam & noster conscripsit venerabilis martyr Christi episcopus Cyprianus in libro cujus titulus est de Mortalitate. Tunc & Æmylianus quidam, Gothis sæpe ob principum negligentiam Mœsiam devastantibus, ut vidit licere, nec à quoquam sine magno reipublicæ dispendio removeri, similiter suæ fortunæ arbitratus posse evenire; tyrannidem in Mœsiam arripuit, omnique manu militari ascita, cœpit urbes & populos devastare. Contra quem intra paucos menses multitudo apparatus accrescens, non minimum incommodum reipublicæ parturivit; qui tamen in ipso pænè nefario conatus sui initio extinctus, & vitam & imperium, quod invadebat, amisit. Supradicti verò Gallus & Volusianus Imperatores, quamvis vix biennio in imperio perseverantes, ab hac luce migrarint; tamen ipso biennio, quo affuere, ubique pacati, ubique regnavere gratiosi, præterquam quòd unum eorum fortunæ reputatum est, id est generalis morbus. sed hoc ab imperitis & calumniatoribus, qui vitam solent aliorum dente maledico lacerare. Hi ergo mox ut imperium adepti sunt, fœdus cum gente Gothorum pepigere, & nec longo intervallo utriusque regibus occumbentibus Gallienus arripuit principatum.

CAP.

Cap. XX.

Gothi regnante Gallieno in Asiam involant. Dianæ Ephesinæ templum incendunt. Chalcedoniam subvertunt. Trojam vastant. Thraciam infestant.

HOc in omni lascivia resoluto, Respa & Veduco, Thuro Varoque duces Gothorum sumptis navibus Asiam transiere, fretum Hellesponticum transvecti: ubi multis ejus provinciæ civitatibus populatis, opinatissimum illud Ephesi Dianæ templum, quod dudum dixeramus Amazonas condidisse, igne succendunt: partibus Bithyniæ delati, Chalcedoniam subvertêre, quam pòst Cornelius Avitus aliqua parte reparavit. Quæ hodieque quamvis regiæ urbis civitate congaudeat, signa tamen suarum ruinarum aliquanta ad indicia retinet posteritatis. Hac ergo felicitate Gothi qua intravere, partibus Asiæ præda spolioque potiti, Hellesponticum fretum retransmeant, vastantes in itinere suo Trojam Iliumque, quæ vix à bello illo Agamemnoniaco aliquantulum respirantes, rursus hostili mucrone deletæ sunt. Post Asiæ ergo tale excidium, Thracia eorum experta est feritatem. Nam ibi ad radices Hæmi montis mari vicinam Anchialos civitatem aggressi mox adeunt, urbem quam dudum Sardanapalus rex Parthorum inter limbum maris & Hæmi radices locasset. Ibi enim multis feruntur mansisse diebus, calidarum aquarum delectati lavacris, quæ à quintodecimo miliario Anchialitanæ civitatis sunt sitæ, ab imo sui fontis igni scaturientes, & inter reliqua totius mundi thermarum innumerabilium loca omnino præcipuè ad sanitatem infirmorum efficacissimæ. Exinde ergo ad proprias sedes regressi.

CAP. XXI.

Maximianus Imp. Gothorum auxilio maximas victorias de Parthis & Persis reportavit. Constantinus etiam eorum auxilio multa præclarè gessit.

POst hæc à Maximiano Imperatore ducuntur in auxilia Romanorum contra Parthos rogati, ubi datis auxiliariis, fideliter decertati sunt. Sed postquam Cæsar Maximianus penè cum eorum solatio Narsem regem Persarum Saporis Magni nepotem fugasset, ejusque omnes opes, simulque uxores & filios deprædasset, Achillemque in Alexandria cum Diocletiano superasset, & Maximianus Herculius in Africa Quinquegentianos adtrivisset, pacem reipublicæ nacti, cœpere quasi Gothos negligere. Nam sine ipsis dudum contra quasvis gentes Romanus exercitus difficile decertatus est. Apparet namque frequenter, quomodo invitabantur, sicut & sub Constantino rogati sunt, & contra cognatum ejus Licinium arma tulere, eumque devictum & in Thessalonica clausum, privatum imperio, Constantini victoris gladio trucidarunt. Nam & dum famosissimam & Romæ æmulam in suo nomine conderet civitatem, Gothorum interfuit operatio, qui fœdere inito cum Imperatore, XL suorum millia illi in solatia contra gentes varias obtulere; quorum & numerus, & millia usque ad præsens in republica nominantur, id est Fœderati. Tunc etenim sub Ararici & Aorici regum suorum florebant imperio. Post quorum decessum successor regni extitit Geberich, virtutis & nobilitatis eximiæ.

CAP. XXII.

Gebericbus Gothorum rex Visumaro VVandalorum regi bellum infert, & vincit. Pauci VVandali è clade superstites Pannoniam à Constantino inhabitandam petunt, & obtinent.

GEberichus Helderich patre natus, avo Ovida, proavo Cnivida, gloriam generis sui factis illustribus exæquavit, primitias regni sui mox in Wandalica gente extendere cupiens contra Visumar eorum regem Asdingorum è stirpe, quæ inter eos eminet, genusque indicat bellicosissimum, Dexippo historico referente, qui eos ab Oceano ad nostrum limitem vix in anni spatio pervenisse testatur præ nimia terrarum immensitate. Quo tempore erant in eo loco manentes, ubi Gepidæ sedent, juxta flumina Marisia, Miliare, & Gilfil, & Grissia, qui amnes supradictos excedit. Erant namque illis tunc ab oriente Gothi, ab occidente Marcomanni, à septentrione Hermunduri, à meridie Hister, qui & Danubius dicitur. Hic ergo Wandalis commorantibus, bellum indictum est à Geberich rege Gothorum, ad littus prædicti amnis Marisiæ, ubi tunc diu certatum est ex æquali. Sed mox ipse rex Wandalorum Wisimar magna cum parte gentis suæ prosternitur. Geberich verò ductor Gothorum eximius superatis deprædatisque Wandalis, ad propria loca unde exierat remeavit. Tunc perpauci Wandali qui evasissent, collecta imbellium suorum manu, infortunatam patriam relinquentes, Pannoniam sibi à Constantino principe petiere, ibique per XL annos plus minus sedibus locatis, Imperatorum decretis ut incolæ famularunt. Vnde etiam post longum ab Stilicone magistro militum & exconsule ac patricio invitati,

vitati, Gallias occupavere, ubi finitimos deprædantes non adeò fixas sedes habuere.

CAP. XXIII.

De Ermanarici regis Gothorum, qui Alexandro Magno ob multas gentes quas perdomuit comparatus fuit, in Erulos, Venetos & Æstrogotos expeditionibus & victoriis.

GOthorum rege Geberich rebus excedente humanis, post temporis aliquod Ermanaricus nobilissimus Amalorum in regno successit, qui multas & bellicosissimas Arctoas gentes perdomuit, suisque parêre legibus fecit. Quem meritò nonnulli Alexandro magno comparavere majores. Habebat siquidem quos domuerat, Gothos, Scythas, Thuidos in Aunxis, Vasinabroncas, Merens, Mordensimnis, Caris, Rocas, Tadzans, Athual, Navego, Bubegentas, Coldas; & cum tantorum servitio carus haberetur, non passus est nisi & gentem Erulorum quibus præerat Alaricus magna ex parte trucidatam reliquam suæ subigeret ditioni. Nam prædicta gens (Ablavio historico referente) juxta Mæotidas paludes habitans in locis stagnantibus, quas Græci hele vocant, Eru'i nominati sunt; gens quanto velox, eo amplius superbissima. Nulla siquidem erat tunc gens, quæ non levem armaturam in acie sua ex ipsis elegerint. Sed quamvis velocitas eorum ab aliis sæpe bellantibus non evacuaretur, Gothorum tamen stabilitati subjacuit & tarditati, fecitque causa fortunæ, ut & ipsi inter reliquas gentes Getarum regi Ermanarico serviverint. Post Erulorum cædem idem Ermanaricus in Venetos arma commovit, qui quamvis armis dispersiti, sed numerositate pollentes, primò resistere conabantur. Sed nihil valet multi-

multitudo in bello, præsertim ubi & multitudo armata advenerit. nam hi, ut initio expositionis, vel catalogo gentis dicere cœpimus, ab una stirpe exorti, tria nunc nomina reddidere, id est, Veneti, Antes, Sclavi: qui quamvis nunc ita facientibus peccatis nostris ubique desæviunt, tamen tunc omnes Ermanarici imperiis serviere. Æstrorum quoque similiter nationem, qui longissima ripa Oceani Germanici insident, idem ipse prudentiæ virtute subegit, omnibusque Scythiæ & Germaniæ nationibus ac si propriis laboribus imperavit.

Cap. XXIV.

De Hunnorum execranda origine: veneficarum scilicet cum immundis spiritibus congressu. Et de Hunnorum in Ostro-Gothos Scythicos expeditione: ubi & de immani & terribili Hunnorum vultu.

POst autem non longi temporis intervallum, ut refert Orosius, Hunnorum gens omni ferocitate atrocior exarsit in Gothos. Nam hos, ut refert antiquitas, ita extitisse comperimus. Filimer rex Gothorum, & Gandarici magni filius, post egressum Scanziæ insulæ jam quinto loco tenens principatum Getarum, qui & terras Scythicas cum sua gente introisset, sicut à nobis dictum est, reperit in populo suo quasdam magas mulieres, quas patrio sermone Aliorumnas is ipse cognominat, easque habens suspectas de medio sui proturbat, longeque ab exercitu suo fugatas in solitudinem coëgit terræ. Quas spiritus immundi per eremum vagantes dum vidissent, & earum se complexibus in coitu miscuissent, genus hoc ferocissimum edidere; quod fuit primùm inter paludes minutum, tetrum atque exile, quasi hominum genus, nec alia voce notum, nisi

quæ humani ſermonis imaginem aſſignabat. Tali ergo Hunni ſtirpe creati, Gothorum finibus ad venere. Quorum natio ſæva, ut Priſcus hiſtoricus refert, in Mæotide palude ulteriorem ripam inſedit, venatione tantùm, nec alio labore experta, niſi quòd poſtquam creviſſet in populos, fraudibus & rapinis vicinam gentem conturbavit. Hujus ergo (ut aſſolent) venatores, dum in ulteriori Mæotidis ripa venationes inquirunt, animadvertunt quomodo ex improviſo cerva ſe illis obtulit, ingreſſaque palude nunc progrediens, nunc ſubſiſtens, indicem ſe viæ tribuit. Quam ſecuti venatores, paludem Mæotidem, quam imperviam ut pelagus exiſtimabant, pedibus tranſiere. Mox quoque ut Scythica terra ignotis apparuit, cerva diſparuit. Quod credo ſpiritus illi, unde progeniem trahunt, ad Scytharum invidiam egere. Illi verò, qui præter Mæotidem paludem alium mundum eſſe penitus ignorabant, admiratione inducti terræ Scythiæ, & ut ſunt ſolertes, iter illud nulli ante hanc ætatem notiſſimum, divinitùs ſibi oſtenſum rati, ad ſuos redeunt, rei geſtum edicunt, Scythiam laudant, perſuaſaque gente ſua, via quam cerva indice didicere ad Scythiam properant, & quantoſcunque prius in ingreſſu Scytharum habuere, litavere Victoriæ, reliquos perdomitos ſubegere. Nam mox ingentem illam paludem tranſiere, ilico Alipzuros, Alzidzuros, Itamaros, Tuncaſſos, & Boiſcos, qui ripæ iſtius Scythiæ inſidebant, quaſi quidam turbo gentium, rapuere. Alanos quoque pugna ſibi pares, ſed humanitatis victu formaque diſſimiles, frequenti certamine fatigantes ſubjugavere. Nam & quos bello forſitan minimè ſuperabant, vultus ſui terrore nimium pavorem ingerentes terribilitate fugabant, eò quòd erat eis ſpecies pavenda nigredine, ſed velut quædam (ſi dici fas eſt) deformis offa, non facies, habenſque magis

puncta

puncta quàm lumina. Quorum animi fiduciam torvus prodit aspectus, qui etiam in pignora sua primo die nata desæviunt. Nam maribus ferro genas secant, ut antequam lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur subire tolerantiam. Hinc imberbes senescunt, & sine venustate ephebi sunt; quia facies ferro sulcata, tempestivam pilorum gratiam per cicatrices absumit. Exigui quidem forma, sed arguti, motibus expediti, & ad equitandum promptissimi: scapulis latis, & ad arcus sagittasque parati: firmis cervicibus, & in superbia semper erecti. Hi verò sub hominum figura vivunt beluina sævitia. Quod genus expeditissimum, multarumque nationum grassatorem, Getæ ut viderunt, expavescunt: suoque cum rege deliberant qualiter se à tali hoste subducant. Nam Ermanaricus rex Gothorum, licet (ut superius retulimus) multarum gentium extiterit triumphator, de Hunnorum tamen adventu dum cogitat, Roxolanorum gens infida, quæ tunc inter alias illi famulatum exhibebat, tali eum nanciscitur occasione decipere. Dum enim quandam mulierem Sanielh nomine ex gente memorata, pro mariti fraudulento discessu, rex furore commotus, equis ferocibus illigatam, incitatisque cursibus, per diversa divelli præcepisset: fratres ejus Sarus & Ammius germanæ obitum vindicantes, Ermanarici latus ferro petierunt: quo vulnere saucius, ægram vitam corporis imbecillitate contraxit. Quam adversam ejus valetudinem captans Balamir rex Hunnorum, in Ostrogothas movit procinctum: à quorum societate jam Vesegothæ discessere, quam dudum inter se juncti habebant. Inter hæc Ermanaricus tam vulneris dolorem, quàm etiam incursiones Hunnorum non ferens, grandævus & plenus dierum, centesimo decimo anno vitæ suæ defunctus est. Cujus mortis occasio dedit Hunnis prævalere in Gothis

Gothis illis, quos dixeramus orientali plaga ſedere, & Oſtrogothas nuncupari.

CAP. XXV.

Veſegothæ Oſtrogothis à Vandalis victis à Valente Imp. Mœſiam habitandam appetunt & obtinent; & quum Chriſtiani fieri cuperent, Valens, ut Arianus, prædicatores Arianos ad eos mittit, & perfidiæ ſuæ veneno inficit.

VEſegothæ, id eſt, alii eorum ſocii, & occidui ſoli cultores, metu parentum exterriti, quidnam de ſe propter gentem Hunnorum deliberarent, ambigebant, diuque cogitantes, tandem communi placito legatos ad Romaniam direxere, ad Valentem Imperatorem fratrem Valentiniani Imperatoris ſenioris, ut partem Thraciæ ſive Mœſiæ ſi illis traderet ad colendum, ejus legibus viverent, ejuſque imperiis ſubderentur. Et ut fides uberior illis haberetur, promittunt, ſe, ſi doctores linguæ ſuæ donaverit, fieri Chriſtianos. Quo Valens comperto, mox gratulabundus annuit, quod ultrò petere voluiſſet; ſuſceptoſque in Mœſiæ partibus Getas quaſi murum regni ſui contra gentes ſtatuit. Et quia tunc Valens Imperator Arianorum perfidia ſaucius, noſtrarum partium omnes eccleſias obturaſſet, ſuæ partis fautores ad illos dirigit prædicatores, qui venientibus rudibus & ignaris ilicò perfidiæ ſuæ virus defundunt. Sic quoque Veſegothæ à Valente Imperatore Ariani potius quàm Chriſtiani effecti. De cætero tam Oſtrogothis quàm Gepidis parentibus ſuis per affectionis gratiam euangelizantes, hujus perfidiæ culturam edocentes, omnem ubique linguæ hujus nationem ad culturam hujus ſectæ invitavere. Ipſi quoque (ut dictum eſt) Danubium tranſmeantes,

Da-

Daciam Ripenſem, Mœſiam, Thraciaſque permiſſu principis inſedere.

CAP. XXVI.

Veſegothi Romanorum ſubditi, ingenti fame preſſi, & à ducibus Romanis peſſimè habiti, ſeſe in libertatem vendicant, & Thracias, Daciamque Ripenſem occupant. Valens Imp. qui eos Arriana perfidia infici curarat, divina vindicta ab ipſis comburitur.

EVenit his ut adſolet gentibus necdum bene loco fundatis, penuria famis. Cœpere autem primates eorum & duces, qui regum vice illis præerant, id eſt Fridigernus, Alatheus, & Safrach, exercitus inopiam condolere, negociationemque à Lupicino Maximoque Romanorum ducibus expetere. Verùm quid non auri ſacra fames compellit adquieſcere? Cœperunt duces (avaritia compellente) non ſolùm ovium, boumque carnes, verumetiam canum, & immundorum animalium, morticina eis pro magno contradere: adeo, ut quodlibet mancipium in unum panem aut decem libras in unam carnem mercarentur. Sed jam mancipiis & ſupellectili deficientibus, filios eorum avarus mercator victus neceſſitate expoſcit. Haud enim ſecus parentes faciunt: ſalutem ſuorum pignorum providentes, ſatius deliberant ingenuitatem perire, quàm vitam; dum miſericorditer alendus quis venditur, quàm moriturus ſervatur. Contigit enim illo ſub tempore ærumnoſo Lupicino & ductori Romanorum, ut Fridigernum Gothorum regulum ad convivium invitaret, dolumque ei, ut poſt exitus docuit, moliretur. Sed Fridigernus doli neſcius, cum paucorum comitatu ad convivium veniens, dum intus in prætorio epulatus eſt, clamoremque miſerorum morientium audi-

ret, jamque alia in parte socios ejus reclusos, dum milites ducis sui jussu trucidare conarentur, & vox morientium duriter emissa jam suspectis auribus intonaret; ilicò apertos ipsos dolos cognoscens Fridigernus, evaginato gladio in convivio, non sine magna temeritate velocitateque egreditur, suosque socios ab imminenti morte ereptos ad necem Romanorum instigat. Qui nacta occasione votiva elegerunt viri fortissimi, in bello magis quàm in fame deficere; & ilicò in ducum Lupicini & Maximi armantur occisionem. Illa namque dies Gothorum famem, Romanorumque securitatem ademit: cœperuntque Gothi jam non ut advenæ & peregrini, sed ut cives & domini possessoribus imperare, totasque partes septentrionales usque ad Danubium suo jure tenere. Quod comperiens in Antiochia Valens imperator, mox armato exercitu, in Thraciarum partes digreditur; ubi lachrymabili bello commisso vincentibus Gothis, in quodam prædio juxta Hadrianopolim saucius ipse refugiens, ignorantibus quoque quòd imperator in tam vili casula delitesceret Gothis, igneque (ut assolet) sæviente ab inimico supposito, cum regali pompa crematus est, haud secus quàm dei prorsus judicio, ut ab ipsis igne combureretur, , quos ipse veram fidem petentes in perfidiam declinasset, & ignem charitatis ad gehennæ ignem detorsisset. Quo tempore Vesegothæ Thracias Daciamque Ripensem post tanti gloriam trophæi, tanquam solo genitali potiti, cœperunt incolere.

CAP.

CAP. XXVII.

Vesegothæ, Theodosio Imp. eis internecionem moliente, eo ægrotante, ad Thessaliam, Epiros & Achaiam & Pannoniam prædandas digrediuntur. Gratianus Imp. fœdus cum iis init, quod & Theodosius sanxit.

SEd Theodosium ab Hispania Gratianus imperator electum in orientali principatu loco Valentis patrui subrogat, militarique disciplina mox in meliori statu reposita, ignaviam priorum principum & desidiam exclusam Gothus ut sensit, pertimuit. Nam imperator acri omnino ingenio, virtuteque & consilio clarus, cum præceptorum severitate, & liberalitate, blandicieque sua remissum exercitum ad fortia provocaret. At vero ubi milites principe meliore mutato fiduciam acceperunt, Gothos impetere tentant, eosque Thraciæ finibus pellunt: sed Theodosio principe pene tunc usque ad desperationem ægrotante, datur iterum Gothis audacia, divisoque exercitu, Fridigernus ad Thessaliam prædandam, Epiros, & Achaiam digressus est: Alatheus vero & Safrach cum residuis copiis Pannoniam petierunt. Quod quum Gratianus Imperator, qui tunc Roma in Gallias ob incursionem Wandalorum recesserat, comperisset, quia, Theodosio fatali desperatione succumbenti, Gothi magis sævirent, mox ad eos collecto venit exercitu, nec tamen fretus in armis, sed gratia eos muneribusque victurus, pacemque & victualia illis concedens, cum ipsis inito fœdere fecit. Vbi vero post hæc Theodosius convaluit imperator, reperitque Gratianum cum Gothis & Romanis pepegisse fœdus, quod ipse optaverat, admodum grato animo ferens, & ipse in hac pace consistit.

CAP. XXVIII.

Atanaricus Vesegothorum rex, Fridigerni successor, à Theodosio Imp. Constantinopolim evocatus, magnis honoribus ab eo afficitur, ibique moritur. ubi & de Fœderatis, & de Theodosii adversus Eugenium tyrannum, qui Gallias occuparat, auxilio Visegothorum victoria.

ATanaricum quoque regem, qui tunc Fridigerno successerat, datis sibi muneribus sociavit moribus suis benignissimis, & ad se eum in Constantinopolim accedere invitavit. Qui omnino libenter acquiescens, regiam urbem ingressus est, miransque: En, inquit, cerno quod sæpe incredulus audiebam, famam videlicet tantæ urbis. & huc illuc oculos volvens, nunc situm urbis, commeatumque navium, nunc mœnia clara prospectans, miratur, populosque diversarum gentium. quasi fonte in uno, è diversis partibus scaturiente unda, sic quoque militem ordinatum aspiciens; Deus, inquit, sine dubio terrenus est Imperator, & quisquis adversus eum manum moverit, ipse sui sanguinis reus existit. In tali ergo admiratione, majoreque à principe honore suffultus, paucis mensibus interjectis ab hac luce migravit. Quem princeps affectionis gratia, pene plus mortuum quam vivum honorans, dignæ tradidit sepulturæ; ipse quoque in exequiis feretro ejus præiens. Defuncto ergo Atanarico, cunctus exercitus in servitio Theodosii imperatoris perdurans, Romano se imperio subdens, cum milite velut unum corpus efficit, milliaque illa dudum sub Constantino principe fœderatorum renovata, & ipsi dicti sunt Fœderati. E quibus Imperator contra Eugenium tyrannum, qui occiso Gratiano Gallias occupasset, plus quam xx millia armatorum fideles sibi & amicos intelligens secum duxit, victo-

victoriaque de prædicto tyranno potitus, ultionem exegit.

Cap. XXIX.

Vesegothæ subtractis sibi à Theodosii filiis consuetis donis, pertæsi otii, Alaricum sibi regem eligunt, & Italiam invadunt.

Postquam vero Theodosius amator pacis generisque Gothorum rebus excessit humanis; cœperunt ejus filii utramque Rempub. luxuriose viventes adnihilare, auxiliariisque suis id est Gothis consueta dona subtrahere. Mox Gothis fastidium eorum increvit, verentesque ne longa pace eorum resolveretur fortitudo, ordinant super se regem Alaricum, cui erat post Amalos secunda nobilitas, Baltharumque ex genere origo mirifica, qui dudum ob audaciam virtutis Baltha id est audax nomen inter suos acceperat. Mox ut ergo antefatus Alaricus creatus est rex, cum suis deliberans suasit suo labore quærere regna, quam alienis per ocium subjacere: & sumpto exercitu, per Pannonias, Stilicone & Aureliano consulibus, & per Firmium dextro latere quasi viris vacuam intravit Italiam. Nullo penitus obsistente, ad pontem applicuit Condiniani, qui tertio milliario ab urbe erat regia Ravennate. Quæ urbs inter paludes, & pelagus, interque Padi fluenta uni tantum patet accessui, cujus dudum (ut tradunt majores) possessores Eneti id est laudabiles dicebantur. Hæc in sinu regni Romani super mare Ionium constituta, in modum influentium aquarum redundatione concluditur. Habet ab oriente mare, ad quod qui recto cursu de Corcyra atque Helladis partibus navigat dextrum latus, primum Epirum, dein Dalmatiam, Liburniam, Histriamque, & sic Venetias, radens palmula navigat. Ab occidente vero habet

habet paludes, per quas uno anguſtiſſimo introitu ut porta relicta eſt. A ſeptentrionali quoque plaga ramus illi ex Pado eſt, qui Foſſa vocatur Aſconis. A meridie idem ipſe Padus, quem ſolum fluviorum regem dicunt, cognomento Eridanus, ab Auguſto imperatore altiſſima foſſa demiſſus, qui ſeptima ſui alvei parte mediam influit civitatem, ad oſtia ſua amœniſſimum portum præbens, claſſem CCL navium, Dione referente, tutiſſima dudum credebatur recipere ſtatione. Qui nunc, ut Fabius ait, quod aliquando portus fuerat, ſpacioſiſſimos hortos oſtendit, arboribus plenos: verum de quibus non pendeant vela, ſed poma. Trino ſiquidem urbs ipſa vocabulo gloriatur, trigeminaque poſitione exultat, id eſt, prima Ravenna, ultima Claſſis, media Cæſarea, inter urbem & mare, plena mollicie, arenaque munita, vectationibus apta.

CAP. XXX.

Alaricus Stiliconem, Gothos inopinato bello adorſum, cædit; Italiam vaſtat, Romam ſpoliat. Inde in Africam cogitans cum ſpoliis moritur. Veſegothæ Alaricum in alveo fluminis Buſentini mira ratione ſepeliunt.

VErum enimvero quum in ea civitate Veſegotharum applicuiſſet exercitus, & ad Honorium imperatorem (qui intus reſidebat) legationem miſiſſet, quatenus, ſi permitteret, ut Gothi pacati in Italia reſiderent, ſic eos cum Romanorum populo vivere, ut una gens utraque credi poſſit: ſin autem aliter, bellando quis, quem valeret, expelleret; etiam ſecurus, qui victor exiſteret, imperaret. Honorius imp. utramque pollicitationem formidans, ſuoque cum ſenatu inito conſilio, quomodo eos extra fines Italos expelleret, deliberabat. Cui ad poſtremum ſententia ſedit, quatenus provincias longe

onge positas, id est Gallias Hispaniasque, quas jam
æne perdidisset, & Gizerichi eas Vandalorum regis
astaret irruptio; si valeret Alaricus, sua cum gente sibi
anquam lares proprios vendicaret, donatione sacro
raculo confirmata. Consentiunt Gothi, hac ordina-
ione, & ad traditam sibi patriam proficiscuntur. Post
quorum discessum nec quicquam mali in Italia perpe-
ratum, Stilico patricius & socer Honorii imperatoris,
(nam utramque ejus filiam, id est Mariam & Erman-
iam quas sibi princeps unam post unam sociavit, u-
ramque virginem & intactam deus ab hac luce migra-
e præcepit) hic ergo Stilico ad Polentiam civitatem in
lpibus Cocciis locatam dolose accedens, nihilque mali
suspicantibus Gothis, ad necem totius Italiæ suamque
deformitatem ruit in bellum. Quem ex improviso Go-
thi cernentes, primo perterriti sunt, sed mox recollectis
animis, & (ut solebant) hortatibus excitati, omnem pæ-
ne exercitum Stiliconis, in fugam conversum, usque ad
internecionem dejiciunt, furibundoque animo arre-
ptum iter deserunt, & in Liguriam post se, unde jam
transierant, revertuntur; ejusque prædis spoliisque po-
titi, Æmyliam pari tenore devastant, Flaminiæque ag-
gerem inter Picenum & Thusciam, usque ad urbem Ro-
mam discurrentes, quicquid inter utrumque latus fuit,
in prædam dripiunt; ad postremum Romam ingressi,
Alarico jubente spoliant tantum: non autem, ut solent
gentes, ignem supponunt, nec locis sanctorum in ali-
quo penitus injuriam irrogari patiuntur. Exindeque e-
gressi, per Campaniam & Lucaniam simili clade peracta,
Brutios accesserunt: ubi diu residentes, ad Siciliam,
exinde ad Africam transire deliberant. Brutiorum siqui-
dem regio in extremis Italiæ finibus interjacens, parte
angulorum ejus Apennini montis initium facit, Adriæ-
que pelagus ut lingua porrecta à Tyrreno æstu sejun-
gens,

gens, nomen quondam à Brutia ſortitur regina. Ibi ergo veniens Alaricus rex Veſegotharum, cum opibus totius Italiæ quas in præda diripuerat, exinde (ut dictum eſt) per Siciliam in Africam quietam patriam tranſire diſponit. Cujus, quia non eſt liberum quodcunque homo ſine nutu dei diſpoſuerit, fretum illud horribile aliquantas naves ſubmerſit, plurimas conturbavit. Qua adverſitate repulſus Alaricus dum ſecum quid ageret deliberaret; ſubito immatura morte præventus rebus exceſſit humanis. Quem nimia dilectione lugentes, Barentinum amnem juxta Conſentinam civitatem de alveo ſuo derivant. Nam hic fluvius à pede montis juxta urbem dilapſus, fluit unda ſalutifera. Hujus ergo in medio alveo collecto captivorum agmine ſepulturæ locum effodiunt: in cujus foveæ gremio Alaricum cum multis opibus obruunt: rurſusque aquas in ſuum alveum reducentes, ne à quoquam quandoque locus cognoſceretur, foſſores omnes interemerunt.

CAP. XXXI.

Athaulphus Alarici ſucceſſor Italiam ſpoliat. Placidiam Theodoſii Imp. germanam uxorem ducit. Ex Italia in Gallias, ad exigendos inde VVandalos & Alanos tranſit. Inde in Hiſpaniam. ibi interficitur. Item Regericus III. *Veſegotharum rex interficitur.*

MOrtuo Alarico Veſegotha, Athaulfo ejus conſanguineo & forma & mente conſpicuo tradunt. Nam erat quamvis non adeo proceritate ſtaturæ formatus, quantum pulchritudine corporis vultuque decorus. Qui ſuſcepto regno revertens item ad Romam, ſi quid primum remanſerat, more locuſtarum eraſit: nec tantum privatis divitiis Italiam ſpoliavit, imo & publicis, imperatore Honorio nihil reſiſtere prævalente;

cujus

cujus & germanam Placidiam, Theodosii Imperatoris ex altera uxore filiam, urbe captivum abduxit. Quam tamen ob generis nobilitatem, formæque pulchritudinem, & integritatem castitatis attendens, in Forolivii Æmiliæ civitate suo matrimonio copulavit, ut gentes, hac societate comperta, quasi adunata Gothis Republica efficacius terrerentur, Honoriumque Augustum, quamvis opibus exhaustum, tamen quasi cognatum grato animo derelinquens, Gallias tendit: ubi cum advenisset, vicinæ gentes perterritæ in suis se finibus cœperunt continere, quæ dudum crudeliter Gallias infestassent, tam Franci, quam Burgundiones. Nam Wandali & Alani, quos supra diximus, permissu principum Romanorum utraque Pannonia resedere, nec ibi sibi ob metum Gothorum arbitrantes tutum fore, si reverterentur, ad Gallias transiere. Sed mox à Galliis, quas ante non multum tempus occupassent, fugientes, Hispania se reclusere, adhuc memores ex relatione majorum suorum, quid dudum Geberich rex Gothorum genti suæ præstitisset incommodi, vel quomodo eos virtute sua patrio solo expulisset. Tali ergo casu Galliæ Athaulfo patuere venienti. Confirmato ergo Gothis regno in Galliis, Hispanorum casu cœpit dolere, eosque deliberans à Wandalorum incursibus eripere, per suas opes Barcilonum cum certis fidelibus delectis plebeque imbelli, interiores Hispanias introivit, ubi sæpe cum Wandalis decertans, tertio anno postquam Gallias Hispaniasque domuisset occubuit; gladio ilio perforato Vernulfi, de cujus solitus erat ridere statura. Post cujus mortem Regericus rex constituitur. sed & ipse suorum fraude peremptus, ocius vitam cum regno reliquit.

Cap.

CAP. XXXII.

Valia IV. *Vesegoth. rex, pace cum Honorio Imp. inita, Placidiam Romanis reddit. Item, de Constantino, Constante, Iovino & Sebastiano Galliæ invasoribus.*

DEhinc jam quartus ab Alarico rex constituitur Valia, nimis districtus & prudens: contra quem Honorius Imperator Constantinum virum industria militari pollentem multisque prœliis gloriosum cum exercitu dirigit, veritus ne fœdus dudum cum Athaulfo initum ipse turbaret, & aliquas rursus in Repub. insidias moliretur, vicinis sibi gentibus repulsis; simulque desiderans germanam suam Placidiam subjectionis opprobrio liberare, paciscens cum Constantino, ut aut bello, aut pace, vel quoquo modo, si eam potuisset, ad suum regnum revocaret, eique eam in matrimonium sociaret. Quo placito Constantinus ovans cum copia armatorum, & pene jam regio apparatu, Hispanias petit. Cui Valia rex Gothorum non minori procinctu ad claustra Pyrenæi occurrit: ubi ab utraque parte legatione directa, ita convenit pacisci, ut Placidiam sororem principis redderet, suaque solatia Romanæ reipublicæ, ubi usus exigeret, non denegaret. Eo namque tempore Constantinus quidam apud Gallias invadens imperium, filium suum Constantem ex monacho fecerat Cæsarem; sed non diu tenens regnum præsumptum, mox fœderatis Gothis Romanisque, ipse occiditur Arelati, filius vero ejus Viennæ. Post quos item Iovinus ac Sebastianus pari temeritate Rempub. occupandam existimantes, pari exitio periere. Nam duodecimo anno regni Valiæ, quando & Hunni post pene quinquaginta annos invasa Pannonia à Romanis & Gothis expulsi sunt, videns Valia Wandalos in suis finibus, id est

id est Hispaniæ solo, audaci temeritate ab interioribus partibus Galliæ (ubi eos fugaverat dudum Athaulfus) egressos cuncta in prædis vastare, eo tempore quo Hierius & Ardaburius consules extitissent; nec mora, mox contra eos movit exercitum.

Cap. XXXIII.

De VVandalorum regum serie in Africa per annos fere centum: utque Belisarius de Gilimere Constantinopolim adducto triumpharit, & Africa rursum Imperio Romano adjecta fuerit. Item de Valiæ morte.

Sed Gizericus rex Wandalorum jam à Bonifacio in Africam invitatur, qui Valentiniano principi veniens in offensam, non aliter quam se malo Reipub. potuit vindicare. Is ergo suis precibus eos invitans, per tractum angustum, quod dicitur fretum Gaditanum, & vix septem millibus Africam ab Hispaniis dividit, ostioque maris Tyrrheni Oceani æstum egerit, transposuit. Erat namque Gizericus jam Romanorum clade in urbe notissimus, statura mediocris, & equi casu claudicans, animo profundus, sermone ratus, luxuriæ contemptor, ira turbidus, habendi cupidus, ad sollicitandas gentes providentissimus, semina contentionum jacere, odia miscere paratus. Talis Africæ Rempub. precibus Bonifacii, ut diximus, invitatus intravit, ubi ad divinitatem (ut fertur) accepta autoritate diu regnans, ante obitum suum filiorum agmen accitum ordinavit, ne inter ipsos de regni ambitione esset dissensio; sed ordine quisque & gradu suo, qui aliis superviveret, id est, seniori suo, fieret sequens successor, & rursus ei posterior ejus. Quod observantes per annorum multorum spatia, regnum feliciter possedere, nec, quod in reliquis gentibus adsolet, intestino bello

fœdati ſunt, ſuoque ordine unus poſt unum ſuſcipiens regnum, in pace populis imperarunt. Quorum ordo iſte ac ſucceſſio fuit. Primum Gizericus, qui pater & dominus, ſequens Hunnericus, tertius Gundamundus, quartus Tranſamundus, quintus Hilderich. Quo, malo gentis ſuæ, Gelimer, immemor atavi præceptorum, de regno ejecto & interempto, tyrannidem præſumpſit. Sed non ei ceſſit impune quod fecerat. Nam Iuſtiniani Imperatoris ultio in eo apparuit, & cum omni genere ſuo, opibuſque quibus more prædonis incubabat, Conſtantinopolim delatus per virum glorioſiſſimum Beliſarium, magiſtrum militum orientalem, & conſulem ordinarium atque patricium, magnum in Circo populo ſpectaculum fuit, ſeramque ſui pœnitudinem gerens, quum ſe videret de faſtigio regali dejectum, privatæ vitæ, cui noluit famulari, redactus occubuit. Sic Africa, quæ in diviſione orbis terrarum tertia pars mundi deſcribitur, centeſimo fere anno Wandalico jugo erepta in libertatem revocata eſt regni Romani: & quam dudum ignavis dominis, ducibus infidelibus, à Reip. Romanæ corpore gentilis manus abſtulerat, ſolerti domino & fideli ductore tunc revocata, hodieque congaudet. Quamvis & poſt hæc aliquantum inteſtino prœlio, Maurorumque infidelitate adtritam ſe lamentaverit; tamen triumphus Iuſtiniani Imperatoris à deo ſibi donatus, quod inchoaverat ad finem uſque perduxit. Sed nobis quid opus eſt unde res non exigit dicere. Ad propoſitum redeamus. Valia ſiquidem rex Gothorum adeo cum ſuis in Wandalos ſæviebat, ut voluiſſe eos etiam in Africa perſequi, niſi eum caſus, qui dudum Alarico ad Africam tendenti contigerat, revocaſſet. Nobilitatus namque intra Hiſpanias, incruentaque victoria potitus, Toloſam revertitur; Romano imperio, fugatis hoſtibus, aliquantàs provincias (quod promiſerat

miſerat) derelinquens, ſibique adverſa poſt longum valetudine ſuperveniente, rebus humanis exceſſit, eo videlicet tempore, quo Berimundus Toriſmundo patre genitus, de quo in catalogo Amalorum familiæ ſuperius diximus, cum filio Witiricho ab Oſtrogothis, qui adhuc in Scythiæ terra Hunnorum oppreſſionibus ſubjacebant, ad Veſegotharum regnum migravit. Conſcius enim erat virtutis & generis nobilitatis; facilius ſibi credens principatum à parentibus deferri, quem hæredem regum conſtabat eſſe multorum. Quis namque de Amalo dubitaret, ſi vacaſſet eligere? ſed nec ipſe adeo voluit quis eſſet oſtendere. Et illi jam poſt mortem Valiæ Theodoricum ei dedere ſucceſſorem, ad quem veniens Berimund, animi pondere quo valebat eximiam generis ſui amplitudinem commoda taciturnitate ſuppreſſit, ſciens regnantib. ſemper de regali ſtirpe genitos eſſe ſuſpectos. Paſſus eſt ergo ignorari, ne faceret ordinanda confundi. Suſceptuſque eſt cum filio ſuo à rege Theoderico honorifice nimis, adeo ut nec conſilio ſuo expertem, nec convivio faceret alienum; non tantum pro generis nobilitate, quam ignorabat, ſed pro animi fortitudine & robore gentis, quam non poterat occultare.

Cap. XXXIV.

Theodericus V. Veſegothorum rex. In hunc Romani cum auxiliaribus Hunnis rupta pace exercitum ducunt. Fœdera firmantur. Attila pacatur. Item de Attilæ aula.

Defuncto Valia, ut ſuperius quod diximus repetamus, qui parum fuerat felix Gallis, proſperrimus feliciorque Theodericus ſucceſſit in regno, homo ſumma moderatione compoſitus, animi corporiſque virilitate abundans. Contra quem Theodoſio & Feſto conſulibus, pace rupta Romani Hunnis auxiliaribus ſecum

junctis, in Gallias arma moverunt. Turbaverat namque eos Gothorum fœderatorum manus, quæ cum Cama comite Constantinopolim se fœderasset. Aëtius ergo patricius tunc præerat militibus, fortissimorum Mæsiorum stirpe progenitus, in Dorostena civitate, à patre Gaudentio, labores bellicos tolerans, Reip. Romanæ singulariter natus, qui superbiam Suevorum, Francorumque barbariem, immensis cædibus servire Romano imperio coëgisset. Hunnis quoque auxiliariis Litorio ductante, contra Gothos Romanos exercitus movit procinctum, diuque ex utraque parte acie ordinata, quum utrique fortes, & neuter firmior esset, datis dextris, in pristinam concordiam redierunt, fœdereque firmato, ab alterutro fida pace peracta, recessit uterque. Qua pacatur Attila Hunnorum omnium dominus, & pæne totius Scythiæ gentium solus in mundo regnator, qui erat famosa inter omnes gentes claritate mirabilis. Ad quem in legationem remissus à Theodosio juniore Priscus, tali voce inter alia refert. Ingentia siquidem flumina, id est Tysiam, Tibisiamque & Driccam transeuntes, venimus in locum illum ubi dudum Vidicula Gothorum fortissimus Sarmatum dolo occubuit. Indeque non longe ad vicum in quo rex Attila morabatur accessimus: vicum, inquam, ad instar civitatis amplissimæ; in quo lignea mœnia ex tabulis nitentibus fabricata reperimus, quarum compago ita solidum mentiebatur, ut vix ab intento posset junctura tabularum comprehendi. Videres triclinia ambitu prolixiore distenta, porticusque in omni decore dispositas. Area vero curtis ingenti ambitu cingebatur, ut amplitudo ipsa regiam aulam ostenderet. Hæ sedes erant Attilæ regis barbariam totam tenentis: hæc captis civitatibus habitacula præponebat.

Cap. XXXV.

De Attilæ regis Hunnorum patre, fratribus. deque ipsius statura, forma & moribus. Item de gladio Martis quem ipse usurpavit. Locus insignis è Prisco historico.

IS namque Attila patre genitus Mundzucco, cujus fuere germani Octar & Roas, qui ante Attilam regnum Hunnorum tenuisse narrantur, quamvis non omnino cunctorum. Eorum ipse post obitum, cum Bleta germano Hunnorum successit in regnum, & ut ante expeditioni quam parabat par foret; augmentum virium parricidio quærit, tendens ad discrimen omnium nece suorum. Sed liberante justitia detestabili remedio crescens, deformes exitus suæ crudelitatis invenit. Bleta enim fratre fraudibus perempto, qui magnæ parti regnabat Hunnorum, universum sibi populum subjugavit, aliarumque gentium quas tunc in ditione tenebat numerositate collecta, primas mundi gentes, Romanos Vesegothasque, subdere peroptabat. Cujus exercitus quingentorum millum esse numerus ferebatur. Vir in concussionem gentis natus in mundo, terrarum omnium metus: qui nescio qua sorte terrebat cuncta, formidabili de se opinione vulgata. Erat namque superbus incessu, huc atque illuc circumferens oculos, ut elati potentia ipso quoque motu corporis appareret. Bellorum quidem amator, sed ipse manu temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius in fide semel receptis. Forma brevis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, rarus barba, canis aspersus, simo naso, teter colore, originis suæ signa restituens. Qui quamvis hujus esset naturæ ut semper magna confideret, addebat ei tamen confidentiam gladius Martis inventus, apud Scytharum

reges semper habitus. Quem Priscus historicus tali refert occasione detectum. *Quum pastor*, inquiens, *quidam gregis unam buculam conspiceret claudicantem, nec causam tanti vulneris inveniret, sollicitus vestigia cruoris insequitur: tandemque venit ad gladium, quem depascens herbas bucula incautè calcaverat, effossumque protinus ad Attilam defert. Quo ille munere gratulatus, ut erat magnanimus, arbitratur, se totius mundi principem constitutum, & per Martis gladium potestatem sibi concessam esse bellorum.*

CAP. XXXVI.

Attila, suapte natura ad vastandum orbem paratus, à Gizerico VVandalorum rege multis muneribus ad id instigatur. Is omni ratione discordiam inter Romanos & Gothos serere conatur. sed frustra. Epistola Valentiniani Imp. ad Vesegothos. eorumque responsum.

HVjus ergo mentem ad vastationem orbis paratam comperiens Gizericus rex Wandalorum, quem paulo ante memoravimus, multis muneribus ad Vesegotharum bella præcipitat, metuens ne Theodericus Vesegotharum rex filiæ ulcisceretur injuriam, quæ Hunericho Gizerici filio juncta, prius quidem tanto conjugio lætaretur: sed postea, ut erat ille & in sua pignora truculentus, ob suspicionem tantummodo veneni ab ea parati, eam, putatis naribus spolians decore naturali, patri suo ad Gallias remiserat, ut turpe funus miseranda semper offerret, & crudelitas, qua etiam moverentur externi, vindictam patris efficacius impetraret. Attila igitur dudum bella concepta Gizerici redemptione parturiens, legatos in Italiam ad Valentinianum principem misit, serens Gothorum Romanorumque discordiam, ut quos prœlio non poterat concu-

tere,

tere, odiis internis elideret, adſerens, ſe Reipub. ejus amicitias in nullo violare, ſed contra Theodericum Veſegotharum regem ſibi eſſe certamen, unde eum excipi libenter optaret. Cætera epiſtolæ uſitatis ſalutationum blandimentis oppleverat, ſtudens fidem adhibere mendacio. Pari etiam modo ad regem Veſegotharum Theodericum erigit ſcriptum, hortans ut à Romanorum ſocietate diſcederet, recoleretque prœlia, quæ paulo ante contra eum fuerant concitata ſub nimia feritate. Homo ſubtilis antequam bella gereret, arte pugnabat. Tunc Valentinianus imperator ad Veſegothas eorumque regem Theodericum in his verbis legationem direxit. Prudentiæ veſtræ eſt, fortiſſime gentium, adverſus urbis conſpirare tyrannum, qui optat mundi generale habere ſervitium, qui cauſas prœlii non requirit, ſed quicquid commiſerit hoc putat eſſe legitimum. Ambitum ſuum brachio metitur, ſuperbia licentiam ſatiat; qui jus fasque contemnens, hoſtem ſe exhibet naturæ cunctorum. Etenim meretur hic odium, qui in commune omnium ſe approbat inimicum. Recordamini, quæſo, quod certe non poteſt oblviſci. Ab Hunnis caſus eſt fuſus, ſed quod graviter agit, inſidiis agit appetitum. Vnde, ut de nobis taceamus, poteſtis hanc inulti ferre ſuperbiam? Armorum potentes, favete propriis doloribus, & communes jungite manus. Auxiliamini etiam Reipub. cujus membrum tenetis. Quam ſit autem nobis expetenda vel amplexanda ſocietas, hoſtes interrogate conſilia. His & ſimilibus legati Valentiniani regem permovere Theodericum. Quibus ille reſpondit; Habetis, inquit, Romani, deſiderium veſtrum: feciſtis Attilam & nobis hoſtem. Sequimur illum quocunque vocaverit, & quamvis inſletur de diverſis ſuperbarum gentium victoriis, norunt tamen Gothi confligere cum ſuperbis. Nullum bellum dixerim

rim grave, nisi quod causa debilitat, quando nil triste pavet, cui majestas arriserit. Acclamant responso comites ducis, lætum sequitur vulgus. Fit omnibus ambitus pugnæ, hostes jam Hunni desiderantur. Producitur itaque à rege Theoderico Vesegotharum innumerabilis multitudo: qui quatuor filiis domi dimissis, id est Friderico & Turico, Rotemero & Himmerit, secum tantum Thorismund & Theodericum majores natu participes laboris assumit. Felix procinctus, auxiliantium suave collegium habere, & solatia illorum, quos delectat ipsa etiam simul subire discrimina. A parte vero Romanorum tanta patricii Aëtii providentia fuit, cui tunc innitebatur Respub. Hesperiæ plagæ, ut undique bellatoribus congregatis, adversus ferocem & infinitam multitudinem non impar occurreret. His enim adfuere auxiliares Franci, Sarmatæ, Armoritiani, Litiani, Burgundiones, Saxones, Riparioli, Ibriones, quondam milites Romani, tunc vero jam in numero auxiliariorum exquisiti, aliæque nonnullæ Celticæ vel Germanicæ nationes. Convenitur itaque in campos Catalaunicos, qui & Mauricii nominantur, c leugas, ut Galli vocant, in longum tenentes, & LXX in latum. Leuga autem Gallica mille & quingentorum passuum quantitate metitur. Fit ergo area innumerabilium populorum pars illa terrarum. Conferuntur acies utræque fortissimæ; nihil subreptionibus agitur, sed apertum Martem testantur. Quæ potest digna causa tantorum motibus inveniri? aut quod odium in se cunctos animavit armari? Probatum est, humanum genus regibus vivere, quando unius mentis insano impetu strages sit facta populorum, & arbitrio superbi regis momento dejicitur, quod tot seculis natura progenuit.

CAP.

Cap. XXXVII.

De iis rebus quæ in ipſorum bellorum motibus prius quàm prælium inter Romanos & Hunnos committeretur acciderunt.

SEd antequam pugnæ ipſius ordinem referamus, neceſſarium videretur edicere, quæ in ipſis bellorum motibus accidere, quia ſicut famoſum prœlium, ita multiplex atque perplexum. Sangibanus namque rex Alanorum metu futurorum perterritus, Attilæ ſe tradere pollicetur, & Aurelianam civitatem Galliæ, ubi tunc conſiſtebat, in ejus jura tranſducere. Quod ubi Theodericus & Aëtius agnovere, magnis aggeribus eandem urbem ante adventum Attilæ deſtruunt, ſuſpectumque cuſtodiunt Sangibanum, & inter ſuos auxiliares medium ſtatuunt cum propria gente. Igitur Attila rex Hunnorum tali perculſus eventu, diffidens ſuis copiis, metuens inire conflictum, intuſque fugam revolvens, ipſo funere triſtiorem, ſtatuit per haruſpices futura inquirere. Qui more ſolito nunc pecorum fibras, nunc quaſdam venas in abraſis oſſibus intuentes, Hunnis infauſta denuntiant. Hoc tamen quantulum prædixere ſolatii, quod ſummus hoſtium ductor de parte adverſa occumberet, relictaque victoria, ſua morte triumphum fœdaret. Quumque Attila necem Aëtii, quòd ejus motibus obviabat, vel cum ſua perditione duceret expetendam, tali præſagio ſollicitus, ut erat conſiliorum in rebus bellicis exquiſitor, circa nonam diei horam prœlium ſub trepidatione committit, ut ſi non ſecus cederet, nox imminens ſubveniret, converteretque partes, ut diximus, in campos Catalaunicos.

CAP. XXXVIII.

Positio loci, quo in Catalaunicis campis prælium inter Romanos & Hunnos est commissum: & Descriptio utriusque aciei.

ERat autem positio loci declivi tumore, in modum collis excrescens. Quem uterque cupiens exercitus obtinere, quia loci opportunitas non parvum beneficium conferret: dextram partem Hunni cum suis, sinistram Romani & Vesegothæ cum auxiliariis occuparunt. Relictoque de cacuminis ejus jugo certamine, dextrum cornu cum Vesegothis Theodericus tenebat, sinistrum Aëtius cum Romanis, collocantes in medio Sangibanum, quem superius retulimus præfuisse Alanis, providentes cautione militari, ut eum, de cujus animo minus præsumebant, fidelium turba concluderent. Facilè namque adsumit pugnandi necessitatem, cui fugiendi imponitur difficultas. E diverso verò fuit Hunnorum acies ordinata, ut in medio Attila cum suis fortissimis locaretur; sibi potius rex hac ordinatione prospiciens, quatenus inter gentis suæ robur positus, ab imminenti periculo redderetur exceptus. Cornua verò ejus multiplices populi & diversæ nationes quas ditioni suæ subdiderat ambiebant. Inter quos Ostrogotharum præeminebat exercitus, Walamire & Theodemire & Widemire germanis ductantibus, ipso etiam rege, cui tunc serviebant, nobilioribus; quia Amalorum generis eos potentia illustrabat; eratque & Gepidarum agmine innumerabili rex ille famosissimus Ardaricus, qui ob nimiam suam fidelitatem erga Attilam ejus consiliis intererat. Nam perpendens Attila sagacitatem suam, eum & Walamirem Ostrogotharum regem super cæteros regulos diligebat. Erat namque Wa-

Walamir secreti tenax, blandus alloquio, doli ignarus; Ardarich fide & consilio, ut diximus, clarus. Quibus non immeritò contra parentes Vesegothas debuit credere pugnatoribus. Reliqua autem si dici fas est, turba regum, diversarumque nationum ductores, acsi satellites, nutibus Attilæ attendebant, & ubi oculo annuisset, absque aliqua murmuratione cum timore & tremore unusquisque adstabat, aut certè quod jussus fuerat exsequebatur. Sed solus Attila rex omnium regum, super omnes & pro omnibus solicitus erat. Fit ergo de loci, quem diximus, opportunitate certamen. Attila suos dirigit qui cacumen montis invaderent, sed à Thorismundo & Aëtio præventus est, qui eluctati collis excelsa ut conscenderent, superiores effecti sunt, venientesque Hunnos montis beneficio facilè turbavere.

Cap. XXXIX.

Attilæ oratio ad Hunnos, qua eos ad prælium adversus Romanos ineundum exhortatur.

Tunc Attila, quum videret exercitum causa præcedente turbatum, tali ex tempore credit alloquio confirmandum. Post victorias tantarum gentium, post orbem si consistatis edomitum, ineptum judicaverim, tanquam ignaros rei verbis acuere. Quærat hoc aut novus ductor, aut inexpertus exercitus. Nec mihi fas est aliquid vulgare dicere, nec vos oportet audire. Quid autem aliud vos quàm bellare consueti? aut quid forti suavius, quàm vindictam manu quærere? Magnum munus à natura, animum ultione satiare. Aggrediamur ergo hostem alacres. audaciores sunt semper, qui inferunt bellum. Adunatas despicite dissonas gentes. Indicium pavoris est, societate defendi. En ante

ante impetum terroribus jam feruntur, excelsa quærunt, tumulos capiunt, & sera pœnitudine in campis munitiones efflagitant. Nota nobis sunt, quàm sint levia Romanorum arma; primo etiam non dico vulnere, sed ipso pulvere gravantur. Dum inordinatè coëunt, & acies testudinemque connectunt, vos confligite præstantibus animis, ut soletis, despicientesque eorum acies, Alanos invadite, in Vesegothas incumbite. Inde nobis est citam victoriam quærere, unde se continet bellum. Abscisa autem nervis mox membra relabuntur; nec potest stare corpus, cui ossa subtraxeris. Consurgant animi, furor solitus intumescat. Nunc consilia Hunni, nunc arma depromite; aut vulneratus quis adversarii mortem deposcat, aut illæsus hostium clade satietur. Victuros nulla tela convenient, morituros & in ocio fata præcipitant. Postremò cur fortuna Hunnos tot gentium victores adsereret, nisi ad certaminis hujus gaudia præparasset? Quis denique Mætoidum iter aperiret, majoribus nostris tot seculis clausum ac secretum? Quis adhuc inermibus cedere faciebat armatos? Faciem Hunnorum non poterit ferre adunata collectio. Non fallor eventu, hic campus est quem nobis tot prospera promiserant. Primus in hostes tela conjiciam. Si quis potuerit Attila pugnante ocium ferre, sepultus est. His verbis accensi, in pugnam cuncti præcipitantur.

CAP. XL.

Successus prælii commissi inter Romanos & Vesegothos adversus Hunnos. Theoderici regis mors. Attila se plaustris vallat.

ET quamvis haberent res ipsæ formidinem, præsentia tamen regis cunctationem hærentibus auferebat. Manu manibus congrediuntur; bellum atrox, multi-

multiplex, immane, pertinax, cui ſimile nulla uſquam narrat antiquitas; ubi talia geſta referuntur, ut nihil eſſet, quod in vita ſua conſpicere potuiſſet egregius, qui hujus miraculi privaretur aſpectu. Nam ſi ſenioribus credere fas eſt, rivulus memorati campi humili ripa prolabens, peremptorum vulneribus ſanguine multo provectus, non auctus imbribus, ut ſolebat, ſed liquore concitatus inſolito, torrens factus eſt cruoris augmento. Et quos illic coëgit in aridam ſitim vulnus inflictum, fluenta mixta clade traxerunt: ita conſtricti ſorte miſerabili ſordebant, potantes ſanguinem quem fudere ſauciati. Hic Theodericus rex dum adhortans diſcurreret exercitum, equo depulſus, pedibuſque ſuorum conculcatus, vitam matura ſenectute concluſit. Alii verò dicunt eum interfectum telo Andagis de parte Oſtrogotharum, qui tunc Attilanum ſequebantur regimen. Hoc fuit quod Attilæ præſagio haruſpices prius dixerant, quanquam ille de Aëtio ſuſpicaretur. Tunc Veſegothæ dividentes ſe ab Alanis, invadunt Hunnorum catervas; & penè Attilam trucidaſſent, niſi prius providus fugiſſet, & ſe ſuoſque ilico intra ſepta caſtrorum, quæ plauſtris vallata habebat, recluſiſſet. Quamvis fragile munimentum, tamen quæſierunt ſubſidium vitæ, quibus paulo antè nullus poterat muralis agger obſiſtere. Thoriſmund autem, regis Theoderici filius, qui cum Aëtio collem anticipans, hoſtes de ſuperiori loco proturbaverat, credens ſe ad agmina propria pervenire, nocte cæca ad hoſtium carpenta ignarus incurrit. Quem fortiter dimicantem quidam capite vulnerato equo dejecit, ſuorumque providentia liberatus, à prœliandi intentione deſiit. Aëtius verò ſimiliter noctis confuſione diviſus, quum inter hoſtes medios vagaretur, trepidus ne quid incidiſſet adverſi Gothis, inquirens, tandemque ad ſocia caſtra perveniens, reliquum

quum noctis scutorum defensione transegit. Postera die luce orta, quum cadaveribus plenos campos aspicerent, nec audere Hunnos erumpere; suam arbitrantur esse victoriam, scientesque, Attilam, non nisi magna clade confusum, bello confugisse: quum tamen nil ageret vel prostratus abjectum, sed strepens armis tubis canebat, incussionemque minabatur: velut leo venabulis pressus, speluncæ aditus obambulans, nec audet insurgere, nec desinit fremitibus vicina terrere: sic bellicosissimus rex victores suos turbabat inclusus. Conveniunt itaque Gothi Romanique, & quid agerent de superato Attila deliberant. Placet eum obsidioni fatigari, qui annonæ copiam non habebat, quando ab ipsius sagittariis, intra septa castrorum locatis, crebris ictibus arceretur accessus. Fertur autem desperatis in rebus prædictum regem adhuc & in supremo magnanimem, equinis sellis construxisse pyram, seseque, si adversarii irrumperent, flammis injicere voluisse; ne aut aliquis ejus vulnere lætaretur, aut in potestatem hostium, tantorum hostium gentium dominus, perveniret.

CAP. XLI.

Thorismund Theoderico regi patri suo exequias parat: & consilio Aëtii patricii, qui Hunnis funditus interemptis, male à Gothis metuebat Imperio Romano, se recipit & patri succedit. Franci & Gepidæ mutua clade se atterunt. Numerus cæsorum prælio inter Rom. & Attilam.

VErum inter has obsidionum moras Vesegothæ regem, filii patrem requirunt, admirantes ejus absentiam, dum felicitas fuerit subsequuta. Quumque diutius exploratum, ut viris fortibus mos est, inter densissima cadavera reperissent, cantibus honoratum, inimicis spectantibus abstulerunt. Videres Gothorum globos

globos dissonis vocibus confragosos, adhuc inter bella furentia funeri reddidisse culturam. Fundebantur lachrymæ, sed quæ viris fortibus impendi solent. nostra mors erat, sed Hunno teste gloriosa, unde hostium putaretur inclinata fore superbia, quando regis efferre cadaver cum suis insignibus inspiciebant. At Gothi Theoderico adhuc justa solventes, armis insonantibus regiam deferunt majestatem, fortissimusque Thorismund bene gloriosus, ad manes carissimi patris, ut decebat filium, exequias est prosequutus. Quod postquam peractum est, orbitatis dolore commotus, & virtutis impetu, qua valebat, dum inter reliquias Hunnorum mortem patris vindicare contendit; Aëtium patricium, acsi seniorem, prudentiaque maturum, de hac parte consuluit, quid sibi esset in tempore faciendum. Ille verò metuens, ne Hunnis funditus interemptis, à Gothis Romanorum premeretur imperium, præbet hac suasione consilium, ut ad sedes proprias remearet, regnumque quod pater reliquerat arriperet; ne germani ejus, opibus sumptis paternis, Vesegotharum regnum pervaderent, graviterque dehinc cum suis, & quod pejus est, miserabiliter pugnaret. Quo responso non ambiguè, ut datum est, sed pro sua potius utilitate suscepto, relictis Hunnis, redit ad Gallias. Sic humana fragilitas dum suspicionibus occurrit, magna rerum agendarum occasione intercipitur. In hoc enim famosissimo & fortissimarum gentium bello ab utrisque partibus CLXII millia cæsa referuntur, exceptis XC millibus Gepidarum & Francorum, qui ante congressionem publicam noctu sibi occurrentes, mutuis concidere vulneribus, Francis pro Romanorum, Gepidis pro Hunnorum parte pugnantibus. Attila igitur discessione cognita Gothorum, quòd de inordinatis colligi solet, & inimicorum magis æstimans dolum, diutius se intra castra con-

continuit. Sed ubi hostium absentia sunt longa silentia consecuta, erigitur mens ad victoriam, gaudia præsumuntur, atque potentis regis animus in antiqua fata revertitur. Thorismund ergo patre mortuo, in campis statim Catalaunicis, ubi & pugnaverat, regia majestate subvectus, Tolosam ingreditur. Hic licet fratrum & fortium turba gauderet, ipse tamen sic sua initia moderatus est, ut nullius reperiret de regni successione certamen.

CAP. XLII.

Attila de Vesegotharum recessu à Romanis certior factus, ad oppressionem Romanorum omnibus viribus se confert. Aquileiam, Mediolanum, Ticinum, vastât. Leo Papa ad eum accedit, & pacem Italiæ certis conditionibus impetrat. Attila ad suas sedes ultra Danubium remeat.

ATtila verò nacta occasione de recessu Vesegotharum, & quod sæpè optaverat, cernens hostium solutionem per partes, mox jam securus ad oppressionem Romanorum movit procinctum, primaque aggressione Aquileiensem obsedit civitatem, quæ est metropolis Venetiarum, in mucrone vel lingua Adriatici posita sinus. Cujus ab oriente muros Natissa amnis fluens, à monte Picis elambit: ibique quum diu multoque tempore obsidens nihil penitus prævaleret, fortissimis intrinsecus Romanorum militibus resistentibus; exercitu jam murmurante & discedere cupiente, Attila deambulans circa muros, dum, utrum solveret castra, an adhuc moraretur, deliberat; animadvertit, candidas aves, id est ciconias, quæ in fastigio domorum nidificant, de civitate fœtus suos trahere, atque contra morem per rura forinsecus comportare. Et ut

hoc,

hoc, ſicut erat ſagaciſſimus inquiſitor, perſenſit, ad ſuos inquit; Reſpicite, aves futurarum rerum providas perituram relinquere civitatem, caſuraſque arces periculo imminente deſerere. Non hoc vacuum, non hoc credatur incertum; rebus præſciis conſuetudinem mutat ventura formido. Quid plus? Animus ſuorum rurſus ad oppugnandum Aquileiam inflammatur. Qui, machinis conſtructis, omnibuſque tormentorum generibus adhibitis, nec mora, invadunt civitatem, ſpoliant, dividunt, vaſtantque crudeliter, ita ut vix ejus veſtigia, ut appareant, reliquerint. Exhinc jam audaciores, & necdum Romanorum ſanguine ſatiati, per reliquas Venetum civitates Hunni bacchabantur. Mediolanum quoque Liguriæ metropolim, & quondam regiam urbem, pari tenore devaſtant, nec non & Ticinum æquali ſorte dejiciunt, vicinaque loca ſævientes allidunt, demoliunturque penè totam Italiam. Quumque ad Romam animus fuiſſet ejus attentus accedere, ſui eum (ut Priſcus refert hiſtoricus) removere, non urbi, cui inimici erant, conſulentes; ſed Alarici quondam Veſegotharum regis objicientes exemplum, veriti regis ſui fortunam, quia ille poſt fractam Romam diu non ſupervixerat, ſed protinus rebus exceſſit humanis. Igitur dum ejus animus ancipiti negocio inter ire & non ire fluctuaret, ſecumque deliberans tardaret, placita ei legatio à Roma advenit. Nam Leo papa per ſe ad eum accedit in Acroventu Mamboleio, ubi Mincius amnis commeantium frequentatione tranſitur. Qui mox depoſito exercitus furore, & rediens qua venerat, id eſt, ultra Danubium, promiſſa pace diſceſſit; illud præ omnibus denuncians, atque interminando diſcernens, graviora ſe in Italiam illaturum, niſi ad ſe Honoriam Valentiniani principis germanam, filiam Placidiæ

Augustæ, cum portione sibi regalium opum debita mitteret. Ferebatur enim, quia hæc Honoria, dum propter aulæ decus ac castitatem teneretur nutu fratris inclusa, clandestino eunucho misso, Attilam invitasse, ut contra fratris potentiam ejus patrociniis uteretur; prorsus indignum facinus, ut licentiam libidinis malo publico compararet.

CAP. XLIII.

Attila in Alanos trans Ligerim considentes movet. A Thorismundo rege Vesegothorum conserto prælio in suas sedes fugere compellitur. Thorismundi cædes.

REversus itaque Attila in sedes suas, & quasi ocii pœnitens, graviterque ferens à bello cessare, ad orientis principem Marcianum legatos dirigit, provinciarum testans vastationem, quod sibi promissa à Theodosio quondam Imperatore minimè persolveret, & inhumanior solito suis hostibus appareret. Hæc tamen agens, ut erat versutus & callidus, alibi minatus, alibi arma sua commovit, & quod restabat indignationi, faciem in Vesegothos retorsit. Sed non eum, quem de Romanis, reportavit eventum. Nam per dissimiles anterioribus vias recurrens, Alanorum partem trans flumen Ligeris considentem statuit suæ redigere ditioni, quatenus mutata per ipsos belli facie, terribilior emineret. Igitur ab Dacia & Pannonia provinciis, in quibus tunc Hunni cum diversis subditis nationibus insidebant, egrediens Attila, in Alanos movit procinctum. Sed Thorismund rex Vesegothorum fraudem Attilæ non impari subtilitate persentiens, ad Alanos tota subtilitate prius advenit, ibique supervenientis jam Attilæ motibus præparatus occurrit, consertoque prælio, penè simili eum tenore ut prius in campis

bis Catalaunicis, à spe removit victoriæ, fugatumque à partibus suis sine triumpho remittens in sedes proprias fugere compulit. Sic Attila famosus, & multarum victoriarum dominus, dum quærit famam perditoris abjicere, & quod prius à Vesegothis pertulerat, abolere; geminatam sustinuit, ingloriusque recessit. Thorismund verò, repulsis ab Alanis Hunnorum catervis, sine aliqua suorum læsione Tolosam migravit; suorumque quieta pace composita, tertio anno regni sui ægrotans, dum sanguinem tollit de vena, ab Ascalcruo cliente inimicos nunciante, armis subtractis, peremptus est. Vna tamen manu, quam liberam habebat, scabellum tenens, sanguinis sui existit ultor, aliquantos insidiantes sibi extinguens.

Cap. XLIV.

Theodericus Thorismundi frater rex Vesegotharum Riciarium Suevorum regem qui Hispaniam invaserat bello superat. Achiulphum clientem Suevis præficit. Is tyrannidem affectans capite plectitur. Suevi permissu Theoderici Remismundum sibi regem eligunt. Theoderici regis mors.

POst cujus decessum Theodericus germanus ejus, Vesegotharum in regno succedens, mox Riciarium Suevorum regem cognatum suum repperit inimicum. Hic item Riciarius affinitatem Theoderici præsumens, universam penè Hispaniam sibi credidit occupandam, judicans opportunum tempus surreptionis incomposita initia tentare regnantis. Quibus ante Gallicia & Lusitania sedes fuere, quæ in dextro latere Hispaniæ per ripam Oceani porriguntur, habentes ab oriente Austrogoniam, ab occidente in promontorio sa-

crum Scipionis Romani ducis monumentum, à septentrione Oceanum, à meridie Lusitaniam, & fluvium Tagum, qui arenis suis permiscens auri metalla, trahit cum limi vilitate divitias. Exinde ergo exiens Riciarius rex Suevorum, nititur totam Hispaniam occupare. Cui Theodericus cognatus suus, ut erat moderatus, legatos mittens, pacificè dixit, ut non solum recederet à finibus alienis; verùm etiam nec tentare præsumeret, odium sibi tali ambitione acquirens. Ille verò animo prætumido ait; Si hic murmuras, & me venire causaris: Tolosam, ubi tu sedes, veniam; ibi si vales, resiste. His auditis, ægrè tulit Theodericus compacatusque cum cæteris gentibus, arma movit in Suevos; Burgundionum quoque Gnudiacum, & Hilpericum, reges auxiliares habens, sibique devotos. Ventum est ad certamen juxta flumen Vrbium, quod inter Asturicam Hiberiamque prætermeat; consertoque prælio, Theodericus cum Vesegothis, qui ex justa parte pugnabat, victor efficitur, Suevorum gentes penè cunctas usque ad internecionem prosternens. Quorum rex Riciarius relicta infecta victoria, hostem fugiens, in navim conscendit, adversaque procella Tyrrheni ostii repercussus, Vesegotharum est manibus redditus, miserabilem non differens mortem, cum elementa mutaverit. Theodericus verò victor existens subactis pepercit, nec ultra certamina sævire permisit praeponens Suevis, quos subjecerat, clientem Achiulfum. Qui in brevi animum ad prævaricationem ex Suevorum suasionibus commutans, neglexit imperata complere, potius tyrannica elatione superbiens, credensque se ea virtute provinciam obtinere, qua dudum cum domino suo eam subjecisset. Is siquidem erat Warnorum stirpe genitus, longè à Gothici sanguinis nobilitate sejunctus; idcirco nec libertati studens, nec

patro-

patrono fidem ſervans. Quo comperto, Theodericus mox contra eum, qui eum de regno pervaſo dejicerent, deſtinavit. Qui venientes, ſine mora in primo eum certamine ſuperantes, congruam factorum ejus ab eo exegerunt ultionem. Captus namque, & ſuorum ſolatio deſtitutus, capite plectitur; ſenſitque tandem iratum, qui propitium dominum crediderat contemnendum. Tunc Suevi rectoris ſui interitum contuentes, locorum ſacerdotes ad Theodericum ſupplices direxerunt. Quos ille pontificali reverentia ſuſcipiens, non ſolum impunitatem Suevorum indulſit; ſed & ut ſibi de ſuo genere principem conſtituerent, flexus pietate conceſſit. Quod & factum eſt, & Remiſmundum ſibi Suevi regulum ordinaverunt. His peractis, paceque cunctis munitis, tertiodecimo regni ſui anno Theodericus occubuit.

CAP. XLV.

Euricus Veſegotharum rex Theoderico ſuccedit, Romanis Imperatoribus aliis ſuper alios cæſis Gizericus VVandalorum rex Italiam invadit, Romam vaſtat. Euricus Gallias invadit, Britones Romanorum auxiliarios profligat, Arvernam Galliæ civitatem occupat.

CVi frater Euricus percupida feſtinatione ſuccedens, ſæva ſuſpicione pulſatus eſt. Nam dum hæc circa Veſegotharum gentem & alia nonnulla geruntur, Valentinianus imperator dolo Maximi occiſus eſt, & ipſe Maximus tyrannico more regnum invaſit. Quod audiens Gizericus rex Wandalorum, ab Africa armata claſſe in Italiam venit, Romamque ingreſſus, cuncta devaſtat. Maximus verò fugiens, à quodam Vrſo milite Romano interemptus eſt. Poſt quem, juſſu Marciani imperatoris orientalis, Majoranus

occidentale ſuſcepit imperium gubernandum. Sed & ipſe non diu regnans, dum contra Alanos, qui Gallias infeſtabant, moviſſet procinctum, Dertonæ juxta fluvium Ira cognomento occiditur. Cujus locum Severus invaſit, qui tertio anno imperii ſui Romæ obiit. Quod cernens Leo imperator, qui in orientali regno Marciano ſucceſſerat, Anthemium patricium ſuum ordinans, Romæ principem ordinavit. Qui veniens ilico Ricimerem generum ſuum contra Alanos direxit, virum egregium, & penè tunc in Italia ad exercitum ſingularem. Qui multitudinem Alanorum, & regem eorum Beurgum in primo ſtatim certamine ſuperatos, internecioni proſtravit. Euricus ergo Veſegotharum rex crebram mutationem Romanorum principum cernens, Gallias ſuo jure niſus eſt occupare. Quod comperiens Anthemius Imperator, protinus ſolatio Britonum poſtulavit. Quorum rex Riothimus cum XII millibus veniens, in Biturigas civitatem Oceano è navibus egreſſus, ſuſceptus eſt. Ad quos rex Veſegotharum Euricus innumerum ductans exercitum advenit; diuque pugnans, Riothimum Britonum regem, antequam Romani in ejus ſocietate conjungerentur, ſuperavit. Qui ampla parte exercitus amiſſa, cum quibus potuit fugiens, ad Burgundionum gentem vicinam, Romanis in eo tempore fœderatam, advenit. Euricus verò rex Veſegotharum Arvernam Galliæ civitatem occupavit, Anthemio principe jam defuncto; qui, cum Ricimere genero ſuo inteſtino bello ſæviens, Romaniam triverat; ipſeque, à genero peremptus, regnum reliquit Olybrio. Quo tempore in Conſtantinopoli Aſpar primus patriciorum, & Gothorum genere clarus, cum Ardabure & Patriciolo filiis, illo quidem olim patricio, hoc autem Cæſare, generoque Leonis principis appellato, ſpadonum enſibus

ſibus in palatio vulneratus interiit. Et nec dum Olybrio VIII menſe in regnum ingreſſo obeunte, Glycerius apud Ravennam plus præſumptione quàm electione Cæſar effectus eſt. Quem anno vix expleto, Nepos Marcellini quondam patricii ſororis filius, à regno dejiciens, in portu Romano Epiſcopum ordinavit. Tantas varietates mutationeſque Euricus cernens, ut diximus ſuperius, Arvernam occupat civitatem; ubi tunc Romanorum dux præerat Decius, nobiliſſimus ſenator, & dudum Aviti Imperatoris, qui ad paucos dies regnum invaſerat, filius. Nam hic ante Olybrium paucos dies tenens imperium, ultro receſſit Placentiam, ibique Epiſcopus eſt ordinatus. Hujus ergo filius Decius diu certans cum Veſegothis, nec valens anteſtare, relicta patria maximeque urbe Arvernate hoſti, ad tutiora ſe loca collegit. Quod audiens Nepos Imperator, præcepit Decio, relictis Galliis ad ſe venire, in locum ejus Oreſte magiſtro militum ordinato: qui Oreſtes ſuſcepto exercitu, & contra hoſtes egrediens, à Roma Ravennam pervenit, ibique remoratus, Auguſtulum filium ſuum Imperatorem efficit. Quo comperto, Nepos fugit in Dalmatias, ibique defecit privatus regno, ubi jam Glycerius dudum imperator Epiſcopatum Salonitanum habebat; Auguſtulo à patre Oreſte in Ravenna imperatore ordinato.

Cap. XLVI.

Odovacer Turcilingorum rex Italiam invadit & ſubjugat.

NOn multum poſt Odovacer Turcilingorum rex, habens ſecum Scyros, Herulos, diverſarumque gentium auxiliarios, Italiam occupavit, & Oreſte inter-

interfecto, Augustulum filium ejus de regno pulsum, in Lucullano Campaniæ castello exsilii pœna damnavit. Sic quoque Hesperium Romanæ gentis imperium, quod septingentesimo nono urbis conditæ anno primus Augustorum Octavianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit, anno decessorum prædecessorumque regni quingentesimo vigesimo secundo, Gothorum dehinc regibus Romam Italiamque tenentibus. Interea Odovacer rex gentium omni Italia subjugata, ut terrorem suum Romanis indicaret, mox initio regni sui Brachilam comitem apud Ravennam occidit, regnoque suo confortato, penè per quatuordecim annos usque ad Theoderici præsentiam, de quo in subsequentibus dicturi sumus, obtinuit. Interim tamen ad eum ordinem, unde digressi sumus, redeamus.

CAP. XLVII.

Euricus Vesegotharum rex Arelatum, Massiliam, & Burgundiones subigit. Moritur. Alaricus Eurici filius, nonus Vesegotharum rex.

EVricus rex Vesegotharum Romani regni vacillationem cernens, Arelatum & Massiliam propriæ subdidit ditioni. Gizericus etenim Wandalorum rex suis eum muneribus ad ista committenda illexit, quatenus ipse Leonis vel Zenonis insidias, quas contra eum direxerant, præcaveret; egitque ut orientale imperium Ostrogothæ, Hesperium Vesegothæ vastarent, ut in utraque Republica hostibus decernentibus, ipse in Africa quietus regnaret. Quod Euricus grato suscipiens animo, totas Hispanias Galliasque sibi jam jure proprio tenens, simul quoque & Burgundiones subegit, Arelatique degens, decimonono an-

no

no regni ſui vita privatus eſt. Huic ſucceſſit proprius filius Alaricus, qui nonus in numero ab illo Alarico magno regnum adeptus eſt Veſegotharum. Nam pari tenore, ut de Auguſtulo ſuperius diximus, & in Alaricis proveniſſe cognoſcitur, in eis ſæpe regna deficiunt, à quorum nominibus inchoant. Quo interim nos prætermiſſo, ſicut promiſimus, omnem Gothorum texamus originem. Et quia, dum utræque gentes, tam Oſtrogothæ, quam etiam Veſegothæ in uno eſſent, ut valui, majorum ſequens dicta, revolvi, diviſoſque Veſegothas ab Oſtrogothis ad liquidum ſum proſequutus: neceſſe nobis eſt, iterum ad antiquas eorum Scythicas ſedes redire, & Oſtrogotharum genealogiam actuſque pari tenore exponere.

Cap. XLVIII.

Oſtrogotharum regum ab Ermanarici regis deceſſione genealogia, uſque ad VValamirum Thoriſmundi filium, & Attilæ mortem.

Ostrogothæ Ermanarici regis ſui deceſſione à Veſegothis diviſi, Hunnorum ſubditi ditioni, in eadem patria remorati ſunt; Winithario tamen Amalo principatus ſui inſignia retinente. Qui avi Ataulfi virtutem imitatus, quamvis Ermanarici felicitate inferior, tamen moleſte ferens Hunnorum imperio ſubjacere, paululum ſe ſubtrahebat ab illis, ſuamque dum nititur oſtentare virtutem, in Antarum fines movit procinctum, eoſque dum aggreditur, prima congreſſione ſuperatur: deinde fortiter egit, regemque eorum Box nomine cum filiis ſuis & LXX. primatibus in exemplo terroris cruci adfixit, ut dedititiis metum cadavera pendentium geminarent. Sed cum tali libertate vix anni ſpatio imperaſſet, non eſt paſſus Balamber rex Hun-

Hunnorum, sed ascito ad se Sigismundo Hunimundi magni filio, qui juramenti sui & fidei memor cum ampla parte Gothorum Hunnorum imperio subjacebat, renovatoque cum eo fœdere, super Winitharium duxit exercitum; diuque certantibus, primo & secundo certamine Winitharius vincit. Nec valet aliquis commemorare quantam stragem de Hunnorum Winitharius fecit exercitu. Tertio vero prœlio subreptionis auxilio ad fluvium nomine Erac, dum uterque ad se venissent, Balamber sagitta missa caput Winitharii saucians, interemit; neptemque ejus Waladamarcam sibi in conjugio copulans, jam omnem in pace Gothorum populum subactum possedit: ita tamen, ut genti Gothorum semper unus proprius regulus (quamvis Hunnorum consilio) imperaret. Et mox defuncto Winithario, rexit eos Hunimundus filius quondam regis potentissimi Ermanarici, acer in bello, totiusque corporis pulchritudine pollens: qui post hæc contra Suevorum gentem feliciter dimicavit. Eoque defuncto, successit Thorismund filius ejus flore juventutis ornatus, qui secundo principatus sui anno contra Gepidas movit exercitum; magnaque de illis potitus victoria, casu equi dicitur interemptus. Quo defuncto, sic eum luxere Ostrogothæ, ut XL per annos in ejus loco rex alius non succederet, quatenus & illius memoriam semper haberent in ore, & tempus accederet quo Walamir ambitum repararet virilem, qui erat ex consobrino ejus genitus Wandalario; quia filius ejus, ut superius diximus, Berismund, jam contempta Ostrogotharum gente propter Hunnorum dominium, ad partes Hesperias Vesegotharum fuisset gentem sequutus, de qua & ortus est Vedericus. Vederico quoque filius natus est Euthoricus, qui junctus Amalasuentæ filiæ Theoderici, item Amalorum stirpem jam divisam con-

conjunxit, & genuit Athalaricum & Mathesuentam. Sed quia Athalaricus in annis puerilibus defunctus est, Mathesuenta Constantinopolim inlata, de secundo viro, id est Germano fratruele Iustiniani imperatoris, genuit posthumum filium, quem nominavit Germanum. Sed nobis, ut ordo quem cupimus decurrat, ad Wandalarii sobolem, quæ trino flore pullulabat, redeundum est. Hic etenim Wandalarius fratruelis Ermanarici, & suprascripti Thorismundi consobrinus, tribus editis liberis, in gente Amala gloriatus est, id est, Walamir, Theodemir, Widemir. Ex quibus per successionem parentum Walamir in regnum conscendit, adhuc Hunnis eos inter alias gentes generaliter obtinentibus. Eratque tunc in tribus his germanis contemplatio grata, quando mirabilis Theodemir pro fratris Walamir militabat imperio. Walamir vero pro altero jubet ornando. Widemir servire pro fratribus æstimabat. Sic eis mutua affectione se tuentibus, nulli penitus deerat regnum, quod utrique in sua pace tenebant. Ita tamen, ut sæpe dictum est, imperabant, ut ipsi Attilæ Hunnorum regis imperio deservirent. Quibus nec contra parentes Vesegothas licuisset recusare certamen; sed necessitas domini, etiam si parricidium jubet, implendum est. Nec aliter ab Hunnorum dominio divelli potuit gens aliqua Scythica, nisi optata cunctis nationibus in commune, & Romanis, mors Attilæ provenerit, quæ tam utilis fuit, ut vita mirabilis.

Cap. XLIX.

De Attilæ Hunnorum regis morte ex nimia ebrietate; & de magnificis exequiis ei præstitis.

Attila, ut Priscus historicus refert, extinctionis suæ tempore puellam Ildico nomine, decoram valde, sibi

ſibi in matrimonium poſt innumerabiles uxores, ut mos erat gentis illius, ſocians: ejuſque in nuptiis magna hilaritate reſolutus, vino ſomnoque gravatus, reſupinus jacebat, redundanſque ſanguis qui ei ſolite de naribus effluebat, dum conſuetis meatibus impeditur, itinere ferali faucibus illapſus eum extinxit. Ita glorioſo per bella regi temulentia pudendum exitum dedit. Sequenti vero luce, quum magna pars diei fuiſſet exempta, miniſtri regii triſte aliquid ſuſpicantes, poſt clamores maximos fores effringunt, inveniuntque Attilæ ſine vulnere necem ſanguinis effuſione peractam, puellamque demiſſo vultu ſub velamine lachrymantem. Tunc, ut illius gentis mos eſt, crinium parte truncata, informes facies cavis turpavere vulneribus, ut præliator eximius non fœmineis lamentationibus & lachrymis, ſed ſanguine lugeretur virili. De quo id acceſſit mirabile, ut Martiano principi orientis de tam feroci hoſte ſollicito in ſomnis divinitas adſiſtens, arcum Attilæ in eadem nocte fractum oſtenderet, quaſi quod gens ipſa eo telo multa præſumat. Hoc Priſcus hiſtoricus vera ſe dicit adteſtatione probare. Nam in tantum magnis imperiis Attila terribilis habitus eſt, ut ejus mortem in locum muneris ſuperna regnantibus judicarent. Cujus manes quibus modis à ſua gente honorati ſunt, pauca de multis dicere non omittamus. In mediis ſiquidem campis, & intra tentoria ſerica cadavere collocato, ſpectaculum admirandum & ſolenniter exhibetur. Nam de tota gente Hunnorum electiſſimi equites in eo loco quo erat poſitus, in modum Circenſium curſibus ambientes, facta ejus cantu funereo tali ordine referebant. Præcipuus Hunnorum rex Attila, patre genitus Mundzucco, fortiſſimarum gentium dominus, qui inaudita ante ſe potentia ſolus Scythica & Germanica regna poſſedit, necnon utraque Romanæ urbis imperia captis

captis civitatibus terruit, & ne præda reliqua ſubderent, placatus precibus, annuum vectigal accepit. Quumque hæc omnia proventu felicitatis egerit, non vulnere hoſtium, non fraude ſuorum, ſed gente incolumi inter gaudia lætus, ſine ſenſu doloris occubuit. Quis ergo hunc dicat exitum, quem nullus æſtimat vindicandum? Poſtquam talibus lamentis eſt defletus, ſtravam ſuper tumulum ejus, quam appellant ipſi, ingenti commeſſatione concelebrant, & contraria invicem ſibi copulantes, luctum funereum mixto gaudio explicabant, noctuque ſecreto cadaver eſt terra reconditum. Cujus fercula primum auro, ſecundo argento, tertio ferri rigore communiunt, ſignificantes tali argumento, potentiſſimo regi omnia conveniſſe: ferrum quo gentes edomuit; aurum & argentum, quod ornatum reipublicæ utriuſque acceperit. addunt arma hoſtium cædibus acquiſita, phaleras vario gemmarum fulgore precioſas, & diverſi generis inſignia, quibus colitur aulicum decus. Et ut tot & tantis divitiis humana curioſitas arceretur, operi deputatos deteſtabili mercede trucidarunt, emerſitque momentanea mors ſepelientibus cum ſepulto.

Cap. L.

Attila mortuo contentio inter innumeros ejus filios de ſucceſſione orta. Ardaricus Gepidarum rex Ellac Attilæ filium in prælio interficit, reliquos filios ad Ponticum uſque mare fugat. Marcianus Imp. variis Gothis & Gepidis diverſas ſedes concedit.

Talibus peractis, ut ſolent animi juvenum ambitu potentiæ concitari, inter ſucceſſores Attilæ de regno orta contentio eſt. & dum inconſulte imperare cupiunt cuncti, omnes ſimul imperium perdidere.

dere. Sic frequenter regna gravat plus copia quam inopia successorum. Nam filii Attilæ, quorum per licentiam libidinis pene populus fuit, gentes sibi dividi æqua sorte poscebant, ut ad instar familiæ bellicosi regis cum populis mitterentur in sortem. Quod dum Gepidarum rex comperit Ardaricus, de tot gentibus indignatus, velut vilissimorum mancipiorum conditione tractari, contra filios Attilæ primus insurgit, illatumque serviendi pudorem sequuta felicitate detersit: nec solum suam gentem, sed & cæteras, quæ pariter premebantur, sua discessione absolvit: quia facile omnes appetunt quæ pro cunctorum utilitate tentantur. In mutuum igitur armantur exitium, bellumque committitur in Pannonia, juxta flumen cui nomen est Netad. Illic concursus factus est gentium variarum, quas Attila in sua tenuerat ditione. Dividuntur regna cum populis, fiuntque ex uno corpore membra diversa, nec quæ unius passioni compaterentur, sed quæ exciso capite invicem insanirent; quæ nunquam contra se pares invenerant, nisi ipsi mutuis se vulneribus sauciantes, se ipsas discerperent fortissimæ nationes. Nam ibi admirandum reor fuisse spectaculum, ubi cernere erat cunctis, pugnantem Gothum ense furentem, Gepidam in vulnere suorum cuncta tela frangentem, Suevum pede, Hunnum sagitta præsumere, Alanum gravi, Herulum levi armatura aciem instruere. Post multos ergo gravesque conflictus favit Gepidis inopinata victoria. Nam triginta fere millia tam Hunnorum, quam aliarum gentium, quæ Hunnis ferebant auxilium, Ardarici gladius conspiratorumque peremit. In quo prælio filius Attilæ major natu, nomine Ellac, occiditur: quem tantum pater super cæteros amasse perhibebatur, ut eum cunctis diversisque filiis suis in regno præferret: sed non fuit voto patris fortuna consentiens.

Nam

Nam post multas hostium cædes sic viriliter eum constat peremptum, ut tam gloriosum superstes pater optasset interitum. Reliqui vero germani ejus eo occiso fugantur juxta littus Pontici maris, ubi prius Gothos sedisse descripsimus. Cessere itaque Hunni, quibus cedere putabatur universitas. Adeo dissidium perniciosa res est, ut divisi corruerint, qui adunati viribus territabant. Hæc causa Ardarici regis Gepidarum felix adfuit diversis nationibus, qui Hunnorum regimini inviti famulabantur, eorumque diu mœstissimos animos ad hilaritatem libertatis votivam erexit; venientesque multi per legatos suos ad solum Romanorum, & à principe tunc Marciano gratissime suscepti, distributas sedes, quas incolerent, accepere. Nam Gepidæ Hunnorum sibi sedes viribus vendicantes, totius Daciæ fines velut victores potiti, nihil aliud à Romano imperio, nisi pacem & annua solennia, ut strenui viri, amica pactione postulavere. Quod & libens tunc annuit Imperator, & usque nunc consuetum donum est. Nam gens ipsa à Romano suscipit principe. Gothi vero cernentes Gepidas Hunnorum sedes sibi defendere, Hunnorumque populum suas antiquas sedes occupare; maluerunt à Romano regno terras petere, quam cum discrimine suo invadere alienas, accipientes Pannoniam, quæ in longa porrecta planicie habet ab oriente Mœsiam superiorem, à meridie Dalmatiam, ab occasu Noricum, à septentrione Danubium. Ornata patria civitatibus plurimis, quarum prima Sirmis, extrema Vindomina. Sauromatæ vero, quos Sarmatas diximus, & Cemandri, & quidam ex Hunnis, in parte Illyrici ad castrum Martenam sedes sibi datas coluere. Ex quo genere fuit Blivilas dux Pentapolitanus, ejusque germanus Froilas, & nostri temporis Bessa patricius. Sciri vero, & Satagarii, & cæteri Alanorum cum duce suo nomi-

nomine Candax Scythiam minorem, inferioremque Mœſiam accepere. Cujus Candacis Alanowamuthis patris mei genitor Peria, id eſt, meus avus, notarius quouſque Candax ipſe viveret fuit; ejuſque germanæ filius Gunthigis; qui & Baza dicebatur, magiſter militum, filius Andagis, filii Andalæ, de proſapia Amalorum deſcendens. Ego item (quamvis agrammatus) Iornandes, ante converſionem meam notarius fui. Rugi vero, aliæque nationes nonnullæ Biozimetas, Scandiopolim, ut incolerent, petivere. Hernac quoque junior Attilæ filius cum ſuis in extremo minoris Scythiæ ſedes delegit. Emnedzar & Vzindur conſanguinei ejus in Dacia Ripenſi. Vto & Iſcalmus, qui ea potiti ſunt, multique Hunnorum paſſim proruentes tunc ſe in Romaniam dederunt. E quibus nunc uſque Sacromontiſii & Foſatiſii dicuntur.

CAP. LI.

De Gothorum qui Minores dicuntur ſedibus, & de Vulfila ipſorum pontifice, qui eos literis inſtituit.

ERant ſiquidem & alii Gothi, qui dicuntur Minores, populus immenſus, cum ſuo pontifice, ipſoque primate Vulfila, qui eis dicitur & literis inſtituiſſe, hodieque ſunt in Mœſia regione incolentes Eucopolitanam. Ad pedes enim montis gens multa ſedit pauper & imbellis, nihil abundans, niſi armento diverſi generis pecorum, & paſcuis, ſilvaque lignorum, parum habens tritici; cæterarum ſpecierum eſt terra fœcunda. Vineas vero, nec ſi ſunt alibi, certi eorum cognoſcent, ex vicinis locis ſibi vinum negociantes. nam lacte aluntur.

CAP. LII.

De Ostrogotharum variis post Attilæ mortem sedibus in Pannonia. utque Attilæ filios irruentes propulsarint in Scythiam. Deque Ostrogotharum cum Romanis amicitia, obside pacis Constantinopolim misso Theoderico Theodemiri filio.

PLerique ergo, ut ad gentem unde agitur revertamur, id est Ostrogotharum, qui in Pannonia sub rege Walemir ejusque germanis Theodemir & Widemir morabantur, quamvis divisa loca, consilia tamen habuere unita. Nam Walemir inter Scarniungam & Aquam nigram fluvios, Theodemir juxta lacum Pelsodis, Widemir inter utrosque manebat. Contigit ergo, ut Attilæ filii contra Gothos, quasi desertores dominationis suæ, velut fugacia mancipia requirentes venirent; ignarisque aliis fratribus super Walemir solum irruerent. Quos tamen ille, quamvis cum paucis, excepit; diuque fatigatos ita prostravit, ut vix pars aliqua hostium remaneret, quæ in fugam versa, eas partes Scythiæ peteret quas Danubii amnis fluenta prætermeant, quæ lingua sua Hunnivar appellant. Eoque tempore quum ad fratrem Theodemirem gaudii nuncium direxisset, eo mox die nuncius veniens felicius in domo Theodemiris repperit gaudium. Ipso siquidem die Theodericus ejus filius quamvis de Erelieva concubina, bonæ tamen spei puerulus natus erat. Post tempus ergo non multum rex Walemir, ejusque germani Theodemir & Widemir, consueta dum traderent dona, à principe Marciano quæ ad instar strenuæ gentis acceperunt, ut pacis fœdera custodirent, missa legatione ad Imperatorem, vident Theodericum Triarii filium, & hunc genere Gothico, alia tamen stirpe,

non Amala procreatum, omnino florentem cum ſuis, Romanorumque amicitiis junctum, & annua ſolennia conſequentem, & ſe tantum diſpici. Ilico furore commoti arma arripiunt, & Illyricum pene totum diſcurrentes in prædam devaſtant. Sed ſtatim imperator animo mutato ad priſtinam recurrit amicitiam; miſſaque legatione, tam præterita cum inſtantibus munera tribuit, quam etiam de futuro ſine aliqua controverſia tribuere compromittit; paciſque obſidem ab eis, quem ſupra retulimus, Theodericum infantulum Theodemiris accepit. Qui jam annorum ſeptem incrementa conſcendens, octavum intraverat annum. Quem dum pater cunctatus daret, patruus Walemir extitit ſupplicator, tantum ut pax firma inter Romanos Gothoſque maneret. Datus igitur Theodericus obſes à Gothis, ducitur ad urbem Conſtantinopolitanam Leoni principi. & quia puerulus elegans erat, meruit gratiam imperialem habere.

CAP. LIII.

Oſtrogothæ poſt Attilæ mortem in Satagas movent. Hunnos, duce Dinzione Attilæ filio, obſiſtentes propulſant. Varia Oſtrogotharum cum Suevis & Sciris prælia. VValemiri mors. Sciri ad internecionem deleti.

POſtquam ergo firma pax Gothorum cum Romanis effecta eſt, videntes Gothi non ſibi ſufficere ea quæ ab imperatore acciperent ſolatia, ſimulque cupientes oſtentare virtutem, cœperunt vicinas gentes circumcirca prædari: primo contra Satagas, qui interiorem Pannoniam poſſidebant, arma moventes. Quod ubi rex Hunnorum Dinzio, filius Attilæ, cognoviſſet; collectis ſecum qui adhuc videbantur quamvis pauci ejus tamen ſub imperio remanſiſſe, Vlzingures,

res, Angisciros, Bittugores, Bardores, veniens ad Bassianam Pannoniæ civitatem, eamque circumvallans, fines ejus cœpit prædari. Quo comperto Gothi, ubi erant, expeditionemque solventes quam contra Satagas collegerant, in Hunnos convertunt, & sic eos suis à finibus inglorios pepulerunt, ut jam ex illo tempore, qui remanserant Hunni, & usque hactenus, Gothorum arma formident. Quiescente vero tandem Hunnorum gente à Gothis, Hunnimundus Suevorum dux dum ad prædandas Dalmatias transit, armenta Gothorum in campis errantia deprædavit, quia Dalmatiis Suevia vicina erat, nec à Pannoniis multum distabat, præsertim ubi tunc Gothi residebant. Quid plurimum? Hunimundo cum Suevis vastatis Dalmatiis ad sua revertente, Theodemir germanus Walemiris regis Gothorum, non tantum jacturam armentorum dolens, quantum metuens ne Suevi si impune hoc lucrarentur ad majorem licentiam prosilirent; sic vigilavit in eorum transitu, ut intempesta nocte dormientes invaderet ad lacum Pelsodis; consertoque inopinato prœlio, ita eos oppressit, ut etiam ipso rege Hunnimundo capto, omnem exercitum ejus, qui gladium evasissent, Gothorum subderet servituti. Et dum multum esset amator misericordiæ, facta ultione, veniam condonavit; reconciliatusque cum Suevis, eundem quem ceperat adoptans sibi filium, remisit cum suis in Sueviam. Sed ille immemor paternæ gratiæ, post aliquod tempus conceptum dolum parturiens, Scirorum gentem incitavit, qui tunc supra Danubium considebant, & cum Gothis pacifice morabantur, quatenus scissi ab eorum fœdere, secumque juncti, in arma prosilirent, gentemque Gothorum invaderent. Tunc Gothis nihil mali sperantibus, præsertim de utrisque amicis vicinis confisis, bellum insurgit ex improviso, coactique

necessitate ad arma confugiunt; solitoque certamine arrepto, se suamque injuriam ulciscuntur. In eo siquidem prœlio rex eorum Walemir dum equo insidens ad cohortandos suos ante aciem curreret, proturbatus equus corruit, sessoremque suum dejecit; qui mox inimicorum lanceis confossus, interemptus est. Gothi vero tam regis sui mortem, quam suam injuriam à rebellionibus exigentes, ita sunt prœliati, ut pene de gente Scirorum, nisi qui nomen ipsum ferrent, & hic cum dedecore non remansissent, sic omnes extinxerunt.

CAP. LIV.

Suevorum reges Hunnimundus & Alaricus cum Sarmatis & Sciris, Gepidis & Rugis in Ostrogothas moventes, maxima clade afficiuntur.

QVorum exitium Suevorum reges Hunnimundus & Alaricus veriti, in Gothos arma moverunt, freti auxilio Sarmatarum, qui cum Beuga & Babai regibus suis auxiliariis eorum devenissent, ipsasque Scirorum reliquias quasi ad ultionem suam acrius pugnaturas accersentes cum Edica & Vulfo eorum primatibus, habuerunt simul secum tam Gepidas, quam ex gente Rugorum non parva solatia; cæterisque hinc inde collectis, ingentem multitudinem aggregantes, ad amnem Bolliam in Pannoniis castrametati sunt. Gothi tunc Walemire defuncto, ad fratrem ejus Theodemir confugerunt. Qui quamvis dudum cum fratribus regnans, tamen auctioris potestatis insignia sumens, Widemire fratre juniore accito, & cum ipso curas belli partitus, coactus ad arma prosilivit; consertoque prælio, superior pars invenitur Gothorum, adeo ut campus inimicorum corruentium cruore madefactus, ut rubrum pelagus appareret; armaque & cadavera in modum

modum collium cumulata, campum plus quam decem millibus oppleverunt. Quod Gothi cernentes, ineffabili exsultatione lætantur, eo quod regis sui Walemiris sanguinem & suam injuriam cum maxima inimicorum strage ulciscerentur. De innumeranda vero variaque multitudine hostium qui valuerunt evadere, effugati vix ad sua inglorii pervenerunt.

Cap. LV.

Theodemirus rex in Suevos movet, eosque vastat & pene subigit. Theodericus Theodemiri filius, pene adhuc puer, inscio patre Babai Sarmatarum regem adortus interimit. Singidonum civitatem capit.

Post certum vero tempus instanti hyemali frigore, amneque Danubii solite congelato: (nam istiusmodi fluvius ita rigescit, ut in silicis modum vehat exercitum pedestrem, plaustraque & tragulas, vel quicquid vehiculi fuerit, nec cymbarum indigeat lintre) sic ergo eum gelatum Theodemir Gothorum rex cernens, pedestrem ducit exercitum; emensoque Danubio, Suevis improvisus à tergo apparuit. Nam regio illa Suevorum ab oriente Bajobaros habet, ab occidente Francos, à meridie Burgundiones, à septentrione Thuringos. Quibus Suevis tunc juncti Alemanni etiam aderant, ipsique Alpes erectas omnino regentes: unde nonnulla fluenta Danubio influunt, nimio cum sono vergentia. Hic ergo taliter munito loco, Theodemir rex hiemis tempore Gothorum ductavit exercitum, & tam Suevorum gentem quam etiam Alemannorum utrasque ad invicem fœderatas devicit, vastavit, & pene subegit. Inde quoque victor ad proprias sedes, id est, Pannonias revertens, Theodericum filium suum, quem Constantinopolim obsidem dederat, à Leone impe-

ratore remiſſum cum magnis muneribus gratanter excepit. Qui Theodericus jam adoleſcentiæ annos contingens, expleta pueritia, octavum decimum peragens annum, adſcitis ſatellitibus patris, ex populo amatores ſibi clienteſque conſociavit, penè ſex millia viros; cum quibus inſcio patre, emenſo Danubio, ſuper Babai Sarmatarum regem diſcurrit, qui tunc de Camundo duce Romanorum victoria potitus, ſuperbiæ tumore regnabat, eumque ſuperveniens Theodericus interemit, familiamque & cenſum deprædans, ad genitorem ſuum cum victoria repedavit. Singidonum dehinc civitatem, quam ipſi Sarmatæ occupaſſent, invadens; non Romanis reddidit, ſed ſuæ ſubdidit ditioni.

CAP. LVI.

Oſtrogothæ pertæſi pacis, Italiam, Gallias & Illyricum infeſtant. Theodemirus fœdere cum Romanis inito moritur.

MInuentibus deinde hinc inde vicinarum gentium ſpoliis, cœpit & Gothis victus veſtituſque deeſſe: & hominibus, quibus dudum bella alimoniam præſtitiſſent, pax cœpit eſſe contraria; omneſque cum clamore magno ad regem Theodemir accedentes Gothi orant, quacumque parte vellet ductaret exercitum. Qui accito Germano, miſſaque ſorte, hortatus eſt, ut ille in partem Italiæ, ubi tunc Glycerius regnabat imperator, ipſe vero ceu fortior ad fortius regnum accederet orientale quidem. quod & factum eſt. Et mox Widemir Italiæ terras intravit, & extremum fati munus reddens, exceſſit rebus humanis, ſucceſſorem relinquens regni Widemir filium ſuum. Quem Glycerius Imperator, muneribus datis, de Italia ad Gallias tranſtulit, quæ à diverſis circumcirca gentibus premeban-

mebantur, adſerens, vicinos ſibi Veſegothas eorum parentes regnare. Quid multa? Widemir, acceptis muneribus, ſimulque mandatis à Glycerio Imperatore, Gallias tendit; ſeſeque cum parentibus jungens Veſegothis, unum corpus efficitur, & ſic Gallias Hiſpaniaſque tenentes ſuo jure defendunt, ut nullus ſibi alius prævaleret. Theodemir autem frater ſenior cum ſuis tranſit Saum amnem, Sarmatis militibuſque intermi- nans bellum, ſi aliquis obſtaret ei. Quod illi verentes, quieſcunt, imo nec prævalent ad tantam multitudinem. Videns Theodemir undique ſibi proſpera provenire, Naiſſum primam urbem invadit Illyrici: filioque ſuo Theoderico conſociatus adſtat, & in villam comites per caſtrum Herculis tranſmittit Vlpianam. Qui venientes, tam eam, quam & opes, mox in deditionem accipiunt, nonnullaque loca Illyrici inacceſſibilia ſibi tunc primum pervia faciunt. Nam Heracliam & Lariſſam civitates Theſſaliæ, primum, præda capta, jure bellico potiuntur. Theodemir vero rex, animadvertens tam felicitatem ſuam, quam etiam filii, nec hac tamen contentus, egrediens Naiſitanam urbem, paucis ad cuſtodiam derelictis, ipſe Theſſalonicam petiit, in qua Clarianus patricius, à principe directus, cum exercitu morabatur. Qui dum videret vallo muniri Theſſalonicam, ne ſe eorum conatibus poſſe reſiſtere, miſſa legatione ad Theodemir regem, muneribuſque oblatis, ab obſidione eum urbis retorquet. Initoque fœdere, Romanus ductor cum Gothis loca eis jam ſponte, quæ incolerent, tradidit, id eſt, Ceropellas, Europam, Medianam, Petinam, Bereum, & alia, quæ Sium vocantur. Vbi Gothi cum rege ſuo, armis depoſitis, compoſita pace quieſcunt. Nec diu poſt hæc & rex Theodemir, in civitate Cerras fatali ægritudine occupatus, vocatis Gothis, Theodericum fi-

lium regni ſui deſignat hæredem, & ipſe mox rebus humanis exceſſit.

CAP. LVII.

Theodericus Oſtrogotharum rex à Zenone Imp. Romam evocatur, ab eo adoptatur, conſulatu & Equeſtri ſtatua donatur. Odoacrum in Heſperia magna clade afficit. Inſignia regis Romanorum aſſumit.

THeodericum vero genti ſuæ regem audiens ordinatum imperator Zeno, gratum ſuſcepit, eique, evocatoria deſtinata, ad ſe in urbem venire præcepit, dignoque ſuſcipiens honore, inter proceres ſui palatii collocavit. Et poſt aliquod tempus ad ampliandum honorem ejus in arma, ſibi eum filium adoptavit, de ſuiſque ſtipendiis triumphum in urbe donavit; factuſque eſt conſul ordinarius; quod ſummum bonum, primumque in mundo decus edicitur. nec tantum hoc, ſed etiam equeſtrem ſtatuam ad famam tanti viri ante regiam palatii collocavit. Inter hæc ergo Theodericus Zenonis imperio fœdere ſociatus, dum ipſe in urbe bonis omnibus frueretur, gentemque ſuam in Illyrico (ut diximus) reſidentem, non omnino idoneam aut refertam audiret, elegit potius ſolito more gentis ſuæ labore quærere victum, quam ipſe ocioſe frui regni Romani bona, & gentem ſuam mediocriter victitare: ſecumque deliberans, ad principem ait; Quamvis nihil deeſt nobis, imperio veſtro famulantibus: tamen ſi dignum ducit pietas veſtra, deſiderium mei cordis libenter exaudiat. Quumque ei, ut ſolebat, familiariter facultas fuiſſet loquendi conceſſa; Heſperia (inquit) plaga, quæ dudum deceſſorum prædeceſſorumve veſtrorum regimine gubernata eſt, & urbs illa caput orbis & domina, quare nunc ſub regis Turcilingorum & Ru-

& Rugorum tyrannide fluctuat? Dirige cum gente mea, si præcipis, ut hic expensarum pondere careas; & ibi, si adjutus à Domino vicero, fama vestræ pietatis irradiet. Expedit namque, ut ego, qui sum servus vester & filius, si vicero, vobis donantibus regnum illud possideam; haud ille, quem non nostis, tyranni jugo senatum vestrum partemque reipublicæ captivitatis servitio premat. Ego enim si vicero, vestro dono vestroque munere possidebo: si victus fuero, vestra pietas nihil amittit, imò (ut diximus) lucratur expensas. Quo audito, quamvis ægrè ferret Imperator discessum ejus, nolens tamen eum contristare, annuit quæ poscebat, magnisque ditatum muneribus dimisit à se, senatum populumque ei commendans Romanum. Igitur egressus urbe regia Theodericus, & ad suos revertens, omnem gentem Gothorum, quæ tamen ei præbuerat consensum, assumens; Hesperiam tendit, rectoque itinere per Sirmas ascendit, vicinas Pannoniæ. Indeque Venetiarum fines ingressus, ad pontem Sontium nuncupatum castrametatus est. Quumque ibi ad reficienda corpora hominum jumentorumque aliquanto tempore resedisset; Odovacer armatum contra eum direxit exercitum. Quem ille, ad campos Veronenses occurrens, magna strage delevit, castrisque solutis, fines Italiæ cum potiore audacia intrat; transactoque Pado amne ad Ravennam regiam urbem castra componit, tertio ferè milliario ab urbe, loco qui appellatur Pineta. Quod cernens Odovacer, intus se in urbe communivit; indeque subreptivè noctu frequenter cum suis egrediens, Gothorum exercitum inquietat; & hoc non semel, nec iterum; sed frequenter, & pænè molitur toto triennio. Sed frustra laborat, quia cuncta Italia dominum jam dicebat Theodericum, & illius ad votum res illa publica obsecundabat. Tantùm ille solus cum paucis satellitibus, & Romanis qui

aderant, & fame & bello quotidie intra Ravennam laborabat. Quod dum nihil proficeret, missa legatione, veniam supplicat. Cui & primùm concedens Theodericus, postmodum hac luce privavit. Tertioque, ut diximus, anno ingressus in Italiam, Zenonisque imperatoris consulto privatim habito, suæque gentis vestitum reponens, insigne regii amictus, quasi jam Gothorum Romanorumque regnator, adsumit.

CAP. LVIII.

De Theoderici regis uxore Audefleda, & concubina, ejusque filiis & filiabus, earumque cum variis regibus conjugio, aliisque affinitatibus. Item de Mundone grassatore, & de trophæo de Francis parto.

Missa legatione ad Lodoin Francorum regem, filiam ejus Audefledam sibi in matrimonio petit. Quam ille gratè libenterque concessit, suos filios Ildebertum, & Cheldepertum, & Thuidepertum credens hac societate cum gente Gothorum, inito fœdere, sociari. Sed non adeo pacis ad concordiam profuit ista conjunctio; quin sæpenumero propter Gallorum terras graviter inter se decertati sunt, & nunquam Gothus Francis cessit, dum viveret Theodericus. Antequam ergo de Audefleda sobolem haberet, naturales ex concubina, quas genuisset adhuc in Mœsia, filias habuit, unam nomine Theudicodo, & aliam Ostrogotho. Quas mox, ut in Italiam venit, regibus vicinis in conjugio copulavit, id est, unam Alarico Vesegotharum, & aliam Sigismundo Burgundionum. De Alarico ergo natus est Amalaricus. Quem avus Theodericus in annis puerilibus utroque parente orbatum dum fovet atque tuetur, comperit, Eutharicum Witerichi filium, Beremundi & Toresmundi nepotem, Amalorum de

de ſtirpe deſcendentem, in Hiſpania degere, juvenili ætate, prudentia & virtute, corporiſque integritate pollentem. Ad ſe eum facit venire, eique Amalaſuentham filiam ſuam in matrimonio jungit. Et ut ad plenum progeniem ſuam dilataret, Amalafredam germanam ſuam, matrem Theodati, qui poſtea rex fuit, Africæ regi Wandalorumque conjugem dirigit Traſemundo; filiamque ejus, neptem ſuam Amalabergam, Thuringorum regi conſociat Hermenfredo. Petzamin quoque ſuum comitem inter primos electum ad obtinendam Sirmienſem dirigit civitatem. Quam ille expulſo rege ejus Tranſarico, filio Trafſtile, retenta ejus matre obtinuit. Indeque contra Sabinianum Illyricum magiſtrum militiæ, qui tunc cum Mundone paraverat conflictum, ad civitatem cognomine Margoplano, quæ inter Danubium, Martianumque flumina adjacebat, cum duobus millibus peditum, equitibus quingentis, in Mundonis ſolatia veniens, Illyricianum exercitum demolivit. Nam hic Mundo Attilanis quondam origine deſcendens, Gepidarum gentem fugiens, ultra Danubium in incultis locis, ſine ullis terræ cultoribus debacchatur. Et pleriſque abactoribus, Scamariſque & latronibus undecunque collectis, turrim quæ Herta dicitur, ſupra Danubii ripam poſitam, occupans, ibique agreſti ritu prædans vicinos, regem ſe ſuis graſſatoribus nuncupat. Hunc ergo pænè deſperatum, etiam de traditione ſua deliberantem, Petza ſubveniens, è manibus Sabiniani eripuit, ſuoque regi Theoderico cum gratiarum actione fecit ſubjectum. Non minus trophæum de Francis per Hibbam ſuum comitem in Galliis acquiſivit, plus xxx millibus Francorum in prœlio cæſis. Nam & Thiodem ſuum armigerum poſt mortem Alarici generi, tutorem in Hiſpaniæ regno Amalarici nepotis conſtituit. Qui Amalaricus in ipſa ado-

adolescentia Francorum fraudibus irretitus, regnum cum vita amisit. Post quem Thiodis tutor ejusdem regnum ipsum invadens, Francorum insidiosam calumniam de Hispaniis pepulit, & usque dum viveret, Vesegothas continuit. Post quem Thiodigisglossa regnum adeptus, non regnans defecit, occisus à suis. Cui succedens Hactenusagil, continuat regnum. Contra quem Athanagildus insurgens Romani regni concitat vires. Vbi & Liberius patricius cum exercitu destinatur. Nec fuit in parte occidua gens, quæ Theoderico, dum viveret, aut amicitia aut subjectione non deserviret.

CAP. LIX.

Theodericus rex senex Athalaricum filiæ suæ Amalasuenthæ filium patre orbum regem denunciat. Athalarico immatura morte sublato mater Theodatum consobrinum suum regem instituit. qui illam in insulam quandam relegat. ubi strangulatur.

SEd postquam ad senium pervenisset, & se in brevi ab hac luce egressurum cognosceret, convocans Gothos comites, gentisque suæ primates, Athalaricum infantulum adhuc vix decennem filium filiæ suæ Amalasuenthæ, qui Eutarico patre orbatus erat, regem constituit, eisque in mandatis dedit, acsi testamentali voce denuntians, ut regem colerent, Senatum populumque Romanum amarent, Principemque orientalem placatum semper, propiciumque haberent. Quod præceptum, quamdiu Athalaricus rex ejusque mater viverent, in omnibus custodientes, pænè per octo annos in pace regnarunt: quamvis Francis de regno puerili desperantibus, imò in contemptu habentibus, bellaque parare molientibus, quòd pater & avus Gallias occupasset, eis concessit. Cætera in pacis tranquillitate possessa. Dum ergo

rgo ad ſpem juventutis Athalaricus accederet, tam uam adoleſcentiam, quàm matris viduitatem Orientis Principi commendavit: ſed in brevi infeliciſſimus, immatura morte præventus, rebus humanis exceſſit. Tum nater, ne pro ſexus ſui fragilitate à Gothis ſperneretur, ſecum deliberans, Theodatum conſobrinum ſuum germanitatis gratia accerſitum à Thuſcia, ubi privata vita degens, in laboribus propriis erat, in regnum collocavit. Qui immemor conſanguinitatis, poſt aliquantum tempus à palatio Ravennate abſtractam, in inſulam laci Bulſinenſis eam exilio relegavit. Vbi pauciſſimos dies in triſtitia degens, ab ejus ſatellitibus in balneo eſt ſtrangulata.

Cap. LX.

Beliſarius à Iuſtiniano imp. adverſus Gothos cum exercitu mittitur. Siciliam occupat. Gothi VVitigim regem ſibi eligunt. Theodatum interficiunt. VVitigis Ravennam cum Mathaſuenta regiiſque opibus dedit Romanis.

QVod dum Iuſtinianus imperator Orientalis audiſſet, quaſi ſuſceptorum ſuorum mors ad ſuam injuriam redundaret, ſic eſt commotus. Eodem namque tempore de Africa à Wandalis quum per fideliſſimum ſuum Beliſarium patricium reportaret triumphum, nec mora, in ipſo tempore madentibus adhuc armis cruore Wandalico, contra Gothos per eundem ducem movit procinctum. Qui dux prudentiſſimus haud ſecus arbitratur Getarum ſubigere populum, ſi prius nutricem eorum occupaſſet Siciliam; quod & factum eſt: Trinacriamque ingreſſo, mox Gothi qui Syracuſanum oppidum inſidebant videntes ſe nihil prævalere, cum ſuo duce Sinderich ultrò ſe Beliſario dediderunt. Quumque ergo Romanus ductor Siciliam pervaſiſſet, Theodatus comperiens, Evermor generum ſuum cum exercitu ad

ad fretum, quod inter Campaniam Siciliamque interjacet, & de Tyrrheni maris ſinu vaſtiſſimus Hadriaticus æſtus evolvitur, cuſtodiendum dirigit. Vbi cùm Evermor acceſſiſſet, ad Rhegium oppidum caſtra compoſuit. Nec mora, deterioratam cauſam cernens ſuorum, ad partes victoris cum paucis & fideliſſimis famulis conſciis movit, ultroque ſe Beliſarii pedibus advolvens, Romani regni optat ſervire principibus. Quod Gothorum exercitus ſentiens, ſuſpectum Theodatum clamitat regno pellendum, & ſibi ductorem ſuum Witigim, qui armiger ejus fuerat, in regem levandum. quod & factum eſt. Et mox in campis barbaricis Witigis in regnum levatus Romam ingreditur, præmiſſisque Ravennam fideliſſimis ſibi viris, Theodati necem demandat. Qui venientes, imperata ſibi perficiunt, & occiſum Theodatum regem, qui à rege miſſus adveniebat, ut adhuc in campis barbaricis erat, Witigim populis nunciat. Inter hæc Romanus exercitus, emenſo freto, Campaniam accedens, ſubverſaque Neapoli, Romam ingreditur; unde ante paucos dies rex Witigis egreſſus, Ravennam profectus, Mathaſuentam filiam Amalaſuenthæ, Theoderici quondam regis neptem, ſibi in matrimonium ſociarat. Cumque his novis nuptiis delectatus, aulam regiam fovet Ravennæ, Roma egreſſus imperialis exercitus, munita utriuſque Thuſciæ loca invadit. Quod cernens per nuncios Witigis, Cumunilam ducem Gothorum manu armis conferta mittit Peruſiam. Vbi dum magnum comitem, cum parvo exercitu reſidentem, obſeſſione longa evellere cupiunt; superveniente Romano exercitu, ipſi evulſi & omnino extincti ſunt. Quod audiens Witigis, ut leo furibundus, omnem Gothorum exercitum congregat, Ravennaque egreſſus, Romanas arces obſidione longa fatigat. Sed fruſtrata ejus audacia, poſt

XIV.

XIV menses ab obsidione Romanæ urbis aufugit, & se ad Ariminensem oppressionem præparat. Vnde pari tenore frustratus fugatusque Ravennam se recepit; & obsessus, nec mora, ultrò se ad partes dedit victoris, cum Mathasuentha jugali, regiisque opibus. Et sic famosum regnum, fortissimamque gentem, diuque regnantem, tandem deinde millesimo & trecentesimo anno victor gentium diversarum Iustinianus imperator per fidelissimum consulem vicit Belisarium, & perductum Witigim Constantinopolim patricii honore donavit. Vbi plus biennio demoratus, Imperatorisque in affectu convictus, rebus excessit humanis. Mathasuentam verò jugalem ejus fratri suo Germano patricio conjunxit Imperator. De quibus postumus patris Germani natus est filius, item Germanus. In quo conjuncta Anitiorum gens cum Amala stirpe, spem,adhuc utriusque generis domino præstante,promittit.Huc usque Getarum origo, ac Amalorum nobilitas, & virorum fortium facta, ac laudanda progenies, laudabiliori principi cessit, & fortiori duci manus dedit: cujus fama nullis seculis, nullis silebitur ætatibus. Sic victor ac triumphator Iustinianus imperator, & consul Belisarius, Wandalici, Africani, Geticique dicuntur. Hæc qui legis, scito, me veterum secutum scripta, ex eorum spaciosis pratis paucos flores collegisse, unde inquirenti pro captu ingenii mei coronam contexerem. Nec me quis in favorem gentis prædictæ, quasi ex ipsa trahentem originem, aliqua addidisse credat, quàm quæ legi aut comperi. Nec si tamen cuncta quæ de ipsis scribuntur aut referuntur complexus sum: nec tantum ad eorum laudem, quantum ejus laudem, qui vicit, exponens.

FINIS.

BEATI ISIDORI
ARCHIEPISCOPI HISPALENSIS

GOTHORVM, VANDALORVM ET SVEVORVM IN HISPANIA CHRONICON.

Quod nunc demum plus alterâ parte auctius prodit è bibliotheca

ISAACI VOSSII.



CHRONICON GOTHORVM ISIDORI.

Ac primum de laudibus Hispaniæ.

OMnium terrarum, quæ ſunt ab occiduo uſque ad Indos, pulcherrima es, ô ſacra ſemperque felix principum gentiumque mater, Spania. Iure tu nunc omnium regina provinciarum; à qua non occaſus tantum, ſed etiam oriens lumina mutuat. Tu decus atque ornamentum orbis, inluſtrior portio terræ, in qua gaudet & multum floret Geticæ gentis glorioſa fœcunditas. Merito te omnium ubertate gignentium indulgentior natura ditavit. Tu baccis opima, uvis proflua, meſſibus læta; ſegete veſtiris, oleis inumbraris, vite prætexeris. Tu florulenta campis, montibus frondua, piſcoſa litoribus. Tu ſub mundi plaga gratiſſima ſita, nec æſtivo ſolis ardore torreris, nec glaciali rigore tabeſcis; ſed temperata cœli zona præcincta Zephyris felicibus enutriris. Quidquid enim arva fœcundum, quidquid metalla pretioſum, quidquid animantia pulcrum & utile ferunt, parturis: nec illis amnibus poſthabenda, quos clara ſpecioſorum Græcorum fama nobilitat. Tibi cedet

det Alpheus equis, Clitumnus armentis. Quamquam volucres per ſpatia quadrigas olim Piſis ſacer palmis Alpheus exerceat, & ingentes Clitumnus juvencos Capitolinis olim immolaverit victimis. Tu nec Ethruriæ ſaltus uberior pabulorum requiris: nec lucos Molorchi palmarum plena miraris, nec equorum curſu tuorum altis * curribus invidebis. Tu ſuperfuſis fæcunda fluminibus, tu aurifluis fulva torrentibus, tibi fons equigenitor, tibi vellera indigenis fucata conchyliis ad rubores Tyrios inardeſcunt. Tibi fulgurans inter obſcura penitorum montium lapis jubare contiguo vicini ſolis accenditur. Alumnis igitur, & gemmis dives, & purpuris, rectoribuſque pariter & dotibus imperiorum fertilis: ſic opulenta es principibus ornandis ut beata pariendi. Iure itaque te jampridem aurea Roma, caput gentium, concupivit, & licet te ſibimet eadem Romulea virtus primum victus deſponderit *; denuo tamen Gothorum florentiſſima gens poſt multiplices in orbe victorias certatim rapuit & amavit, fruiturque hactenus inter regias infulas & opes largas imperii felicitate ſecura. EXPLICIT DE LAUDE SPANIÆ SANCTI ISIDORI.

* Eleis.

* victam poſſederit.

De origine Gothorum, & geſtis.

GOthorum antiquiſſimam eſſe gentem, [certum eſt,] quorum originem quidam de Magog Lapeth filio ſuſpicantur à ſimilitudine ultimæ ſyllabæ, & magis de Ezechiele propheta id colligentes. Romani autem editi eos magis Getas quam Gog & Magog appellare conſueverunt. Interpretatio autem nominis eorum in linguam noſtram tecti, quo ſignificatur fortitudo. & revera. nulla enim gens in orbe fuit quæ Romanum imperium adeo fatigaverit. Iſti ſunt enim, quos etiam Alexander vitandos pronuntiavit, Pyrrhus pertimuit, Cæſar exhorruit.

horruit. Per multa quippe retro ſæcula ducibus uſi ſunt, poſtea regibus; quorum [oportet] tempora per ordinem curſim exponere, & quo nomine actuque regnaverint, de hiſtoriis libata retexere.

Anno ante Eram conditam XII.

DVm pro arripiendo Reip. imperio Cneus Pompejus & Gajus Cæſar arma civilia commoviſſent, Gothi ad præbendum Cneo Pompeio auxilium in Theſſalia adverſus Cæſarem pugnaturi venerunt. Vbi dum Æthiopes, Indi, Perſæ, Medi, Græci, Scythæ, ac reliquæ Orientis gentes vocatæ adverſus illum dimicaſſent, iſti præ cæteris ei fortius reſtiterunt, quorum Cæſar copia & virtute turbatus, fertur fugam meditaſſe, niſi nox prælio finem dediſſet.

ERA *ducenteſima nonageſima quarta.*

ANno imperii Valeriani & Gallieni primo Gothi, deſcenſis Alpibus quibus inhabitabant Græciam, Macedoniam, Pontum, Aſiam, atque Illyricum vaſtaverunt, ex quibus Illyricum & Macedoniam quindecim ferme annos tenuerunt: deinde à Claudio imperatore ſuperati ſedes proprias repetunt. Romani autem Claudio Auguſto pro eo quo tam fortiſſimam gentem à finibus reip. removiſſet, foro, illi aureum clypeum, in Capitolio auream ſtatuam collocaverunt.

ERA *ducenteſima ſeptuageſima ſecunda.*

ANno viceſimo ſexto imperii Conſtantini Gothi Sarmatarum regionem aggreſſi copioſiſſimis ſuper Romanos irruerunt agminibus vehementi virtute, cuncta gladio & deprædatione vaſtantes. Adverſus quos idem

idem Constantinus aciem instruxit, ingentique certamine vix superatos ultra Danubium expluit, de diversis gentibus virtutis gloria clarus, sed de Gothorum victoria amplius gloriosus. Quem Romani acclamante senatu publica laude prosecuti sunt, quod patriam remp. reformaverit.

ERA *quadringentesima septima.*

ANno quinto imperii Valentis, primus Gothorum gentis administrationem suscepit Athanaricus, regnans annos tredecim, qui persecutione crudelissima adversus fidem commota voluit se exercere contra Gothos, qui in gente sua Christiani habebantur, ex quibus plurimos, quia idolis immolare non acquieverunt, martyres fecit. Reliquos autem multis persecutionibus adflictos, dum præ multitudine horreret interficere, dedit licentiam, immo magis coëgit de regno suo exire, atque in Romanorum migrare provinciam.

ERA *quadringentesima quintadecima.*

ANno tertiodecimo imperii Valentis Gothi trans Istrum adversus semet ipsos in Athanarico & Fridigerno divisi sunt alternis se cædibus populantes. Sed Athanaricus Fridigernum Valentis imperatoris suffragio superans, hujus rei gratia legatos cum muneribus ad eundem Imperatorem mittit, & doctores, propter suscipiendam, Christianæ fidei ** devius & Arrianæ hæresis perversitate detentus, missis hæreticis sacerdotibus Gothos persuasione nefanda sui erroris dogmatis aggregavit, & in tam præclaram gentem virus pestiferum semine pernicioso transfudit, sicque errorem, quem

quem recens credulitas ebibit, tenuit, diuque ſervavit. Tunc Gulfilas eorum Epiſcopus Gothicas literas condidit, & ſcripturas novi ac veteris teſtamenti in eandem linguam convertit. Gothi autem ſtatim ut literas & legem habere ceperunt, conſtruxerant ſibi dogmatis ſui eccleſias, talia juxta eundem Arium de ipſa divinitate documenta tenentes, ut crederent, filium patri majeſtate eſſe minorem, Spiritum autem ſanctum, neque deum eſſe, neque ex ſubſtantia patris exiſtere. Sed per filium creatum eſſe, utriuſque miniſterio deditum, & amborum obſequio ſubditum. Aliam quoque patris ſicut perſonam, ſic & naturam adſerentes, aliam filii, aliam denique Spiritus ſancti. Vt jam non ſecundum Sanctæ ſcripturæ traditionem unus Deus & Dominus coleretur, ſed juxta idololatriæ ſuperſtitionem tres Dei venerarentur. Cujus blaſphemiæ malum per diſceſſum temporum regumque ſucceſſu annis ducentis tredecim tenuerunt, qui tandem reminiſcentes ſalutis ſuæ, renuntiaverunt inolitæ perfidiæ, & Chriſti gratia ad unitatem fidei Catholicæ pervenerunt.

ERA *quadringenteſima ſextadecima.*

ANno quartodecimo Imperii Valentis Gothi, qui inprimis Chriſtianos à ſedibus ſuis expulerant, rurſus ipſi ab Vnnis cum rege ſuo Athanarico expulſi ſunt. Tranſitoque Danubio cum vim Valentis imperatoris [ferre non poſſent,] ſeſe non depoſitis armis tradunt, & Thraciam ad inhabitandum accipiunt. Sed ubi viderunt ſe opprimi à Romanis, contra conſuetudinem propriæ libertatis, ad rebellandum coacti ſunt, Thraciam ferro incendiiſque depopulant, deletoque Romanorum exercitu ipſum Valentem jaculo vulneratum in quandam villam fugientem ſuccendunt. Et merito, ut ipſe ab eis vi-

vens temporali cremaretur incendio, qui tam pulcras animas ignibus [æternis] tradiderat. Invenerunt autem eo prælio Gothi, confessores priores Gotos, quos dudum propter fidem à terra sua expulerant, & voluerunt eos sibi ad prædæ societatem conjungere. Qui cum non adquievissent, aliquantis interfectis alii montuosa loca tenentes, & refugia sibi qualiacunque construentes, non solum perseveraverunt Christiani Catholici, sed etiam in concordia Romanorum, à quibus dudum excepti fuerant, permanserunt.

Era *quadringentesima nonadecima.*

ANno imperii Theodosii Spani tertio Athanaricus cum Theodosio jus amicitiamque disponens mox Constantinopolim pergit, ibique quintodecimo die quum fuerat à Theodosio honorabiliter susceptus moritur, Gothi autem proprio rege defuncto aspicientes benignitatem Theodosii imperatoris, inito fœdere, Romano se imperio tradiderunt.

Era *quadringentesima vicesima.*

ANno imperii Theodosii quarto Gothi patrocinium Romani fœderis recusantes Alaricum Regem sibi constituunt, indignum judicantes, Romanæ esse subditos potestati, eosque sequi quorum jam pridem leges imperiumque respuerant, & de se societatem prœlio triumphantes averterant.

Era *quadringentesima trecentesima septima.*

ANno imperii Honorii & Arcadii quarto Gothi in Alarico & Radagaiso divisi, dum semet ipsos in

dua

duabus partibus regni variis cædibus lacerarent, ob excidium Romanorum concordes effecti, consilium in commune constituunt, parique intentione ad tentandas quasque regiones Italiæ ab invicem dividuntur.

ERA *quadringentesima quadragesima tertia.*

ANno imperii Honorii & Arcadii decimo, Rex Gothorum Radagaisus, genere Scytha, cultui idololatriæ deditus, Barbaricæ immanitatis feritate sævissimus cum cc armatis Sarmatarum millibus Italiæ partes vehementi vastatione aggreditur, spondens in contemptum Christi, Romanorum sanguinem diis suis libare si vinceret. cujus exercitus ab Stilicone duce Romano in montuosis Tusciæ locis circumclusus, fame potius quam ferro consumptus. ipse postremum rex captus & interfectus est.

ERA *quadringentesima quadragesima septima.*

ANno imperii Honorii & Arcadii quintodecimo, extincto Radagaiso, Alaricus, consors regni, nomine quidem Christianus, sed professione hæreticus, dolens tantam multitudinem Gothorum à Romanis extinctam, in vindictam sanguinis suorum adversus Romam prælium agit, obsessamque impetu magnæ cladis irrumpit. Sicque urbs cunctarum gentium victrix Gothicis triumphis victa succubuit, eisque capta subjugataque servivit. Tantum autem Gothi clementes ibi extiterunt, ut votum antea darent, quod si ingrederentur urbem quicumque Romanorum in locis Christi invenirentur, (*inviolatos securosque esse sinerent.*) Post hoc igitur votum aggressi urbem, omnibus & mors & captivitas indulta est, qui ad sanctorum limina confugerunt.

Hæc ad marginem manu Longobardica erant adscripta.

runt. Sed & qui extra loca martyrum erant, & nomen Christi & Sanctorum nominaverunt, & ipsis simili misericordia pepercerunt. In reliquis autem etsi præda hostium patuit, feriendi tamen immanitas resecta est. Incursantibus autem in illa vastitate per urbem Gothis, dum quidam potens virginem consecratam & ætate perfectam reperisset, eamque honeste admoneret, ut siquid apud se auri argentique esset proferret, illa fideli conscientia quod habuit protulit. Cumque ille vasorum formam & pulcritudinem ex illa antiqua Romanorum opulentia miraretur, virgo ait; Hæc vasa quæ mihi de sacrario Apostoli deposita sunt, præsume si audes, ego sacra hosti dare non audeo. Ille ad nomen Apostoli magno pavore perterritus, regi hoc per nuntium refert. qui confestim reportare omnia ad sacrarium (*beati Petri Apostoli*) summa cum reverentia jussit, dicens, cum Romanis gessisse bellum, non cum Apostolis. Redit igitur virgo reverentissimis officiis honorata, redeunt & cum illa omnes qui ei se sociaverunt, super capita sua vasa illa aurea & argentea cum hymnis & canticis reportantes, exertis undique jussu regis ob defensionem armatorum custodiis. Concurrunt undique ad voces canentium de latibulis agmina (*paganorum qui*) Christianos esse se fingunt: etiam & ipsi calamitatis excidium evaserunt. Hac tempestate Gothi Placidiam Theodosii Principis filiam, Arcadii & Honorii Imperatorum sororem, cum ingenti auro Romæ capiunt, adeptisque multis opibus Romanorum, tertia die, incensa eversaque in partibus urbe, discedunt. Inde conscensis navibus, cum ad Siciliam exiguo ab Italia freto divisam transire disponerent, infesto mari periclitati multum exercitum perdiderunt. Quibus tanta fuit gloria de Romanæ urbis obtentu, ut in ejus comparatione nihil mali passos tempestate illa ar-

* Prius aliud fuit, sed hoc manu Longobardica rescriptum, deleto priori.

† Manu Longobardica margini adscriptum.

la arbitrarentur, damna naufragii eventu victoriæ compenſantes. Mors Alarico confeſtim ſecuta; viceſimo octavo anno regni defunctus Italia.

ERA *quadringenteſima quadrageſimaoctava.*

ANno imperii Honorii & Arcadii ſextodecimo, Alarico poſt captam urbem defuncto, Athaulfus Gothis Italiæ regno præficitur annis ſex. Iſte quinto Regni anno de Italia recedens Gallias adiit, Placidiam Theodoſii Imperatoris filiam, quam Romæ Gothi cœperant, conjugem ſibi adſumſit: in qua prophetia Danielis à quibuſdam creditur eſſe completa, qui ait, filiam regis Auſtri conjungendam Regi Aquilonis, nulla tamen de germine ejus ſobole ſubſiſtente. Sicut & idem in conſequentibus Propheta ſubjicit dicens, nec ſtabit ſemen ejus; nullus enim de utero ejus extitit genitus, qui patris in regnum ſuccederet. Athaulfus autem dum relictis Galliis Spanias peteret, à quodam ſuorum apud Barcinonem inter familiares fabulas jugulatur.

ERA *quadringenteſima quinquageſimaquarta.*

ANno imperii Honorii & Arcadii viceſimo ſecundo poſt Athaulfum Gothis Sigericus princeps electus eſt. Qui dum ad pacem cum Romanis eſſet promptiſſimus, mox à ſuis eſt interfectus.

ERA & anno, quo ſupra, Vallia Sigerico ſuccedens tribus annis regnum tenuit: belli cauſa Princeps à Gothis effectus, ſed ad pacem divina providentia ordinatus. Mox enim regnare cœpit, fœdus cum imperatore Honorio pepigit, Placidiam ſororem ejus quæ à Gothis Romæ capta fuerat, honorifice reddidit. Promittens

mittens Imperatori propter Remp. omne certamen implendum. Itaque ad Spanias per Constantium evocatus Romani nominis causa cædes magnas Barbaris intulit. Vandalos Silingos in Bætica omnes bello extinxit. Alarios, qui Wandalis & Suevis potentabantur, adeo cecidit, ut exstincto Atace rege ipsorum pauci, qui superfuerunt, oblito regni nomine Gunderici regis Wandalorum, qui in Gallicia resederant, se regimini subjugarent. Confecto igitur Vallia bello Spaniæ, dum instructa navali acie Africam transire moliretur, in fretum Gaditani maris vi gravissima tempestatis effractus, memor etiam illius sub Alarico naufragii, omisso navigationis periculo, Gallias repetit. Data ei ab Imperatore ob merita victoriæ secunda, Aquitania, cum quibusdam civitatibus confinium provinciarum, usque ad Oceanum.

ERA *quadringentesima quinquagesima septima.*

ANno imperii Honorii & Arcadii vicesimo quinto, Vallia rege defuncto, Theodorides succedit in regnum, annis triginta tribus. Qui regno Aquitanico non contentus, pacis Romanæ fœdus recusat: municipia Romanorum vicina sedibus suis occupat. Arelas nobilissimum Galliæ oppidum, vi multa obsessum, oppugnat, à cujus obsidione imminente virtute Aëtii Romanæ militiæ ducis non impunitus abscedit. Remoto igitur Valentiniani imperatoris jussu sua potestate militari Aëtio, dum Theodorides Narbonensi urbi diutina obsidione ac fame esset infestus, rursus à Litorio Romanæ militiæ duce, Vnnis auxiliantibus, effugatur. Litorius autem dum primum res prosperas adversus Gothos gessisset, denuo dæmonum signis, auspicumque responsis deceptus, bellum cum Gothis impru-

imprudenter iniit, amiſſo Romano exercitu miſerabiliter ſuperatus interiit. Fecitque intelligi, quantum illa, quæ cum eodem periit, multitudo prodeſſe potuerit, ſi fide potius quam fallacibus dæmoniorum oſtentis uti maluiſſet. Pace deinde Theodorides cum Romanis inita, denuo adverſus Vnnos, Gallicarum provincias ſæva depopulatione vaſtantes, atque urbes plurimas evertentes, in campis Catalaunicis, auxiliante Aëtio duce Romano, aperto marte conflixit, ibique præliando victor occubuit. Gothi autem dimicante Turriſmondo Theodoridæ regis filio,adeo fortiter congreſſi ſunt, ut inter primum prælium & poſtremum, trecenta ferme millia hominum proſtrarentur. Multa eodem tempore cæli & terræ ſigna præceſſerunt quorum prodigiis tam crudele bellum ſignificaretur. Nam aſſiduis terræmotibus factis à parte orientis luna fuſcata eſt. A ſolis occaſu ſtella cometes adparuit, atque ingenti magnitudine aliquamdiu fulſit. Ab aquilonis plaga cælum rubens ſicut ignis aut ſanguis effectus; permixtis per igneum ruborem lineis clarioribus, in ſpecie haſtarum rutilantium deformatis. Nec mirum ut tam in ingenti cæſorum ſtrage divinitus tam multa ſignorum demonſtraretur oſtenſio. Vnni autem uſque ad internecionem pene cæſi cum rege ſuo Attila, relictis Galliis Italiam fugiunt, aliquantis civitatibus interruptis; qui & ibi partim fame, partim cœleſtibus plagis percuſſi, miſſo inſuper à Martiano imperatore exercitu, forti plaga cæduntur, affectique nimium ſedes proprias repetunt. Ad quas Rex eorum Attila mox ut remeavit occubuit, ſtatimque inter filios ejus de obtinendo regno ſunt exorta certamina. Atque ita Vnni, qui tot cladibus antea diminuti fuerant, rurſus mutuis ſe gladiis conciderunt. In quibus mirum illud eſt, ut dum omne prælium detrimentum habeat populorum, iſti

isti vice versa cadendo proficiant. Sed proinde, quia in disciplina fidelium positi sunt, sicut populus gentis Persarum. virga enim furoris dei sunt, & quotiens indignatio ejus adversus fideles procedit, per eos flagellantur, ut eorum adflictionibus emendati, à sæculi cupiditate, & peccato, semet ipsos coërceant, & de cœlestis regni hæreditate possideant. Adeo autem hæc gens horrida est, ut cum famem in bello fuerit passa, venam tangat equi, & sic excludat hausto sanguine famem.

ERA *quadringentesima nonagesima.*

ANno primo imperii Martiani Turismondus filius Theoderici provehitur ad regnum anno uno. Qui dum ipsis regni vix exordiis feralis ac noxius hostilia inspiraret, multaque ageret insolentius, à Theoderico & Fricdarico est fratribus interfectus.

ERA *quadringentesima nonagesima prima.*

ANno secundo Imperii Martiani Teudericus post fraternam necem in regnum succedens imperat annis tredecim. Qui pro eo quod Imperatori Avito sumendi imperialis fastigii cum Gallis auxilium præbuisset, ab Aquitania in Spanias, cum ingenti multitudine exercitus, & cum licentia ejusdem Aviti Imperatoris, ingreditur. Cui cum magna copia rex Suevorum Rectiarius occurrens, duodecimo Asturigensis urbis milliario, apud fluvium qui Vrbicus appellatur, inito mox certamine, superatus est, cæsis suorum agminibus, aliquantis [captis,] plurimisque fugatis, ipse postremum Rex telo saucius fugit, præsidioque suorum carens ad locum * Portalem capitur, regique

* Portum Cale

Theo-

Theoderico vivus offertur. Quo peremto multis qui de priori certamine ſuperfuerant ſeſe tradentibus, aliquantis nihilominus trucidatis, regnum pene deſtructum eſt finitumque Suevorum. Occiſo Rectiario Theodericus Gallicia ad Luſitaniam victor ſuccedens, dum Emeritenſem urbem deprædare moliretur, ſanctæ martyris Eulaliæ oſtentis perterritus, cum omni protinus exercitu diſcedit, Gallias repetit, partem aliam Sumerico & Nepotiano ducibus ad Galliciam dirigit, qui Suevos apud Lum ſæva deprædatione vaſtaverunt. In Gallias autem Agripinus comes & civis Egidio Romano æmulus, ut Gothorum mereretur auxilia, Narbonam tradidit Teuderico. [Poſt aliquot legati Suevorum ab Rimiſmundo Maldræ filio ad Theudericum] venerunt, pacem amicitiamque poſcentes. Similiter Theudericus ad Rimiſmundum remittit cum armorum adjectione vel munerum; directa etiam & conjuge quam haberet. Sallamnem quoque legatum denuo Theodericus mittit ad Rimiſmundum, qui reverſus ad Gallias Theodericum ab Eurico fratre ſuo reperit interfectum.

ERA *quingenteſima quarta.*

Anno imperii Leonis octavo Euricus pari ſcelere, quo frater, ſuccedit in regnum annis decem & ſeptem. in quo honore provectus, & crimine, ſtatim legatos ad Leonem imperatorem dirigit. Nec mora, partem Luſitaniæ magno impetu deprædatur. Inde Pampilonam & Cæſarauguſtam miſſo exercitu capit ſuperiorem. Atque Iſpaniam in poteſtate ſua mittit. Tarrogonenſis etiam Provinciæ nobilitatem, quæ ei repugnaverat, exercitus inruptione evertit. In Gallias autem regreſſus Arelatum urbes & Maſſiliam bellando obtinuit, ſuoque regno utramqe adjecit. Iſte quodam die

die congregatis in conloquio Gothis, tela, quæ omnes habebant in manibus à parte ferri velatis, alia viridia, alia rosea, alia crocea, alia nigro colore naturalem ferri speciem vidit aliquamdiu habuisse mutatam. Sub hoc rege Gothi legum instituta scriptis habere cœperunt, antea tantum moribus & consuetudine tenebantur. Obiit Arelati Euricus morte propria diem defunctus.

ERA *quingentesima vicesima prima.*

ANno decimo imperii Zenonis Eurico mortuo Alaricus filius ejus apud Tolosensem urbem princeps Gothorum constituitur, regnans annis viginti & tribus. Adversus quem Fluduicus Francorum princeps Galliæ regnum affectans, Burgundis omnibus sibi auxiliantibus bellum movit, fusisque Gothorum copiis ipsum postremum Regem apud Pictavos superatum interfecit. Tudericus vero Italiæ rex dum interitum generis comperisset, confestim ab Italia proficiscitur, Francos proterit, partem regni, quam manus hostium occupaverat, recepit, Gothorumque juri restituit. Anno septimodecimo imperii Anastasii Gisalcicus superioris Regis filius, ex concubina creatus, Narbonæ princeps efficitur, regnans annis quatuor: sicut genere vilissimus, ita in felicitate & ignavia summus. Denique dum eadem civitas à Gundefado Burgundionum rege direpta fuisset, iste cum multo sui dedecore, & cum magna suorum clade apud Barcilona se contulit; ibi moratus quousque etiam regni fascibus à Theoderico fugæ ignominia privaretur. Inde profectus ad Africam, Vandalorum suffragia poscit quo in regnum possit restitui, qui dum non impetraret auxilium, mox de Africa rediens ob metum Theoderici, Aquitaniam petiit, ibique anno uno delitescens Spaniam revertitur, atque ab Ebba-

Ebbave Teuderici Regis duce, duodecimo à Barcinone urbe miliario commisso prælio, in fugam vertitur, captusque trans flumen Druenticum Galliarum interiit, sicque prius honorem, postea vitam amisit.

ERA *quingentesima quadragesima nona.*

ANno vicesimo * imperii Anastasii Theodericus junior, cum jam dudum consul à Zenone imperatore Romæ creatus fuisset, peremptoque Odoacro Rege Ostrogothorum, atque devicto fratre ejus Onoulfo, & trans confinia Danuvii effugato, decem & octo annis Italia victor regnasset, rursus extincto Iesaleico rege Gothorum, Ispaniæ regnum quindecim annis obtinuit, quod superstes Amalarico nepoti suo reliquit. Inde Italiam repetens, aliquamdiu omni cum prosperitate regnavit, per quem etiam urbis regia dignitas non parva est restituta. Muros namque ejus iste redintegravit, cujus rei gratia à Senatu inauratam statuam meruit. *primo

ERA *quingentesima sexagesima sexta.*

ANno imperii Iustiniani primo regresso Italia Theoderico Amalaricus nepos annis quinque regnavit. Qui cum ab Ildeberto Francorum rege apud Narbonam prælio superatus fuisset, Barcinonem trepidus fugit, effectusque omnium contemtibilis, ab exercitu jugulatus interiit.

ERA *quingentesima sexagesima nona.*

ANno imperii Iustiniani sexto post Amalaricum Teudix in Spania creatur in regnum annis decem

 & se-

& septem. Qui dum esset hæreticus, pacem tamen concessit Ecclesiæ. adeo ut licentiam Catholicis episcopis daret, in annum apud Toletanum urbem convenirent, & quæcunque ad Ecclesiæ disciplinam necessaria extitissent, libere licenterque disponere. Eo regnante dum Francorum reges cum infinitis copiis in Spanias convenissent, & Taraconensem provinciam * vel depopularent, Gothi duce Theudisdo, obicibus Hispaniæ interclusis, Francorum exercitum multa cum admiratione victoriæ prostraverunt. Dux idem prece, atque ingenti pecunia sibi oblata, viam fugæ hostibus residuis unius diei noctisque spatio præbuit. Cætera infelicium turba, cui transitus conlati temporis non occurrit, Gothorum perempta gladio concidit. Post tam felicis successum victoriæ trans fretum inconsulte Gothi gesserunt. Denique dum adversum milites qui Septem oppidum pulsis Gothis invaderunt, Oceani freta transissent, idemque castrum magna vi certaminis expugnarent, adveniente die dominico deposuerunt arma, ne diem sacrum prælio funestarent. Hac igitur occasione reperta milites repentino incursu adgressum exercitum, mari undique terraque conclusum, adeo prostraverunt, ut ne unus quidem superesset, qui tantæ cladis excidium præteriret. Nec mora, prævenit mors debita principem. Vulneratur enim à quodam in Palatio, qui jam dudum dementis speciem, ut regem deciperet, simulaverat. Finxit enim arte insaniam, perfoditque principem. Quo vulnere ille prostratus, occubuit, indignantemque animam exhalavit. Fertur autem inter effusionem sanguinis conjurasse, ne quis interficeret percussorem, dicens, congruam meriti recepisse vicissitudinem, quod & ipse privatus ducem suum sollicitatum occiderit.

* bello

ERA *quingentesima octuagesima sexta.*

IMperii Iustiniani anno vicesimo tertio, interempto Teudi, Teudisculus Gothis præficitur, regnans anno uno. Qui dum plurimorum potentum connubia post prostitutione publica macularet, & ob hoc instrueret animum ad necem multorum, præventus conjuratorum manu, Spali inter epulas jugulatur, confossusque exstinguitur.

ERA *quingentesima octuagesima septima.*

ANno imperii Iustiniani vicesimoquarto, extincto Theudisclo, Agila rex constituitur regnans annis quinque. Iste adversus Cordubensem urbem prœlia movens, dum in contemptum Catholicæ religionis, beatissimi martyris Acisсli [corpori] injuriam inferret, ossiumque ac jumentorum horrore sacrum sepulcri ejus locum ut profanator pollueret, inito adversus Cordubenses certamine, pœnas dignas sanctis inferentibus meruit. Nam belli præsentis ultione percussus & filium ibi cum copia exercitus interfectum amisit, & thesaurum omnem cum insignibus opibus perdidit ipse victus. Hoc miserabili metu fugatus Emeritam se recepit. Adversus quem interjecto aliquanto temporis spatio Atanagiltus tyrannidem regnandi cupiditate arripiens, dum exercitum ejus contra se Spali missum virtute militari prostrasset, videntes Gothi proprio se everti excidio, & magis metuentes ne Spaniam milites [Romani] auxilii occasione invaderent, Agilanem Emeritæ interficiunt, & Atanagildi se regimini tradiderunt.

ERA *quingentesima nonagesima secunda.*

ANno Imperii Iustiniani vicesimo nono occiso Agilane Athanagildus regnum quod invaserat, tenuit annis quatuordecim. Hic cum jam dudum sumpta tyrannide Agilanem regno privare conaretur, militum sibi auxilia ab imperatore Iustiniano poposcerat, quos postea submovere à finibus regni molitus non potuit. Adversus quos huc usque conflictum est: frequentibus antea præliis cæsi, nunc vero [multis casibus fracti atque finiti. Fidem Christianam occulte tenuit, & Christianis valde benevolus fuit. Decessit autem Athanagildus Toleti] propria morte, vacante regno mensibus quinque.

ERA *sexcentesima quinta.*

ANno imperii Iustiniani minoris post Athanagildum Liuva Narbone Gothis præficitur, regnans annis tribus. qui secundo anno postquam * addictus est, principatum Leuvigildum fratrem non solum successorem, sed & participem regni sibi constituit, Spaniæque administratione præficit, ipse Galliæ regno contentus; sicque regnum duos cœpit, dum nulla potestas patiens consortis sit. Huic autem unus tantum annus in ordine temporum reputatur, reliqui Leuvigildo fratri adnumerantur.

* adeptus

ERA *sexcentesima sexta.*

ANno imperii Iustini minoris Leuvigildus, adepto Spaniæ principatu, ampliare bellum regno & augere opes statuit. Studio quippe exercitus concordante fa-

te favore victoriarum multa præclara sortitus est. Cantabros namque iste obtinuit. Aregiam iste cœpit, Sabaria omnis ab eo devicta est. Cesserunt etiam armis illius plurimæ rebelles Spaniæ urbes. Fudit quoque diverso prælio [Iustini milites quos Athanagildus ad auxilium evocaverat.] militem, & quædam castra, ab eis occupata, dimicando recepit. Erminigildum deinde filium imperii sui tyrannizantem, obsessum, exsuperavit. Postremum bellum Suevis intulit, regnumque eorum in jura gentis suæ mira celeritate transmisit. Spania magna ex parte potitus. nam antea gens Gothorum angustis finibus artabatur. Sed offuscavit in eo error impietatis gloriam tantæ virtutis. Denique perfidiæ furore repletus in Catholicos persecutione commota plurimos episcoporum exilio relegavit, ecclesiarum reditus & privilegia sustulit. Multos quoque terroribus in Arrianam pestilentiam impulit, plerosque sine persecutione inlectos auro rebusque decepit. Ausus quoque inter cætera hæresis suæ contagia etiam rebaptizare Catholicos, & non solum ex plebe sed etiam ex sacerdotalis ordinis dignitatis, sicut Vincentium Cæsaraugustanum de Episcopo Apostatam factum & tanquam à cœlo in infernum projectum. Extitit autem & quibusdam suorum perniciosus. nam quoscunque nobilissimos ac potentissimos vidit, aut capite truncavit, aut proscriptos in exilium egit. Fiscum quoque primus iste locupletavit, primusque ærarium de rapinis hostiumque manubiis auxit. Condidit etiam civitatem in Celtiberia, quam ex nomine filii sui Recopolim nominavit. In legibus quoque ea quæ ab Eurico incondite constituta videbantur, correxit, plurimas leges prætermissas adjiciens, plerasque superfluas auferens. Regnavit autem annis decem & octo; defunctus propria morte Colecto * *Toleto

ERA *sexcentesima* XXIV.

ANno tertio imperii Mauricii Livingildo defuncto, filius ejus Recaredus in regno est coronatus, cultu. præditus religionis, & paternis moribus longe dissimilis. Namque ille inreligiosus, & bello promptissimus, hic fide pius, & pace præclarus. Ille armorum artibus gentis imperium dilatans: hic gloriosius eandem gentem fidei tropæo sublimans. In ipsis enim regni sui exordiis Catholicam fidem adeptus, totius Gothicæ gentis populum inoliti erroris labe detersa ad cultum rectæ fidei revocat. Synodum deinde Episcoporum ad condemnationem Arrianæ hæresis Spaniæ & Galliæ provinciis congregat, cujus consilio idem religiosissimus princeps interfuit, gestaque ejus præsentia sua & subscriptione firmavit, abdicans cum omnibus suis perfidiam quam hucusque Gothorum populum Arrio docente didicerat, & prædicans trium personarum unitatem in deo. Filium à patre consubstantialiter genitum esse. Spiritum Sanctum inseparabiliter à patre filioque procedere, & esse amborum unum spiritum, unde & unum sunt. Egit etiam gloriose bellum adversus infestas gentes fidei susceptæ auxilio. Francis enim sexaginta fere milibus armatorum Gallias irruentibus, misso Claudio duce adversus eos, glorioso triumphavit eventu. Nulla unquam in Spaniis Gothorum victoria vel major vel similis extitit. prostrati sunt enim & capta multa millia hostium: Residua exercitus pars præter spem in fuga versa Gothis post tergum insequentibus usque in regni sui finibus cæsa est. Sæpe etiam & lacertos contra Romanas insolentias & irruptiones Vasconum movit, ubi non magis bella tractasse, quam potius gentem quasi in palæstra ludi pro usu utilitatis

videtur

videtur exercuiſſe. Provincias autem quas Pater prælio conquiſivit, iſte pace conſervavit, æquitate diſpoſuit, moderamine rexit. Fuit autem placidus, mitis, egregiæ bonitatis. tantam in vultu gratiam habuit, & tantam in animo benignitatem geſſit, ut in omnium mentibus influens, etiam malos ad affectum amoribus ſuis attraheret. Adeo liberalis, ut opes privatorum & eccleſiarum prædia, quæ paterna labes fiſco adſociaverat, juri proprio reſtauraret. Adeo clemens ut populi tributa ſæpe indulgentiæ largitione laxaret. Multos etiam ditavit rebus, plurimos ſublimavit honoribus, opes ſuas in miſeris, theſauros ſuos in egenis recondens, ſciens ad hoc illi fuiſſe conlatum regnum, ut eo ſalubriter frueretur. Bonis initiis bonum finem adeptus. Fidem enim rectæ gloriæ quam initio regni percepit, noviſſime publica confeſſione pœnitentiæ cumulavit: * læto fine pacifico tranſiit. * Toleti

ERA *ſexcenteſima triceſima nona.*

ANno imperii Mauricii ſeptimodecimo, poſt Reccaredum regem, regnat Liuba filius ejus annis duobus, ignobili quidem matre progenitus, ſed virtutum indole inſignitus. quem in primo flore adoleſcentiæ Wittericus ſumtâ tyrannide innocuum regno dejecit, præciſaque dextra occidit, anno ætatis viceſimo ſecundo.

ERA *ſexcenteſima quadrageſima prima.*

ANno imperii Mauricii viceſimo, extincto Liuvane, Wittericus regnum quod vivente illo invaſerat, vindicat annis ſeptem, vir quidem ſtrenuus in armorum arte, ſed tamen expers victoriæ. Namque adver-

ſus militem Romanum prælium ſæpe molitus, nil ſatis glorioſe geſſit, niſi quod milites quoſdam Segontia per duces obtinuit. Hic in vita plurima inlicita fecit, in morte autem, quia gladio operatus fuerat, gladio periit. Mors quippe innocentis inulta in illo non fuit. Inter epulas enim prandii conjuratione quorundam eſt interfectus. Corpus ejus viliter exportatum atque ſepultum.

ERA *ſexcenteſima quadrageſima octava.*

ANno imperii Focatis ſexto Gundemarus poſt Witaricum regnat annis duobus. Hic Vaſcones una expeditione vaſtavit: alia militem Romanum obſedit. Morte propria Toleto deceſſit.

ERA *ſexcenteſima quinquageſima.*

ANno imperii Eraclii ſecundo Siſebutus poſt Gundemarum regali faſtigio evocatur, regnans annis octo, menſibus ſex. Qui initio regni Iudæos ad fidem Chriſtianam promovens, æmulationem quidem habuit, at non ſecundum ſcientiam. Poteſtate enim compulit, quos provocare fidei ratione oportuit. Sed ſicut ſcriptum eſt, ſive per occaſionem, ſive per veritatis dona, Chriſtus adnuntiatur. Fuit autem eloquio nitidus, ſententia doctus, ſcientia literarum ex parte imbutus, in bellicis quoque documentis ac victoriis clarus. Aſtures enim rebellantes miſſo exercitu in ditionem ſuam reduxit. Roccones montibus arduis undique conſeptos per duces evicit. De Romanis quoque præſens bis feliciter triumphavit, & quaſdam eorum urbes pugnando ſibi ſubjecit. Adeo poſt victoriam clemens, ut multos ab exercitu ſuo hoſtili præda in ſervi-

tutem

tutem redactos pretio dato absolveret, ejusque thesaurus redemtio existeret captivorum. Hunc alii proprio morbo, alii immoderato medicamenti haustu asserunt interfectum, relicto Reccaredo filio parvulo, qui post patris obitum princeps paucorum dierum morte interveniente habetur.

ERA *sexcentesima quinquagesima nona.*

ANno imperii Eraclii decimo gloriosissimi, Suinthila gratia divina regni suscepit sceptra. Iste sub rege Sisebuto ducis nactus officium Romana castra perdomuit; Rucc0nes superavit. Postquam vero apicem fastigii regalis conscendit, urbes residuas quas in Spaniis Romana manus agebat, prælio conserto obtinuit; auctamque triumphi gloriam præ cæteris regibus felicitate mirabili reportavit. Totius Spaniæ infra Oceani fretum monarchiam regni primus idem potitus, quod nulli retro principum est conlatum. Auxit eo prœlio virtutis ejus titulum duorum præfectorum obtentus, quorum alterum prudentia suum fecit, alterum virtute sibi subjecit. Habuit quoque & initio regni expeditionem contra incursus Vasconum, Tarraconensem provinciam infestantium, ubi adeo montivagi populi terrore adventus ejus perculsi sunt, ut confestim quasi debita jura noscentes, remissis telis, & expeditis ad preces manibus supplices ei colla submitterent, obsides darent, Ologitum civitatem Gothorum stipendiis suis & laboribus conderent, pollicentes ejus regno ditionique parere, & quidquid imperaretur efficere. Præter has militaris gloriæ laudes plurimæ in eo regiæ Majestatis virtutes, fides, prudentia, industria, in judiciis examinatio, strenua in regendo regno cura, præcipua circa omnes munificentia, largus erga indi-

gentes & inopes, misericordia satis promptus; ita ut non solum princeps populorum, sed etiam pater pauperum vocari sit dignus.

Hujus filius Riccimiros in consortio regni adsumtus, pari cum patre solio conlætatur; In cujus infantia ita sacræ indolis splendor emicat, ut in eo & meritis, & vultu, paternarum virtutum effigies prænotetur. Pro quo exorandus est cœli atque humani generis rector, ut sicut extat consensu patrio socius, ita post longævum parentis imperium sit & regni successione dignissimus.

Comportatis igitur Gothorum regum temporibus, ab exordio Athanarici regis, usque ad quintum gloriosissimi Sunthilani principis annum, Regnum Gothorum per annos CCLVI deo favente reperitur esse porrectum.

CAPITVLATIO.

Gothi de Magog Iapheth filio orti.

CVm Scythis una probantur origine sati, unde nec longe à vocabulo discrepant. demutata enim ac detracta litera Getæ, quasi Scythæ sunt nuncupati. Hi igitur occidentis glacialia juga inhabitantes, quæque sunt ardua montium cum cæteris gentibus, possidebant. Quibus sedibus impetu gentis Vnnorum pulsi Danubium transeuntes Romanis se dederunt. Sed dum injurias eorum non sustinerent, indignati arma sumunt; Thraciam inruunt, Italiam vastant, obsessam urbem capiunt, Gallias adgrediuntur, patefactisque Pyrenæis montibus Spanias usque perveniunt: ibique sedem vitæ atque imperium locaverunt. Populi natura. Pernices ingenio, alacres, conscientiæ viribus freti, robo-

re

e corporis validi, ſtaturæ proceritate ardui, habituque onſpicui, manu prompti, duri vulneribus, juxta quod it poëta de ipſis; *Mortem contemnunt laudato vulnere Getæ.* Quibus tanta extitit magnitudo bellorum, & am extollens glorioſæ victoriæ virtus, ut Roma ipſa victrix omnium populorum ſubacta captivitatis jugo Geticis triumphis adceſſerit,& domina cunctarum gentium illis ut famula deſerviret.

Hi Europæ omnes trivere gentes. Alpium ceſſere obices, Vandalica & ipſa crebro opinata barbaries non tantum præſentia eorum exterrita, quantum opinione fugata eſt.

Gothorum vigore Alani extincti ſunt. Suevi quoque hactenus intra inacceſſos Spaniarum angulos coarctati, etiam nunc eorum armis periculum finis experti ſunt. Et regnum quod deſidioſo torpore tenuerunt, turpiori nunc diſpendio caruerunt.

Quamquam tenuiſſe hucuſque valde ſit mirum, quod ſine experimento defenſionis carere potuerunt. Sed quis poterit tantam Geticæ gentis edicere virium magnitudinem, quandoquidem multis gentibus vix precum cauſam & munerum regna reliquerit.

His tamen libertas magis de congreſſione, quam de petita contigit pace. Atque ubi ſe neceſſitas bellandi oppoſuit, vires eos potius adhibuiſſe quam preces. Porro in armorum artibus ſatis ſpectabiles ſunt: & non ſolum haſtis, ſed & jaculis, equitando confligunt. Nec equeſtri tantum prælio, ſed & pedeſtri incedunt.

Verumtamen magis equitum præpeti curſu confidunt. unde & poëta; Getes inquit, quod pergit equo. Exercere etiam ſeſe telis, ac præliis præludere maxime diligunt: ludorum certamina uſu cottidiano gerunt: ac ſola tantum armorum experientia huc uſque carebant, quod claſſica bella in mari gerere non ſtudebant. Sed poſt-

postquam Sisebutus princeps regni sumsit sceptra, ad tantam felicitatis virtutem profecti sunt, ut non solum terras, sed & ipsa maria suis armis adeant, subactusque serviat illis Romanus miles, quibus servire tot gentes & ipsa Spania vidit.

HISTORIA WANDALORVM.

ERA *quadringentesima quarta.*

ANte biennium inruptionis Romanæ urbis, excitatæ per Stilliconem gentis Alanorum, Suevorum & Wandalorum, transjecto Rheno, Gallias inruunt, Francos proterunt, directoque impetu ad Pyrenæum usque perveniunt, cujus obice per Didymum ac Verimianum Romanos nobilissimos ac potentissimos fratres ab Spania tribus annis repulsi per circumjacentes Galliæ provincias vagabantur. Sed postquam iidem fratres, qui privato præsidio Pyrenæi claustra tuebantur, ob suspicionem tyrannidis insontes & nulla culpa obnoxii, à Constantio Cæsare interfecti sunt, memoratæ gentes Spaniarum provincias inrumpunt.

ERA *quadringentesima quadragesima sexta.*

VAndali, Alani & Suevi, Spanias occupantes, neces vastationesque cruentis discursibus faciunt, urbes incendunt, substantiam direptam exhauriunt, ita ut humanæ carnes vi famis devorarentur à populis. Edebant filios suos matres. Bestiæ quoque, morientium gladio, fame ac peste, cadaveribus adsuetæ, etiam in vivorum effe-

efferabantur interitum. Atque ita quatuor plagis per omnem Spaniam ſævientibus,divina iracundia per Prophetas inſcripta olim prænuntiatione adimpletur.

ERA *quadringenteſima quadrageſima nona.*

POſt plagarum diram perniciem, quibus Spania cæſa eſt, tandem barbari ad pacem ineundam deo miſerante converſi, ſorte in poſſeſſionem ſibi ejus provincias dividunt. Galliciam enim Suevi occupant, Alani Luſitaniam & Carthaginenſem provincias. Vandali autem cognomine Silingi Bæticam ſortiuntur. Spani autem per civitates & caſtella reſidua plagis adflicti barbarorum, dominantium ſe ſervituti ſubiciunt. Primus autem in Spania Gundericus Rex Wandalorum ſucceſſit regnans in Galliciæ partibus annis decem & octo. Qui dum rupto fœdere pacis Suevorum Balearicas Tarraconenſis provinciæ inſulas deprædatur,deinde Carthagine Spartaria everſa, cum omnibus Wandalis ad Bæticam tranſit, Spalim deſtruit, actamque cæde in direptionem mittit. Qui cum autoritate regiæ poteſtatis [irreverenter manus in baſilicam S. Vincentii Martyris civitatis] ipſius extendiſſet, mox dei judicio in foribus templi dæmonio correptus interiit.

ERA *quadringenteſima ſexageſima ſeptima.*

GEſericus frater Gunderico ſuccedit in regno annis quadraginta. Qui ex Catholico effectus Apoſtata in Arrianam primus fertur tranſiſſe perfidiam. Hic de Bæticæ provinciæ litore cum Vandalis omnibus, eorumque familiis, ad Mauritaniam & Africam relictis [Hiſpanis transfretavit. Cui Valentianus junior Occidentis] Imperator non valens ſubſiſtere pacem mittit,

&

& partem Africæ, quam Wandali possederant, tanquam pacifico dedit, conditionibus ab eo sacramenti acceptis, ne quid ultra invaderet. Ille autem, de cujus amicitia jam nihil ambigebatur, violata Sacramenti religione, Carthaginem dolo pacis invadit; omnesque opes ejus excruciatis diverso tormentorum genere civibus in jus proprium vertit. Deinde Siciliam deprædatus, Panormum obsedit, Arrianam pestilentiam per totam Africam intromittit, Sacerdotes Ecclesiæ pellit, martyres plurimos efficit, & juxta prophetiam Danielis, demutatis mysteriis Sanctorum, Ecclesias Christi hostibus tradidit. Nec jam divini cultus loca, sed suorum esse habitacula jussit. Adversus quem Theodosius minor Orientis imperator bellum paravit, quod ad effectum non venit. Vnnis enim Thracias Illyricumque vastantibus, exercitus ad Wandalos missus, ad defendendos Thraces Illyrianosque à Sicilia revocatur. Majorianus autem imperator de Italia Spanias veniens, cum in Carthaginensi provincia aliquantas naves sibi ad transitum adversus Wandalos præparasset, eas de litore Carthaginensi commoniti Wandali per proditores arripiunt. Sicque Majorianus à sua dispensatione frustratus Italiam revertitur, atque à Riccimero fraude circumventus occiditur. Quo comperto, Gisericus non contentus solis Africæ vastationibus, [navibus advectus] Romam ingreditur, direptisque per quatuordecim dies opibus Romanorum, relicta [urbe uxorem] Valentiniani, & filias ejus, tum multa millia captivorum secum tulit. Mox Carthaginem rediit, & per legatos ab Imperatore postulata pace Valentiniani relictam Constantinopolim remittit, quarum unam ex filiabus suis filio suo Vnirico jure matrimonii copulavit, sicque post multarum provinciarum clades Christianorumque spolia atque neces, moritur regni sui anno quadragesimo.

ERA

ERA *quingenteſima prima.*

POſt Geſſericum Vnericus Gunderici filius regnat annos ſeptem menſes quinque, habens in conjugio Valentiniani filiam, quam pater ejus ex Roma cum matre captivam adduxerat; qui & ipſe Arriano ſuſcitatus furore Catholicos per totam Africam atrocior patre perſequitur. Eccleſias tollit, ſacerdotes [& cunctos] ſacri ordinis clericos exilio mittit. Monachos quoque atque laicos quatuor circiter millia exiliis durioribus relegavit. Martyres fecit, confeſſoribus linguas abſcidit, qui linguis abſciſſis perfecte uſque ad finem locuti ſunt. Tunc lætus Neptenſis civitatis Epiſcopus, [glorioſe martyrio coronatur. qui dum Arriani] contagii labe variis pœnis maculari non potuit, victor repente cœlos obtinuit. Vnericus autem inter innumerabiles ſuarum impietatum ſtrages quas in Catholicos exercuerat, octavo regni anno, ut Arrius pater ejus, interioribus cunctis effuſis miſerabiliter vitam finivit.

ERA *quingenteſima quartadecima.*

VNerico ſuccedit Guntamundus regnans annis duodecim, qui ſtatim Eccleſiæ pacem reformans, Catholicos ab exilio revocavit.

ERA *quingenteſima viceſima ſexta.*

GVntamundo mortuo Tranſimundus regnat annis XXVII. menſes quatuor. Iſte Arriana inſania plenus Catholicos inſectatur, eccleſias claudit, in Sardiniam exilio ex omni Africana Eccleſia centum viginti Epiſcopos mittit. Carthagine moritur. Cujus tempore Fulgen-

gentius Rufpenfis] epifcopus in noftro dogmate claruit.

Era *quingentefima quinquagefima tertia.*

Poft Guntamundum Ildiris Vnerici filius ex Valentiniani Imperatoris filia genitus regnat annos VII menfes tres. Ifte facramento à deceffore Tranfemundo obftrictus, ne Catholicis in regno fuo aut Ecclefias aperiret [aut privilegia reftitueret, priufquam regnaret; ne religionem Sacramenti violaret; præcepit facerdotes Catholicos ab exilio reduci, & ecclefias aperiri.] Quem Gilimer adfumta tyrannide regno privat, & cum filiis carceris cuftodiæ mancipat.

Era *quingentefima fexagefima.*

Gilimer regnum cum tyrannide fumit, multos nobilium Africæ Provinciæ crudeliter extinguens, [multorumque fubftantias] auferens. Adverfus quem Iuftinianus imperator vifitatione [nocturna] Læti Epifcopi, qui ab Vnerico Wandalorum Rege martyr fuerat factus, exercitum cum Belifario magiftro militum duce mittit, initoque idem Belifarius prælio Gunthimerum & Gebamundum regis fratres primo prælio fuperatos interficit. Deinde ipfum Gilimerum in fugam vertens, Africam capit nonagefimo feptimo Wandalorum ingreffionis anno. In ipfo autem Belifarii occurfu, priufquam congreffio fieret, Gilimer tyrannus Ildericum regem cum quibufdam generis ejus adfinibus occidit. Belifarius autem Gilimerum tyrannum capit, eumque cum divitiis & rapinis provinciarum & Africæ conquifitis, Conftantinopolim Iuftiniano imperatori

ori ducit. Sicque regnum Wandalorum ſuo * atque ſtirpe deletur.

ERA *quingenteſima ſexageſima tertia.*

QVod permanſit centum tredecim annis à Gunderico rege uſque ad Gelimeri interitum. EXPLICIT HISTORIA WANDALORVM.

HISTORIA SVEVORVM.

ERA *quadringenteſima quadrageſima ſexta.*

SVevi principe Ermerico cum Alanis & Wandalis ſimul Spanias ingreſſi ſunt, atque omnem Galliciam cum Wandalis occupant. Wandalis autem Africam tranſeuntibus Galliciam ſoli Suevi ſortiti ſunt, quibus præfuit in Spaniis Ermericus annis triginta duobus. Galliciæ autem in parte provinciæ regno ſuo utebantur quos Ermericus aſſidua vaſtatione deprædans, tandem morbo oppreſſus pacem eis fecit. Reccilanem filium ſuum in regnum ſubſtituit. Qui cum magna parte exercitus miſſus, Andebotum Romanæ militiæ ducem cum multis copiis ad Singilium Bæticæ provinciæ fluvium inito bello proſtravit, magnis ejus argentique copiis occupatis. Inde Emeritam obſeſſam ingreditur, atque obtenta proprio regno adſociat. Ermericus autem pater ejus per annos ſeptem diuturno languore adfectus interiit.

Era *quadringentesima septuagesima octava.*

ERmerico defuncto Rectila filius ejus regnat annis octo, qui post obitum patris Spali obtenta Bæticam & Carthaginensem provincias in suam potestatem redigit. Atque inde Emeritæ sub cultu ut ferunt Gentilitatis vitam finivit.

Era *quadringentesima octuagesima sexta.*

REctiarius Reccilani filius Catholicus factus succedit in regnum annis novem. Hic acceptam in conjugio Theodoridæ Regis Gothorum filiam initio regni auspicatus Vasconias deprædatur. Mox ad Theodoridem socerum suum profectus Cæsaraugustanam regionem remeans Gothis auxiliantibus vastat. Tarraconensem Provinciam qui Romano Imperio deserviebat invadit. Carthaginenses regiones, quas Reccila pater ejus Romanis reddiderat, in prædam mittit. Ad ultimum dum Theodericus rex Gothorum Spaniam ingreditur, inito prælio adversus eum primo fugatur, deinde captus occiditur.

Era *quadringentesima nonagesima quinta.*

EXtincto Rectiario Suevi qui remanserunt in extrema parte Galliciæ Malchram Massilæ filium sibi regem constituunt. Mox bifarie divisi, altera pars Frantan, altera pars Maldra regem appellant. Nec mora Frantan mortuo, Suevi cum Maldra pace inita pariter Lusitaniam deprædantur.

ER

ERA *quadringentesima nonagesima octava.*

MAldra interfecto inter Frumarium & Reccimundum oritur de regni potestate dissensio. Sed Frumarius cum manu Suevorum quam habebat Flaviennis, urbis conventum gravi evertit excidio. Reccimundus autem vicina sibi pariter Auriensium & Lucensis conventus maritima populatur.

ERA *quadringentesima secunda.*

FRumario mortuo Remismundus omnibus Suevis in suam ditionem regali jure vocatis, pacem cum Galliciis reformat, legatos federis ad Theudericum regem Gothorum mittit, à quo etiam per legatos & arma & conjugem quam haberet accepit. Inde ad Lusitaniam transiit, Conimbriam pace deceptam diripit. Olisipona quoque ab eo occupatur, cive suo qui illuc præerat tradente Lusidio. Hujus tempore Ajax natione Galata effectus Apostata Arianus, inter Suevos regis auxilio hostis Catholicæ fidei & divinæ trinitatis emergit, de Gallicana Gothorum regione hoc pestiferum virus adferens, & totam gentem Suevorum letali tabe inficiens. Multis deinde Suevorum regibus in Arrianam hæresim permanentibus tandem regiæ potestatem Theodimerus suscepit. Qui confestim Arrianæ impietatis errore destructo Suevos Catholicæ fidei reddidit, innitente Martino Monasterii Dumiensis episcopo, fide & scientia claro. Cujus studio & pax Ecclesiæ ampliata est, & multa in Ecclesiasticis disciplinis Galliciæ regionibus instituta.

POST THEODEMIRVM, MIRO SVEVORVM princeps efficitur, regnans annis tredecim. hic bellum

ſecundo regni anno contra Romanos Roccones intulit. Deinde in auxilio Leuvigildi Gothorum Regis adverſus rebellem filium expugnandum Hiſpalim venit, & ibi vitæ terminum clauſit.

SVCCEDIT HVIC EVBORICVS FILIVS IN REGNVM. Quem adoleſcentem Audica ſumpta tyrannide regno privat, & monachum factum in monaſterio damnat. Pro quo non diu dilata eſt ſententia. Nam Leuvigildus Gothorum rex Suevis mox bellum inferens, obtento eodem regno, Audicam dejicit. Atque detonſum poſt regni honorem, preſbyterii officio mancipavit. Sic enim oportuit, ut quod & ipſe regi ſuo fecerat, rurſum idem congruam viciſſitudinem pateretur. Regnum autem Suevorum deletum in Gothis transfertur; quod manſiſſe centum LXXVII. annis ſcribitur.

EXPLICIT.



PAV-

PAVLI WARNEFRIDI,
LANGOBARDI FILII,
DIACONI FOROIVLIENSIS,

DE

GESTIS LANGOBARDORVM

LIBRI VI.

Ad MS. *& veterum codicum fidem editi.*

V



PAVLI WARNEFRIDI, LANGOBARDI FILII, DE GESTIS LANGOBARDORVM, LIBER PRIMVS.

Cap. I.

De Germania, quod plures nutriat populos, ideoque ex ea multæ gentes egrediantur.

SEptentrionalis plaga, quanto magis ab æstu solis remota est, & nivali frigore gelida, tantò salubrior corporibus hominum, & propagandis est gentibus magis coaptata: sicut è contra omnis meridiana regio, quo solis est fervori vicinior, eo semper morbis abundat, & educandis minus est apta mortalibus. Vnde fit ut tantæ populorum multitudines Arctoo sub axe oriantur: ut non immerito universa illa regio Tanai tenus, usque ad Occiduum, licet & propriis loca in ea singula nuncupentur nominibus, generali tamen vocabulo Germania vocitetur; quamvis & duas ultra Rhenum provincias Romani, cum ea loca occupassent, superiorem inferioremque Germaniam dixerint. Ab hac ergo populosa Germania, sæpe innumerabiles captivorum turmæ abductæ, meridianis populis pretio distrahuntur;

huntur; multæ quoque ex ea, pro eo quod tantos mortalium germinat, quantos alere vix sufficit, sæpe gentes egressæ sunt, quæ nihilominus & partes Asiæ, sed maxime sibi contiguam Europam, afflixerunt. Testantur hoc ubique urbes erutæ, per totam Illyricum Galliamque: sed maxime miseræ Italiæ, quæ pene omnium illarum est gentium experta sævitiam. Gothi siquidem, Wandalique, Rugi, Heroli, atque Turcilingi, nec non etiam aliæ feroces & barbaræ nationes, è Germania prodierunt.

Cap. II.

De Scandinavia insula, & quî ex ea VVinilorum, hoc est, Langobardorum, gens est egressa.

Pari etiam modo & Winilorum, hoc est, Langobardorum gens, quæ postea in Italia feliciter regnavit, à Germanorum populis originem ducens, licet & aliæ causæ egressionis eorum asseverentur, ab insula quæ Scandinavia dicitur adventavit; cujus etiam insulæ Plinius Secundus, in libris, quos De natura rerum composuit, mentionem facit. Hæc ergo insula, sicut retulerunt nobis, qui eam lustraverunt, non tam in mari est posita, quam marinis fluctibus, propter planitiem marginum, terras ambientibus circumfusa. Intra hanc ergo constituti populi, dum in tantam multitudinem pullulassent, ut jam simul habitare non valerent, in tres, ut fertur, omnem catervam partes dividentes, quæ ex illis pars patriam relinquere, novasque deberet sedes exquirere, sorte perquirunt.

Cap.

CAP. III.

Quod Ibor & Ayo, primi duces VVinilorum, cum matre sua Gambara fuerunt.

IGitur ea pars, cui sors dederat genitale solum excedere, exteraque arva sectari, ordinatis super se duobus ducibus, Ibor scilicet & Ajone, qui & germani erant, & juvenili adhuc ætate floridi, & ceteris præstantiores, ad exquirendas quas possint incolere terras, sedesque statuere, valedicentes suis simul & patriæ, iter arripiunt. Horum erat ducum mater, nomine Gambara, mulier quantum inter suos & ingenio acris, & consiliis provida; de cujus in rebus dubiis prudentia non minimum confidebant.

CAP. IV.

De septem viris apud Germaniam dormientibus.

HAud ab re esse arbitror, paulisper narrandi ordinem postponere, & quia adhuc stylus in Germania vertitur, miraculum quod illic apud omnes celebre habetur, sed & quædam alia, breviter intimare. In extremis circium versus Germaniæ finibus, in ipso Oceani littore, antrum sub eminenti rupe conspicitur, ubi septem viri (incertum ex quo tempore) longo sopiti sopore quiescunt, ita inlæsis non solum corporibus, sed etiam vestimentis, ut ex hoc ipso, quod sine ulla per tot annorum curricula corruptione perdurant, apud indociles easdem & barbaras nationes, venerationi habeantur. Hi denique quantum ad habitum spectat, Romani esse cernuntur. E quibus dum unum quidam, cupiditate stimulatus, vellet exuere, mox ejus ut dicitur brachia aruerunt, pœnaque sua ceteros proterruit.

terruit, ne quis eos ulterius contingere auderet. Videtis ad quem eos profectum, per tot tempora, providentia divina conservet. Fortasse horum quandoque, quia non aliter nisi Christiani esse putantur, gentes illæ prædicatione salvandæ sunt.

Cap. V.

De gente Scritovvinorum.

HVic loco Scritobini, sic enim gens illa nominatur, vicini sunt, qui etiam æstatis tempore nivibus non carent, nec aliis, utpote feris ipsis ratione non dispares, quam crudis agrestium animantium carnibus vescuntur; de quorum etiam hirtis pellibus sibi indumenta coaptant. Hi à saliendo, juxta linguam barbaram, etymologiam ducunt. Saltibus enim utentes, arte quadam ligno incurvo, ad arcus similitudinem, feras assequuntur. Apud hos est animal, non satis assimile cervo, de cujus ego corio, ut fuerat pilis hispidum, vestem in modum tunicæ, genu tenus aptatam, conspexi, sicut jam fati, ut relatum est, Scritobini utuntur. Quibus in locis circa æstivale solstitium, per aliquot dies, etiam noctu, clarissima lux cernitur, diesque ibi multo majores, quam alibi, habentur; sicut è contrario, circa brumale solstitium, quamvis diei lux adsit, sol tamen ibi non videtur, diesque minimi, quam usquam alibi, noctes quoque longiores existunt. Quia scilicet quanto magis à sole longius disceditur, tanto sol ipse terræ vicinior apparet, & umbræ longiores excrescunt. Denique in Italia, sicut & antiqui scripserunt, circa diem natalis domini, novem pedes in umbra staturæ humanæ hora sexta metiuntur. Ego autem in Gallia Belgica, in loco qui Totonis villa dicitur, constitutus, status mei umbram metiens, decem & novem & se-

& ſemis pedes inveni. Sic quoque contrario modo, quanto propinquius meridiem verſus ad ſolem acceditur, tantum ſemper umbræ breviores videntur; in tantum, ut ſolſtitio æſtivali, reſpiciente ſole de medio cæli, in Ægypto & Hieroſolymis, & in eorum vicinitate conſtitutis locis, nullæ videantur umbræ. In Arabia vero, hoc ipſo tempore, ſol ſupra medium cæli ad partem Aquilonis cernitur, umbræque verſa vice contra meridiem videntur.

CAP. VI.

De duobus umbilicis Oceani maris, qui ſunt ex utraque parte Britanniæ.

NEc ſatis procul ab hoc de quo præmiſimus littore, contra occidentalem partem, qua ſine fine Oceanum pelagus patet, profundiſſima aquarum illa vorago eſt, quam uſitato nomine maris umbilicum vocamus, quæ bis in die fluctus abſorbere & rurſum evomere dicitur, ſicut per univerſa illa littora, accedentibus & recedentibus fluctibus, celeritate nimia fieri comprobatur. Hujuſmodi vorago ſive vertigo, à poëta Virgilio Charybdis appellatur, quam ille in freto Siculo eſſe ſuo in carmine loquitur, hoc modo dicens:

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obſidet; atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſusque ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat unda.

Ab hac ſane de qua diximus vertigine, ſæpe naves raptim curſimque adtrahi adfirmantur, tanta celeritate, ut ſagittarum per aëra lapſus imitari videantur, & nonnunquam in illo barathro horrendo nimis exitu pereunt. Sæpe cum jam jamque mergendæ ſint, ſubitis unda-

undarum molibus retroactæ, tanta rursus agilitate exinde elongantur, quanto prius adtractæ sunt. Affirmant esse & aliam hujusmodi voraginem, inter Britanniam insulam, Galliamque provinciam: cui etiam rei adstipulantur Sequanicæ Aquitaniæque littora, quæ bis in die tam subitis inundationibus opplentur, ut qui fortasse aliquantulum introrsus à littore repertus fuerit, evadere vix possit. Videas earum regionum flumina fontem versus cursu velocissimo relabi, ac per multorum millium spatia, dulces fluminum lymphas, in amaritudinem verti. Triginta ferme à Sequanico littore Euodia insula millibus distat, in qua, sicut ab illius incolis adseveratur, vergentium in eandem Charybdim aquarum garrulitas auditur. Audivi quendam nobilissimum Gallorum referentem, quod aliquantæ naves, prius tempestate convulsæ, postmodum ab hac eadem Charybdi voratæ sunt. Vnus autem ex omnibus viris solummodo, qui in navibus illis fuerant, morientibus ceteris, dum adhuc fluctibus spirans supernataret, vi aquarum fluentium abductus ad oram usque immanissimi illius barathri pervenit. Qui cum jam profundissimum, & sine fine patens chaos adspiceret, ipsoque pavore præmortuus, se illuc ruiturum exspectaret, subito quod sperare non poterat, saxo quodam superjectus insedit. Decursis siquidem jam omnibus, quæ sorbendæ erant, aquis, oræ illius fuerant margines denudati. Dumque ibi inter tot angustias anxius, vix ob metum palpitans resideret, dilatamque ad modicum mortem nihilominus opperiret, conspicit ecce subito, quasi magnos aquarum montes de profundo resilire, navesque quæ absorptæ fuerant, primas emergere. Cumque una ex illis ei contigua fieret, ad eam se nisu quo potuit apprehendit. Nec mora, celeri volatu prope littus advectus, metuendæ necis casus evasit,

pro-

proprii poſtmodum periculi relator exiſtens. Noſtrum quoque, id eſt, Adriaticum mare, quod licet minus, ſimiliter tamen Venetiarum Hyſtriæque littora pervadit, credibile eſt, parvos hujuſmodi occultoſque habere meatus, quibus & recedentes aquæ ſorbeantur, & rurſum invaſuræ littora revomantur. His itaquè prælibatis ad cœptam narrandi ſeriem redeamus.

CAP. VII.

Quod VVinili in Scoringam venerunt; & quî Ambri & Aſſi VVandalorum duces eis tributa perſolvere mandaverint.

IGitur egreſſi de Scandinavia Winili, cum Ibor & Ayone ducibus, in regionem, quæ appellatur Scoringa venientes, per annos illic aliquot conſederunt. Illo itaque tempore, Ambri & Aſſi, Wandalorum duces, vicinas quaſque provincias bello premebant. Hi jam multis elati victoriis, nuncios ad Winilos mittunt, ut aut tributa Wandalis perſolverent, aut ſe ad belli certamina præpararent. Tunc Ibor & Ayo, adnitente matre Gambara, deliberantes melius eſſe armis libertatem tueri, quam tributorum eandem ſolutione fœdare, mandant per legatos Wandalis, pugnaturos ſe potius, quam ſervituros. Erant ſiquidem tunc Winili univerſi, ætate juvenili florentes, ſed numero exigui, quippe qui unius non nimiæ amplitudinis inſulæ tertia ſolummodo particula fuerint.

CAP. VIII.

De VVodan, & Frea, ridicula fabula.

REfert hoc loco antiquitas ridiculam fabulam, quod accedentes Wandali ad Wodan, victoriam de Winilis

nilis postulaverint, illeque responderit; se illis victoriam daturum quos primum oriente Sole conspexisset; tunc accessisse Gambaram ad Fream, uxorem Wodan, & Winilis victoriam postulasse, Freamque consilium dedisse, ut Winilorum mulieres, solutos crines erga faciem, ad barbæ similitudinem componerent, maneque primo cum viris adessent, seseque à Wodan videndas pariter è regione, qua ille per fenestram, Orientem versus, erat solitus adspicere, collocarent: atque ita factum fuisse. Quas cum Wodan conspiceret oriente sole, dixisse: Qui sunt isti Langobardi? Tunc Fream subjunxisse, ut quibus nomen tribuerat, victoriam condonaret; sicque Winilis Wodan victoriam concessisse. Hæc risu digna sunt, & pro nihilo habenda. Victoria enim non potestati est adtributa hominum, sed è cœlo potius ministratur.

Cap. IX.

Quare VVinili Langobardi appellati sint, & quod VVoda ipse sit, qui apud Romanos Mercurius dicitur.

Certum tamen est, Langobardos, ab intactæ ferro barbæ longitudine, cum primitus Winili dicti fuerint, ita postmodum appellatos. Nam juxta illorum linguam, *lang* longam, *Baert* barbam significat. Wodan sane, quem adjecta littera Godan dixerunt, ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur, & ab universis Germaniæ gentibus ut Deus adoratur; qui non circa hæc tempora, sed longe anterius, nec in Germania, sed in Græcia fuisse perhibetur.

CAP. X.

Quomodo Langobardi VVandalos vicerint, & de fame Langobardorum.

WInili igitur, qui & Langobardi, commisso cum Wandalis prælio acriter, utpote pro libertatis gloria decertantes, victoriam capiunt; qui magnam postmodum famis penuriam in eadem Scoringa provincia perpessi, valde animo consternati sunt.

CAP. XI.

Langobardi in Mauringam transire volentes, ab Assipittis sunt impediti.

DE qua egredientes, dum in Mauringam transire disponerent; Assipitti eorum iter impediunt, denegantes eis omnimodis per suos terminos transitum. Porro Langobardi, cum magnas hostium copias cernerent, neque cum eis, ob paucitatem exercitus, congredi auderent, dumque quid agere deberent, decernerent, tandem necessitas consilium reperit. Simulant se in castris suis habere cynocephalos, id est, canini capitis homines. Divulgant apud hostes,hos pertinaciter bella gerere, humanum sanguinem bibere, & si hostem assequi non possint, proprium potare cruorem. Vtque huic assertioni fidem facerent, ampliant tentoria, plurimosque in castris ignes accendunt. His hostes auditis, visisque creduli effecti, bellum quod minabantur, jam tentare non audent.

CAP. XII.

De monomachia duorum virorum fortium, quorum unus è Langobardis, alter ex Assispittis fuit.

HAbebant tamen apud se virum fortissimum, de cujus fidebant viribus, posse se proculdubio obtinere quod vellent: hunc solum præ omnibus pugnaturum objiciunt. Mandantque Langobardis ut unum quem vellent suorum mitterent, qui cum eo ad singulare certamen exiret, ea videlicet conditione, ut si suus bellator victoriam caperet, Langobardi, itinere quo venerant abirent: sin vero superaretur ab altero, tunc se Langobardis transitum per fines proprios non vetituros. Cumque Langobardi quem è suis potius adversus virum bellicosissimum mitterent, ambigerent, quidam ex servili conditione sponte se obtulit; promittit se provocanti hosti congressurum, ea ratione ut si de hoste victoriam caperet, à se suaque progenie servitutis nævum auferrent. Quid plura? gratanter quæ postulaverat esse facturos pollicentur. Aggressus hostem expugnavit & vicit; Langobardis transeundi facultatem; sibi suisque, ut optaverat, jura libertatis indeptus est.

CAP. XIII.

Quod Langobardi in Mauringam transierunt, ac deinde ad ulteriora loca progressi sunt.

IGitur Langobardi tandem in Mauringam pervenientes, ut bellatorum possint ampliare numerum, plures à servili jugo ereptos, ad libertatis statum perducunt: utque rata eorum haberi posset libertas, sanciunt more solito per sagittam, immurmurantes nihilomi-

nus

nus, ob rei firmitatem, quædam patria verba. Egressi itaque Langobardi de Mauringa, applicuerunt in Golanda, ubi aliquanto tempore commorati dicuntur. Post hæc Anthabet, Bathaib, pari modo & Vurgundaib, per annos aliquot possedisse: quæ nos arbitrari possumus esse vocabula pagorum, seu quorumcunque locorum.

CAP. XIV.

Mortuis Ibor & Ayone ducibus, Langobardi primum regem Agilmundum habuerunt.

MOrtuis interea Ibor & Ayone ducibus, qui Langobardos à Scandinavia eduxerant, & usque ad hæc tempora rexerant, nolentes jam ultra Langobardi esse sub ducibus, regem sibi ad ceterarum instar gentium statuerunt. Regnavit igitur super eos primus Agelmundus, filius Ayonis, ex prosapia ducens originem Gungincorum, quæ apud eos generosior habebatur. Hic sicut à majoribus traditur, tribus & triginta annis Langobardorum tenuit regnum.

CAP. XV.

De meretrice, quæ septem infantulos peperit, ex quibus Lamissio unus fuit: & de monomachia ejus cum Amazone.

HIs temporibus quædam meretrix, uno partu septem puerulos enixa, beluis omnibus mater crudelior, in piscinam projecit necandos. Hoc si cui impossibile videtur, relegat historias veterum, & inveniet non solum septem infantulos, sed etiam novem unam mulierem simul peperisse. Et hoc certum est maxime apud Ægyptios fieri. Contigit itaque ut rex Agelmundus, dum iter caperet, ad eandem piscinam

deveniret. Qui cum equo retento miſerandos infantulos miraretur, haſtaque quam manu gerebat, huc illucque eos inverteret, unus ex illis manu injecta haſtam regiam comprehendit. Rex, miſericordia motus, factumque altius admiratus, eum magnum futurum pronuntiat. Moxque eum è piſcina levari præcipit, atque nutrici traditum, omni cum ſtudio mandat alendum. Et, quia eum de piſcina, quæ eorum lingua Lama dicitur, abſtulit, Lamiſſio eidem nomen impoſuit. Qui cum adoleviſſet, adeo ſtrenuus juvenis effectus eſt, ut & bellicoſiſſimus extiterit, & poſt Agelmundi funus regni gubernacula rexerit. Ferunt, hunc, dum Langobardi cum rege ſuo iter agentes, ad quendam fluvium perveniſſent, & ab Amazonibus eſſent pohibiti ultra permeare, cum earum fortiſſima in fluvio natatu pugnaſſe, eamque peremiſſe, ſibique laudis gloriam, Langobardis quoque tranſitum paraviſſe; hoc ſiquidem inter utraſque acies prius conſtitiſſe, quatenus ſi Amazona eadem Lamiſſionem ſuperaret, Langobardi à flumine recederent; ſin verò à Lamiſſione, ut & factum eſt, ipſa vinceretur, Langobardis eadem permeandi fluenta copia præberetur. Conſtat ſane, quia hujus aſſertionis ſeries minus veritate ſubnixa eſt. Omnibus etenim, quibus veteres hiſtoriæ notæ ſunt, patet, gentem Amazonum, longe antea, quam hæc fieri potuerunt, eſſe deletam; niſi forte, quia loca eadem ubi hæc geſta feruntur, non ſatis hiſtoriographis nota fuerunt, & vix ab aliquo eorum vulgata ſunt, fieri potuerit, ut uſque ad id tempus, hujuſcemodi inibi mulierum genus haberetur. Nam & ego referri à quibuſdam audivi; uſque hodie in intimis Germaniæ finibus gentem harum exiſtere feminarum.

CAP.

CAP. XVI.

Quomodo Bulgares noctu super castra Langobardorum irruentes, Agelmundum regem interfecerunt, & filiam ejus captivam duxerunt.

IGitur transmeato Langobardi, de quo dixeramus, flumine, cum ad ulteriores terras pervenissent, illic per tempus aliquod commorabantur. Interea cùm nihil adversi suspicarentur, & essent quieti, longa nimis securitas, quæ semper detrimentorum mater est, eis non modicam perniciem peperit. Nocte denique cùm negligentia resoluti quiescerent cuncti, subito super eos Bulgares irruentes, plures ex iis sauciant, multos prosternunt, & in tantum per eorum castra debacchati sunt, ut ipsum Agelmundum regem interficerent, ejusque unicam filiam sorte captivitatis auferrent.

CAP. XVII.

Quomodo Lamissio rex effectus est, & qualiter Bulgares superavit.

REsumptis tamen post hæc incommoda Langobardi viribus, Lamissionem, de quo superius dixeramus, sibi regem constituerunt. Qui ut erat juvenili ætate fervidus, & ad belli certamina satis promptus, non aliud nisi Agelmundi necem ulcisci cupiens, in Bulgares arma convertit. Primoque prælio mox commisso, Langobardi hostibus terga dantes ad castra refugiunt. Tunc rex Lamissio ista conspiciens, elevata altius voce omni exercitui clamare cœpit, ut opprobriorum, quæ pertulerant, reminiscerentur, revocarentque ante oculos dedecus, quomodo eorum regem hostes jugulaverint; quàm miserabiliter ejus natam, quam sibi regi-

nam optaverant, captivam abduxerint. Poſtremo hortatur, ut ſe ſuoſque armis defenderent, melius eſſe dicens in bello animam ponere, quam, ut vilia mancipia, hoſtium ludibriis ſubjacere. Hæc & hujuſcemodi vociferans cum diceret, & nunc minis, nunc promiſſionibus, ad toleranda eorum animos belli certamina roboraret: ſi quem etiam ſervilis conditionis pugnantem vidiſſet, libertate eum ſimul cum præmiis donabat. Tandem hortatu exemploque principis, qui primus ad bellum proſilierat, accenſi, ſuper hoſtes irruunt, pugnant atrociter, & magna adverſarios clade proſternunt. Tandemque de victoribus victoriam capientes, tam regis funus, quam proprias injurias ulciſcuntur. Tunc magna de hoſtium exuviis præda potiti, ex illo jam tempore, ad expetendos belli labores, audaces effecti ſunt.

Cap. XVIII.

Quod, mortuo Lamiſſione, regnum Lechu ſuſcepit; &, poſt hunc, filius ejus Hildeoc; poſt quem quoque Bodeac regnavit.

Defuncto poſt hæc Lamiſſione, qui ſecundus regnaverat, tertius ad regni gubernacula Lechu aſcendit. Qui cum quadraginta ferme annos regnaſſet, Hildehoc filium, qui quartus fuit in numero regni, ſucceſſorem reliquit. Hoc quoque defuncto, quintus Gudehoc regnum ſuſcepit.

CAP. XIX.

Bellum inter Edoagar Regem Torcilingorum, & Felecheum regem Rugorum; & quomodo Langobardi, ſuperatis ab Odoacre Rugis, eorum provinciam poſſederunt.

HIs temporibus inter Odoachar, qui in Italia per aliquot jam annos regnabat, & Feletheum, qui & Feva dictus eſt, Rugorum regem, magnarum inimicitiarum fomes exarſit. Qui Feletheus illis diebus ulteriorem Danubii ripam incolebat, quam à Norici finibus idem Danubius ſeparat. In his Noricorum finibus beati tunc erat Severini cœnobium, qui omni abſtinentiæ ſanctitate præditus multis jam erat virtutibus clarus. Qui cum hiſdem in locis, ad vitæ uſque metas habitaſſet, nunc tamen ejus corpus Neapolis retinet. Hic ſæpius hunc de quo diximus Feletheum, ejuſque conjugem, cujus vocabulum Giſa fuit, ut ab iniquitate quieſcerent, verbis cæleſtibus monuit. Quibus pia verba ſpernentibus, hoc quod eis poſtmodum contigit, longe antea futurum prædixit. Adunatis ergo Odoachar gentibus quæ ejus ditioni parebant, id eſt, Turcilingis & Herulis, Rugorumque parte, quos jam dudum poſſederat, nec non etiam Italiæ populis, venit in Rugiland, pugnavitque cum Rugis, ultimaque eos clade conficiens, Feletheum inſuper eorum regem extinxit. Vaſtataque omni provincia, Italiam repetens, copioſam ſecum captivorum multitudinem abduxit. Tunc Langobardi de ſuis regionibus egreſſi, venerunt in Rugiland, quæ Latino eloquio Rugorum patria dicitur, atque in ea, quia erat ſolo fertilis, aliquantis commorati ſunt annis.

CAP. XX.

Mortuo Gedeoc, regnavit Claſſo, & poſt hunc Tato, qui delevit regnum Herulorum.

INter hæc moritur Gudehoc, cui ſucceſſit Claffo filius ſuus. Defuncto quoque Claffone, Tato ejuſdem filius, ſeptimus adſcendit ad regnum. Egreſſi quoque Langobardi de Rugiland, habitaverunt in campis patentibus, qui ſermone barbarico *feld* appellantur. Quo in loco dum per trium annorum ſpacia morarentur, bellum exortum eſt inter Tatonem atque Rodulfum, Herulorum Regem. Qui cum primitus fœdera necterent, cauſa inter eos diſcordiæ iſta fuit. Germanus Rodulphi Regis, ad Tatonem ſerendæ pacis gratia venerat, qui cùm expleta legatione patriam repeteret, contigit ut ante Regis filiæ domum, quæ Rumetruda dicebatur, tranſitum haberet. Illa multitudinem virorum, & nobilem comitatum aſpiciens, interrogabat quis iſte eſſe poſſit, qui tam ſublime obſequium haberet. Dictumque eſt illi: Rodulphi regis germanum legatione perfuncta patriam regredi. Mittit puella qui eum invitaret, ut vini poculum dignaretur accipere. Ille corde ſimplici, ut invitatus fuerat, venit. Et quia erat ſtatura puſillus, cum faſtu ſuperbiæ puella deſpexit, verbaque adverſus eum irriſoria protulit. At ille verecundia pariter & indignatione perfuſus, talia rurſus verba reſpondit, quæ ampliorem puellæ confuſionem adferrent. Tunc illa furore fæmineo ſuccenſa, dolorem cordis cohibere non valens, ſcelus quod mente conceperat, explere contendit. Simulat patientiam, vultum exhilarat, eumque verbis jocundioribus demulcens, ad ſedendum invitat. Talique eum in loco ſedere conſtituit, quo parietis feneſtram ad ſcapulas haberet.

Quam

Quam feneſtram quaſi ob hoſpitis honorem, re autem vera, ne eum aliqua pulſaret ſuſpicio, velamine texerat precioſo, præcipiens atrociſſima belua propriis pueris, ut cum ipſa quaſi ad pincernam loquens, Miſce dixiſſet, illi eum à tergo lanceis perforarent. factumque eſt. Mox crudelis fæmina ſignum dedit: iniqua mandata perficiuntur. Ipſeque vulneribus transfixus in terram corruens expiravit. Ea cum Rodulfo regi nunciata fuiſſent, tam crudele germani funus ingemuit, dolorisque impatiens, ad ulciſcendum fratris mortem exarſit, fœduſque, quod cum Tatone pepigerat, irrumpens, eidem bellum indixit. Quid plura? Convenerunt utrorumque in campis patentibus acies. Rodulfus ſuos in pugnam dirigit, ipſe in caſtris reſidens, de ſpe victoriæ nihil ambigens, ad tabulam ludit. Erant ſiquidem tunc Heruli bellorum uſibus exercitati, multorumque jam ſtrage notiſſimi. Qui ſive ut expeditius bella gererent, ſive ut inlatum ab hoſte vulnus contemnerent, nudi pugnabant, operientes ſolummodo corporis verecunda. Horum ita viribus Rex indubitanter fidens, dum ipſe ſecurus ad tabulam luderet, unum è ſuis in arborem quæ forte aderat aſcendere jubet, quatenus ei ſuorum victoriam celerius referret, comminatus ejus ſe caput abſciſurum, ſi Herulorum aciem fugere nunciaret. Is cum Herulorum flecti acies, & à Langobardis eos opprimi conſpiceret, interrogatus à rege ſæpius, quid Heruli gererent, eos optimè pugnare reſpondit. Nec prius malum quod cernebat loqui audens aperuit, quam univerſæ acies hoſtibus terga præberent. Qui licet ſerò tandem in vocem erumpens, Væ tibi, inquit, miſera Herolia, quæ cæleſtis domini flecteris ira. Ad hæc verba commotus Rex ait, Numquid fugiunt Heruli mei? At ille, Non, inquit, hoc ego, ſed tu Rex ipſe dixiſti. Tunc ut in talibus fieri aſſolet, rex

rex ipſe & omnes perturbati, dum quid agerent hæſitarent, ſupervenientibus Langobardis, graviter cæduntur. Rex quoque ipſe nequicquam fortiter faciens, extinctus eſt. Herulorum vero exercitus dum hac illacque diffugeret, tanta ſuper eos cælitus ira reſpexit, ut viridantia camporum lina cernentes, natatiles aquas eſſe putarent. Dumque quaſi nataturi brachia extenderent, crudeliter hoſtium feriebantur à gladiis. Tunc Langobardi patrata victoria, ingentem quam in caſtris repererant inter ſe prædam dividunt. Tato vero Rodulfi vexillum, quod bandum appellant, ejuſque galeam, quam in bello geſtare conſueverat, abſtulit. atque jam ex illo tempore ita omnis Herulorum virtus concidit, ut ultra ſuper ſe regem omnino non haberent. Iam hinc Langobardi ditiores effecti, aucto de diverſis gentibus, quas ſuperaverant, exercitu, ultro cæperunt bella expetere, & virtutis gloriam circumquaque protelare.

Cap. XXI.

De morte Tatonis, & regno VVachonis. & quomodo VVacho Suavos ſuperavit; & de uxoribus ejus & filiabus; & de regno VValtari filii ejus.

At vero Tato poſt hæc de belli triumpho non diu lætatus eſt. Irruit namque ſuper eum Wacho filius germani ſui Zuchilonis, & eum ab hac luce privavit. Conflixit quoque adverſus Wachonem, Hildechis filius Tatonis, ſed ſuperante Wachone devictus, ad Gepidos confugit, ibique profugus ad vitæ finem uſque permanſit. Quam ob cauſam Gepidi cum Langobardis ex tunc inimicitias contraxere. Eodemque tempore Wacho ſuper Suevos irruit, eoſque dominio ſuo ſubjugavit. Hoc ſi quis mendacium & non rei exiſtimat

verita-

veritatem, relegat prologum edicti, quem Rex Rotharii de Langobardorum legibus composuit, & penè in omnibus hoc codicibus, sicut nos in hac historiola inseruimus, scriptum reperiet. Habuit autem Wacho uxores tres. Hoc est, primam Ranicundam, filiam regis Turingorum. Deinde duxit Austrigosam, filiam regis Gepidorum. De qua habuit filias duas. Nomen uni Wisegarda, quam tradidit in matrimonium Theodeberto regi Francorum. Secunda autem dicta est Walderada, quæ sociata est Cuswald, alio regi Francorum. quam ipse odio habens, uni ex suis, qui dicebatur Garipald, in conjugium tradidit. Tertiam vero Wacho uxorem habuit, Herulorum regis filiam nomine Salingam. Ex ipsa natus est filius quem Waltari appellavit, quique Wachone mortuo super Langobardos jam octavus regnavit. Hi omnes Lithingi fuerunt; sic enim apud eos quædam nobilis prosapia vocabatur.

CAP. XXII.

Mortuo VValtari regnavit Audoin, qui Langobardos in Pannoniam adduxit.

WAltari ergo, cum per septem annos regnum tenuisset, ab hac luce subtractus est. Post quem nonus Audoin regnum adeptus est. qui non multo post tempore Langobardos in Pannoniam adduxit.

CAP. XXIII.

Bellum Gepidorum cum Langobardis, in quo Alboin filium regis Gepidorum extinxit.

GEpidi ergo ac Langobardi conceptam jam dudum rixam tandem parturiunt, bellumque ab utrisque partibus præparatur. Commisso itaque prælio ambæ

acies fortiter dimicarent, & neutra alteri cederet, contigit ut in ipſo certamine, Alboin filius Audoin, & Turiſmodus Turiſendi filius, ſibi obvii fierent, quem Alboin ſpatha percutiens, de equo præcipitatum extinxit. Cernentes Gepidi regis filium, per quem magna ex parte bellum conſtiterat, interiiſſe, mox diſſolutis animis fugam ineunt. Quos Langobardi inſequentes acriter ſternunt, cæſiſque quam plurimis ad detrahenda occiſorum ſpolia revertuntur. Cumque peracta Langobardi victoria, ad ſedes proprias remeaſſent, regi ſuo Audoin ſuggerunt, ut ejus Alboin conviva fieret, cujus virtute in prœlio victoriam cæpiſſent, utque patri in periculo, ita & in convivio, comes eſſet. Quibus Audoin reſpondit, ſe hoc facere minime poſſe, ne ritum gentis infringeret. Scitis enim, inquit, non eſſe apud nos conſuetudinem, ut regis cum patre filius prandeat, niſi à rege gentis exteræ arma ſuſcipiat.

CAP. XXIV.

Quomodo Alboin cum quadraginta viris ad Turiſendum regem, cujus filium interemerat, profectus eſt, arma ab eo petens, ut cum ſuo patre poſſit in convivio reſidere, & quomodo à Turiſendo arma accepit.

HIs Alboin à patre auditis, quadraginta ſolummodo juvenes ſecum tollens, ad Turiſendum, cum quo dudum bellum geſſerat, regem Gepidorum profectus eſt, cauſamque qua venerat intimavit. Qui eum benigne ſuſcipiens, ad ſuum convivium invitavit, atque ad ſuam dexteram, ubi Turismodus ejus quondam filius ſedere conſueverat, collocavit. Inter hæc dum apparatus varii epulas caperent, Turiſendus jam dudum ſeſſionem filii mente revolvens, natique funus ad animum reducens, præſentemque peremptorem ejus loco

esidere conspiciens, alta trahens suspiria, sese contine-
e non potuit: sed tandem dolor in vocem prorupit.
Amabilis, inquit, mihi locus iste est, sed persona quæ
n eo residet, satis ad videndum gravis. Tunc regis al-
er qui aderat filius, patris sermone stimulatus, Lan-
gobardos injuriis lacessere cœpit, asserens, eos, quia su-
is inferius candidis utebantur fasciolis, equabus, qui-
bus crurum tenus pedes albi sunt, similes esse; dicens:
Fetulæ sunt equæ quas similatis. Tunc unus è Lango-
bardis ad hæc ita respondit. Perge, ait, in campum
Asfeld, ibique proculdubio poteris experiri, quam va-
lidè istæ, quas equas nominas, prævaleant calcitrare,
ubi sic tui dispersa sunt ossa germani, quemadmodum
vilis jumenti in mediis pratis. His auditis Gepidi, con-
fusionem ferre non valentes, vehementer in ira com-
moti sunt, manifestasque injurias vindicare nituntur.
Langobardi è contra parati ad bellum, omnes ad gla-
diorum capulos manus injiciunt. Tunc Rex à mensa
prosiliens, sese in medium objecit, suosque ab ira bello-
que compescuit, interminans, primitus eum puniri, qui
primus pugnam commisisset; non esse victoriam Deo
placitam dicens, cum quis in domo propria hostem pe-
rimit. Sic denique jurgio compresso, jam deinceps læ-
tis animis convivium peragunt. Sumensque Turisen-
dus arma Turismodi filii sui, ea Alboin tradidit, eum-
que cum pace incolumem ad patris regnum remisit. Re-
versus ad patrem Alboin, ejusdem conviva hinc effectus
est. Qui dum cum patre lætus regias delicias caperet,
ordine cuncta retulit, quæ sibi apud Gepidos in Turi-
sendi regia contigissent. Mirantur qui aderant, & lau-
dant audaciam Alboin, nec minus attollunt laudibus
Turisendi maximam fidem.

CAP.

Cap. XXV.

De regno Iustiniani & victoriis ejus.

HAc tempestate Iustinianus Augustus Romanum Imperium felici sorte regebat, qui & bella prospere gessit, & in causis civilibus mirificus extitit. Nam per Belisarium patricium Persas fortiter devicit, perque ipsum Belisarium Wandalorum gentem, capto eorum rege Gelismero, usque ad internecionem delevit. Africamque totam, post annos nonaginta & sex, Romano imperio restituit. Rursumque Belisarii viribus, Gothorum in Italia gentem, capto Withicis eorum rege, superavit. Mauros quoque post hæc Africam infestantes, eorumque regem Attilam, per Iohannem Exconsulem mirabili virtute protrivit, pari etiam modo & alias gentes belli jure compressit. Quam ob causam propter horum omnium victorias, ut Alamannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Wandalicus, Africanusque diceretur, habere agnomina meruit. Leges quoque Romanorum, quarum prolixitas nimia erat, & inutilis dissonantia, mirabili brevitate correxit. Nam omnes constitutiones principum, quæ utique multis in voluminibus habebantur, intra duodecim libros coarctavit, idemque volumen Codicem Iustinianeum appellari præcepit. Rursumque singulorum magistratuum, sive judicum leges, quæ usque ad duo millia penè librorum erant extensæ, intra quinquaginta librorum numerum redegit, eumque codicem Digestorum sive Pandectarum vocabulo nuncupavit. Quatuor etiam Institutionum libros, in quibus breviter universarum legum textus comprehenditur, noviter composuit. Novas quoque leges, quas ipse statuerat, in unum volumen redactas, eundem codicem Novel-

Novellarum nuncupari ſancivit. Extruxit quoque idem princeps intra urbem Conſtantinopolim, Chriſto domino, qui eſt ſapientia Dei patris, templum, quod Græco vocabulo, ΑΓΙΑΝ ΣΟΦΙΑΝ, id eſt, ſanctam ſapientiam nominavit. Cujus opus adeo cuncta ædificia excellit, ut in totis terrarum ſpatiis huic ſimile non poſſit inveniri. Erat enim hic princeps fide catholicus, in operibus rectus, in judiciis juſtus, ideoque ei omnia concurrebant in bonum. Hujus temporibus Caſſiodorus apud urbem Romam tam ſæculari, quam divina ſcientia claruit, qui inter cætera, quæ nobiliter ſcripſit, pſalmorum præcipue occulta potentiſſime reſeravit. Hic primitus conſul, deinde ſenator, ad poſtremum vero Monachus extitit. Hoc etiam tempore Dionyſius Abbas in urbe Roma conſtitutus, paſchalem Calculum miranda argumentatione compoſuit. Tunc quoque apud Conſtantinopolim Priſcianus Cæſarienſis Grammaticæ artis, ut ita dixerim, profunda rimatus eſt. Tunc quoque nihilominus Arator Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconus, poëta mirabilis, actus Apoſtolorum verſibus Hexametris exaravit.

CAP. XXVI.

De beato Benedicto, & miraculis, & laudibus ejus.

HIs quoque diebus beatiſſimus Benedictus pater & pius, in loco qui Sublacus dicitur, qui ab urbe Roma quadraginta millibus abeſt, & poſtea in caſtro Caſſini, quod Harum appellatur, & magnæ vitæ meritis, & Apoſtolicis virtutibus effulſit. Cujus vitam, ſicut notum eſt, beatus Papa Gregorius in ſuis Dialogis ſuavi ſermone compoſuit. Ego quoque pro parvitate ingenii mei ad honorem tanti patris, ſingula ejus miracula,

racula, per singula disticha Elegiaco metro hoc modo contexui.

Ordiar unde tuos sacer ô Benedicte triumphos,
Virtutum cumulos ordiar unde tuos?
Euge beate Pater, meritum qui nomine prodis,
Fulgida lux sacli, Euge beate pater.
Nursia, plaude satis tanto sublimis alumno,
Astra ferens mundo; Nursia, plaude satis.
O puerile decus transcendens moribus annos,
Exuperansque senes, ô puerile decus;
Flos paradise tuus despexit florida mundi,
Sprevit opes Romæ, Flos paradise tuus.
Vas pedagoga tulit diremptum pectore tristi:
Læta reformatum vas pedagoga tulit.
Vrbe vocamen habens tironem cautibus abdit:
Fert pietatis opem, urbe vocamen habens.
Laudibus antra sonant mortalibus abdita cunctis:
Cognita Christe tibi laudibus antra sonant.
Frigora, flabra, nives, fers tu tribus impiger annis,
Temnis amore Dei frigora, flabra, nives.
Fraus veneranda placet, pietatis furta probantur,
Qua sacer altus erat, fraus veneranda placet.
Signat adesse dapes Agapes, sed lividus obstat,
Nil minus alma fides signat adesse dapes.
Orgia rite colit, quia Christo commodat aurem:
Abstemium pascens Orgia rite colit.
Pabula grata ferunt avidi ad spelæa subulci,
Pectoribus lætis pabula grata ferunt.
Ignis ab igne perit: lacerant dum viscera sentes
Carneus æthereo ignis ab igne perit.
Pestis iniqua latens procul est deprensa sagaci,
Non tulit arma crucis pestis iniqua latens.
Lenia flagra vagam sistunt moderamine mentem,
Excludunt pestem lenia flagra vagam.

Vnda

Vnda perennis aquæ nativo è marmore manat,
Arida corda rigat unda perennis aquæ.
Gurgitis ima chalybs capulo divulse petisti:
Deseris alta, petens gurgitis ima chalybs.
Iussa paterna gerens dilapsus currit in æquor,
Currit vectus aquis jussa paterna gerens.
Præbuit unda viam promto ad præcepta magistri,
Cursori ignaro præbuit unda viam.
Tu quoque parve puer raperis nec occidis undis:
Testis ades verax, tu quoque parve puer.
Perfida corda gemunt stimulis agitata malignis,
Tartareis flammis perfida corda gemunt.
Fert alimenta corax digitis oblata benignis,
Dira procul jussus fert alimenta corax.
Pectora sacra dolent inimicum labe peremptum,
Discipuli excessum pectora sacra dolent.
Lyris amæna petens ducibus comitaris opimis,
Cœlitus adtraheris Lyris amœna petens.
Anguis inique furis luco spoliatus & aris,
Amissis populis anguis inique furis.
Improbe sessor abi, sine dentur marmora muris:
Cogeris imperio, improbe sessor abi.
Cernitur ignis edax falsis insurgere flammis,
Nec tibi gemma micans cernitur ignis edax.
Dum struitur paries, lacerantur viscera fratris:
Sospes adest frater dum struitur paries.
Abdita facta patent, patulo produntur edaces:
Muneris accepti abdita facta patent.
Sæve tyranne tuæ frustrantur retia fraudis,
Frena capis vitæ sæve tyranne tuæ.
Mœnia celsa Numæ nullo vertentur ab hoste,
Turba gravis vertet mœnia celsa Numæ.
Plecteris hoste gravi, ne lites munus ad aram:
Munera fers aris, plecteris hoste gravi.

Omnia

Omnia ſepta gregis præſcitum eſt tradita genti,
Gens eadem reparat omnia ſepta gregis.
Fraudis amice puer, ſuado captaris ab Hydro:
Hydro non caperis fraudis amice puer.
Mens tumefacta ſile, tace, & ne carpe videntem:
Cuncta patent vati, mens tumefacta ſile.
Pellitur atra fames delatis cœlitus eſcis,
Nilominus mentis pellitur atra fames.
Pectora cuncta ſtupent, quod eras ſine corpore præſens:
Quod per viſa mones, pectora cuncta ſtupent.
Vocis ad imperium ſacris non eſſe ſinuntur:
Interſunt ſacris vocis ad imperium.
Tellus hiulca ſinu corpus propellit humatum:
Iuſſa tenet corpus tellus hiulca ſinu.
Perfidus ille Draco mulcet properare fugacem,
Siſtit iter vetitum perfidus ille Draco.
Exitiale malum capitis decuſſit honorem,
It procul imperiis exitiale malum.
Fulva metalla pius, nec habet, promittit egenti:
Cœlitus excepit fulva metalla pius.
Tu miſerande cutem variant cui pelle colubræ,
Incolumem recipis tu miſerande cutem.
Aſpera ſaxa vitrum rapiunt, nec frangere poſſunt;
Illæſum ſervant aſpera ſaxa vitrum.
Cur prome conde times ſtillam præbere lecythi?
Dolia certe fluunt, cur prome conde times?
Vnde medela tibi ſpes eſt cur nulla ſalutis,
Qui ſemper metuis unde medela tibi?
Ah miſerande ſenex hoſtili concidis ictu,
Ictu ſed reſipis ah miſerande ſenex.
Barbara lora manus ignaras criminis arcent,
Sponte ſua fugiunt, barbara lora manus.
Ille ſuperbus equo reboans clamore minaci,
Stratus humi recubat ille ſuperbus equo.

Colla

Colla paterna ferunt extincti viscera nati,
Viventem natum colla paterna ferunt.
Omnia vincit amor, vinxit soror imbre beatum:
Somnus abest oculis, omnia vincit amor.
Simplicitate placens instar petit alta columbæ,
Regna poli penetrat simplicitate placens.
O nimis apte Deo mundus cui panditur omnis,
Abdita qui lustras, ô nimis apte Deo.
Flammeus orbis habet justum super æthera nantem;
Quem pius ussit amor, flammeus orbis habet.
Ter vocitatus adest testis novitatis habendus;
Carus amore patris ter vocitatus adest.
Dux bone bella monens exemplis pectora firmas:
Primus in arma ruis, dux bone bella monens.
Congrua signa dedit vitæ consortia linquens,
Ad vitam properans congrua signa dedit.
Psalmicen assiduus nunquam dabat otia plectro,
Sacra canens obiit psalmicen assiduus.
Mens quibus una fuit tumulo retinentur eodem;
Gloria par retinet mens quibus una fuit.
Splendida visa via est facibus stipata coruscis,
Qua sacer ascendit splendida visa via est.
Rupea septa petens nacta est errore salutem;
Errorem evasit rupea septa petens:
Pœmata parva dedit famulus pro munere supplex:
Exul, inops, tenuis, pœmata parva dedit.
Sint precor apta tibi cœlestis tramitis index,
O Benedicte pater sint precor apta tibi.

Hymnum quoque singula ejusdem patris miracula continentem metro Iambico Archilochico ita texuimus.

Fratres alacri pectore,
Venite concentu pari;
Fruamur hujus inclytæ

Festivitatis gaudiis.
Hac Benedictus aurea
Ostensor arcti tramitis
Ad regna conscendit pater.
Captans laborum præmia
Effulsit ut sidus novum,
Mundana pellens nubila.
Ætatis ipso limine
Despexit ævi florida.
Miraculorum præpotens,
Afflatus alti flamine,
Resplenduit prodigiis.
Venturo sæclo præcinens
Laturus esum pluribus,
Panis reformat vasculum.
Arctum petens ergastulum,
Extinxit ignes ignibus.
Fregit veneni bajulam
Crucis per arma cymbiam.
Coërcuit mentem vagam,
Leni flagello corporis.
Funduntur amnes rupibus.
Redit chalybs è gurgite,
Currit per undas obsequens.
Peplo puer vitat necem,
Virus patescit abditum,
Mandata præpes efficit,
Hostem ruina conterit.
Cedit fremens leo grave,
In imo fit moles levis:
Rogus migrat fantasticus,
Fractum revisit sospitas,
Excessus absentum patet.
Rector vafer deprenderis,

Iniqu

Inique possessor fugis;
Futura prænoscemini,
Arcana cor non contigit.
Fundantur ædes somniis,
Tellus vomit cadavera,
Dracone frenatur fugax.
Æther pluit numismata.
Vitrum resistit cautibus,
Manant olivo dolia,
Vinctum resolvit visio,
Vitam receptant funera.
Tanti potestas luminis,
Voto sororis vincitur:
Quo plus amat quis, plus valet.
Enare quem cernit polum
Non ante seclis cognitum
Noctu jubar effulgurat,
Quo totus orbis cernitur,
Flammisque subvehi pius
Hæc inter instar nectaris
Miranda plectro claruit.
Nam pinxit apte lineas
Vitæ sacræ sequacibus.
Iam dux alumni sat potens,
Adsis gregis suspiriis,
Gliscat bonis hydrum cavens,
Sit callis ut sequax tui.

Libet me breviter referre quod Beatus Gregorius Papa minime in hujus sanctissimi patris vita descripsit. Denique cùm divina admonitione à Sublacu in hunc ubi requiescit locum, per quinquaginta ferme millia adventaret, tres eum corvi, quos alere solitus erat, sunt circumvolantes secuti, cui ad omne convivium, usque dum hic veniret, duo angeli in figura juvenum apparentes, osten-

oſtenderunt ei quam viam arripere deberet. In loco autem iſto quidam Dei ſervus tunc habitaculum habebat, ad quem divinitus ita dictum eſt:

His tu parce locis, alter amicus adeſt.

Huc autem, hoc eſt in Caſſini arcem perveniens, in magna ſe ſemper abſtinentia coarctavit; ſed præcipue quadrageſimæ tempore incluſus & remotus à mundi ſtrepitu manſit. Hæc omnia ex Marci poëtæ carmine ſumſi, qui ad eundem patrem huc veniens aliquot verſus in ejus laudem compoſuit, quos in his libellis, cavens nimiam longitudinem, minime deſcripſi. Certum tamen eſt, hunc egregium patrem vocatum cœlitus ob hoc ad hunc fertilem locum, & cui opima vallis ſubjacet, adveniſſe, ut hic multorum monachorum, ſicut & nunc Deo præſule facta eſt, congregatio fieret. His curſim quæ omittenda non erant narratis, ad noſtræ ſeriem revertamur hiſtoriæ.

CAP. XXVII.

De morte Audoin & regno Alboin; & quomodo Alboin Cunimundum, regem Gepidorum, ſuperavit, & filiam ejus Roſemundam in matrimonium duxit.

IGitur Audoin, de quo præmiſeramus, Langobardorum Rex, Rodelindam in matrimonio habuit, quæ ei Alboin virum bellis aptum & per omnia ſtrenuum peperit. Mortuus itaque eſt Audoin, ac deinde, Regum jam decimus Alboin, ad regendam patriam cunctorum votis acceſſit. Qui cum famoſiſſimum & viribus clarum ubique nomen haberet, Chlotarius Rex Francorum Chlotſiundam ei ſuam filiam in matrimonium ſociavit, de qua unam tantum filiam Alpſiundam nomine genuit. Obiit interea Turiſendus Rex Gepidorum, cui ſucceſſit Gunimundus in regno. Qui vindicare

licare veteres Gepidorum injurias cupiens, rupto cum
Langobardis fœdere, bellum potius quam pacem ele-
rit. Alboin vero cum Avaribus, qui primum Hunni,
postea de Regis proprii nomine Avares appellati ſunt,
fœdus perpetuum iniit. Dehinc ad præparatum à Gepi-
dis bellum profectus eſt. Qui cum adverſus è diverſo
properarent, Avares, ut cum Alboin ſtatuerant, eo-
rum patriam invaſerunt. Triſtis ad Cunimundum
nuntius veniens, invaſiſſe Avares ejus terminos, edi-
xit. Qui proſtratus animo, & utriſque in anguſtiis
poſitus, hortatur tamen ſuos, primum cum Lango-
bardis confligere. Quos ſi ſuperare valerent, demum
Hunnorum exercitum è patria pellerent. Committi-
tur ergo prælium, pugnatumque eſt totis viribus.
Langobardi victores effecti ſunt, tanta in Gepidos
ira ſævientes, ut eos ad internecionem uſque delerent,
atque ex copioſa multitudine vix nuntius ſupereſſet.
In eo prælio Alboin Cunimundum occidit, caputque
illius ſublatum, ad bibendum ex eo, poculum fecit,
quod genus poculi apud eos ſchala dicitur, lingua vero
Latina patera vocitatur. Cujus filiam nomine Roſi-
mundam, cum magna ſimul multitudine diverſi ſe-
xus & ætatis, duxit captivam. Quam quia Clotſiunda
obierat, in ſuam ut poſt patuit perniciem duxit uxo-
rem. Tunc Langobardi tantam adepti ſunt prædam, ut
jam ad ampliſſimas pervenirent divitias. Gepidorum
vero genus ita eſt diminutum, ut ex illo tempore ultra
non habuerint regem, ſed univerſi qui ſupereſſe bello
poterant, aut Langobardis ſubjecti ſunt, aut uſque
hodie Hunnis eorum patriam poſſidentibus duro impe-
rio ſubjecti gemunt. Alboin vero ita præclarum longe
lateque nomen percrebuit, ut hactenus etiam tam apud
Bajoariorum gentem, quam & Saxonum, ſed & alios
ejuſdem linguæ homines, ejus liberalitas & gloria,
 bello-

bellorumque felicitas & virtus, in eorum carminibu celebretur. Arma quoque præcipua ſub eo fabricat: fuiſſe, à multis huc uſque narratur. Explicit Liber Primvs, de Gestis Langobardorvm.

DE GESTIS LANGOBARDORVM,

LIBER SECVNDVS.

Cap. I.

Quomodo Langobardi conducti à Narſete Chartulario, contra Gothos auxilium præſtiterunt.

IGitur cum circumquaque frequentes Langobardorum victoriæ perſonarent, Narſes Chartularius Imperialis, qui tunc præerat Italiæ, bellum adverſus Totilam Gothorum regem præparans, cum jam pridem Langobardos fœderatos haberet, legatos ad Alboin dirigit, quatenus ei pugnaturo cum Gothis auxilium miniſtraret. Tunc Alboin electam è ſuis manum direxit, qui Romanis adverſum Gothos ſuffragium ferrent, qui per maris Adriatici ſinum in Italiam tranſvecti, ſociatique Romanis, pugnam inierunt cum Gothis. Quibus uſque ad internecionem deletis, pariter cum Totila ſuo rege, honorati multis muneribus, victores ad propria remearunt. Omnique tempore, quo Langobardi Pannoniam poſſederunt, Romanæ Reipublicæ adverſum æmulos adjutores fuerunt.

Cap.

CAP. II.

Quomodo Narſes Buccellinum & Amingum Francorum regem ſuperavit. & de morte Leutharii tertii ducis.

HIs temporibus Narſes etiam Buccellino duci bellum intulit, quem Theudebertus Rex Francorum, cum in Italiam introiſſet, reverſus ad Gallias cum Hamingo alio duce, ad ſubjiciendam Italiam dereliquerat. Qui Buccellinus cum pene totam Italiam direptionibus vaſtaret, & Theudeberto ſuo regi de præda Italiæ munera copioſa conferret, cum in Campania hyemare diſponeret, tandem in loco cui Tannetum nomen eſt, gravi bello à Narſete ſuperatus, extinctus eſt. Hamingus vero dum Widin Gothorum comiti, contra Narſetem rebellanti, auxilium ferre conatus fuiſſet, utrique à Narſete ſuperati ſunt. Widin captus Conſtantinopolim exiliatur. Hamingus vero, qui ei auxilium præbuerat, Narſetis gladio perimitur. Tertius quoque Francorum dux nomine Leutharius, Buccellini germanus, dum multa præda onuſtus ad patriam cuperet reverti, inter Veronam & Tridentum, juxta lacum Benacum, propria morte defunctus eſt.

CAP. III.

Quomodo Narſes Sinduald Herulorum regulum ſibi rebellantem extinxit.

HAbuit nihilominus Narſes certamen adverſus Sinduald Brebtorum regem, qui adhuc de Herulorum ſtirpe remanſerat, quem ſecum in Italiam veniens, ſimul Odoacer adduxerat. Huic Narſes, fideliter ſibi primum adhærenti, multa beneficia contulit, ſed noviſſime ſuperbe rebellantem, & regnare cupientem, bello ſu-

lo ſuperatum & captum, celſa de trabe ſuſpendit. Eo tempore quoque Narſes patricius, per Dagiſteum magiſtrum militum, virum bellicoſum & fortem, univerſos Italiæ fines obtinuit. Hic Narſes prius quidem Chartularius fuit, deinde propter virtutum merita patriciatus honorem promeruit. Erat autem vir piiſſimus, in religione Catholicus, in pauperes munificus, in reparandis Baſilicis ſatis ſtudioſus, vigiliis & orationibus in tantum ſtudens, ut plus ſupplicationibus ad Deum profuſis, quam armis bellicis, victoriam obtineret.

CAP. IV.

De ſignis peſtilentiæ & mortalitate, quæ tempore Narſetis Italiam vaſtavit.

HVjus temporibus, in provincia præcipue Liguriæ, maxima peſtilentia exorta eſt. Subito enim apparebant quædam ſignacula per domos, oſtia, vaſa, vel veſtimenta, quæ ſi quis voluiſſet abluere, magis magiſque apparebant. Poſt annum vero expletum cœperunt naſci in inguinibus hominum, vel in aliis delicatioribus locis, glandulæ in modum nucis ſeu dactyli, quas mox ſequebatur febrium intolerabilis æſtus, ita ut in triduo homo extingueretur. Sin vero aliquis triduum tranſegiſſet, habebat ſpem vivendi. Erant autem ubique luctus, ubique lacrymæ. Nam, ut vulgi rumor habebat, fugientes cladem vitare, relinquebantur domus deſertæ habitatoribus, ſolis catulis eas ſervantibus: peculia ſola remanebant in paſcuis, nullo adſtante paſtore. Cerneres pridem villas ſeu caſtra repleta agminibus hominum, poſtera vero die univerſis fugientibus cuncta eſſe in ſummo ſilentio. Fugiebant filii, cadavera inſepulta parentum relinquentes. Parentes obliti

pietatis,

pietatis, viſcera, natos, relinquebant æſtuantes. Si quem forte antiqua pietas perſtringebat, ut vellet ſepelire proximum, reſtabat ipſe inſepultus; & dum obſequebatur, perimebatur; dum funeri obſequium præbebat, ipſi funus ſine obſequio manebat. Videres ſæculum in antiquum redactum ſilentium. Nulla vox in rure, nullus paſtorum ſibilus, nullæ inſidiæ beſtiarum in pecudibus, nulla damna in domeſticis volucribus. Sata transgreſſa metendi tempus, intacta exſpectabant meſſorem, vinea amiſſis foliis radiantibus uvis illæſa manebat. Hyeme propinquante, nocturnis vel diurnis horis perſonabat tuba bellantium, audiebatur à pluribus quaſi murmur exercitus. Nulla erant veſtigia commeantium, nullus cernebatur percuſſor, & tamen viſum oculorum ſuperabant cadavera mortuorum. Paſtoralia loca verſa fuerant in ſepulturam hominum, & habitacula humana facta fuerant confugia beſtiarum. Et hæc quidem mala intra Italiam tantum, uſque ad fines gentium Alamannorum & Bojariorum, ſolis Romanis acciderunt. Inter hæc Iuſtiniano principe vita decedente, Iuſtinus minor Rempublicam apud Conſtantinopolim regendam ſuſcepit. His quoque temporibus Narſes patricius, cujus ad omnia ſtudium vigilabat, Vitalem Epiſcopum Altinæ civitatis, qui ante annos plurimos ad Francorum regnum confugerat, hoc eſt, ad Agonthienſem civitatem, tandem comprehenſum, apud Siciliam exilio damnavit.

CAP. V.

De invidia Romanorum adverſus Narſetem.

IGitur deleta, ut dictum eſt, vel ſuperata, Narſes omni Gothorum gente, Hunnis quoque, de quibus dixi-

diximus, pari modo devictis, dum multum auri, sive argenti seu ceterarum specierum divitias adquisisset, magnam à Romanis, pro quibus multa contra eorum hostes laboraverat, invidiam pertulit. qui contra eum Iustino Augusto, & ejus conjugi Sophiæ, in hæc verba suggesserunt, dicentes: Quia expedierat Romanis, Gothis potius servire quam Græcis, ubi Narses imperat Eunuchus, & nos servitio premit, & hæc noster piissimus princeps ignorat: Aut libera nos de manu ejus, aut certe & urbem Romam, & nosmet ipsos gentibus trademus. Cumque hoc Narses audisset, hæc breviter retulit verba: Si male feci cum Romanis, male inveniam. Tunc Augustus in tantum adversus Narsetem commotus est, ut statim in Italiam Longinum mitteret præfectum, qui Narsetis locum obtineret. Narses vero his cognitis valde pertimuit; & in tantum, maxime ab eadem Sophia, Augusta, territus est, ut regredi ultra Constantinopolim non auderet. Cui illa inter cetera, quia eunuchus erat, hæc fertur mandasse, ut eum puellis in gynæceo lanarum faceret pensa dividere. Ad quæ verba Narses dicitur hæc responsa dedisse; Talem se eidem telam orditurum, qualem ipsa dum viveret deponere non posset. Itaque odio metuque exagitatus, in Neapolitanam civitatem secedens, legatos mox ad Langobardorum gentem dirigit; mandans ut paupertina Pannoniæ rura desererent, & ad Italiam, cunctis refertam divitiis, possidendam venirent. Simulque multimoda pomorum genera, aliarumque rerum species, quarum Italia ferax est, mittit, quatenus eorum ad veniendum animos posset illicere. Langobardi læta nuntia, & quæ ipsi præoptabant, gratanter suscipiunt, deque futuris commodis animos attollunt. Continuo apud Italiam terribilia noctu signa visa sunt, hoc est, igneæ acies in cælo apparuerunt,

eum

eum ſcilicet, qui poſtea effuſus eſt, ſanguinem coruſcantes.

CAP. VI.

Qualiter Alboin ad ſuum auxilium Saxones adſcivit.

ALboin vero ad Italiam cum Langobardis profecturus, ab amicis ſuis vetulis Saxonibus auxilium petit, quatenus ſpatioſam Italiam cum pluribus poſſeſſurus intraret. Ad quem Saxones pluſquam viginti millia virorum cum uxoribus ſimul & parvulis, ut cum eo ad Italiam pergerent, juxta ejus voluntatem venerunt. Hoc audientes Chlotarius & Sigisbertus Reges Francorum, Suavos aliaſque gentes in locis, de quibus iidem Saxones exierant, poſuerunt.

CAP. VII.

Quomodo Alboin cum Langobardis relicta Pannonia ad Italiam venit.

TVnc Albòin ſedes proprias, hoc eſt, Pannoniam, amicis ſuis Hunnis contribuit, eo ſcilicet ordine, ut ſi quo tempore Langobardis neceſſe eſſet reverti, ſua rurſus arva repeterent. Igitur Langobardi relicta Pannonia, cum uxoribus & natis, omnique ſupellectili Italiam properant poſſeſſuri. Habitaverunt autem in Pannonia annis quadraginta duobus; de qua egreſſi ſunt menſe Aprili, per indictionem primam, alio die poſt ſanctum paſcha, cujus feſtivitas eo anno, juxta calculi rationem, ipſis Kalendis Aprilibus fuit, cum jam, à domini incarnatione, anni quingenti ſexaginta octo eſſent evoluti.

CAP. VIII.

Quomodo Alboin ad Italiæ fines veniens montem regis adſcendit. & de biſontibus feris.

IGitur cum Rex Alboin cum omni exercitu ſuo, vulgique promiſcui multitudine, ad extremos Italiæ fines perveniſſet, montem qui in eiſdem locis prominet, aſcendit; indeque, prout conſpicere potuit, partem Italiæ contemplatus eſt. Qui mons propter hanc, ut fertur, cauſam ex eo tempore Mons regis appellatus eſt. Ferunt, in hoc monte biſontes feras enutriri; nec mirum, cum uſque ad Pannoniam pertingat, quæ horum animantium ferax eſt. Denique retulit mihi quidam veraciſſimus ſenex, tale ſe corium in hoc monte occiſi biſontis vidiſſe, in quo quindecim, ut ajebat, homines, unus juxta alium, potuiſſent cubare.

CAP. IX.

Quomodo Alboin Venetiarum fines ingreſſus in foro Iulii Giſulfum ſuum nepotem ducem conſtituit.

INdeque Alboin, cum Venetiæ fines, quæ prima eſt Italiæ provincia, ſine aliquo obſtaculo, hoc eſt, civitatis, vel potius caſtri Foro-Iuliani terminos, introiſſet, perpendere cœpit, cui potiſſimum primam provinciarum, quam ceperat, committere deberet. Siquidem omnis Italia, quæ verſus meridiem, vel potius in Eurum extenditur, Tyrrheni ſive Adriatici maris fluctibus ambitur, ab occiduo vero & Aquilone jugis Alpium ita circumcluditur, ut niſi per anguſtos meatus, & per ſumma juga montium, non poſſit habere introitum. Ab orientali vero parte, qua Pannoniæ conjungitur, & largius patentem & planiſſimum habet ingreſſum. Igi-

Igitur, ut diximus, dum Alboin animum intenderet, quem in his locis ducem constituere deberet, Gisulfum, ut fertur, suum nepotem, virum per omnia idoneum, qui eidem strator erat, quem lingua propria Marpahis appellant, Forojulianæ civitati, & toti regioni illius præficere statuit. Qui Gisulfus non prius se regimen ejusdem civitatis & populi suscepturum edixit, nisi ei quas ipse eligere voluisset Langobardorum Faras, hoc est, generationes, vel lineas tribueret. Factumque est, & annuente sibi rege, quas optaverat Langobardorum præcipuas prosapias, ut cum eo habitarent, accepit: & ita demum ductoris honorem adeptus est. Poposcit quoque à rege generosarum equarum greges, & in hoc quoque liberalitate principis exauditus est.

CAP. X.

Qui reges eo tempore Francis imperabant. & de Benedicto Papa.

HIs diebus quibus Langobardi Italiam invaserunt, Francorum regnum, mortuo jam rege Chlotario, ejus filii quadrifariè regebant divisum; primusque ex his Aripertus, sedem habebat apud Parisios: secundus vero Guntramnus, civiiati præsidebat Aurelianensi: tertius quoque, Hilpericus, cathedram habebat apud Suessionas, in loco Chlotarii patris sui: quartus nihilominus Sigisbertus apud urbem regnabat Mettensem. Hoc etiam tempore Romanam Ecclesiam vir sanctissimus benedictus Papa regebat. Aquileiensi quoque civitati ejusque populis beatus Paulus Patriarcha præerat. Qui Langobardorum barbariem metuens, ex Aquileia ad Grados insulam confugit, secumque omnem suæ thesaurum Ecclesiæ deportavit. Hoc anno

anno ſuperiori hyeme, tanta nix in planitie cecidit, quanta in ſummis Alpibus cadere ſolet. Sequenti vero æſtate, tanta fertilitas extitit, quanta nulla ætas aſſeveratur meminiſſe. Eo quoque tempore, comperta Hunni, qui & Avares, morte Chlotarii regis, ſuper Sigisbertum ejus filium irruunt. Quibus ille in Turingia occurrens, eos juxta Albim fluvium potentiſſime ſuperavit, eiſdemque petentibus pacem dedit. Huic Sigisberto de Hiſpaniis adveniens, Brunichildis matrimonio juncta eſt, de qua ille filium Childebertum nomine ſuſcepit. Rurſumque Avares cum Sigisberto in locis, ubi & prius, pugnantes, Francorum proterentes exercitum, victoriam ſunt adepti.

Cap. XI.

De morte Narſetis.

Narſes vero de Campania Romam regreſſus; ibidem, non poſt multum tempus, ex hac luce ſubtractus eſt. Cujus corpus poſitum in locello plumbeo, cum omnibus ejus divitiis Conſtantinopolim eſt perlatum.

Cap. XII.

De Felice Epiſcopo Tarviſiano.

Igitur Alboin cum ad fluvium Alpem veniſſet, ibi ei Felix Epiſcopus Tarviſianæ Eccleſiæ occurrit. Cui Rex, ut erat largiſſimus, omnes ſuæ Eccleſiæ facultates poſtulanti conceſſit, & per ſuum Pragmaticum poſtulata firmavit.

Cap.

CAP. XIII.

De hoc eodem Felice, & Fortunato sapientissimo viro.

SAne quia hujus Felicis fecimus mentionem, libet quoque pauca nos de venerabili & sapientissimo viro Fortunato retexere, qui hunc Felicem, suum asseverat socium fuisse. Denique hic de quo loquimur Fortunatus, natus quidem in loco qui Duplavilis dicitur, fuit: qui locus haud longe à Cenitensi Castro, vel Tarvisiana distat civitate; sed tamen Ravennæ nutritus & doctus, in arte Grammatica, sive Rhetorica, seu etiam Metrica, clarissimus extitit. Hic cum oculorum dolorem vehementissimum pateretur, & nihilominus Felix iste ipsius socius pari modo oculos doleret, uterque ad Basilicam beatorum Pauli atque Iohannis, quæ intra eandem urbem sita est, perrexerunt, in qua etiam altarium in honorem Beati Martini confessoris constructum propinquam habet fenestram, in qua lucerna ad exhibendum lumen est constituta, de cujus oleo, mox sibi isti, Fortunatus scilicet & Felix, dolentia lumina tetigerunt: Illico dolore fugato, sanitatem, quam optabant, adepti sunt. Quà de causa Fortunatus in tantum beatum Martinum veneratus est, ut relicta patria, paulo ante quam Langobardi Italiam invaderent, Turonis ad ejusdem beati viri sepulchrum properaret. Qui sibi, ut in suis ipse carminibus refert, illuc properanti per fluentilia Menti & Rounam, perque Osupum & Alpem Iuliam, perque Aguntum castrum, Dravumque & Byrrum fluvios, ad Briones & Augustam civitatem, quam Virdo & Lech fluentant, iter fuisse describit. Qui postquam Turonum juxta votum proprium advenit, Pictavis pertransiens illic habitavit, & multorum ibidem sanctorum gesta, partim prosa,

prosa, partim metrali oratione conscripsit. Novissimeque in eadem civitate primum presbyter, deinde Episcopus ordinatus est, atque in eodem loco digno tumulatus honore quiescit. Hic beati Martini vitam quatuor in libris Heroico versu contexuit, & multa alia, maximeque hymnos singularum festivitatum, & præcipue ad singulos amicos versiculos, nulli poëtarum secundus, suavi & diserto sermone composuit. Ad cujus ego tumulum, cum illuc orationis gratia adventassem, hoc Epitaphium, rogatus ab Apro, ejusdem loci Abbate, scribendum contexui.

Ingenio clarus, sensu celer, ore süavis,
Cujus dulce melos pagina multa canit;
Fortunatus apex vatum, venerabilis actu,
Ausonia genitus hac tumulatur humo.
Cujus ab ore sacro sanctorum gesta priorum
Discimus: hæc monstrant carpere lucis iter.
Felix quæ tantis decoraris Gallia gemmis,
Lumine de quarum nox tibi tetra fugit.
Hos modicos promsi plebeio carmine versus,
Ne tuus in populis sancte lateret honor.
Redde vicem misero, ne judice spernar ab æquo;
Eximius meritis posce beate precor.

Hæc paucis de tanto viro, ne ejus vitam sui cives funditus ignorarent, delibavimus; nunc ad historiæ seriem revertamur.

Cap. XIV.

Quomodo Alboin Venetiarum provinciam cepit.

IGitur Alboin Vincentiam Veronamque & reliquas Venetiæ civitates, exceptis Patavio & Montesilicis, & Mantua, cepit. Venetia enim non solum in paucis insulis, quas nunc Venetias dicimus, constat; sed ejus

jus terminus à Pannoniæ finibus uſque Adduam flu-
ium protelatur. Probatur hoc Annalibus libris, in
uibus Pergamus civitas eſſe legitur Venetiarum. Nam
c de lacu Benaco in hiſtoriis ita legimus. Benacus la-
us Venetiarum, de quo Mintius fluvius egreditur.
neti enim, licet apud Latinos una littera addatur, Græ-
è laudabiles dicuntur. Venetiæ etiam Hiſtria conne-
ἀitur, & utræque pro una provincia habentur. Hi-
tria autem ab Hiſtro flumine cognominatur, quæ ſe-
undum Romanam hiſtoriam amplior, quam nunc
ſt, fuiſſe perhibetur. Hujus Venetiæ Aquileia civi-
as extitit caput, pro qua nunc Forum-Iulii, ita di-
tum, quod Iulius Cæſar negotiationis forum ibi ſta-
uerat, habetur.

CAP. XV.

De Liguria, ſecunda Italiæ provincia.

NOn ab re eſſe arbitror, ſi etiam ceteras Italiæ pro-
vincias breviter adtingamus. Secunda provincia
Liguria, à legendus, id eſt, colligendis leguminibus,
quorum ſatis ferax eſt, nominatur. in qua Mediola-
num eſt; & Ticinus, quæ alio nomine Papia appellatur.
Hæc uſque ad Gallorum fines extenditur. Inter hanc
& Suaviam, hoc eſt, Alemannorum patriam, quæ
verſus ſeptentrionem eſt poſita, duæ provinciæ, id
eſt, Rhetia prima & Rhetia ſecunda, inter Alpes
conſiſtunt, in quibus proprie Rheti habitare no-
ſcuntur.

Cap. XVI.

De quinta Italiæ provincia, quæ Alpes Cottiæ appellantur. & de sexta, quæ Thuscia dicitur.

QVinta vero provincia Alpes Cottiæ dicuntur, quæ sic à Cottio Rege, qui Neronis tempore fuit, appellatæ sunt. hæc à Liguria, in Eurum versus, usque ad mare Tyrrhenum extenditur, ab occiduo vero Gallorum finibus copulatur. In hac Aquis, ubi aquæ calidæ sunt, Dertona, & monasterium Bobium, Genua quoque & Saona civitates habentur. Sexta provincia Tuscia est, quæ à thure, quod populus illius superstitiose in sacrificiis deorum suorum incendere solebat, sic appellata est. Hæc habet intra se Circium versus Aureliam, ab Orientis vero parte Vmbriam. In hac provincia Roma, quæ olim totius mundi caput extitit, est constituta. In Vmbria vero quæ istius in parte ponitur, Perusium & lacus Clitorius, Spoletumque, consistunt. Vmbra autem dicta est, quod imbribus superfuerit, quum aquosa clades olim populos devastaret.

Cap. XVII.

De Campania Italiæ septima provincia. & de Lucania sive Britia, quæ est octava.

SEptima quoque provincia Campania, ab urbe Roma usque ad Siler Lucaniæ fluvium perducitur in qua opulentissimæ urbes, Capua, Neapolis, & Salernus, constitutæ sunt. Quæ ideo Campania appellata est, propter uberrimam Capuæ planitiem; ceterum ex maxima parte montuosa est. Porro octava Lucania, quæ nomen à quodam luco accepit, à Silere fluvio inchoat cum Brutia, quæ ita à reginæ quondam suæ nomine appel-

appellata est, usque ad fretum Siculum, per ora maris Tyrrheni, sicut & duæ superiores, dextrum Italiæ cornu tenens, pertingit, in qua Pestus & Lanius, Cassianum & Consentia, Rhegiumque, sunt positæ civitates.

CAP. XVIII.

De Appenninis Alpibus; quæ nona est Italiæ provincia. & de Emilia, quæ est decima.

NOna denique provincia in Appenninis Alpibus nuncupatur, quæ inde originem capiunt, ubi Cottiarum Alpes finiuntur. Hæ Appenninæ Alpes per mediam Italiam pergentes, Tusciam ab Æmilia, Vmbriamque à Flaminia dividunt. In qua sunt civitates, Ferronianus & Montepellium, Bobium & Vrbinum, nec non & oppidum quod Verona appellatur. Alpes autem Appenninæ dictæ sunt à Punicis, hoc est Hannibale & ejus exercitu, qui per easdem Romam tendentes transitum habuerunt. Sunt qui Alpes Cottias, & Appenninas, unam dicant esse provinciam: sed hos Victorini revincit Historia, quæ Alpes Cottias per se provinciam appellat. Decima porro Æmilia, à Liguria incipiens inter Appenninas Alpes & Padi fluenta, versus Ravennam pergit. Hæc locupletibus urbibus decoratur, Placentia scilicet Parmaque, Rhegio, & Bononia, Corneliique foro, cujus castrum Imolas appellatur. Extiterunt quoque qui Aemiliam & Valeriam, Nursiamque, unam provinciam dicerent; sed horum sententia stare non potest, quia inter Aemiliam & Valeriam, Nursiamque, Tuscia & Vmbria sunt constitutæ.

Cap. XIX.

De Flaminia, undecima Italiæ provincia; & de Piceno, quæ duodecima computatur.

DEhinc undecima provinciarum eſt Flaminia, quæ inter Appenninas alpes & mare eſt Adriaticum poſita; in qua nobiliſſima urbium Ravenna, & quinque aliæ civitates conſiſtunt, Græco vocabulo Pentapolis dictæ. Conſtat autem, Aureliam, Æmiliamque, & Flaminiam, à conſtratis viis, quæ ab urbe Roma veniunt, & ab eorum vocabulis, à quibus ſunt conſtratæ, talibus nominibus appellari. Poſt Flaminiam duodecima Picenus occurrit, habens ab auſtro Apenninos montes, ex altera vero parte Adriaticum mare. Hæc uſque ad fluvium Piſcarium pertendit, in qua ſunt civitates, Firmus, Aſculus, & Pinnis, & vetuſtate conſumpta Adria, quæ Adriatico pelago nomen dedit. Hujus habitatores cum à Sabinis illuc properarent, in eorum vexillo picus conſedit, atque hac de cauſa Picenus nomen accepit.

Cap. XX.

De Valeria & Nurſia, quæ pro tertia decima ponitur; & Samnio, quæ eſt decima quarta.

POrro tertiadecima provincia Valeria, cui eſt Nurſia annexa, inter Vmbriam & Campaniam Picenumque conſiſtit; quæ ab oriente Samnitum regionem attingit. Hujus pars occidua, quæ ab urbe Roma initium capit, olim ab Etruſcorum populo Etruria dicta eſt. Hæc habet urbes, Tyburim, Carſilis, Reate, Furconam, & Amiternum, regionemque Marſorum, & eorum lacum qui Fucinus appellatur. Marſorum quoque regio-

regionem,ideo intra Valeriam provinciam æstimo computari, quia in catalogo provinciarum Italiæ minime ab antiquis descripta est. Si quis autem hanc per se provinciam esse vera ratione comprobaverit,hujus rationabilis sententia modis erit omnibus tenenda. Quartadecima Samnium,intra Campaniam & mare Adriaticum,Apuliamque à Piscaria incipiens habetur. In hac sunt urbes, Theate, Aufidena, Hisernia, & antiquitate consumta Samnium, à qua tota provincia nominatur, & ipsa harum provinciarum caput ditissima Beneventus. Porro Samnites nomen accepere olim ab hastis, quas ferre solebant, quasque Græci Samia appellant.

CAP. XXI.

De Calabria & Apulia, & Salenta, quæ decima quinta provincia appellatur.

QVintadecima provinciarum est Apulia, cum sociata sibi Calabria, intra quam est regio Salentina. Hæc ab occidente vel Africo habet Samnium & Lucaniam: à solis vero ortu Adriatico pelago finitur. Hæc habet urbes satis opulentas, Luceriam, Sepontum, Canusium, Agerentiam, Brundisium, & Tarentum, & in sinistro Italiæ cornu, quod quinquaginta millibus extenditur, aptam mercimoniis Hydruntum. Apulia autem à perditione nominatur. citius enim ibi solis fervoribus terræ virentia perduntur. Sextadecima provincia, Sicilia insula computatur, quæ Tyrrheno mari seu Ionio alluitur, de Siculi ducis proprio nomine nuncupatur. Septimadecima Corsica. Octavadecima Sardinia ponitur, quæ utræque Tyrrhenis fluctibus ambiuntur. Porro Corsica, à duce suo Corso,Sardinia à Sarde Herculis filio nominatur.

Cap. XXII.

Sextadecima provincia Italiæ Sicilia est. Septima decima Corsica, octavadecima Sardinia.

CErtum est tamen, Liguriam, & partem Venetiæ, Æmiliam quoque Flaminiamque, veteres Histostoriographos Galliam Cisalpinam appellasse. Inde est quod Donatus Grammaticus, in expositione Virgilii, Mantuam in Gallia esse dixit. Indeque est quod in Romana historia legitur, Ariminum in Gallia constitutum. Siquidem antiquissimo tempore, Brennus Rex Gallorum, qui apud Senonas urbem regnabat, cum trecentis millibus Gallorum Senonum ad Italiam venit, eamque usque ad Seno-Galliam, quæ à Gallis Senonibus vocitata est, occupavit. Causa autem cur Galli in Italiam venerint, hæc fuisse describitur. Dum enim vinum degustassent ab Italia delatum, aviditate vini illecti, ad Italiam transierunt. Horum centum millia non longe à Delphis insula properantes, Græcorum gladiis extincta sunt. Alia vero centum millia in Galatiam ingressa, primum Gallo-Græci, postea vero Galatæ appellati sunt. Et hi sunt quibus doctor gentium scripsit Epistolam Paulus. Centum millia quoque Gallorum, quæ in Italia remanserunt, Ticinum, Mediolanumque, Pergamum, Brexiamque construentes, Cisalpinæ Galliæ regioni nomen dederunt. Istique sunt Galli Senones, qui olim urbem Romuleam invaserunt. Sicut enim dicimus Galliam Transalpinam, quæ ultra Alpes habetur: Sic Galliam hac parte quæ infra Alpes est, vocitamus Cisalpinam.

CAP. XXIII.

Ob quam causam aliqua pars Italiæ, Cisalpina vocatur Gallia.

ITalia quoque quæ has provincias continet, ab Italo Siculorum duce, qui eam antiquitus invasit, nomen accepit. Sive ob hoc Italia dicitur, quia magni in ea boves, hoc est, Itali habentur. Ab eo namque quod est Italus, per diminutionem licet una litera addita, altera immutata, vitulus appellatur.

CAP. XXIV.

Quare Italia sic vocitatur; ut quid etiam Ausonia vel Latium dicitur.

ITalia etiam Ausonia dicitur, ab Ausone Vlyssis filio. Primitus tamen Beneventana regio hoc nomine appellata est, postea vero tota sic cœpit Italia vocitari. Dicitur quoque etiam Latium Italia, pro eo quod Saturnus Iovem filium suum fugiens, intra eam invenisset latebram. Igitur postquam de Italiæ provinciis, vel ipsius nomine, intra quam res gestas describimus, sufficienter est dictum, nunc ad historiæ ordinem redeamus.

CAP. XXV.

Quomodo Alboin Mediolanum ingressus est.

ALboin igitur Liguriam introiens, indictione ingrediente tertia, tertio Nonas Septembris, sub temporibus Honorati Archiepiscopi, Mediolanum ingressus est. Dehinc universas Liguriæ civitates, præter has quæ in littore maris sunt positæ, cepit. Honoratus

noratus vero Archiepiſcopus Mediolanum deſerens, ad Genuenſem urbem confugit. Paulus quoque Patriarcha, annis duodecim ſacerdotium gerens, ab hac luce ſubtractus eſt, regendamque Eccleſiam Probino reliquit.

CAP. XXVI.

Quomodo Ticinenſis civitas tribus annis obſeſſa eſt, & Langobardi Tuſciam invaſerunt.

TIcinenſis eo tempore civitas ultra tres annos obſidionem perferens, ſe fortiter continuit: Langobardorum exercitu non procul juxta eam ab occidentali parte reſidente. Interim Alboin ejectis militibus invaſit omnia, uſque ad Tuſciam, præter Romam & Ravennam, vel aliqua caſtella quæ erant in littore maris conſtituta. Nec erat tunc virtus Romanis, ut reſiſtere poſſent, quia & peſtilentia, quæ ſub Narſete facta eſt, plurimos in Liguria & Venetiis extinxerat, & poſt annum quem diximus fuiſſe ubertatis, fames nimia ingruens, univerſam Italiam devaſtabat. Certum eſt autem, tunc Alboin multos ſecum ex diverſis, quas vel alii reges, vel ipſe ceperat, gentibus ad Italiam adduxiſſe, unde uſque hodie eorum in quibus habitant vicos, Gepidos, Bulgares, Sarmatas, Pannonios, Suavos, Noricos, ſive aliis hujuſcemodi nominibus appellamus.

CAP. XXVII.

Quomodo Alboin Ticinum ingreſſus eſt.

AT vero Ticinenſis civitas poſt tres annos & aliquot menſes obſidionem perferens, tandem ſe Alboin & Langobardis obſidentibus tradidit. In quam cum

cum Alboin per portam, quæ dicitur Sancti Iohannis, ab Orientali urbis parte introiret, equus ejus in portæ medio concidens, quamvis calcaribus ſtimulatus, quamvis hinc inde ab ſtratore verberibus cæſus, non poterat elevari. Tunc unus ex eiſdem Langobardis, taliter regem allocutus eſt, dicens: Memento domine Rex, quale votum voviſti. Frange tam durum votum, & ingredieris urbem. Vere etenim Chriſtianus eſt populus in hac civitate. Siquidem Alboin voverat, quod univerſum populum, quia ſe tradere noluiſſet, gladio extingueret. Qui poſtquam tale votum dirumpens, civibus indulgentiam promiſit, mox equus ejus conſurgit, ipſe civitatem ingreſſus, nulli læſionem inferens, in ſua promiſſione permanſit. Tunc ad eum omnis populus in palatium, quod quondam Rex Theudericus conſtruxerat concurrens, poſt tantas animum miſerias, de ſpe jam fidus futura, cœpit relevare.

CAP. XXVIII.

Quomodo Alboin, poſtquam tribus regnavit annis, conſilio ſuæ conjugis, ab Helmichis interfectus eſt.

QVi Rex poſtquam in Italia tres annos & ſex menſes regnavit, inſidiis ſuæ conjugis interemptus eſt. Cauſa autem interfectionis ejus hæc fuit. Cum in convivio, ultra quam oportuerat, apud Veronam lætus reſideret, cum poculo quod de capite Cunimundi regis, ſui ſoceri, fecerat, reginæ ad bibendum vinum dari præcepit, atque eam ut cum patre ſuo lætanter biberet, invitavit. Hoc ne cui videatur impoſſibile, veritatem in Chriſto loquor. ego hoc poculum vidi, in quodam die feſto, Ratchis principem, ut illud convivis ſuis oſtentaret, manu tenentem. Igitur Roſemunda ubi rem animadvertit, altum concipiens in

corde dolorem, quem compeſcere non valens, mox in mariti necem, patris funus vindicatura exarſit. Conſiliumque mox cum Helmichis, qui regis Schilpor, hoc eſt armiger, & collactaneus erat, ut regem interficeret, iniit. Qui reginæ perſuaſit, ut ipſa Peredeo, qui erat vir fortiſſimus, in hoc conſilium adſciret. Peredeo cum reginæ ſuadenti tanti nefas conſenſum adhibere nollet, illa ſe noctu in lectulo ſuæ Veſtiariæ, cum qua Peredeo ſtupri conſuetudinem habebat, ſuppoſuit. ubi Peredeo rem neſcius veniens cum regina concubuit. Cumque illa, patrato jam ſcelere, ab eo quæreret, quam ſe eſſe exiſtimaret, & ipſe nomen ſuæ amicæ, quam eſſe putabat, nominaſſet, regina ſubjunxit: Nequaquam ut putas, ſed ego Roſemunda ſum; inquit. Certe nunc talem rem Peredeo perpetratam habes, ut aut tu Alboin interficias, aut ipſe te ſuo gladio extinguat. Tunc ille intellexit malum quod fecit, & qui ſponte noluerat, tali modo in regis necem coactus aſſenſit. Tunc Roſemunda, dum ſe Alboin meridie ſopori dediſſet, magnum in Palatio ſilentium fieri præcipiens, omnia alia arma ſubtrahens, ſpatham illius ad lectuli caput, ne tolli aut evaginari poſſet, fortiter colligavit, & juxta conſilium Helmichis Peredeo interfectorem, omni beſtia crudelior, introduxit. Alboin ſubito de ſopore expergefactus, malum quod imminebat intelligens, manum citius ad ſpatham porrexit. quam ſtrictius religatam extrahere non valens, apprehenſo tamen ſcabello ſuppedaneo, ſe cum eo per aliquod ſpatium defendit. Sed heu proh dolor, vir bellicoſiſſimus & ſummæ audaciæ, nihil contra hoſtem prævalens, quaſi unus de inermibus interfectus eſt, uniuſque mulierculæ conſilio periit, qui per tot hoſtium ſtrages bello famoſiſſimus extitit. Cujus corpus cum maximo Langobardorum fletu & lamentis, ſub cujuſdam ſcalæ

adſcen-

adſcenſu, quæ palatio erat contigua, ſepultum eſt. Fuit autem ſtatura procerus, & ad bella peragenda toto corpore coaptatus. Hujus tumulum noſtris in diebus Giſelbertus, qui dux Veronenſium fuerat, aperiens, ſpatham ejus, & ſi quid in ornatu ipſius inventum fuerat, abſtulit. Qui ob hanc cauſam vanitate ſolita apud indoctos homines, Alboin ſe vidiſſe, jactabat.

CAP. XXIX.

Helmechis regnare voluit, ſed non potuit.

IGitur Helmichis extincto Alboin, regnum ejus invadere conatus eſt: ſed minime potuit, quia Langobardi nimium de morte illius dolentes, eum moliebantur extinguere. Statimque Roſemunda Longino Præfecto Ravennæ mandavit, ut citius navem dirigeret, quæ eos ſuſcipere poſſet. Longinus tali nuntio lætus effectus, feſtinanter navem direxit, in quam Helmichis, cum Roſemunda jam ſua conjuge, noctu fugientes ingreſſi ſunt, auferenteſque ſecum Albſuindam regis filiam, & omnem Langobardorum theſaurum, velocius Ravennam pervenerunt. Tunc Longinus Præfectus ſuadere cœpit Roſemundæ, ut Helmichis interficeret, & ejus ſe nuptiis copularet. Illa, ut erat ad omnem nequitiam facilis, dum optat Ravennatium domina fieri, ad tantum perpetrandum facinus aſſenſum dedit, atque dum Helmichis ſe in balneo ablueret, egredienti ei de lavacro veneni poculum, quod ſalutis eſſe aſſeverabat, propinavit. Ille ubi ſenſit ſe mortis poculum bibiſſe, Roſemundam, evaginato ſuper eam gladio, quod reliquum erat bibere, coëgit. Sicque dei omnipotentis judicio interfectores iniquiſſimi uno momento perierunt.

CAP. XXX.

Quomodo Longinus post eorum mortem Albsuindam cum Langobardorum thesauro Imperatori direxit: & de Peredeo, quomodo in Constantinopoli leonem occidit.

HIs ita peremptis, Longinus præfectus Albsuindam cum Langobardorum thesauris Constantinopolim ad Tiberium imperatorem direxit. Affirmant aliqui, etiam Peredeum pariter cum Helmichis & Rosemunda Ravennam venisse, atque exinde cum Albsuinda Constantinopolim directum esse, ibique in spectaculo populi coram Imperatore leonem miræ magnitudinis occidisse. Cui, ut ferunt, ne aliquid malignum in regia urbe, quia vir fortis erat, moliretur, jussu Imperatoris oculi evulsi sunt. Qui sibi post aliquod tempus duos cultellos aptavit, quibus in utrisque suis manicis absconsis, palatium petiit, atque se quædam ad Augusti utilitatem, si ad eum intromitteretur, locuturum promisit. Ad quem Augustus duos sibi familiares, qui ejus verba susciperent, patricios misit. Qui cum ad Peredeum venissent, ille ad eos, quasi aliquid eis secretius dicturus propior accessit, atque ambos utraque manu gladiis, quos absconsos habebat, fortiter vulneravit, ita ut statim in terram corruerent & expirarent. Sic, Samsonis illius fortissimi ex aliqua parte non absimilis, suas injurias ultus est, & pro amissione duorum luminum, duos Imperatori viros utilissimos interemit.

CAP. XXXI.

De regno Cleph, qui secundus regnavit.

LAngobardi vero apud Italiam, omnes communi consilio, Cleph nobilissimum de suis virum in urbe Tici-

Ticinensium sibi regem statuerunt. Hic multos Romanorum viros potentes, alios gladio extinxit, alios ab Italia exturbavit. Iste cum annum unum & sex menses, cum Massana sua conjuge, regnum obtinuisset, à puero de suo obsequio gladio jugulatus est.

CAP. XXXII.

Quomodo duces Langobardorum per decem annos sine rege fuerunt, per quos Italia subjugata est.

POst cujus mortem Langobardi per annos decem regem non habentes sub ducibus fuerunt. Vnusquisque enim ducum suam civitatem obtinebat. Zaban Ticinum: Waillari Bergamum: Alachis Brixiam: Euin Tridentum: Gisulfus Forum-Iulii. Sed & alii extra hos in suis urbibus triginta duces fuerunt. His diebus multi nobilium Romanorum ob cupiditatem interfecti sunt: reliqui vero, per hostes divisi, ut tertiam partem suarum frugum Langobardis persolverent, tributarii efficiuntur. Per hos Langobardorum duces, septimo anno ab adventu Albuvin, & totius gentis spoliatis Ecclesiis, sacerdotibus interfectis, civitatibus subrutis, populisque, qui more segetum excreverant, extinctis, exceptis his regionibus, quas Albuvin ceperat, Italia ex maxima parte capta, & à Langobardis subjugata est. EXPLICIT LIBER SECVNDVS, DE GESTIS LANGOBARDORVM.

DE GESTIS LANGOBARDORVM.

LIBER TERTIVS.

CAP. I.

Quia Duces Langobardorum ad prædandam in Gallia directi sunt.

IGitur aliquanti ex ducibus Langobardorum, cum valido exercitu Gallias ingrediuntur. Horum adventum vir dei Hoſpitius, qui apud Nicæam erat incluſus, ſancto ſibi revelante ſpiritu, longe ante prævidit, ejuſdemque urbis civibus quæ mala imminerent prædixit. Erat enim vir iſte magnæ abſtinentiæ, & probabilis vitæ, qui conſtrictus carnem catenis ferreis, induto deſuper cilicio, ſolo pane in cibo cum paucis dactylis utebatur. In diebus autem quadrageſimæ, radicibus herbarum Ægyptiarum, quibus Eremitæ utuntur, exhibentibus ſibi negotiatoribus, alebatur. Per hunc dominus magnas virtutes operari dignatus eſt, quæ ſcriptæ habentur in libris venerabilis viri Gregorii Turonenſis Epiſcopi. Igitur vir iſte ſanctus adventum Langobardorum in Gallias hoc modo prædixit. Venient, inquit, Langobardi in Gallias, & devaſtabunt civitates ſeptem, eo quod increverit malitia eorum in conſpectu Domini. Eſt enim omnis populus perjuriis deditus, furtis obnoxius, rapinis intentus, homicidiis promptus, in quibus non eſt juſtitiæ fructus. Non decimæ dantur, non pauper alitur, non tegitur nudus, non ſuſcipitur hoſpitio peregrinus. Ideo hæc plaga ventura eſt ſuper populum iſtum. Monachis quoque

ſuis

ſuis præcipiens dixit: Abſcedite vos à loco iſto, auferentes vobiſcum quæ habetis. Ecce enim gens appropiat quam prædixi. Dicentibus illis, Non relinquemus te ſanctiſſime pater; ait, Nolite timere pro me. Futurum eſt enim ut injurias inferant mihi, ſed non nocebunt uſque ad mortem.

CAP. II.

De Langobardo qui beatum Hoſpitium extinguere voluit.

DIſcedentibus autem monachis, advenit exercitus Langobardorum. Qui dum cuncta quæ repererat, vaſtaret, ad locum ubi vir ſanctus incluſus erat, pervenit. At ille per feneſtram turris ſe eis oſtendit. Illi vero circumeuntes turrim, dum aditum quærerent, per quem ad eum ingredi poſſent, & minime invenirent, duo ex eis adſcendentes tectum diſcooperuerunt illud. Et videntes eum cinctum catenis, indutumque cilicio, dicunt: Hic malefactor eſt, & homicidium fecit, ideo in his ligaminibus vinctus tenetur. Vocatoque interprete, ſciſcitantur ab eo quid mali fecerit, ut tali ſupplicio artaretur. At ille fatetur ſe homicidam eſſe, omniumque criminum reum. Tunc unus extracto gladio, ut ejus caput amputaret, mox ejus dextra in ipſo ictu diriguit, nec eam ad ſe potuit revocare. Qui relictum gladium terræ dejecit. Hæc videntes ſocii ejus, clamorem in cœlo dederunt, flagitantes à ſancto, ut, quid eis agendum eſſet, clementer inſinuaret. Ipſe vero impoſito ſalutis ſigno, arens brachium ſanitati reſtituit. Langobardus autem qui ſanatus fuerat, & ad fidem Chriſti converſus, ſtatim clericus, deinde monachus effectus eſt, atque in eodem loco, uſque ad finem vitæ ſuæ, in dei ſervitio permanſit. Beatus vero Hoſpitius dum Langobardis Dei verbum loqueretur,
duo

duo duces, qui eum venerabiliter audierunt, incolumes patriæ redditi sunt; quidam vero, qui ejus verba despexerant, in ipsa provincia miserabiliter perierunt.

Cap. III.

Quomodo Langobardorum exercitui Amatus Patricius bellum intulit, & quomodo ab eisdem victus est & occisus.

IGitur devastantibus Langobardis Gallias, Amatus Patricius provinciæ, qui Guntramno Regi Francorum parebat, contra eos exercitum duxit, commissoque bello terga vertit, ibique extinctus est. Tantamque stragem tunc Langobardi de Burgundionibus fecerunt, ut non possit colligi numerus occisorum. Ditatique inæstimabili præda, ad Italiam revertuntur.

Cap. IV.

Quomodo Langobardi Galliam ingressi à Mummulo Patricio sunt devicti.

QVibus discedentibus Ennius, qui & Mummulus, accersitus à rege patriciatus honorem emeruit. Irruentibus iterum Langobardis in Gallias, & usque Mustiascalmes accedentibus, qui locus Ebredunensi adjacet civitati, Mummulus exercitum movit, & cum Burgundionibus illic proficiscitur. Circumdatisque Langobardis cum exercitu, factis etiam concisis per devia silvarum, irruit super eos, multosque ex eis interfecit. Nonnullos vero cepit, & regi suo Guntramno direxit. Langobardi quoque, his patratis, ad Italiam sunt regressi.

CAP. V.

Quomodo Saxones cum Langobardis in Italiam venerunt.

POst hæc Saxones, qui cum Langobardis in Italiam venerant in Gallias perrumpunt, & intra territorium Rhegense, id est, apud Stablonem villam, castra constituunt, discurrentes per villas urbium vicinarum, diripientes prædas, abducentes captivos, vel etiam cuncta vastantes. Quod cum Mummulus comperisset, super eos cum exercitu irruit, multósque ex eis interfecit, ac donec nox finem faceret, cædere non cessavit. Ignaros enim repererat homines, & nihil de iis quæ acciderant autumantes. Mane autem facto statuunt Saxones exercitum, præparantes se fortiter ad bellum, sed intercurrentibus nuntiis pacem fecerunt. Datisque muneribus Mummulo, relictis captivis & universa præda, ad Italiam revertuntur.

CAP. VI.

Quomodo Saxones cum uxoribus & parvulis suis iterum Galliam ingressi sunt.

IGitur regressi Saxones in Italiam, assumtis secum uxoribus atque parvulis suis, cum omni supellectili, rursum ad Gallias deliberant venire, scilicet ut à Sigisberto rege suscepti, ejus possint adjutorio ad patriam remeare. Certum est autem, hos Saxones ideo ad Italiam cum uxoribus & parvulis advenisse, ut in ea habitare deberent. Sed quantum datur intelligi, noluerunt Langobardorum imperiis subjacere. Sed neque eis à Langobardis permissum est in proprio jure subsistere, ideoque æstimantur ad suam propriam repedasse. Hi Gallias ingressuri, duos ex se cuneos faciunt,& unus

quidem cuneus per Nicæam urbem, alter vero per Ebredunum ingreſſus eſt, illa revertens via, quam anno ſuperiore tenuerat. Hi quia tempus meſſium erat, colligentes ac triturantes frumenta comedebant, ac ſuis animantibus ad eſum præbebant. Deprædabantur pecora, ſed nec ab incendiis abſtinebant. Qui cum ad Rhodanum amnem perveniſſent, ut tranſmeato eo regno ſe Sigisberto conferrent, occurrit eis Mummulus cum valida multitudine. Tunc ille viſo eo valde timentes, datis pro redemptione ſua multis aureis numiſmatibus, Rhodanum tranſire permiſſi ſunt. Qui dum ad Sigisbertum regem pergunt, multos in itinere negotiatione ſua deceperunt, venundantes regulas æris, quæ ita neſcio quomodo erant coloratæ, ut auri probati atque examinati ſpeciem ſimularent. Vnde nonnulli hoc dolo ſeducti, dantes aurum, & æs accipientes, pauperes ſunt effecti. Pervenientes tandem ad regem Sigisbertum, ad locum unde prius egreſſi fuerant, redire permiſſi ſunt.

Cap. VII.

Quomodo Saxones de patria ſua Suavos & alias gentes, quæ ibi reſidebant, expulere.

Qvi dum ad ſuam patriam veniſſent, invenerunt, eam à Suavis & aliis gentibus, ſicut ſupra commemoravimus, retineri. Contra quos inſurgentes, conati ſunt eos deſtruere ac delere. At illi obtulerunt eis tertiam partem regionis, dicentes: Simul poſſumus vivere, & ſine colliſione communiter habitare. Cumque illi nullo modo acquieſcerent, dehinc obtulerunt eis medietatem; poſt hæc duas partes, ſibi tantum tertiam reſervantes. Nolentibus autem illis, obtulerunt cum terra etiam omnia pecora, tantum ut à bello ceſſarent.

Sed

Sed nec iis Saxones adquiescentes, certamen expetunt, atque inter se ante certamen, qualiter uxores Suavorum dividerent, statuunt. Sed non eis ut putabant, evenit. Nam commisso prælio, viginti millia ex eis interempta sunt. Suavorum vero quadringenti octoginta ceciderunt, reliqui vero victoriam capiunt. Sex millia quoque Saxonum, qui bello superfuerant, devoverunt, se neque barbam neque capillos incisuros, nisi se de hostibus Suavis ulciscerentur. Qui iterum pugnam aggredientes, vehementer adtriti sunt, & sic à bello quieverunt.

CAP. VIII.

Quomodo tres duces Langobardorum, hoc est, Amo, Zaban & Rhodanus, à Mummulo devicti sunt.

POst hæc tres Langobardorum duces, id est, Amo, Zaban ac Rhodanus, Gallias irruperunt. Et Amo quidem Ebredunensem carpens viam, usque Machovillam, quam Mummulus munere Regis meruerat, accessit, ibique tentoria fixit. Zaban vero per Diensem descendens urbem, usque Valentiam venit. Rhodanus autem Gratianopolim aggressus est. Et Amo quidem Arelatensem debellavit provinciam, cum urbibus quæ circumsitæ sunt, & usque ad ipsum Lapideum campum, qui adjacet urbi Massiliensi, accedens, universa quæ reperire poterat depopulatus est. Aquinensibus autem obsidionem parans, viginti duabus libris acceptis argenti, ab eodem loco discessit. Rhodanus quoque & Zaban, pari modo incendiis & rapinis, loca ad quæ accesserant, demoliti sunt. Quæ cum Mummulo Patritio perlata fuissent, cum valida manu veniens primum cum Rhodano, qui Gratianopolim debellabat, conflixit, & multos de ejus exercitu peremit,

ipsumque Rhodanum lancea vulneratum, ad montium excelsa fugere compulit. Qui exinde cum quingentis viris, qui ei remanserant, per devia silvarum prorumpens, ad Zaban, qui tunc Valentiam urbem obsidebat, pervenit, eique omnia quæ acta fuerant, nunciavit. Qui pariter dum ad Ebredunensem urbem omnia deprædantes venissent, ibi eis Mummulus cum innumero exercitu occurrit, commissoque prælio eosdem vicit. Tunc Zaban & Rhodanus Italiam repetentes, Secusium devenere. Quam urbem Sisinnius, magister tunc militum, à parte retinebat Imperatoris. Ad quem puer Mummuli adveniens, literas ei directas à Mummulo porrexit, eumque citius adventare dixit. Quo comperto Zaban & Rhodanus exinde mox ad propria discesserunt. His auditis Amo, collecta omni præda, Italiam rediturus proficiscitur, sed resistentibus nivibus, prædam ex magna parte relinquens, vix cum suis Alpinum tramitem erumpere potuit, & sic ad patriam pervenit.

CAP. IX.

Quomodo Franci Anagnis castrum Langobardorum ceperunt. & quomodo Ragilo comes à Francorum duce Chramnichis occisus est.

HIs diebus advenientibus Francis, Anagnis castrum, quod super Tridentum, in confinio Italiæ positum est, se eisdem tradidit. Quam ob causam comes Langobardorum de Lagare, Ragilo nomine, Anagnis veniens deprædatus est. Qui cum de præda reverteretur, in campo Rotaliano ab obvio sibi duce Francorum Chramnichis, cum pluribus è suis, peremptus est. Qui Chramnichis non multum post tempus Tridentum veniens devastavit. Quem subsequens Evin Tridentinus Dux,

Dux, in loco qui Salurnis dicitur, ſuis cum ſociis interfecit, prædamque omnem, quam ceperat, excuſſit. Expulſiſque Francis Tridentinum territorium recepit.

CAP. X.

De morte Sigisberti Francorum Regis; & de nuptiis Evin ducis.

HOc tempore Sigisbertus Rex Francorum occiſus eſt, fraude Hilperici germani ſui, cum quo bellum inierat. Regnumque ejus Childebertus ejuſdem filius, adhuc puerulus, cum Brunhilde matre regendum ſuſcepit. Euin quoque Dux Tridentinorum, de quo præmiſimus, accepit uxorem filiam Garibaldi Bajoariorum regis.

CAP. XI.

De morte Iuſtini minoris.

PEr hæc tempora apud Conſtantinopolim, ut ſupra præmiſſum eſt, Iuſtinus minor regnabat, vir omni avaritiæ deditus, contemptor pauperum, ſenatorum ſpoliator. Cui tanta fuit cupiditatis rabies, ut arcas juberet ferreas fieri, in quibus ea quæ rapiebat auri talenta congereret. Quem etiam ferunt in hæreſin Pelagianam dilapſum. Hic cum à divinis mandatis aurem cordis averteret, juſto dei judicio, amiſſo rationis intellectu, amens effectus eſt. Hic Tiberium Cæſarem adſcivit, qui ejus palatium vel ſingulas provincias gubernaret; hominem juſtum, utilem, ſtrenuum, ſapientem, eleemoſynarium, in judiciis æquum, in victoriis clarum, & quod his omnibus ſupereminet, veriſſimum Chriſtianum. Hic cum multa de theſauris, quos Iuſtinus aggregaverat, pauperibus erogaret, Sophia Auguſta frequentius eum increpabat, quod Rempublicam redegiſſet

giſſet in paupertatem, dicens: Quod ego multis annis congregavi, tu infra paucum tempus prodige diſpergis. Ajebat autem ille: Confido in Domino, quia non deerit pecunia fiſco noſtro, tantum ut pauperes eleemoſynam accipiant, ut captivi redimantur. Hoc eſt enim magnum theſaurum facere, dicente Domino; Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ergo de his quæ tribuit Dominus, congregemus in cœlo theſauros, & Dominus nobis augere dignabitur in ſæculo. Igitur Iuſtinus cum undecim annis regnaſſet, amentiam quam incurrerat, tandem cum vita finivit. Bella ſane, quæ, per Narſetem patricium Gothis vel Francis illata, ſuperius per anticipationem diximus, hujus temporibus geſta ſunt. Denique & cum Roma temporibus Benedicti Papæ, vaſtantibus omnia per circuitum Langobardis, famis penuria laboraret, multa millia frumenti navibus ab Ægypto dirigens, eam ſuæ ſtudio miſericordiæ relevavit.

CAP. XII.

De principatu Tiberii Conſtantini, & de bonis actibus ejus.

MOrtuo ergo Iuſtino, Tiberius Conſtantinus, Romanorum regum quinquageſimus, ſumſit imperium. Hic cum, ut ſuperius diximus, ſub Iuſtino adhuc Cæſare palatium regeret, & multas cotidie eleemoſynas faceret, magnam ei Dominus auri copiam ſubminiſtravit. Nam deambulans per Palatium, vidit in pavimento domus tabulam marmoream, in qua erat crux Dominica ſculpta, & ait: Crucem domini qua frontem noſtram & pectora munire debemus, ecce eam ſub pedibus conculcamus. Et citius dicto juſſit eandem tabulam auferri. Defoſſaque tabula atque erecta, inve-

niunt ſubter & aliam hoc ſignum habentem, qui & ipſam juſſit auferri. Qua amota, reperiunt & tertiam. juſſuque ejus cum hæc fuiſſet ablata, inveniunt magnum theſaurum, habentem ſupra mille auri centenaria. Sublatumque aurum pauperibus adhuc abundantius, quam conſueverat, largitur. Narſes quoque patricius Italiæ, cum in quadam civitate, intra Italiam, domum magnam haberet, cum multis theſauris ad ſupra memoratam urbem advenit. Ibique in domo ſua occulte ciſternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri argentique repoſuit. Interfectiſque omnibus conſciis, uni tantummodo ſeni hæc, per juramentum, ab eo exigens, commendavit. Defuncto vero Narſete, ſupradictus ſenex ad Cæſarem Tiberium veniens, dixit: Si, inquit, mihi aliquid prodeſt, magnam rem tibi Cæſar dicam. Cui ille: Dic, ait, quod vis. proderit enim tibi, ſi quid nobis profuturum eſſe narraveris. Theſaurum, inquit, Narſetis habeo reconditum. quod in extremo vitæ poſitus celare non poſſum. Tunc Cæſar Tiberius gaviſus, mittit uſque ad locum pueros ſuos, præcedentem vero ſenem hi ſequuntur attoniti. Pervenienteſque ad ciſternam, deopertam ingrediuntur. In qua tantum auri vel argenti repertum eſt, ut per multos dies vix à deportantibus potuiſſet evacuari. Quæ ille pene omnia ſecundum ſuum morem erogatione largiflua diſpenſavit egenis. Hic cum Auguſtalem coronam accepturus eſſet, eumque juxta conſuetudinem ad ſpectaculum circi populus exſpectaret, inſidias ei præparans, ut Iuſtinianus, Iuſtini nepotem, ad dignitatem Imperatoriam ſublimaret, ille per loca ſancta prius procedens, dehinc vocato ad ſe Pontifice urbis, cum conſulibus ac Præfectis Palatium ingreſſus, indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impoſitus, cum immenſis laudibus in regni

gloria confirmatur. Quod ejus adverſarii audientes, nihilque ei, qui in Deo ſpem ſuam poſuerat, officere valentes, magno ſunt confuſionis pudore cooperti. Tranſactis autem paucis diebus, adveniens Iuſtinianus, pedibus ſe projecit Imperatoris, ob meritum gratiæ, quindecim ei auri centenaria deferens. Quem ille ſecundum patientiæ ſuæ ritum colligens, ſibi in Palatio adſiſtere juſſit. Sophia vero Auguſta immemor promiſſionis, quam quondam in Tiberium habuerat, inſidias ei tentavit ingerere. Procedente autem eo ad villam, ut juxta ritum Imperialem triginta diebus ad vindemiam jocundaretur, vocato clam Iuſtiniano voluit eum ſublimare in regno. Quo comperto Tiberius curſu veloci Conſtantinopolim regreditur, apprehenſamque Auguſtam omnibus theſauris ſpoliavit, ſolum ei victus quotidiani alimentum relinquens. Segregatiſque pueris ejus ab ea, alios de fidelibus ſuis poſuit, qui ei parerent, mandans ut nullus prorſus de anterioribus ad eam haberet acceſſum. Iuſtinianum vero verbis ſolummodo increpatum, tanto in poſterum amore dilexit, ut filio ejus filiam ſuam promitteret, rurſumque filio ſuo filiam ejus expeteret. Sed hæc res, quam ob cauſam, neſcio, minime ad effectum pervenit. Hujus exercitus ab eo directus Perſas potentiſſime debellavit, victorque regrediens, tantam molem prædæ, cum viginti pariter elephantis, detulit, ut humanæ crederetur poſſe ſufficere cupiditati.

Cap. XIII.

De aureis quos Hilperico Imperator direxit, & de beato Gregorio.

Ad hunc Hilpericus Francorum rex ſuos legatos dirigens, multa ab eo ornamenta, aureos etiam ſingularum

arum librarum ſuſcepit, habentes ex una parte effigiem Imperatoris, & perſcriptum in circulo, TIBERII CONSTANTINI. PERPETVI. AVGVSTI. & ab alia parte habentes quadrigam & adſcenſorem, continentes ſcriptum: GLORIA ROMANORVM. Hujus in diebus beatus Gregorius Diaconus, qui poſt Papa extitit, cum eſſet apocriſiarius, apud eandem regiam urbem, Morales libros compoſuit, Eutychiumque ejuſdem urbis Epiſcopum, de reſurrectione errantem, in conſpectu ejuſdem Auguſti ſuperavit. Hac etiam tempeſtate Faroald primus Spoletanorum dux, cum Langobardorum exercitu claſſem invadens, opulentam urbem, ſpoliatam cunctis divitiis, nudam reliquit.

CAP. XIV.

De morte Probini Patriarchæ.

MOrtuo vero apud Aquileiam Patriarcha Probino, qui Eccleſiam unum rexerat annum, eidem Eccleſiæ ſacerdos Helias præficitur.

CAP. XV.

De morte Tiberii Conſtantini Auguſti, & de imperio Mauritii.

TIberius igitur Conſtantinus, poſtquam Imperium ſeptem rexerat annis, ſentiens ſibi diem mortis imminere, una cum conſilio Sophiæ Auguſtæ, Mauricium genere Cappadocem, virum ſtrenuum, ad imperium elegit, ornatamque ſuam filiam regalibus ornamentis ei eam tradidit, dicens: Sit tibi imperium meum cum hac puella conceſſum. utere eo felix, memor ſemper ut æquitate & juſtitia delecteris. Hæc poſtquam dixit, de hac luce ad æternam patriam migravit, ma-

gnum luctum populis de sua morte relinquens. Fuit enim summæ bonitatis, in eleemosynis promptus, in judiciis justus, in judicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona voluntate complectens; omnes diligens, ipse quoque est dilectus à cunctis. Quo defuncto Mauricius indutus purpura, redimitus diademate, ad circum processit, acclamatisque sibi laudibus, largitus populo munera, primus ex Græcorum genere in Imperio confirmatus est.

CAP. XVI.

De Regno Authari, & quanta securitas ejus tempore fuit.

AT vero Langobardi, cum per annos decem sub potestate ducum fuissent, tandem communi consilio Authari, Clephonis filium supra memorati principis, regem sibi statuerunt. Quem etiam *ob dignitatem Flavium appellaverunt*, quo prænomine omnes, qui postea fuerunt, Langobardorum reges feliciter usi sunt. Hujus in diebus ob restaurationem regni, duces qui tunc erant, omnem substantiarum suarum medietatem regalibus usibus tribuunt, ut esse possit unde Rex ipse, sive qui ei adhærerent, ejusque obsequiis per diversa officia dediti, alerentur. Populi tamen aggravati, per Langobardos hospites partiuntur. *Erat sane hoc mirabile in regno Langobardorum, nulla erat violentia, nullæ struebantur insidiæ. Nemo aliquem injuste angariabat, nemo spoliabat. Non erant furta, non latrocinia, unusquisque quo libebat, securus sine timore pergebat.*

Cap. XVII.

Quomodo Childebertus Italiam introivit, sed facta pace discessit.

HOc tempore Mauricius Imperator, Childeberto regi Francorum quinquaginta millia solidos per gatos suos ob hoc direxit, ut cum exercitu super Lanobardos irrueret, eosque de Italia exterminaret. Qui ım innumera Francorum multitudine in Italiam suto introivit. Langobardi vero in civitatibus commuentes se, intercurrentibus legatis, oblatisque munebus, pacem cum Childeberto fecerunt. Qui cum ad ;allias remeasset, cognito Imperator Mauricius, quia ım Langobardis fœdus inierat, solidos quos ei ob Lanobardorum detrimentum dederat, repetere cœpit. Sed le suarum virium potentia fretus, pro hac re nec reonsum reddere voluit.

Cap. XVIII.

De expugnatione Brexelli, & de fuga Droctulfi ducis.

HIs ita gestis, Authari rex Brexillum civitatem, super Padi marginem sitam, expugnare aggressus st, in quam Droctulf dux à Langobardis confugerat, eque partibus Imperatoris tradens, sociatus militibus angobardorum, exercitui fortiter resistebat. Iste ex uavorum, hoc est, Alemannorum gente oriundus, nter Langobardos creverat, & quia erat forma idoneus, ducatus honorem meruerat. Sed cum occasionem ulciscendæ suæ captivitatis reperit, contra Langobardos illico arma surrexit. Adversus quem Langobardi gravia bella gesserunt: tandemque eum cum militi-

litibus, quos juvabat exuperantes, Ravennam ceder compulerunt. Brexillus capta est, muri quoque ejus a solum usque destructi sunt. Post hæc Authari rex cun Smaragdo Patricio, qui tunc Ravennæ præerat, usqu in annum tertium pacem fecit.

Cap. XIX.

De morte Droctulfi; & quali Epitaphio honoratus est.

HVjus sane Droctulfi, de quo præmisimus, admi niculo, sæpè Ravennatium milites, adversum Lan gobardos dimicarunt. Extructaque classe Langobar dos, qui classe urbem tenebant, hoc adjuvante pepule runt. Cui, cum vitæ explesset terminum, honorabile s pulchrum ante limina beati Vitalis martyris tribuentes tali ejus laudes epitaphio extulerunt:

Clauditur hoc tumulo, tantum sed corpore, Droctulf.
Nam meritis tota vivit in urbe suis.
Cum Bardis fuit ipse quidem; nam gente Süavus;
Omnibus & populis inde süavis erat.
Terribilis visu facies, sed mente benignus,
Longaque robusto pectore barba fuit.
Hic & amans semper Romana & publica signa,
Vastator gentis adfuit ipse suæ.
Contemsit caros, dum nos amat ille, parentes,
Hanc patriam reputans esse, Ravenna, suam.
Hujus prima fuit Brexelli gloria capti.
Quo residens cunctis hostibus horror erat.
Qui Romana potens valuit post signa juvare,
Vexillum primum Christus habere dedit.
Inde etiam, retinet dum classem fraude Feroaldus,
Vindicet ut classem, classibus arma parat.
Puppibus exiguis decertans amne Badrino,
Bardorum innumeras vicit & ipse manus.

Rur-

Rursus & in terris Avarem superavit Eois,
Conquirens dominis maxima palma suis.
Martyris auxilio Vitalis fultus ad istos
Pervenit; victor sæpè triumbat ovans.
Cujus & in templis petiit sua membra jacere.
Hæc loca post mortem bustis habere juvat.
Ipse sacerdotem moriens petit ista Iohannem,
His rediit terris cujus amore pio.

CAP. XX.

De Sacerdotio Pelagii Papæ, & errore Heliæ Patriarchæ.

DEnique post benedictum Papam, Pelagius Romanæ Ecclesiæ Pontifex absque jussione principis ordinatus est, eo quod Langobardi Romam per circuitum obsiderent, nec posset quisquam à Roma progredi. Hic Pelagius Heliæ Aquileiensi Episcopo, nolenti tria capitula Chalcedonensis Synodi suscipere, Epistolam satis utilem misit, quam beatus Gregorius, cum esset adhuc Diaconus, conscripsit.

CAP. XXI.

De bello Childeberti contra Hispanos.

INterea Childebertus Rex Francorum, bellum adversum Hispanos gerens, eosdem acie superavit. Causa autem hujus certaminis ista fuit. Childebertus Rex Ingundem sororem suam Herminigildo, Lewigildi Hispanorum regis filio, in conjugium tradiderat. Qui Herminigildus, prædicatione Leandri Episcopi Hispalensis, atque adhortatione suæ conjugis, ab Arriana hæresi, qua pater suus languebat, ad catholicam fidem conversus fuerat, quem pater impius, in ipso sacrato Paschali die, securi percussum interemerat. Ingundis vero

vero post mariti & martyris funus, de Hispaniis fugiens, dum Gallias repedare vellet, in manus militum incidens, qui in limite adversum Hispanos Gothosque residebant, cum parvo filio capta, atque in Siciliam deducta est, ibique diem clausit extremum. Filius vero ejus Imperatori Mauricio Constantinopolim est transmissus.

Cap. XXII.

De Francorum exercitu qui in Italiam venit.

Rursum Mauricius Augustus, legatos ad Childebertum mittens, eum ut contra Langobardos in Italiam exercitum dirigeret persuasit. Childebertus existimans suam adhuc germanam apud Constantinopolim vivere, legatis Mauricii acquiescens, ut suam posse sororem recipere, iterum adversum Langobardos Francorum exercitum ad Italiam direxit. Contra quos dum Langobardorum acies properarent, Franci & Alamanni dissensionem inter se habentes, sine ullius lucri conquisitione, ad patriam sunt reversi.

Cap. XXIII.

De aquæ diluvio, & miraculo, quod factum est in basilica sancti Zenonis.

Eo tempore fuit aquæ diluvium in finibus Venetiarum & Liguriæ, seu ceteris regionibus Italiæ, quale post Noë tempus creditur non fuisse. Factæ sunt lavinæ possessionum seu villarum, hominumque pariter & animantium magnus interitus. Destructa sunt itinera, dissipatæ sunt viæ; tantumque Athesis fluvius tunc excrevit, ut circa Basilicam Beati Zenonis martyris, quæ extra Veronensis urbis muros sita est, usque

ad

d ſuperiores feneſtras aqua pertingeret, licet beatus Gregorius poſt Papa ſcripſit, in eandem Baſilicam quam minime introiiſſe. Vrbis quoque ejuſdem Veronenſis muri ex parte aliqua eadem ſunt inundatione ubruti. Facta eſt autem hæc inundatio ſexto decimo Kal. Novembris. Sed & tantæ coruſcationes & tonitrua uerunt, quantæ fieri vix æſtivo tempore ſolent. Poſt uos quoque menſes eadem urbs Veronenſium magna ex parte incendio concremata eſt.

CAP. XXIV.

Tyberis exundantia. Draco immanis per urbem ad mare deſcendit. Et mala portentis ſubſecuta.

IN hac diluvii effuſione in tantum apud urbem Romam fluvius Tyberis excrevit, ut aquæ ejus ſuper muros urbis influerent, & maximas in ea regiones occuparent. Tunc per alveum ejuſdem fluminis, cum multa ſerpentium multitudine, Draco etiam miræ magnitudinis per urbem tranſiens, uſque ad mare deſcendit. Subſecuta ſtatim eſt hanc inundationem graviſſima peſtilentia, quam inguinariam appellant. Quæ tanta ſtrage populum devaſtavit, ut de inæſtimabili multitudine vix pauci remanerent. Primumque Pelagium Papam, virum venerabilem perculit: & ſine mora extinxit. Deinde paſtore interempto, ſeſe per populos extendit.

CAP. XXV.

De pontificatu beati Gregorii, & clade quæ tunc Romæ facta eſt.

IN hac tanta tribulatione beatiſſimus Gregorius, qui tunc Levita erat, à cunctis generaliter Papa electus eſt.

est. Qui dum septiformem letaniam fieri ordinaret, intra unius horæ spatium, dum hi dominum deprecarentur, octoginta ex eis, subito ad terram corruentes, spiritum exhalarunt. Septiformis autem letania ideo dicta est, quia omnis urbis populus à beato Gregorio in septem partes deprecaturus Dominum est divisus. In primo namque choro fuit omnis clerus; in secundo omnes Abbates cum monachis suis; in tertio omnes Abbatissæ cum congregationibus suis; in quarto omnes infantes; in quinto omnes laïci; in sexto universæ viduæ; in septimo omnes mulieres conjugatæ. Ideo autem de beato Gregorio plura dicere obmittimus, quia jam ante aliquot annos ejus vitam, deo auxiliante, texuimus. In qua quæcunque dicenda fuerant, juxta tenuitatis nostræ vires, universa descripsimus.

CAP. XXVI.

Quomodo beatus Gregorius Anglos convertit.

HOc tempore isdem beatus Gregorius Augustinum, & Mellitum, & Iohannem, cum aliis pluribus monachis timentibus dominum, in Britanniam misit, eorumque prædicatione ad Christum Anglos convertit.

CAP. XXVII.

De morte Heliæ Patriarchæ, & sacerdotio Severi.

HIs diebus defuncto Helia Aquileiensi Patriarcha, postquam quindecim annos sacerdotium gesserat, Severus huic succedens regendam suscepit Ecclesiam. Quem Smaragdus Patricius veniens de Ravenna in Grados, per semet ipsum à Basilica extrahens, Ravennam cum injuria duxit, cum aliis tribus ex Histria Episcopis:

ſcopis: id eſt, Iohanne Parentino, & Severo, atque Vindemio, nec non etiam Antonio jam ſene, Eccleſiæ defenſore. Quibus comminans exilia, atque violentiam inferens, communicare compulit Iohanni Ravennati Epiſcopo trium Capitulorum damnatori, qui tempore Papæ Vigilii, vel Pelagii, à Romanæ Eccleſiæ deſciverat ſocietate. Exempto vero anno, à Ravenna ad Grados reverſi ſunt. Quibus nec plebs communicare voluit, nec ceteri Epiſcopi eos receperunt. Smaragdus Patricius à Dæmonio non injuſte correptus, ſucceſſorem Romanum Patricium accipiens, Conſtantinopolim remeavit. Poſt hæc facta eſt Synodus decem Epiſcoporum in Mariano, ubi receperunt Severum Patriarcham Aquileienſem, dantem libellum erroris ſui, quia trium capitulorum damnatoribus communicarat Ravennæ. Nomina vero Epiſcoporum, qui ſe ab hoc ſchiſmate cohibuerunt, hæc ſunt: Petrus de Altino clariſſimus, Ingenuinus de Sabione, Agnellus Tridentinus, Iunior Veronenſis, Horuntinus Vincentinus, Ruſticus de Tarviſio, Fonteius Feltrinus, Agnellus de Acilio, Laurentius Lunenſis. Cum patriarcha autem communicaverunt iſti Epiſcopi: Severus, Parentinus, Iohannes Patricius, Vindemius, & Iohannes.

CAP. XXVIII.

Authari regis exercitus in Hiſtriam. In Amacinâ Francio magiſter obſidetur à Langobardis.

HAc tempeſtate Rex Authari ad Hiſtriam exercitum miſit, cui exercitui Euin Dux Tridentinus præfuit. Qui poſt prædas & incendia, facta pace in annum unum, magnam pecuniam regi detulerunt. Alii quoque Langobardi, in Inſula Amacina, Francionem magiſtrum militum, qui adhuc de Narſetis parte fuerat,

rat, & jam ſe per viginti annos continuerat, obſidebant. Qui Francio poſt ſex menſes obſidionis ſuæ Langobardis eandem inſulam tradidit, ipſe vero, ut optaverat, dimiſſus à rege, cum ſua uxore & ſupellectile Ravennam properavit. Inventæ ſunt in eadem inſula divitiæ multæ, quæ ibi de ſingulis fuerant civitatibus commendatæ.

CAP. XXIX.

Rex Authari ſororem Childeberti in matrimonium promiſſam non accepit.

AT vero Flavius Rex Authari, legatos ad Childebertum miſit, petens ejus germanam ſuo matrimonio ſociari. Cumque Childebertus, acceptis muneribus à Langobardorum legatis, ſuam germanam eorum regi ſe daturum promiſiſſet, advenientibus tamen Gothorum de Hiſpania legatis, eandem ſuam germanam, eo quod gentem illam ad fidem catholicam converſam fuiſſe cognoverat, repromiſit.

CAP. XXX.

Franci in Italiam introïerunt, & à Langobardis devicti ſunt.

INter hæc legationem ad Imperatorem Mauricium direxit, mandans ei ut, quod prius non fecerat, nunc contra Langobardorum gentem bella ſuſciperet, atque cum ejus conſilio ab Italia removeret. Qui nihil moratus, exercitum ſuum ad Langobardorum debellationem in Italiam direxit. Cui Authari rex & Langobardorum acies non ſegniter obviam pergunt, proque libertatis ſtatu fortiter confligunt. In ea pugna Langobardi victoriam capiunt. Franci vehementer cæſi, non-

nulli

nulli capti, plurimi etiam per fugam elapsi, vix ad patriam revertuntur. Tantaque ibi strages facta est de Francorum exercitu, quanta nusquam alibi memoratur. Mirandum sane est, cur Secundus, qui aliqua de Langobardorum gestis scripsit, hanc tantam eorum victoriam præterierit, cum hæc quæ præmisimus de Francorum interitu, in eorum historia hisdem ipsis penè verbis exarata legantur.

CAP. XXXI.

Rex Authari in Bajoariam perrexit, ut suam sponsam videret.

FLavius vero rex Authari legatos post hæc ad Bajoariam misit, qui Garibaldi eorum Regis filiam sibi in matrimonium peterent. Quos ille benigne suscipiens, Theudelindam suam filiam Authari se daturum promisit. Qui legati revertentes cum hæc Authari nuntiassent, ille per semet ipsum suam sponsam videre cupiens, paucis secum, sed expeditis ex Langobardis adhibitis, unumque sibi fidelissimum, & quasi seniorem secum ducens, sine mora ad Bajoariam perrexit. Qui cum in conspectu Garibaldi regis, juxta morem legatorum, introducti essent, & is qui cum Authari quasi senior venerat, post salutationem verba, ut moris est, intulisset, Authari, cum à nullo illius gentis cognosceretur, ad regem Garibaldum propinquius accedens, ait: Dominus meus Authari rex, me proprie ob hoc direxit, ut vestram filiam ipsius sponsam, quæ nostra domina futura est, debeam conspicere, ut qualis ejus forma sit, meo valeam domino certius nuntiare. Cumque rex hæc audiens filiam venire jussisset, eamque Authari, ut erat satis eleganti forma, tacito nutu contemplatus esset,

eique per omnia ſatis complacuiſſet, ait ad regem; Quia talem veſtræ filiæ perſonam cernimus, ut eam merito noſtram reginam fieri optemus, ſi placet veſtræ poteſtati, de ejus manu, ſicut nobis poſtea factura eſt, vini poculum ſumere præoptamus. Cumque rex id fieri debere annuiſſet, illa accepto vini poculo, ei prius qui ſenior eſſe videbatur, propinavit. Deinde cum Authari, quem ſuum eſſe ſponſum neſciebat, porrexiſſet, ille, poſtquam bibit, ac poculum redderet, ejus manum nemine animadvertente digito tetigit, dextramque ſuam ſibi à fronte per naſum ac faciem produxit. Illa hoc ſuæ nutrici rubore perfuſa nuntiavit. Cui nutrix ſua ait: Iſte niſi ipſe Rex & ſponſus tuus eſſet, te omnino tangere non auderet. Sed interim ſileamus, ne hoc patri tuo fiat cognitum. Re enim vera digna perſona eſt, quæ tenere debeat regnum, & tuo ſociari conjugio. Erat autem tunc Authari juvenili ætate floridus, ſtatura decens, candido crine perfuſus, & ſatis decorus aſpectu. Qui mox à rege commeatu accepto, iter patriam reverſuri arripiunt, deque Noricorum finibus feſtinanter abſcedunt. Noricorum ſiquidem provincia, quam Bajoariorum populus inhabitabat, habet ab oriente Pannoniam, ab occidente Suaviam, à meridie Italiam, ab aquilonis vero parte Danubii fluenta. Igitur Authari cum jam prope Italiæ fines veniſſet, ſecumque adhuc, qui eum deducebant, Bajoarios haberet, erexit ſe quantum ſuper equum cui præſidebat potuit, & toto anniſu ſecuriculam, quam manu geſtabat, in arborem quæ proximior aderat fixit, eamque fixam reliquit, adjiciens hæc inſuper verba: Talem Authari feritam facere ſolet. Cumque hæc dixiſſet, tunc intellexerunt Bajoarii, qui cum eo comitabantur, eum ipſum regem eſſe Authari. Denique poſt aliquod tempus, cum propter Francorum adventum perturbatio Garibaldo

regi

regi advenisset, Theudelinda ejus filia cum suo germano, nomine Gundoald, ad Italiam confugit, seque adventare Authari sponso nuntiavit. Cui statim ille obviam cum magno apparatu, nuptias celebraturus in campo Sardis, qui supra Veronam est, occurrens, eandem cunctis lætantibus in conjugium Idus Majas accepit. Erat autem tunc ibi, inter ceteros Langobardorum duces, Agilulf dux Taurinensium civitatis. Quo in loco cum perturbato aëre lignum quoddam, quod in regiis septis situm erat, cum magno tonitruorum fragore vi fulminis ictum fuisset, habebat tunc Agilulf quendam de suis aruspicem puerum, qui per artem Diabolicam, quid futurum portenderent ictus fulminum, intelligebat. qui secrete cùm Agilulf ad requisita naturæ residens, eidem dixit: Mulier ista quæ modo regi nostro nupsit, tua non post multum tempus conjux futura est. Quod ille audiens, caput se ejus amputaturum, si hac de re amplius aliquid diceret, comminatus est. Cui ille: Ego quidem, inquit, occidi possum, sed fata nequeunt immutari: nam certe ad hoc ista in hanc patriam femina venit, ut tuis debeat nuptiis copulari. Quod ita quoque post factum est. Hoc tempore, quam ob causam, incertum, Ansul, cognatus regis Authari, apud Veronam est interfectus.

CAP. XXXII.

Quomodo iterum Francorum exercitus in Italiam venit.

HAc etiam tempestate Grippo legatus Childeberti regis Francorum, cum à Constantinopoli remeasset, & eidem regi suo, quomodo honorifice ab imperatore Mauricio susceptus fuisset, nuntiasset; & quia injurias, quas apud Carthaginem perpessus fuerat, imperator ad voluntatem Childeberti regis ultum iri pro-

promisisset, Childebertus confestim iterato in Italiam exercitum Francorum cum viginti ducibus ad debellandam Langobardorum gentem direxit. E quibus ducibus, Andualdus, & Olo, & Cedinus, eminentiores fuerunt. Sed Olo, cum importune ad Bilitionis castrum accessisset, jaculo sub mammilla sauciatus cecidit, & mortuus est. Reliqui vero Franci cum egressi fuissent ad prædandum, à Langobardis irruentibus passim per loca singula prosternebantur. At vero Andualdus, & sex alii duces Francorum, ad Mediolanensium urbem advenientes, ibi eminus in campestribus castra posuerunt. Quo loco ad eos Imperatoris legati venerunt, nunciantes, adesse exercitum in solatio eorum, dicentesque, quia post triduum cum eisdem veniemus. Et hoc vobis erit signum cum videritis: villæ hujus, quæ in monte sita est, domos incendio concremari, & fumum incendii ad cælos usque sustolli, noveritis nos cum exercitu, quem pollicemur, adventare. Sed exspectantes Francorum duces diebus sex juxta placitum, nullum ex iis quos legati Imperatoris promiserant, venisse contemplati sunt. Cedinus autem cum tredecim ducibus lævam Italiæ ingressus, quinque castella cepit, à quibus etiam sacramenta exegit. Per Placentiam vero exercitus Francorum usque Veronam venerunt, & deposuerunt castra plurima per pacem post sacramenta data, quæ se eis tradiderant, nullum ab eis dolum existimantes. Nomina autem castrorum quæ diruerunt in territorio Tridentino, ista sunt: Tesana, Maletum, Semiana, Appianum, Fagitana, Cimbra, Vitianum, Brentonicum, Volenes, Ennemase, & duo in Alsuca, & unum in Verona. Hæc omnia castra cum diruta essent à Francis, cives universi ab eis ducti sunt captivi. Pro Ferruge vero castro, intercedentibus Episcopis, Ingenuino de Savione, & Agnello de Tridentino, data est redemptio, pro capite unius-

uniuscujusque viri solidi sexcenti. Interea Francorum exercitum, cum esset tempus æstivum, propter insueti aëris incommoditatem, dysenteriæ morbus graviter exagitare cœpit, quo morbo plures interierunt ex eis. Quid plura? Cum per tres menses Francorum exercitus Italiam pervagaretur, nihilque proficeret, neque se de inimicis ulcisci posset, eo quod se in locis firmissimis contulissent, neque regem adtingere valeret, de quo ultio fieret, qui se intra Ticinensem urbem munierat, ut diximus; infirmatus aëris intemperantia, ac fame constrictus, redire ad propria destinavit. Qui revertentes ad patriam, intantum famis penuriam perpessi sunt, ut prius vestimenta propria, insuper etiam & arma ad coëmendum victum præberent, quam ad genitale solum pertingerent.

CAP. XXXIII.

Quomodo Rex Authari Beneventum perrexit.

CIrca hæc tempora putatur esse factum, quod de Authari rege refertur. Fama est enim, tunc eundem regem per Spoletium Beneventum pervenisse, eandemque regionem cepisse, & usque etiam Regium extremam Italiæ civitatem vicinam Siciliæ perambulasse. Et quia ibidem intra maris undas columna quædam esse posita dicitur, usque ad eam equo sedentem accessisse, eamque de hastæ suæ cuspide tetigisse, dicentem: Vsque hic erunt Langobardorum fines. Quæ columna usque hodie dicitur persistere, & Columna Authari appellari.

Cap. XXXIV.

De Zottone primo Beneventorum duce.

FVit autem primus Langobardorum dux in Benevento nomine Zotto, qui in ea principatus eſt per curricula viginti annorum.

Cap. XXXV.

Quomodo Anthari Rex legatos ad Guntramnum miſit. & de ejus mirabili viſione.

INterea Authari rex legationem verbis pacificis ad Guntramnum regem Francorum, patruum ſcilicet Childeberti regis, direxerat. à quo legati iidem jocunde ſuſcepti, ſed ad Childebertum, qui ei nepos ex fratre erat, directi ſunt, ut per ejus nutum pax cum gente Langobardorum firmaretur. Erat autem Guntramnus iſte, de quo diximus, rex pacificus, & omni bonitate conſpicuus. Cujus unum factum, ſatis admirabile, libet nos huic noſtræ hiſtoriæ breviter inſerere, præſertim cum hoc Francorum hiſtoria noverimus minime contineri. Is cum venatum quodam tempore in ſilvam iſſet, &, ut ſolet fieri, hac illacque diſcurrentibus ſociis, ipſe cum uno fideliſſimo tantum ſuo remanſiſſet, graviſſimo ſomno depreſſus, caput in genibus ejuſdem fidelis ſui reclinans, obdormivit. De cujus ore parvum animal, in modum reptilis egreſſum, tenuem rivulum propter diſcurrens, ut tranſire poſſet, ſatagere cœpit. Tunc iſdem in cujus gremio quieſcebat, ſpatham ſuam vagina exemtam, ſuper eundem rivulum poſuit, ſuper quam illud reptile, de quo diximus, ad partem aliam tranſmeavit. Quod cum non longe exinde in quoddam foramen montis ingreſſum fuiſſet, & poſt aliquan-

aliquantum spatii regressum, super eandem spatham præfatum rivulum transmeasset, rursum in os Gunthramni de quo exierat introivit. Guntramnus post hæc expergefactus, mirificam se visionem vidisse narravit. Retulit enim, apparuisse sibi in somnis, quod fluvium quemdam per pontem ferreum transisset, & sub monte quodam introisset, ubi multa auri pondera aspexisset. Is vero in cujus gremio caput tenuerat, cum dormisset, quid de eo viderat, ei per ordinem retulit. Quid plura? Effossus est locus ille, & inæstimabiles thesauri, qui ibidem antiquitus positi fuerant, sunt reperti. De quo auro ipse rex postmodum ciborium solidum miræ magnitudinis & magni ponderis fecit; multisque illud pretiosissimis gemmis decoratum, ad sepulchrum domini Hierosolymam transmittere voluit. Sed cum minime potuisset, idem supra corpus beati Marcelli martyris, quod in civitate Cavallonno sepultum est, ubi sedes regni illius erat, poni fecit, & est ibi usque in præsentem diem. Nec est usquam ullum opus ex auro effectum, quod ei valeat comparari. Sed nos his breviter, quæ relatu digna erant, contactis, ad historiam revertamur.

CAP. XXXVI.

De morte Authari regis, & de regno Agilulfi.

INterim dum legati Authari regis in Francia morarentur, rex Authari apud Ticinum Nonas Septembris veneno, ut tradunt, accepto moritur, postquam sex regnaverat annos. Statimque à Langobardis legatio ad Childebertum regem Francorum missa est, quæ Authari regis mortem eidem nuntiaret, & pacem ab eo expeteret. Quod ille audiens, legatos quidem suscepit, pacem vero in posterum se daturum promisit. Qui tamen

præfatos legatos post aliquot dies promissa pace absolvit. Reginam vero Theudelindam, quæ satis placebat Langobardis, permiserunt in regia consistere dignitate, suadentes ei ut sibi quem voluisset ex omnibus Langobardis virum eligeret, talem scilicet, qui regnum regere utiliter posset. Illa vero consilium cum prudentibus habens, Agilulfum ducem Taurinatium, & sibi virum, & Langobardorum genti regem elegit. Erat enim isdem vir strenuus & bellicosus, & tam forma, quam animo ad regni gubernacula coaptatus. Quem statim regina ad se venire mandavit, ipsaque ei obviam ad Laumellum oppidum properavit. Qui cum ad eam venisset, ipsa sibi post aliquot verba vinum propinari fecit. Quæ cum prior bibisset, residuum Agilulfo ad bibendum tribuit. Is cum reginæ accepto poculo manum honorabiliter osculatus esset; regina cum rubore subridens, non debere sibi manum osculari ait, quem osculum sibi ad os jungere oporteret. Moxque eum ad suum basium erigens, ei de suis nuptiis, deque regni dignitate, aperuit. Quid plura? Celebrantur cum magna lætitia nuptiæ, suscepit Agilulfus, qui erat cognatus regis Authari, inchoante jam mense Novembri, regiam dignitatem. Sed tamen congregatis in unum Langobardis, postea mense Majo, ab omnibus in regnum apud Mediolanum levatus est. Explicit Liber Tertivs de Gestis Langobardorvm.

D E

DE
GESTIS LANGOBARDORVM,

LIBER QVARTVS.

CAP. I.

Agilulfus rex pro captivis legatos in Franciam misit.

COnfirmata igitur Agilulfi (qui & Ago dictus est) regia dignitate, causa eorum qui ex castellis Tridentinis captivi à Francis ducti fuerant, Agnellum Episcopum Tridentinum in Franciam misit. Qui exinde rediens, aliquantos captivos, quos Brunihildis regina Francorum ex proprio pretio redemerat, revocavit. Euin quoque dux Tridentinorum ad obtinendam pacem ad Gallias perrexit, qua & impetrata regressus est.

CAP. II.

De siccitate quæ eodem anno fuit, & de locustis.

HOc anno fuit siccitas nimium gravis à mense Ianuario usque ad mensem Septembrim, & facta est magna penuria famis. Venit quoque & magna locustarum multitudo in territorium Tridentinum, quæ majores erant quam ceteræ locustæ. Hæ, mirum dictu, herbas paludesque depastæ sunt, segetes vero agrorum exiguæ contigerunt. Sequenti quoque anno pari nihilominus modo adventarunt.

CAP.

CAP. III.

Quod rex Agilulfus Minulfum occidit, & de rebellatione Gaidulfi & Vlfari.

HIs diebus Agilulfus rex occidit Minulfum ducem de insula sancti Iuliani, eo quod se superiori tempore Francorum ducibus tradidisset. Gaidulfus vero Pergamensis dux in civitate sua Pergamo rebellans contra regem se communivit; sed datis obsidibus pacem cum eo fecit. Rursum se Gaidulfus, in insula Comacina reclusit. Agilulfus vero rex in eandem Comacinam insulam ingressus, homines Gaidulfi exinde expulit, & thesaurum quem ibidem à Romanis positum invenerat, Ticinum transtulit. Gaidulfus vero iterato Pergamum confugiens, ibique ab Agilulfo rege obtentus, rursus in gratiam receptus est. Rebellavit quoque dux Vlfari contra Agilulfum regem apud Tarvisium, & obsessus captusque est ab eo.

CAP. IV.

De peste apud Ravennam. & de bello Childeberti cum filio Hilperici.

HOc anno fuit pestis inguinaria iterum apud Ravennam, Grados & Histriam, nimium gravis, sicut & prius ante triginta annos extiterat. Hoc etiam tempore Agilulfus rex cum Avaribus pacem fecit. Childebertus quoque bellum gessit cum consobrino suo Hilperici filio, in quo prælio usque ad triginta millia hominum cæsa sunt. Fuit autem tunc hyems frigida nimis, qualem vix aliquis prius recolebat fuisse. In regione quoque Brionum sanguis de nubibus fluxit. Et interim fluvii quasi rivuli cruoris emanaverunt.

CAP.

CAP. V.

Quod codicem dialogum beatus Gregorius Theudelindæ reginæ direxit.

HIs diebus ſapientiſſimus & beatiſſimus Papa Gregorius Romanæ urbis, poſtquam alia multa ad utilitatem ſanctæ Eccleſiæ ſcripſerat, etiam libros quatuor de vita Sanctorum compoſuit. quem codicem Dialogum, id eſt, duorum locutionem, quia eum colloquens cum ſuo diacono Petro ediderat, appellavit. Hos igitur libros præfatus Papa Theudelindæ reginæ direxit, quam ſciebat utique & Chriſti fidei deditam, & in bonis actibus eſſe præcipuam.

CAP. VI.

De bonis actibus ejuſdem Theudelindæ reginæ.

PEr hanc quoque reginam multum utilitatis Dei Eccleſia conſecuta eſt. Nam pene omnes Eccleſiarum ſubſtantias Langobardi, dum adhuc gentilitatis errore tenerentur, invaſerunt; Sed hujus ſalubri ſupplicatione Rex permotus, & catholicam fidem tenuit, & multas poſſeſſiones eccleſiæ Chriſti largitus eſt, atque Epiſcopos qui in depreſſione & abjectione erant, ad dignitatis ſolitæ honorem reduxit.

CAP. VII.

Quod Taſſilo à Childeberto Francorum rege rex ordinatus eſt.

HIs diebus Taſſilo à Childeberto rege Francorum apud Bajoariam rex ordinatus eſt. Qui mox cum exercitu in Sclavorum provinciam introiens, patrata victoria ad ſolum proprium cum maxima præda remeavit.

CAP. VIII.

Romanus Patricius civitates quas Langobardi tenebant invasit, & rex Agilulfus Maurisionem ducem occidit, & cum beato Gregorio & Romanis pacem fecit.

HAc etiam tempestate Romanus Patricius, & Exarchus Ravennæ, Romam properavit. Qui dum Ravennam revertitur, recepit civitates, quæ à Langobardis tenebantur, quarum ista sunt nomina: Sutrium Polimartium, Horta, Tudertum, Ameria, Perusia, Luceolis, & aliæ quædam civitates. Quod factum cum regi Agilulfo nuntiatum esset, statim Ticino egressus cum valido exercitu civitatem Perusium petiit, ibique per dies aliquot Maurisionem ducem Langobardorum qui se Romanorum partibus tradiderat, obsedit, & sine mora, captum vita privavit. Hujus regis adventu in tantum beatus Gregorius Papa exterritus est, ut ab expositione templi, de quo in Ezechiele legitur, desisteret, sicut ipse quoque in suis homiliis refert. Rex igitur Agilulfus rebus compositis Ticinum repedavit. Nec multum post, suggerente maxime Theudelinda regina sua conjuge, sicut eam beatus Gregorius suis epistolis sæpius admonuit, cum eodem sanctissimo Papa Gregorio, atque Romanis, pacem firmissimam pepigit; eidemque reginæ, idem venerabilis sacerdos, pro gratiarum actione hanc epistolam direxit.

CAP. IX.

Epistola beati Gregorii ad Theudelindam reginam.

G*Regorius Theudelindæ reginæ Langobardorum. Quia excellentia vestra ad faciendam pacem studiosius & benigne*

igne se sicut solet impenderit, renuntiante filio nostro Pro-
o abbate cognovimus: Nec enim aliter de Christianitate
estra confidendum fuit, nisi quia in causa pacis laborem &
onitatem vestram omnibus monstraretis: Vnde omnipotenti
Deo gratias agimus, qui ita cor vestrum sua pietate regit, ut
sicut fidem rectam tribuit, ita quoque placita sibi vos semper
perari concedat. Non enim, excellentissima filia, de sangui-
e, qui ab utraque parte fundendus fuerat, parvam te cre-
das adquisisse mercedem. Ex qua re voluntati vestræ gratias
eferentes, Dei nostri misericordiam deprecamur, ut bono-
um vobis vicem in corpore & anima, hic & in futuro com-
enset. Salutantes vos præterea paterna dilectione horta-
mur, ut apud excellentissimum conjugem vestrum illa agatis,
uatenus Christianæ reipublicæ societatem non renuat. Nam
icut & vos scire credimus, multis modis est utile, si se ad ejus
micitiam conferre voluerit. Vos ergo more vestro quæ ad
gratiam partium pertinent semper studete, atque ubi causa
nercedis se dederit, elaborate, ut bona vestra amplius ante
mnipotentis Dei oculos commendetis.

CAP. X.

Item ejusdem Epistola ad Agilulfum regem.

GRegorius Agilulfo regi Langobardorum. Gratias excel-
lentiæ vestræ refero, quia petitionem nostram audien-
tes, pacem quam utrisque esse partibus credebamus profutu-
ram, sicut de vobis confidentiam habuimus, ordinastis. Ex
qua re excellentiæ vestræ prudentiam & bonitatem valde
laudamus, quia pacem diligendo, Deum vos, qui auctor est
ejus, amare monstrastis. Nam si (quod absit) facta non fuis-
set, quid agi debuit, nisi ut cum peccato & periculo partium,
miserorum rusticorum sanguis, quorum labor utrisque profi-
cit, funderetur. Sed ut prodesse nobis eandem pacem, quem-
admodum à nobis facta est, sentiamus, paterna caritate vos
salu-

ſalutantes petimus, ut quotiens occaſio ſe dederit, ducibus veſtris per diverſa loca, & maxime in his partibus conſtitutis, veſtris præcipiatis exemplis, ut hanc pacem ſicut promiſſum eſt pure cuſtodiant, & occaſiones ſibi aliquas non quærant, unde aut contentio quædam aut ingratitudo naſcatur, quatenus voluntati veſtræ gratias agere valeamus. Latores vero præſentium literarum, ſicut revera homines veſtros, in eo quo decuit affectu ſuſcepimus, quia juſtum fuit, ut viros ſapientes, & qui pacem factam Deo propitio nuntiarunt, cum caritate & ſuſcipere & dimittere deberemus.

CAP. XI.

De ſtella comete, & morte Iohannis Epiſcopi, & Evin ducis. & de Bajoariis.

INter hæc ſequenti menſe Ianuario apparuit ſtella cometa mane & veſpere per totum menſem. Eo quoque temporis menſe defunctus eſt Iohannes Archiepiſcopus Ravennæ. cujus in locum Marianus civis Romanus ſubſtitutus eſt. Evin quoque duce in Tridento mortuo, datus eſt eidem loco dux Gaidoaldus vir bonus, ac fide catholicus. Hiſdem ipſis diebus Bajoarii uſque ad duo millia virorum ſuper Sclavos irruunt: ſuperveniente Cacano omnes interficiuntur. Tunc primum caballi ſilvatici, & bubali, in Italiam delati, Italiæ populis miracula fuerunt.

CAP. XII.

De morte Childeberti Francorum regis, & de bello Avarium cum Francis, & de tranſitu Guntramni regis.

HAc etiam tempeſtate Childebertus rex Francorum ætatis anno vigeſimo quinto cum uxore pro-

pria

ria, ficut fertur, vi veneni extinguitur. Hunni quoue, qui & Avares dicuntur, à Pannonio in Turiniam ingreffi, bella graviffima cum Francis gefferunt. runichildis tunc regina cum nepotibus adhuc pueulis Theudeberto & Theuderico regebat Gallias. à uibus accepta Hunni pecunia, revertuntur ad propria. Iortuus quoque eft Guntramnus rex Francorum, renumque illius Brunichildis regina fufcepit, cum neotibus adhuc parvulis filiis Childeberti.

CAP. XIII.

Cacanus legatos ad Agilulfum mifit. & de pace cum Gallicino patricio.

PEr id tempus Cacanus rex Hunnorum legatos ad Agilulfum Mediolanum mittens, pacem cum eo ecit. Romanus quoque Patricius moritur, cui Gallinus fucceffit, & cum Agilulfo rege pacis concordiam niit.

CAP. XIV.

De pace Agilulfi cum Francis, & de morte Zangrulfi & VVarnecautii.

HOc etiam tempore Agilulfus cum Theuderico rege Francorum pacem perpetuam fecit. Poft æc Agilulfus rex rebellantem fibi Zangrulfum Veroenfium ducem extinxit. Gaidulfum quoque Pergaenfem ducem, cui jam bis pepercerat, peremit: ari etiam modo & Warnecautium apud Ticinum occidit.

CAP. XV.

De peste apud Ravennam, & mortalitate apud Veronam.

SVbsequenti tempore rursus Ravennam, & eos qui circa oram maris erant, pestis gravissima vastavit. Sequenti quoque anno mortalitas valida populos Veronensium attrivit.

CAP. XVI.

De signo sanguineo in cœlo, & bello Francorum inter se.

TVnc etiam signum sanguineum in cœlo apparuisse visum est, & quasi hastæ sanguineæ, & lux clarissima per totam noctem. Theudibertus rex Francorum eo tempore cum Clothario patruele suo bellum gerens, ejus exercitum vehementer afflixit.

CAP. XVII.

De morte Ariulfi ducis Spoletani, & de ducatu Thudelapii.

SEquenti anno Ariulfus dux, qui Faroaldo apud Spoletum successerat, moritur. Hic Ariulfus, cum bellum contra Romanos in Camerino gessisset, victoriamque patrasset, requirere à suis hominibus cœpit, quis vir ille fuerit, quem ipse in illo bello quod gesserat tam strenue pugnantem vidisset. Cui cum sui viri responderent, se ibi nullum aliquem fortius facientem quam ipsum ducem vidisse; ille ait: Certe multum & per omnia me meliorem ibi alium vidi, qui quotiens me adversæ partis aliquis percutere voluit, ille vir strenuus me semper suo clypeo protexit. Cumque dux ipse prope Spoletum, ubi basilica beati martyris Sabini sita

est,

ſt, in qua ejuſdem venerabile corpus quieſcit, adve-iſſet; interrogavit, cujus hæc tam ampla domus eſſet. ‹eſponſum eſt ei à viris fidelibus, Sabinum ibi marty-em requieſcere, quem Chriſtiani, quotiens in bellum ontra hoſtes irent, ſolitum haberent in ſuum auxilium ıvocare. Ariulfus vero cum adhuc eſſet gentilis, ita eſpondit: Qui poteſt fieri ut homo mortuus aliquod iventi auxilium præſtet? Qui cum hoc dixiſſet, equo eſiliens, eandem baſilicam conſpecturus intravit. Tunc, liis orantibus, ipſe picturas ejuſdem baſilicæ mirari œpit. Qui cum figuram beati martyris Sabini depi-ctam conſpexiſſet, mox cum juramento affirmavit, di-ens, talem omnino eum virum, qui ſe in bello prote-erat, formam habitumque habuiſſe. Tunc intellectum ſt, beatum martyrem Sabinum eidem in prælio adju-orium contuliſſe. Igitur mortuo Ariulfo, duo filii Fa-oaldi ſuperioris ducis inter ſe propter ducatum decer-antes, unus ex ipſis quicum victoriam adeptus eſſet, ıomine Theudelapius, ducatum ſuſcepit.

Cap. XVIII.

De prædicatione facta à Langobardis in cœnobio ſancti Benedicti.

Circa hæc tempora cœnobium beati Benedicti patris, quod in caſtro Caſſino ſitum eſt, à Langobardis no-ctu invaditur. Qui univerſa diripientes, ne unum qui-dem de monachis tenere potuerunt, ut prophetia vene-rabilis Benedicti patris, quam longe ante præviderat, compleretur, qua dixit, Vix apud Deum obtinere po-tui, ut ex hoc loco mihi animæ concederentur. Fugien-tes quoque ex eodem loco monachi Romam petierunt, ſecum codicem ſanctæ regulæ, quam præfatus pater compoſuerat, & quædam alia ſcripta, nec non pondus

panis,& menſuram vini,& quicquid ex ſupellectili ſubripere poterant, deferentes. Cæterum poſt beatum Benedictum Conſtantinus, poſt hunc Simplicius, poſt quem Vitalis, ad extremum Bonitus, congregationem ipſam rexit, ſub quo hæc deſtructio facta eſt.

CAP. XIX.

De morte Zottonis, & ducatu Arigis.

MOrtuo igitur Zottone Beneventanorum duce, Arigis in loco ipſius à rege Agilulfo miſſus ſucceſſit. Qui ortus in Forojulii fuerat, & Giſulfi Forojuliani ducis filios educarat, eidemque Giſulfo conſanguineus erat. Ad hunc Arigis extat epiſtola beati Gregorii Papæ in hunc modum directa.

CAP. XX.

Epiſtola beati Gregorii Papæ ad eundem Arigis.

GRegorius Arigis Duci. *Quia ſic de gloria veſtra, ſicut revera de filio noſtro, confidimus, petere à vobis aliqua fiducialiter provocamur, arbitrantes quod minime nos patiamini contriſtari, maxime in tali re unde veſtra anima multum poterit adjuvari. Indicamus autem, propter eccleſias beatorum Petri ac Pauli, aliquantas nobis trabes neceſſarias eſſe. & ideo Sabino ſubdiacono noſtro injunximus, de partibus Briccorum aliquantas incidere, & ut uſque ad mare in locum aptum trahere debeat. Et quia in hac re ſolatiis indiget, ſalutantes gloriam veſtram, paterna caritate petimus, ut actionariis veſtris qui in loco ſunt deputetis, ut homines qui ſub eis ſunt, cum bobus ſuis in ejus tranſmittere ſolatium debeant, quatenus vobis concurrentibus, melius quod ei injunximus poſſit perficere. Nos enim promittimus, quia dum res perfecta fuerit, dignum vobis*

xenium,

xenium, quod non ſit injurioſum, tranſmittemus. Nam ſcimus nos conſiderare, & filiis noſtris qui bonam nobis voluntatem exhibent, reſpondere. Vnde iterum petimus, glorioſe fili, ut ita facere debeatis; ut & nos poſſimus vobis eſſe pro præſtito beneficio debitores; & vos mercedem pro Sanctorum Eccleſiis habeatis.

CAP. XXI.

De captivitate filiæ regis Agilulfi, & quia rex Agilulfus Cacano artificem direxit.

HIs diebus capta eſt filia regis Agilulfi, cum viro ſuo Godeſcalco nomine, de civitate Parmenſi, ab exercitu Gallicini patricii; & ad urbem Ravennatium ſunt deducti. Hoc quoque tempore miſit Agilulfus rex Cacano regi Avarium artifices ad faciendas naves, cum quibus iſdem Cacanus inſulam quandam in Thracia expugnavit.

CAP. XXII.

De baſilica beati Iohannis in Modicia, quam Theudelinda regina ædificavit.

PEr idem quoque tempus Theudelinda regina baſilicam beati Ioannis Baptiſtæ, quam in Modicia conſtruxerat, qui locus ſupra Mediolanum duodecim millibus abeſt, dedicavit, multiſque ornamentis auri argentique decoravit, prædiiſque ſufficienter ditavit. Quo in loco etiam Theudericus quondam Gothorum rex palatium conſtruxit, pro eo quod æſtivo tempore locus ipſe, utpote vicinus Alpibus, temperatus ac ſalubris exiſtit.

Cap. XXIII.

De palatio quod conſtruxit.

IBi etiam præfata regina ſuum palatium condidit, in quo aliquid & de Langobardorum geſtis depingi fecit. In qua pictura manifeſte oſtenditur, quomodo Langobardi eo tempore comam capitis tondebant, vel qualis illis veſtitus, qualiſve habitus erat. Siquidem cervicem uſque ad occipitium radentes nudabant, capillos à facie uſque ad os dimiſſos habentes, quos in utramque partem in frontis diſcrimine dividebant. Veſtimenta vero eis erant laxa & maxime linea, qualia Angli-Saxones habere ſolent, ornata inſtitis latioribus, vario colore contextis. Calcei vero eis erant uſque ad ſummum pollicem pene aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti. Poſtea vero cœperunt hoſis uti, ſuper quas equitantes tubrugos birreos mittebant. ſed hoc de Romanorum conſuetudine traxerunt.

Cap. XXIV.

De ſubverſione Patavinæ urbis.

VSque ad hæc tempora Patavium civitas fortiſſime militibus repugnantibus Langobardis rebellavit. Sed tandem injecto igne tota flammis vorantibus concremata eſt, & juſſu regis Agilulfi ad ſolum uſque deſtructa eſt: milites tamen qui in ea fuerant, Ravennam remeare permiſſi ſunt.

Cap.

CAP. XXV.

De pace facta cum Avaribus, & quod Langobardi Histriam sunt ingressi.

HAc tempestate Agilulfi legati regressi à Cacano, pacem perpetuam factam cum Avaribus nuntiarunt. Legatus quoque Cacani cum eis adveniens ad Gallias perrexit, denuntians Francorum regibus, ut, sicut cum Avaribus, ita pacem habeant cum Langobardis. Inter hæc Langobardi cum Avaribus & Sclavis, Histrorum fines ingressi, universa ignibus & rapinis vastaverunt.

CAP. XXVI.

De nativitate Adaloaldi filii Agilulfi, & invasione montis Silicis.

AGilulfo quoque regi tunc nascitur filius de Theudelinda regina, in Modiciæ palatio, qui Adaloaldus est appellatus. Sequenti tempore, Langobardi castrum montis Silicis invaserunt. Per idem tempus repulso apud Ravennam Gallicino, rediit Smaragdus, qui prius fuerat Ravennæ patricius.

CAP. XXVII.

De morte Mauricii Imperatoris.

IGitur Mauritius Augustus postquam uno & viginti annis rexit imperium cum filiis Theodosio, & Tiberio, & Constantino à Foca, qui fuit strator Prisci Patricii, occiditur. Fuit autem utilis Reipubl. Nam sæpe contra hostes dimicans, victoriam obtinuit. Hunni quoque, qui & Avares appellantur, ejus virtute devicti sunt.

CAP. XXVIII.

De Gaidoaldo & Gisulfo ducibus, & de baptismo Adaloaldi.

HOc anno Gaidoaldus dux de Tridento, & Gisulfus de Forojulii, cum antea à regis Agilulfi societate discordarent, ab eo in pace recepti sunt. Tunc etiam baptizatus est prænominatus puer Adaloaldus, filius Agilulfi regis, in sancto Iohanne in Modicia, & susceptus de fonte est à Secundo servo Christi de Tridento, cujus sæpe fecimus mentionem. Fuit autem festi Paschalis dies eo tempore septimo Idus Aprilis.

CAP. XXIX.

De captu Cremonæ & Mantuæ, & de morte filiæ regis, & de bello Francorum.

ERat autem iis diebus adhuc discordia Langobardis cum Romanis propter captivitatem filiæ regis. Qua de causa Agilulfus rex egressus Mediolano mense Iulio, obsedit civitatem Cremonensem cum Sclavis, quos ei Cacanus rex Avarium in solatium miserat, & cepit eam duodecimo Kalendas Septembris, & ad solum usque destruxit. Pari etiam modo expugnavit Mantuam, & interruptis muris ejus cum arietibus, veniam dedit militibus qui erant in ea revertendi Ravennam, ingressus in eam die Iduum Septembrium. Tunc etiam partibus Langobardorum se tradidit castrum quod Vulturina vocatur. Milites vero, Brexillum oppidum igni cremantes, fugerunt. His ita patratis reddita est filia regis à Smaragdo Patricio, cum viro & filiis, ac rebus cunctis: factaque est pax mense nono, usque ad Kalendas Aprilis, indictione octava. Filia vero regis mox à Ravenna Parmam rediit, & ob diffi-

lifficultatem partus periclitata, ſtatim defuncta eſt. Hoc anno Theudebertus & Theudericus reges Francorum, adverſus Clotharium patruum ſuum dimicarunt, in quo certamine ex utraque parte multa millia eciderunt.

CAP. XXX.

De tranſitu beati Gregorii Papæ, & ejus ſanctitate.

TVnc etiam beatus Gregorius migravit ad Chriſtum, cum jam Focas per indictionem octavam anno regnaret ſecundo. Cujus in locum ad Apoſtolatus officium Sabinianus eſt ordinatus. Fuit autem tunc hiems frigida nimis, & mortuæ ſunt vites penè in omnibus locis. Meſſes quoque partim vaſtatæ ſunt à muribus, partim percuſſæ uredine evanuerunt. Debuit etenim tunc mundus famem ſitimque pati, quando decedente tanto doctore, animas hominum ſpiritalis alimoniæ penuria ſitiſque ariditas invaſit. Libet me ſane pauca, de ejuſdem beati Gregorii Papæ ſcriptis, quandam Epiſtolam huic opuſculo inſerere, ut poſſit liquidius agnoſci, quam humilis iſte vir fuerit, quantæque innocentiæ & ſanctitatis. Hic denique, cum accuſatus apud Mauritium Auguſtum ejuſque filios fuiſſet, quod Malcum quendam Epiſcopum in cuſtodia pro ſolidis occidiſſet, ſcribens pro hac re Epiſtolam Sabiniano ſuo apocriſiario, qui erat apud Conſtantinopolim, inter cætera ſic ait. *Vnum eſt quod breviter ſuggeras ſereniſſimis dominis noſtris, quia ſi ego ſervus eorum in mortem Langobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Langobardorum gens, nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque in ſumma confuſione diviſa eſſet. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miſcere formido. Malcus autem iſdem Epiſcopus neque in cuſtodia fuit, neque in aliqua afflictione,*

ſed die qua cauſam dixit, & abductus eſt, neſciente me, à Bonifacio notario in domum ejus ductus eſt, ibique prandidit & honoratus eſt ab eo, & nocte ſubito mortuus eſt. Ecce quantæ humilitatis vir iſte fuit, qui cum eſſet ſummus Dei Pontifex, ſe ſervum hominum nominavit? ecce quantæ innocentiæ, qui nec in morte Langobardorum, qui utique & increduli erant, & omnia devaſtabant, ſeſe voluit admiſcere.

CAP. XXXI.

De regno Adaloaldi, & de pace facta cum Francis.

IGitur ſequenti æſtate menſe Iulio levatus eſt Adaloaldus rex ſuper Langobardos apud Mediolanum in Circo, in præſentia patris ſui Agilulfi regis, adſtantibus legatis Theudeberti regis Francorum; & deſponſata eſt eidem regio puero filia regis Theudeberti, & firmata eſt pax perpetua cum Francis.

CAP. XXXII.

Bellum Francorum cum Saxonibus.

EOdem tempore Francis cum Saxonibus pugnantibus, magna ſtrages ab utriſque partibus facta eſt. Apud Ticinum quoque, in baſilica beati Petri Apoſtoli, Petrus cantor fulmine ictus.

CAP. XXXIII.

De pace facta cum Smaragdo Patricio, & de captis Tuſciæ civitatibus.

SEquenti denique menſe Novembri, rex Agilulfus pacem fecit cum Smaragdo Patricio in annum unum, accipiens à Romanis duodecim millia ſolidorum. Civitates

es quoque Tusciæ, hoc est, Balneum regis, & urbs
tus, à Langobardis invasæ sunt. Tunc etiam mense
rili, & Majo, apparuit in cælo stella quam Cometem
unt. Dehinc Agilulfus rex iterum fecit pacem cum
omanis tribus annis.

CAP. XXXIV.

De morte Severi Patriarchæ, & de sacerdotio Iohannis & Candidiani.

HIs diebus defuncto Severo Patriarcha, ordinatur
Iohannes Abbas Patriarcha in Aquileia vetere,
m consensu regis & Gisulfi ducis. In Grados quoque
dinatus est Romanis Candidianus antistes. Rursum
ense Novembri, & Decembri, stella Cometes ap-
ruit. Candidiano quoque defuncto apud Grados or-
natur Patriarcha Epiphanius, qui fuerat primicerius
otariorum ab Episcopis qui erant sub Romanis; & ex
lo tempore cæperunt duo esse Patriarchæ.

CAP. XXXV.

De invasione Neapolitanæ civitatis, & de morte Eleutherii falsi Imperatoris.

HAc ætate Iohannes Consinus invasit Neapolim,
quem de eadem civitate non multos post dies E-
eutherius patricius expulit, eumque interfecit. Post
æc isdem Eleutherius Patricius eunuchus imperii jura
uscepit. Qui dum à Ravenna Romam pergeret, in ca-
tro Luceolis à militibus interfectus est, caputque ejus
Constantinopolim Imperatori delatum est.

CAP.

Cap. XXXVI.

De pace facta cum Imperatore.

HAc etiam tempeſtate miſit rex Agilulfus Stabilicianum notarium ſuum Conſtantinopolim ad Focam Imperatorem. Qui rediens cum legatis Imperatoris, facta pace annuali, Agilulfo regi iidem legati imperialia munera obtulere.

Cap. XXXVII.

De Foca Auguſto, & ejus nece, & imperio Eraclii.

FOcas igitur, ut præmiſſum eſt, extincto Mauricio ejuſque filiis, Romanorum regnum invadens, per octo annorum curricula principatus eſt. Hic rogante Papa Bonifacio ſtatuit ſedem Romanæ & Apoſtolicæ eccleſiæ caput eſſe omnium Eccleſiarum, quia eccleſia Conſtantinopolitana, primam ſe omnium eccleſiarum ſcribebat. Idem alio Papa Bonifacio petente juſſit in veteri fano, quod Pantheon vocabant, ablatis idololatriæ ſordibus, eccleſiam beatæ ſemper virginis Mariæ, & omnium martyrum fieri, ut ubi quondam omnium non deorum ſed dæmonum cultus erat, ibi deinceps omnium fieret memoria ſanctorum. Hujus tempore Praſini & Veneti per Orientem & Ægyptum civile bellum faciunt, ac ſe mutua cæde proſternunt. Perſæ quoque adverſus rempublicam graviſſima bella gerentes, multas Romanorum provincias, & ipſam Hieroſolymam auferunt; & deſtruentes eccleſias, ſancta quoque profanantes, inter ornamenta locorum ſanctorum, etiam vexillum dominicæ crucis abducunt. Contra hunc Focam Eraclianus qui Africam regebat, rebellavit, atque cum exercitu veniens, eum regno vitaque priva-

privavit: remque publicam Romanam ejuſdem filius Eraclius ſuſcepit regendam.

CAP. XXXVIII.

De morte Giſulfi ducis, & deprædatione Forojulianæ urbis, & ceteris malis quæ Langobardi ab Hunnis ſunt perpeſſi.

CIrca hæc tempora rex Avarium, quem ſui lingua Cacanum appellant, cum innumerabili multitudine veniens, Venetiarum fines ingreſſus eſt. Huic Giſulfus Forojulianus dux cum Langobardis quos habere poterat audacter occurrit. Sed quamvis forti animoſitate contra immenſam multitudinem bellum cum paucis gereret, undique tamen circumſeptus cum omnibus ſuis pene extinctus eſt. Vxor vero ejuſdem Giſulfi, nomine Romilda, cum Langobardis qui evaſerant, ſive eorum uxoribus & filiis qui in bello perierant, intra murorum Forojuliani caſtri munivit ſepta. Huic erant filii Taſo & Caco, jam adoleſcentes; Radoaldus vero, & Grimoaldus, adhuc in puerili ætate erant conſtituti. Habebat vero & filias quatuor, quarum una Appa, alia Gaila vocabatur, duarum vero nomina non tenemus. Communierant ſe quoque Langobardi & in reliquis caſtris, quæ his vicina erant, hoc eſt, in Cormones, Nomaſo, Oſopo, Artenia, Reunia, Glemona, vel etiam in Ibligine, cujus poſitio omnino inexpugnabilis exiſtit. Pari etiam modo & in reliquis caſtellis, ne Hunnis, hoc eſt, Avaribus, præda fierent, ſe communiere. Avares vero per omnes Forojulianorum fines diſcurrentes, omnia incendiis & rapinis vaſtantes, Forojulianum oppidum obſidione claudunt, & totis viribus expugnare moliuntur. Horum rex, id eſt, Cacanus, dum circa muros armatus cum magno equitatu perambularet, ut, qua ex parte urbem facilius expugnare poſſet, inqui-

inquireret, hunc Romilda de muris proſpiciens, cum eum cerneret juvenili ætate florentem, meretrix nefaria concupivit, eique mox per nuntium mandavit, ut ſi ſe in matrimonium ſumeret, ipſa eidem civitatem cum omnibus qui aderant traderet. Quod rex barbarus audiens, eidem malignitatis dolo quod mandaverat ſe facturum promiſit, eamque in matrimonium ſpopondit accipere. Illa vero nihil morata, portas Forojulienſis caſtri aperuit, & ad ſuam cunctorumque qui aderant perniciem hoſtem introduxit. Ingreſſi vero Avares cum rege ſuo Forum-Iulii, univerſa quæ invenire poterant, rapinis diripiunt. Ipſamque urbem flammis concremantes, univerſos quos repererant captivos abducunt, fallaciter tamen eis promittentes, quod eos, unde digreſſi fuerant, Pannoniæ in finibus collocarent. Qui cum patriam revertentes, & ad campum quem ſacrum nominant perveniſſent, omnes, qui jam in majori ætate conſtituti erant, Langobardos perimere gladio ſtatuunt: mulieres vero & parvulos captivitatis ſorte dividunt. Taſo vero & Cacco ſeu Rodoaldus, filii Giſulfi & Romildæ, cum hanc Avarium malitiam cognoviſſent, ſtatim aſcenſis equis fugam arripiunt. E quibus unus Grimoaldum puerulum fratrem ſuum, dum exiſtimaret, utpote parvulum, ſuper equum currentem ſe tenere non poſſe, melius ducens eundem gladio perimere, quam captivitatis jugum ſuſtinere, eum occidere voluit. Cum igitur ut eum percuteret lanceam elevaſſet, puer lacrimans exclamavit, dicens: Noli me pungere, quia poſſum me ſuper equum tenere. Qui injecta manu eum per brachium apprehendens, ſuper nudum equi dorſum poſuit, eundemque ut ſe contineret hortatus eſt. Puer vero frenum equi manu arripiens, fugientes Germanos & ipſe ſecutus eſt. Quo comperto Avares, mox aſcenſis equis eos perſecuti ſunt, & reliquis

quis veloci fuga evadentibus, Grimoaldus puerulus, ab uno eorum qui velocius cucurrerat, capitur, nec tamen eum ſuus comprehenſor gladio ferire propter parvitatem ætatis dignatus eſt, ſed ſibi eundem potius ſerviturum reſervavit. Cumque eum ad caſtra revertens apprehenſo ejuſdem equi freno reduceret, deque tam nobili præda exultaret, (erat enim ipſe puerulus eleganti forma, micantibus oculis, lacteo crine perfuſus,) qui cum ſe captivum trahi doleret, ingentes animos anguſto in pectore verſans, enſem qualem in illa ætate habere poterat vagina exemit, ſeque trahentem Avarem, quantulo anniſu valuit, capitis in vertice percuſſit. Moxque ad cerebrum ictus perveniens, hoſtis ab equo dejectus eſt. Puer vero Grimoaldus verſo equo fugam lætabundus arripiens, tandem fratribus junctus eſt, eiſque liberatione ſui nuntiata, inſuper hoſtis interitu, inæſtimabile gaudium fecit. Avares vero omnes Langobardos, qui jam in virili ætate erant, gladio perimunt, mulieres vero & parvulos captivitatis jugo abducunt. Romildam vero, quæ totius malitiæ caput extitit, rex Avarium, propter jusjurandum ſicut ei ſpoponderat, nocte una quaſi in matrimonio habuit, noviſſime vero duodecim Avaribus tradidit, qui eam per totam noctem vicibus ſibi ſuccedentes libidine vexarent. Poſtmodum quoque palum in medio campo configi præcipiens, eandem in ejus acumine inſeri mandavit, hæc inſuper exprobrando inquiens, talem te dignum eſt maritum habere. Igitur dira proditrix patriæ, tali exitio periit, quæ amplius ſuæ libidini, quam civium & conſanguineorum ſaluti proſpexit. Filiæ vero ejus, non matris libidinem ſecutæ, ſed caſtitatis amori ſtudentes, ne ab Avaribus contaminarentur, crudorum pullorum carnes ſibi inter mammas ſub faſcia poſuerunt, quæ ex calore putrefactæ odorem fœtidum exhalabant. Cumque

eas

eas vellent Avares contingere, non ſuſtinentes fœtorem, putabant eas naturaliter ita fœtere, procul ab eis cum execratione recedentes, atque dicentes, omnes Langobardas fœtidas eſſe. Hac igitur arte Avarium libidinem puellæ nobiles evadentes, & ipſæ caſtæ, ſervandæ caſtitatis, ſi quid tale feminis contigerit, mandaverunt exemplum. Quæ poſtea per diverſas regiones venundatæ, juxta nobilitatem ſuam dignis ſunt nuptiis potitæ. Nam una earum Alamannorum regi, alia vero dicitur Bajoariorum principi nupſiſſe.

CAP. XXXIX.

De Genealogia Pauli VVarnefridi.

EXigit vero locus, poſtpoſita generali hiſtoria, pauca etiam privatim de mea qui hæc ſcribo genealogia retexere, & quia res ita poſtulat, paulo ſuperius narrationis ordinem replicare. Eo denique tempore quo Langobardorum gens de Pannoniis ad Italiam venit, Leuphis, meus abavus, ex eodem Langobardorum genere, cum eis pariter adventavit. Qui poſtquam aliquot annos in Italia vixit, diem claudens extremum, quinque ex ſe genitos filios adhuc parvulos reliquit; quos tempeſtas iſta captivitatis, de qua nunc diximus, comprehendens, omnes ex caſtro Forojulienſi in Avarium patriam exules deduxit. Qui cum per multos annos in eadem regione captivitatis miſeriam ſuſtinuiſſent, & jam ad virilem perveniſſent ætatem, ceteris quatuor, quorum nomina non retinemus, in captivitatis anguſtia perſiſtentibus, quintus eorum germanus, nomine Lupicis, qui noſter poſtea proavus extitit, inſpirante ſibi (ut credimus) miſericordiæ autore, captivitatis jugum abjicere ſtatuit, & ad Italiam, quo gentem Langobardorum reſidere meminerat, tendere, atque ad liberta-

bertatis jura ſtuduit repedare. Qui cum iter aggreſſus fugam arripuiſſet, tantum pharetram, & arcum, & aliquantulum cibi propter viaticum gerens, neſciretque omnino quo pergeret, ei lupus adveniens comes itineris & ductor factus eſt. Qui cum ante eum pergeret, & frequenter poſt ſe reſpiceret, & cum ſtante ſubſiſteret, atque cum pergente præiret, intellexit, ſibi eum divinitus datum eſſe, ut ei iter, quod neſciebat, oſtenderet. Cumque per aliquot dies per montium ſolitudines hoc modo pergerent, panis eidem viatori, quem exiguum habuerat, omnino defecit. Qui cum jejunans iter carperet, & jam fame tabefactus defeciſſet, tetendit arcum ſuum, & eundem lupum, ut eum in cibum ſumere poſſet, ſagitta interficere voluit. Sed lupus ictum ferientis præcavens, ab ejus viſione elapſus eſt. Ipſe autem recedente eodem lupo, neſciens quo pergeret, inſuper famis penuria nimium debilis effectus, cum jam de vita deſperaret, ſeſe in terram projiciens obdormivit, videtque quendam virum in ſomnis talia ſibi verba dicentem: Surge qui dormis: arripe viam in hanc partem contra quam pedes tenes; illac etenim eſt Italia, ad quam tendis. Qui ſtatim ſurgens, in illam partem quam in ſomnis audierat pergere cœpit: nec mora, ad habitaculum hominum pervenit. Erat enim Sclavorum habitatio in illis locis. Quem cum una mulier jam vetula vidiſſet, ſtatim intellexit, eum fugitivum eſſe, & famis penuria laborare. Ducta autem miſericordia ſuper eum, abſcondit eum in domo ſua, & ſecreto paulatim ei victum miniſtravit, ne ſi ei uſque ad ſaturitatem alimoniam præberet, ejus vitam funditus extingueret. Denique ſic competenter ei paſtum præbuit, quouſque ipſe recuperatus vires accipere potuiſſet. Cumque eum jam validum ad iter faciendum vidiſſet, datis ei cibariis, ad quam partem

tendere deberet, admonuit. Qui post aliquot dies Italiam ingressus, ad domum in qua ortus fuerat pervenit. Quæ ita deserta erat, ut non solum tectum non haberet, sed etiam rubis & sentibus plena esset. Quibus ille succisis, intra eosdem parietes vastam ornum reperiens, in hac suam pharetram suspendit. Qui postea consanguineorum & amicorum suorum muneribus ditatus, & domum reædificavit, & uxorem duxit, sed nihil de rebus quas genitor suus habuerat, exclusus jam ab iis qui eas invaserant longa & diuturna possessione, conquirere potuit. Iste, ut superius præmisi, extitit meus proavus. Hic etenim genuit avum meum Arichim, Arichis vero patrem meum Warnefrid, Warnefrid ex Theudelinda conjuge sua genuit me Paulum, meumque germanum Arichim, qui nostrum avum cognomine retulit. His paucis de propriæ genealogiæ serie delibatis, nunc generalis historiæ revertamur ad tramitem.

Cap. XL.

De ducatu & de morte Tasonis & Cacconis.

Mortuo, ut diximus, Gisulfo Forojuliensi duce, Taso & Cacco filii ejus eundem ducatum regendum susceperunt. Hi suo tempore Sclavorum regionem quæ Zellia appellatur, usque ad locum qui Medaria dicitur, possederunt. Vnde usque ad tempora Ratchis ducis, iidem Sclavi pensionem Forojulianis ducibus persolverunt. Hos duos fratres Gregorius Patricius Romanorum in civitate Opitergio dolosa fraude peremit. Nam promittens Tasoni ut ei barbam sicut moris est incideret, eumque sibi filium faceret, ipse Taso cum Caccone germano suo & electis juvenibus ad eundem Gregorium nihil mali metuens advenit. Qui mox,

ıox, cum Opitergium cum ſuis eſſet ingreſſus, ſtatim dem Patricius civitatis portas claudi præcepit, & arıatos milites ſuper Taſonem ejuſque ſocios miſit. Quod Taſo cum ſuis comperiens, audacter ſe ad præum præparavit, ultimumque ſibi data pace valedientes, per ſingulas civitatis plateas hac illacque diſper-, quoſcunque obvios habere poterant, trucidantes, um magnam ſtragem de Romanis feciſſent, ad extreıum etiam ipſi perempti ſunt. Gregorius vero Patriius propter jusjurandum quod dederat, caput Taſonis bi deferri jubens, ejus barbam, ſicut promiſerat, perjuus abſcidit.

CAP. XLI.

De Graſulfo duce Forojuliano, & de adventu Radoaldi, & Grimoaldi in Beneventum.

HIs ita peremptis, dux Forojulianus Graſulfus Giſulfi germanus conſtituitur. Radoaldus vero & Grimoaldus, deſpectui ducentes ſub patrui ſui Graſulfi poteſtate degere, cum eſſent jam prope juvenilem ætatem, adſcenſa navicula remigantes ad Beneventi fines perveniunt. Exinde ad Arichim Beneventanorum ducem, ſuum quondam pædagogum, properantes, ab eo gratiſſime ſuſcepti & filiorum loco ſunt habiti. His temporibus mortuo Taſſilone duce Bajoariorum, filius ejus Garibaldus in Agunto à Sclavis devictus eſt, & Bajoariorum termini deprædantur. Reſumptis tamen Bajoarii viribus, & prædas ab hoſtibus excutiunt, & hoſtes de ſuis finibus pepulerunt.

CAP. XLII.

De facta pace cum Imperatore & Francis, & depopulatione Histriæ, & morte Gundualdi.

REx vero Agilulfus pacem cum Imperatore in annum unum, itemque in alterum faciens, cum Francis quoque iterato pacem renovat. Hoc nihilominus anno Sclavi Histriam interfectis militibus lacrimabiliter deprædati sunt. Sequenti quoque mense Martio defunctus est apud Tridentum Secundus servus Christi de quo sæpe jam diximus, qui usque ad sua tempora succinctam de Langobardorum gestis composuit historiolam. Eo tempore rex Agilulfus cum imperatore iterato pacem composuit. Occisus quoque est his diebus Theudebertus rex Francorum, & facta est pugna gravissima inter eos. Gundualdus etiam Theudelindæ reginæ germanus, qui erat dux in civitate Astensi, nemine sciente auctorem mortis ipsius, hoc ipso in tempore sagitta ictus interiit.

CAP. XLIII.

De morte Agilulfi, & de regno Adaloaldi, & ejus expulsione, & regno Arioaldi.

IGitur Agilulfus rex, qui & Ago est appellatus, postquam viginti & quinque annos regnaverat, diem clausit extremum, relicto in regno filio suo Adaloaldo admodum puero, cum Theudelinda matre. Sub his ecclesiæ restauratæ sunt, & multæ dationes per loca venerabilia largitæ. Sed cum Adaloaldus eversa mente insaniret, postquam cum matre decem regnaverat annis, de regno ejectus est, & à Langobardis in ejus loco Arioaldus substitutus est. De cujus regis ge-

stis

ſtis ad noſtram notitiam minime aliquid pervenit. Circa hæc tempora beatus Columbanus ex Scotorum genere oriundus, poſtquam in Gallia in loco qui Luxovius dicitur, monaſterium conſtruxerat, in Italiam veniens, à Langobardorum rege gratanter exceptus eſt, cœnobiumque quod Bobium appellatur, in Alpibus Cottiis ædificavit, quod quadraginta millibus ab urbe dividitur Ticinenſi. Quo in loco & multæ poſſeſſiones à ſingulis principibus ſive Langobardis largitæ ſunt, & magna ibi facta eſt congregatio monachorum.

CAP. XLIV.

De morte Arioaldi & regno Rothari. & quia dux Archis filium ſuum Ajonem ad regem direxit.

IGitur Arioaldus poſtquam ſuper Langobardos duodecim annis regnum tenuit, ab hac luce ſubtractus eſt. Langobardorum regnum Rothari genere Arodus ſuſcepit. Fuit autem viribus fortis, & juſtitiæ tramitem ſequens, ſed tamen fidei Chriſtianæ non rectam lineam tenens, Arrianæ hæreſeos perfidia maculatus eſt. Siquidem Arriani minorem patre filium, ſpiritum quoque ſanctum minorem patre & filio ad ſuam perniciem dicunt. Nos autem Catholici patrem & filium & ſpiritum ſanctum, in tribus perſonis unum & verum Deum, æquali potentia eademque gloria confitemur. Hujus temporibus pene per omnes civitates regni ejus duo Epiſcopi erant, unus Catholicus, & alter Arrianus. In civitate quoque Ticinenſi uſque nunc oſtenditur, ubi Arrianus Epiſcopus, apud baſilicam Sancti Euſebii reſidens, baptiſterium habuit, cum tamen eccleſiæ catholicæ alius Epiſcopus præſideret. Qui tamen Arrianus Epiſcopus, qui in

eadem civitate fuit Anaſtaſius nomine, ad fidem catholicam converſus, Chriſti poſtea eccleſiam rexit. Hic Rothari rex, Langobardorum leges, quas ſola memoria & uſu retinebant, ſcriptorum ſerie compoſuit, codicemque ipſum Edictum appellari præcepit. Erat autem jam ex quo Langobardi in Italiam venerant, annus ſeptuageſimus ſeptimus, ſicut idem rex in ſui edicti teſtatus eſt prologo.

Cap. XLV.

De morte Arichis Beneventani ducis, & ducatu Ajonis.

AD hunc regem Arichis dux Beneventi filium ſuum Ajonem direxit. Qui cum Ravennam veniſſet, Ticinum pergens, ibi ei Romanorum malitia talis potio data eſt, quæ eum mente excedere faceret: atque ex eo tempore nunquam pleni ſanique ſenſus fuit. Igitur cum dux Arichis, hujus de quo diximus pater, jam maturus annis ad diem ultimum propinquaſſet, ſciens filium ſuum Ajonem non recti eſſe ſenſus, Radoaldum & Grimoaldum, jam florem juventutis habentes, quaſi proprios filios Langobardis qui aderant commendavit; eiſque dixit, quod melius eos regere iſti, quam Ajo filius ſuus poſſet.

Cap. XLVI.

De morte Ajonis, & de ducatu Radoaldi.

DEfuncto ergo Arichis, qui ducatum quinquaginta tenuerat annis, Ajo ejus filius Samnitum ductor effectus eſt, cui tamen Radoaldus & Grimoaldus, ſicut ſeniori fratri & domino, per omnia paruerunt.

Qui

Qui Ajo cum anno & mensibus quinque Beneventanum ducatum regeret, venientes Sclavi cum multitudine navium longe à civitate Seponto castra posuerunt, occultas foveas circa sua castra facientes. Cum Ajo super eos absentibus Radoaldo & Grimoaldo venisset, eosque debellare vellet, equus ejus in unam de eisdem foveis cecidit, atque irruentibus super eum Sclavis, simul cum aliquantis viris extinctus est. Quod cum Radoaldo nuntiatum fuisset, cito veniens, eisdem Sclavis propria illorum lingua locutus est. Cumque propter hoc segniores ad bellum reddidisset, mox super eos irruens, magnaque strage eos prosternens, & Ajonis mortem ultus est, & de illis finibus eos qui remanserant hostes fugam petere coëgit.

CAP. XLVII.

De civitatibus quas Rothari cepit.

IGitur Rothari rex, Romanorum civitates ab urbe Tusciæ Lunensi universas quæ in littore maris sitæ sunt, usque ad Francorum fines cepit. Opitergium quoque, civitatem inter Tarvisium & Forojulii positam, pari modo expugnavit & diruit. Cum Ravennatibus & Romanis bellum gessit, ad fluvium Æmiliæ, quod Scultenna dicitur: in quo bello à parte Romanorum, reliquis terga dantibus, octo millia ceciderunt. Eo tempore magnus Romæ terræ motus factus est, magnaque fuit inundatio aquarum. Post hæc fuit clades scabierum, ita ut nullus potuisset mortuum suum agnoscere propter nimium inflationis tumorem. Apud Beneventum vero mortuo Radoaldo duce, qui ducatum quinque rexerat annis, Grimoaldus ejus germanus dux effectus est, gubernavitque ducatum Samnitium annis viginti & quinque. Hic de captiva puella,

ſed tamen nobili, cujus nomen Itta fuit, Romualdum filium & duas filias genuit. Qui cum eſſet vir bellicoſiſſimus, & ubique inſignis, venientibus eo tempore Græcis, ut oraculum ſancti Michaëlis Archangeli in monte Gargano ſitum deprædarentur, Grimoaldus ſuper eos cum exercitu veniens, ultima eos cæde proſtravit.

CAP. XLVIII.

De morte Rodoaldi ducis, & quia ei in ducatu Grimoaldus ejus germanus ſucceſſit.

AT vero rex Rothari poſtquam annos ſedecim & menſes quatuor regnum tenuerat, vita decedens, Langobardorum regnum Rodoaldo ſuo filio reliquit. Hic cum juxta baſilicam beati Iohannis baptiſtæ fuiſſet humatus, poſt aliquantum tempus quidam iniqua cupiditate ſuccenſus, ejus ſepulchrum noctu aperuit, & quicquid in ornamentis ejus corporis reperit, abſtulit. Cui beatus Iohannes per viſionem apparens, eum vehementer exterruit, eique dixit: Cur auſus es corpus iſtius hominis contingere? Fuerit licet non recte credens, tamen mihi ſe commendavit. Quia igitur hoc facere præſumpſiſti, nunquam in meam baſilicam deinceps ingreſſum habebis. Quod ita quoque factum eſt. Quoties enim cumque voluiſſet beati Ioannis oraculum ingredi, ſtatim velut à validiſſimo pugili guttur ejus feriebatur, ſic ſubito retro ruebat impulſus. Veritatem in Chriſto loquor; hoc mihi ipſe retulit, qui hoc ipſum ſuis oculis factum vidit.

CAP.

CAP. XLIX.

De morte Rothari regis, & regno Rodoaldi.

Rodoaldus igitur post funus patris Langobardorum regnum suscipiens, Gundibergam Agilulfi & Theudelindæ sibi filiam in matrimonium sociavit. Hæc Gundiberga regina ad instar suæ genitricis, sicut illa in Modicia, sic & ista intra Ticinensem civitatem, basilicam in honorem beati Iohannis baptistæ construxit. Quam mire ex auro & argento peplisque decoravit, rebusque singulis optime ditavit, in qua & ejus corpus tumulatum quiescit. Hæc cum de crimine adulterii apud virum accusata fuisset, proprius ejus servus, Carellus nomine, à rege expetiit, ut cum eo, qui reginæ crimen ingesserat, pro castitate suæ dominæ monomachia dimicaret. Qui dum cum criminatore illo singulare certamen inisset, eum cuncto populo astante superavit. Regina vero post hoc factum ad dignitatem pristinam rediit.

CAP. L.

De morte Rodoaldi regis, & regno Ariberti.

Rodoaldus quoque (ut fertur) dum uxorem cujusdam Langobardi stuprasset, ab eo interfectus est, postquam septem diebus & quinque regnaverat annis. Huic successit in regni regimine Aribertus, filius Gundualdi, qui fuerat germanus Theudelindæ reginæ. Hic condidit apud Ticinum oraculum domini Salvatoris, quod extra portam occidentalem, quæ dicitur Marenca, situm est; quod ornamentis variis decoravit, & substantiis sufficienter ditavit.

Cap. LI.

De morte Heraclii Augusti, & Constantini, qui ei successit, & regno alterius Constantini.

HIs diebus defuncto Heraclio Augusto, apud Constantinopolim, Heracleon ejus filius cum matre Martina regni jura suscepit, rexitque imperium duobus annis. Quo vita decedente successit in locum ejus Constantinus germanus ejusdem, alius filius Heraclii, imperavitque mensibus sex. Hoc etiam mortuo, Constantinus ejusdem filius ad regni dignitatem ascendit, tenuitque regnum annis octo & viginti.

Cap. LII.

De Caesara regina Persarum.

CIrca hæc tempora regis Persarum conjunx nomine Cæsara, de Perside exiens cum paucis suis fidelibus, privato habitu propter Christianæ fidei amorem Constantinopolim venit. Quæ ab Imperatore honorifice suscepta, post aliquot dies, ut desiderabat, baptismum consecuta, & ab Augusta de sacro fonte levata est. Quod vir ejus Persarum rex audiens, legatos Constantinopolim ad Augustum direxit, quatenus eidem suam uxorem redderet. Qui ad Imperatorem venientes, verba regis Persarum nunciant, qui suam requirebat reginam. Imperator hæc audiens, remque omnino ignorans, eis responsum reddidit, dicens: De regina quam quæritis fatemur nos nihil scire, præter quod ad nos hic aliqua mulier privato habitu advenit. Legati vero responderunt, dicentes: Si placet vestro conspectui, volumus hanc quam dicitis mulierem videre. Quæ cum jussu Imperatoris advenisset, mox ut eam conspiciunt,

ciunt, ad ejus veſtigia provolvuntur, eique venerabiliter, quod eam ſuus vir requireret, ſuggerunt. Quibus illa reſpondit: Ite, renuntiate regi veſtro & domino, quia, niſi, ſicut ego jam credidi, ita & ipſe in Chriſtum crediderit, me jam ultra conſortem thori habere non poterit. Quid multa? Reverſi legati ad patriam, univerſa quæ audierant, regi nunciant. Qui nihil moratus, cum ſexaginta millibus viris Conſtantinopolim pacifice ad Imperatorem venit. A quo gratanter & ſatis digne ſuſceptus eſt. Qui cum univerſis in Chriſtum dominum credens, pariter cum omnibus ſacri baptiſmatis unda perfuſus, & ab Auguſto de fonte levatus, catholica fide confirmatus eſt. Multiſque muneribus ab Auguſto honoratus, accepta ſua conjuge lætus & gaudens ad ſuam patriam repedavit. Circa hæc tempora mortuo apud Forumjulii Graſulfo duce Forojulienſi, ducatum Ago regendum ſuſcepit. Apud Spoletum quoque Theudelapio defuncto, Atto eidem civitati ductor efficitur.

CAP. LIII.

De morte Ariberti, & Godeberti, filii ejus; qui ſucceſſit: & regno Grimoaldi, & interitu Garibaldi ducis.

IGitur Aribertus, poſtquam apud Ticinum per annos novem Langobardos rexerat, diem obiens, regnum duobus filiis ſuis adhuc adoleſcentibus, Bertarido & Godeberto, regendum reliquit. Et Godebertus quidem Ticini ſedem regni habuit, Bertaridus vero in civitate Mediolanenſi. Inter quos fratres, facientibus malignis hominibus, diſcordiæ & odiorum fomes ſurrexit, in tantum ut alter alterius regnum invadere conaretur. Qua de re Godebertus Garibaldum Taurinatium ducem ad Grimoaldum Beneventanorum ſtrenuum

nuum tunc ductorem direxit, invitans eum ut quantocius veniret, & ſibi adverſus germanum ſuum Bertaridum auxilium ferret, regiſque filiam, ſuam germanam, ei ſe daturum promittens. Sed legatus ipſe fraudulenter contra ſuum dominum agens, Grimoaldum exhortatus eſt ut veniret, & Langobardorum regnum, quod adoleſcentes germani diſſipabant, ipſe arriperet, qui ætate maturus, conſilio providus, & viribus fortis exiſteret. Grimoaldus hæc audiens, mox animum ad regnum Langobardorum obtinendum erexit. Ordinatoque apud Beneventum Romoaldo ſuo filio duce, ipſe cum electa manu Ticinum profecturus iter arripuit, ac per omnes civitates quas obviam habuit, ſibi amicos & adjutores ad regnum percipiendum aſcivit. Traſemundum vero comitem Capuanum per Spoletum & Tuſciam direxit, ut per eas regiones Langobardos ſuo conſortio coaptaret. Qui imperata ſibi ſtrenue perficiens, ei cum multis adjutoribus apud Æmiliam in itinere occurrit. Igitur Grimoaldus cum prope Placentiam cum robuſta virorum multitudine adveniſſet, Garibaldum, qui legatus ad eum miſſus à Godeberto fuerat, Ticinum præmiſit, ut eidem Godeberto de ſuo adventu nuntiaret. Qui ad Godebertum veniens, Grimoaldum citius adventare dixit. Cumque Godebertus ab eo quæreret, quo in loco eidem Grimoaldo hoſpitium præparare deberet, Garibaldus ita reſpondit, quod dignum eſſet, ut Grimoaldus, qui pro ejus cauſa venerat, ejuſque ſororem accepturus eſſet, hoſpitium intra palatium haberet. Quod ita quoque factum eſt. Nam adveniens Grimoaldus, intra palatium hoſpitium accepit. Iſdem vero Garibaldus, totius nequitiæ ſeminator, Godeberto perſuaſit, ut non aliter quam lorica ſub veſte indutus, cum Grimoaldo locuturus veniret; aſſerens, quia Grimoaldus eum occidere vellet. Rurſus iſdem

dem fallendi artifex, ad Grimoaldum veniens, dixit, quod nisi se fortiter præpararet, eum Godebertus suo gladio perimeret, asseverans, Godebertum, quando cum eo ad colloquendum veniret, loricam sub veste gestare. Quid plura? Cum ad colloquium die crastino venissent, & Godebertum post salutationem Grimoaldus amplexatus esset, statim sensit quod loricam sub veste gestaret. Nec mora, evaginato gladio eum vita privavit, regnumque ejus & omnem potentiam invadens, suæ subdidit ditioni. Habebat autem tunc Godebertus jam filium parvulum nomine Reginbertum, qui à Godeberti fidelibus sublatus & occulte nutritus est. Nec eum Grimuald persequi curavit, quippe qui adhuc infantulus esset. Quo audito Bertaridus qui apud Mediolanum regnabat, quod germanus ejus esset extinctus, quanta potuit velocitate fugam arripuit, atque ad regem Avarium Cacanum pervenit, uxorem Rodelindam & parvulum filium nomine Cunibertum relinquens, quos Grimoaldus Beneventum in exilium direxit. His ita gestis, Garibaldus, cujus instigatione & certamine ista patrata sunt, & non solum hæc egerat, sed & fraudem in legatione sua fecerat, dum munera quæ deferre Beneventum debuerat, non integra deportasset; talium ergo operum patrator, non diu lætatus est. Erat quidam parvus homunculus, ex propria familia Godeberti oriundus, in civitate Taurinatium. Is cum Garibaldum ducem ipso sacratissimo Paschali die ad orationem in beati Iohannis basilicam venturum sciret, super sacrum baptisterii fontem conscendens, lævaque manu se ad columellam tugurii continens, unde Garibaldus transiturus erat, evaginatum ensem sub amictu tenens, cum juxta eum Garibaldus venisset & pertransiret, ipse elevato ense, annisu eundem in cervicem percussit, caputque protenus amputavit. Super quem

qui

qui cum Garibaldo venerant, irruentes, multis eum ictuum vulneribus occiderunt. Qui licet occubuerit, tamen Godeberti sui domini injuriam insigniter ultus est. Explicit Liber Qvartvs de Gestis Langobardorvm.

DE GESTIS LANGOBARDORVM,

LIBER QVINTVS.

Cap. I.

Quomodo Grimoaldus confirmato regno uxorem duxit filiam Ariberti regis.



Onfirmato itaque Grimoaldus regno apud Ticinum, non multo post tempore jam dudum pactam sibi Ariberti regis filiam, cujus germanum Godebertum extinxerat, duxit uxorem. Beneventanum vero exercitum, cujus auxilio regnum adeptus erat, multis ditatum muneribus remisit ad propria. Aliquantos tamen ex eis secum habitaturos retinuit, largissimas eis tribuens possessiones.

Cap. II.

De fuga Bertaridi, & quomodo ad Grimoaldum reversus est, & iterum in Franciam fugit.

QVi postquam comperit, Bertaridum profugum Scythiam petisse, & apud Cacanum demorari, eidem Cacano Avarium regi per legatos mandavit, ut si Berta-

Bertaridum in ſuo regno detineret, pacem quam Langobardis & ſecum hactenus habuerat, deinceps habere non poſſet. Hæc Avarium rex audiens, aſcito Bertarido dixit ei, ut in quam partem vellet pergeret, ne propter eum Avares cum Langobardis inimicitias contraherent. Bertaridus vero hæc audiens, Italiam ad Grimoaldum revertens repetiit. audierat enim, eum clementiſſimum eſſe. Igitur cum ad Laudenſem civitatem veniſſet, miſit ante ſe ad Grimoaldum regem Hunnulfum fideliſſimum virum, qui ſuum ei adventum nuntiaret. Hunnulfus vero ad regem veniens, Bertaridum in ejus fide adventare nuntiavit. Hæc ille audiens, fidenter promiſit, in ſua eum fide venientem nihil mali paſſurum fore. Inter hæc Bertaridus adveniens, ad Grimoaldum ingreſſus, cum ejus ſe veſtigiis advolvere conatus eſſet, rex eum clementer retinuit, atque ad os ſuum ad oſculumque erexit. Ad quem Bertaridus: Servus tuus ſum, inquit, ſciens, te Chriſtianiſſimum & pium eſſe. Cum poſſim inter paganos vivere, fretus de tua clementia, ad tua veſtigia veni. Cui rex, ut ſolebat, jurando ita repromiſit, dicens: Per eum qui me naſci fecit, poſtquam in meam fidem ad me veniſti, nihil mali in aliquo patieris, ſed ita de te ordinabo, ut decenter vivere poſſis. Tunc ei in ſpatioſa domo hoſpitium præbens, eum poſt vitæ laborem, habere requiem juſſit, præcipiens eidem ex publico victum, & quæcunque eſſent neceſſaria, largius miniſtrari. Bertaridus vero cum ad hoſpitium ſibi à rege præparatum veniſſet, mox ad eum Ticinenſium civium cœperunt turmæ concurrere, ut eum vel viderent, vel priſtina notitia cognitum ſalutarent. Verum quid non mala lingua irrumpere poteſt? Mox namque venientes ad regem quidam maligni adulatores, regi denuntiant, quia niſi Bertaridus citius vita privaretur, ipſe regnum protinus

cum

cum vita perderet; asseverantes, ob hoc ad eum totam concurrere civitatem. His auditis Grimoaldus nimium credulus effectus, & quod promiserat oblitus, in innocentis Bertaridi statim necem accenditur, consiliumque iniit, qualiter eum, quia jam hora tardior erat, in crastinum vita privaret. Cui denique ad vesperam diversos cibos, vina quoque præcipua, variaque potionum genera transmisit, ut eum inebriare posset, quatenus multa eadem nocte potatione resolutus, vinoque sepultus, de sua nihil salute cogitare valeret. Tunc unus qui de ejus patris obsequio fuerat, cum eidem Bertarido ferculum regium attulisset, quasi eum salutaturus, sub mensa caput mittens, eidem secrete, quia rex eum occidere disponeret, nuntiavit. Bertaridus vero statim suo pincernæ præcepit, ut sibi in fiala argentea non aliud quam aliquantulum aquæ propinaret. Cumque hi qui diversi generis potiones ei à rege deferebant, de verbo regis eum rogarent, ut totam fialam biberet, ille in honorem regis se totam bibere promittens, parum aquæ libabat de argenteo calice. Qui ministri dum hæc regi nuntiarent, quod ille avidissime biberet, rex lætus respondit; Bibat ebriosus ille; cras enim pariter eadem vina, mixta cum sanguine, refundet. Bertaridus vero Hunnulfo citius ad se ascito, de sua morte ei consilium regis nuntiavit. Qui statim ad domum suam puerum misit ut sibi lectisternia afferret, lectumque sibi juxta stratum Bertaridi fieri præcepit. Nec mora, rex Grimoaldus suos satellites direxit, qui domum in qua Bertaridus quiescebat, ne aliquo modo effugere posset, custodire deberent. Cumque cœna finita esset, & egressis omnibus, Bertaridus tantum & Hunnulfus ac vestiarius Bertaridi remansissent, qui utique ei satis erant fideles, consilium ei aperuit, & obsecravit eum, ut cum Bertaridus fugeret, ipse eum

eum quam diu posset intra ejusdem cubiculum quiescere simularet. Cumque ille se hoc facturum spopondisset, Hunnulfus pannos suos lecticarios, & culcitram, ursinamque pellem, supra dorsum ac cervicem Bertaridi imposuit, eumque ex consilio quasi rusticanum servum extra januam impellere cœpit, multasque ei injurias faciens, fuste eum percutere desuper & urgere non cessabat, ita ut impulsus atque ictus sæpius ad terram corrueret. Cumque eundem Hunnulfum regis satellites qui ad custodiam positi erant, requirerent quid hoc esset; Servus iste, inquit, nequam lectum mihi in cubiculo istius ebrii Bertaridi stravit, qui in tantum vino plenus est, ut quasi mortuus ita cubet. Sed satis est quod ejus huc usque amentiam secutus sum; jam deinceps in vita domini regis in domo propria manebo. Hæc illi audientes, & vera quæ audierant esse credentes, læti effecti sunt, & eum, pariterque Bertaridum, quem putabant servum, quia opertum ne agnosceretur habebat caput, locum illis dantes, abire permiserunt. Illis autem abeuntibus, vestiarius ille fidelissimus, obserato diligenter ostio remansit intrinsecus solus. Hunnulfus vero Bertaridum de muri angulo, qui est à parte Ticini fluminis, per funem deposuit, eique quos potuit socios conjunxit. Qui arreptis quos in pastu invenerant equis, eadem nocte ad Astensem properant civitatem, in qua Bertaridi amici manebant. Deinde Bertaridus quantocius Taurinensem urbem petens, ac post claustra Italiæ transgressus, Francorum ad patriam pervenit. Sicque Deus omnipotens, dispositione misericordi, & innocentem à morte eripuit, & ex animo bona facientem ab offensione regem servavit.

CAP. III.

De clementia Grimoaldi regis in Hunnulfo & vestiario Bertaridi.

AT vero rex Grimoaldus dum Bertaridum in hospitio suo quiescere putaret, ab eodem hospitic usque ad palatium suum acies hominum hinc & inde astare fecit, ut per eorum medium Bertaridus deduceretur, quatenus effugere minime posset. Cumque à rege missi venissent, qui Bertaridum ad palatium evocarent, & ad ostium in quo eum quiescere putabant pulsassent, vestiarius ille qui introrsus erat, rogabat eos, dicens: Misericordiam cum eo facite, eumque paululum quiescere sinite, quia adhuc de itinere lassus, gravissimo somno deprimitur. Quod cum illi adquievissent, hoc ipsum regi nuntiaverunt, quia adhuc Bertaridus gravi somno quiesceret. Tunc ille: Sic, inquit, hesterno sero vino se adeo opplevit, ut adhuc vigilare non possit? Quibus tamen præcepit, ut mox eum excitatum ad palatium deducerent. Qui venientes ad januam cubiculi, in quo Bertaridum sperabant quiescere, cœperunt acrius pulsare. Tunc vestiarius ille rursum eos rogare cœpit, ut quasi eundem Bertaridum aliquantulum adhuc dormire permitterent. Qui irati, vociferantes, jam satis ebriosum illum quievisse, mox calcibus ejusdem cubiculi ostium confringunt, ingressique Bertaridum in lectulo requirunt. Quem cum non invenissent, ad requisita eum naturæ residere suspicati sunt. Quem cum nec ibi reperissent, vestiarium illum interrogant, quid de Bertarido factum fuisset. Quibus ille fugisse eum respondit. Quem statim capillis apprehensum furentes, eumque verberantes, ad palatium pertrahunt, eumque ad regis præsen-

tiam

tiam perducentes, fugæ Bertaridi hunc esse conscium; ideoque morte dignissimum, dicunt. Quem rex dimitti præcepit, eumque per ordinem; qualiter Bertaridus effugisset, inquisivit. Ille regi universa sicut acta fuerant retulit. Tunc rex à circumstantibus requisivit, dicens: Quid vobis de homine isto videtur, qui taliter perpetravit? Tunc omnes una voce responderunt, eum esse dignum multis suppliciis excruciatum interire. At rex: Per eum qui me nasci fecit, inquit, dignus est homo iste bene habere; qui se pro fide sui domini morti tradere non recusavit. Eumque mox inter suos vestiarios esse præcepit; admonens eum, ut sibi eandem fidem, quam erga Bertaridum habuerat, servaret: multa se ei commoda largiturum promittens. Cum rex requireret quid de Hunnulfo factum fuisset, nuntiatum est ei, quod in beati Archangeli Michaëlis basilicam confugium fecisset. Qui mox ad eum misit, sponte promittens, quod nihil pateretur mali; tantum in sua fide veniret. Hunnulfus vero talem regis promissionem audiens, mox ad palatium venit, atque ad regis vestigia provolutus, interrogatus ab eo est, quomodo aut qualiter Bertaridus evadere potuisset. At ille, cum ei cuncta ex ordine retulisset, rex ejus fidem & prudentiam collaudans, omnes facultates ejus, & quicquid habere poterat, eidem clementer concessit.

CAP. IV.

Quomodo Grimoaldus Hunnulfum & vestiarium Bertaridi ad eundem Bertaridum remisit.

CVmque post aliquod tempus rex Hunnulfum inquireret, utrum vellet ipsis diebus cum Bertarido esse? ille jurejurando ait, cum Bertarido prius se velle

velle mori, quam usquam alibi in summis deliciis vivere. Tunc rex vestiarium illum requisivit, dicens, utrum melius ei esset secum in palatio manere; an cum Bertarido in peregrinatione degere. Qui cum ei similia, sicut Hunnulfus, respondisset; rex eorum verba benigne suscipiens, eorumque fidem collaudans, præcepit Hunnulfo, ut, quicquid vellet, de domo sua tolleret, pueros scilicet & equos, & diversam supellectilem, & ad Bertaridum illæsus properaret. Pari etiam modo & vestiarium illum absolvit. Qui omnia sua secundum benignitatem regis sufficienter tollentes, cum ejusdem regis adjutorio, Francorum in patriam ad suum dilectum Bertaridum sunt profecti.

Cap. V.

Bellum Grimoaldi adversus Francos, & victoria ejus.

HAc tempestate Francorum exercitus de provincia egrediens, in Italiam introivit: contra quas Grimoaldus cum Langobardis progressus, hac eos arte decepit. Fugere quippe se eorum impetum simulans, castra sua simul cum tentoriis, & diversis pariter referta bonis, præcipueque vini optimi copia, abductis hominibus, omnino vacua reliquit. Quo dum Francorum acies advenissent, existimantes, Grimoaldum cum Langobardis pavore deterritos castra integra reliquisse, mox læti effecti certatim cuncta invadunt, cœnamque affluentissimam instruunt. Qui dum diversis epulis, multoque degravati vino somnoque quievissent, Grimoaldus super eos post noctis medium irruens, tanta eos cæde prostravit, ut vix pauci ex eis elapsi, ad patriam valuerint repedare. Qui locus ubi hoc gestum est prælium Francorum, usque hodie

hodie Rivus appellatur, nec longe diſtat ab Aſtenſis civitatis mœnibus.

CAP. VI.

Quomodo Conſtans Auguſtus in Italiam veniens Beneventum obſedit.

HIs diebus Conſtantinus Auguſtus, qui & Conſtans eſt appellatus, Italiam de Langobardorum manu eruere cupiens, Conſtantinopoli egreſſus per littoralia iter habens, Athenas venit, indeque mare tranſgreſſus, Tarentum applicuit. Qui tamen prius ad ſolitarium quendam, qui prophetiæ ſpiritum habere dicebatur, abiit, ſtudioſe ab eo ſciſcitans, utrum gentem Langobardorum, quæ in Italia habitabat, ſuperare & obtinere poſſet. A quo cum ſervus Dei ſpatium unius noctis expetiſſet, ut pro hoc ipſo dominum ſupplicaret, facto mane ita eidem Auguſto reſpondit: Gens Langobardorum ſuperari modo ab aliquo non poteſt, quia regina quædam, ex alia provincia veniens, baſilicam beati Iohannis baptiſtæ in Langobardorum finibus conſtruxit, & propter hoc ipſe beatus Iohannes pro Langobardorum gente continue intercedit. Veniet autem tempus, quando ipſum oraculum habebitur deſpectui, & tunc gens ipſa peribit. Quod nos ita factum eſſe probavimus, quia ante Langobardorum perditionem, eandem beati Iohannis baſilicam, quæ utique in loco qui Modicia dicitur eſt conſtituta, per viles perſonas ordinari conſpeximus, ita ut indignis & adulteris non pro vitæ merito, ſed præmiorum datione, iſdem locus venerabilis largiretur.

Cap. VII.

Quomodo Grimoaldus invitatus à filio suo Romoaldo Beneventum advenit.

IGitur cum, ut diximus, Constans Augustus Tarentum venisset, egressus exinde Beneventanorum fines invasit, omnesque pene per quas venerat Langobardorum civitates cepit. Luceriam quoque opulentam Apuliæ civitatem expugnatam fortius invadens diruit, & ad solum usque prostravit. Arentiam sane propter munitissimam loci positionem, capere minime potuit. Deinde cum omni suo exercitu Beneventum circumdedit, & eam vehementer expugnare cœpit, ubi tunc Romoaldus Grimoaldi filius, adhuc juvenculus, ducatum tenebat. Qui statim ut Imperatoris adventum cognovit, nutricium suum nomine Sesualdum ad patrem Grimoaldum trans Padum direxit, obsecrans, ut quantocius veniret, filioque suo ac Beneventanis, quos ipse nutrierat, potenter succurreret. Quod Grimoaldus rex audiens, statim cum exercitu filio laturus auxilium, Beneventum pergere cœpit. Quem plures ex Langobardis in itinere relinquentes, ad propria remearunt, dicentes: quia expoliasset palatium, & jam non reversurus repeteret Beneventum. Interim Imperatoris exercitus Beneventum diversis machinis vehementer expugnabat; è contra Romoaldus cum Langobardis fortiter resistebat. Qui quamvis cum tanta multitudine congredi manu ad manum, propter paucitatem exercitus, non auderet, frequenter tamen cum expeditis juvenibus hostium castra irrumpens, magnas eisdem inferebat undique clades. Grimoaldus ejus pater cum jam jamque properaret, eundem nutricium ejus de quo præmisimus, ad filium misit, qui

ei suum

ei ſuum adventum nuntiaret. Qui cum prope Beneventum veniſſet, à Græcis captus, imperatori delatus eſt. Qui ab eo unde veniret requirens, ille ſe à Grimoaldo rege venire, eundemque regem citius adventare nunciavit. Statimque Imperator exterritus, conſilium cum ſuis iniit, quatenus cum Romoaldo paciſceretur, ut Neapolim poſſet reverti.

CAP. VIII.

Quomodo Imperator, accepta obſide Romoaldi ſorore, à Benevento diſceſſit.

Accepta ita obſide Romoaldi ſorore, cui nomen Giſa fuit, cum eodem pacem fecit. Ejus vero nutricium Seſualdum ad muros duci præcepit, mortem eidem minatus, ſi aliquid Romoaldo aut civibus de Grimoaldi adventu nuntiaret, ſed potius aſſeveraret, eundem minime venire poſſe. Quod ille ita ſe facturum ut ei præcipiebatur promiſit; ſed cum prope muros adveniſſet, velle ſe Romoaldum videre dixit. Qui Romoaldus cum citius adveniſſet, ſic ad eum locutus eſt: Conſtans eſto domine Romoalde, & habens fiduciam noli turbari, quia tuus genitor citius tibi auxilium præbiturus aderit. Nam ſcias, eum hac nocte juxta Sangrum fluvium cum valido exercitu manere, tantum obſecro ut miſericordiam exhibeas meæ uxori & filiis, quia gens iſta perfida me vivere non ſinet. Cumque hoc dixiſſet, juſſu Imperatoris caput ejus abſciſum eſt, atque cum belli machina, quam petrariam vocant, in urbem projectum eſt. Quod caput Romoaldus ſibi deferri juſſit, idque lachrymans oſculatus eſt, dignoque in loculo tumulari præcepit.

CAP. IX.

Quomodo Imperatoris exercitum Mittola Capuanus Comes afflixit.

METuens igitur Imperator ſubitum Grimoaldi regis adventum, dimiſſa Beneventi obſidione, Neapolim proficiſcitur. Cujus tamen exercitum Mittola Capuanus Comes juxta fluenta Caloris fluminis, in loco qui uſque hodie Pugna dicitur, vehementer attrivit.

CAP. X.

Quomodo Romoaldus Saburrum, ab Imperatore miſſum, cum viginti millibus vicit.

POſtquam vero Imperator Neapolim pervenit, unus ex ejus optimatibus, cui nomen Saburrus erat, ab Auguſto ut fertur viginti millia militum expetiit, ſeque cum Romoaldo pugnaturum victoremque ſpopondit. Qui cum accepto exercitu ad locum cui Forinus nomen eſt adveniſſet, ibique caſtra poſuiſſet, Grimoaldus qui jam Beneventum advenerat, hæc audiens, contra eum proficiſci voluit. Cui filius Romoaldus, Non eſt opus, inquit, ſed tantum partem nobis de exercitu veſtro tribuite. Ego Deo favente cum eo pugnabo, & cum vicero, major utique gloria veſtræ potentiæ adſcribetur. Factumque eſt, & accepta aliqua parte de patris exercitu, pariterque cum ſuis hominibus, contra Saburrum proficiſcitur. Qui prius quam bellum cum eo iniret, à quatuor partibus tubas inſonare præcepit, moxque ſuper eos audenter irruit. Cumque utræque acies forti intentione pugnarent, tunc unus de exer-

de exercitu regis, nomine Amalongus, qui regium contum ferre erat ſolitus, quendam Græculum eodem conto utriſque manibus fortiter percutiens, de ſella ſuper quam equitabat ſuſtulit, eumque in aëra ſuper caput ſuum levavit. Quod cernens Græcorum exercitus, mox immenſo pavore perterritus, in fugam convertitur, ultimaque pernicie cæſus, ſibi fugiendo mortem, Romoaldo & Langobardis victoriam peperit. Ita Saburrus qui ſe imperatori ſuo victoriæ tropheum de Langobardis promiſerat patrare, ad eum cum paucis remeans, ignominiam deportavit. Romoaldus vero patrata de inimicis victoria, Beneventum triumphans reverſus eſt, patrique gaudium & cunctis ſecuritatem ſublato hoſtium timore convexit.

CAP. XI.

De malis quæ Conſtans Auguſtus Romanis intulit, & de prædationibus quas ſingulis regionibus fecit: & quomodo extinctus eſt.

AT vero Conſtans Auguſtus, cum nihil ſe contra Langobardos geſſiſſe conſpiceret, omnes ſævitiæ ſuæ minas contra ſuos, hoc eſt, Romanos, retorſit. Nam egreſſus Neapoli Romam perrexit. Cui ſexto ab urbe milliario Vitalianus Papa cum ſacerdotibus & Romano populo occurrit. Qui Auguſtus cum ad beati Petri limina perveniſſet, obtulit ei pallium auro textum: & manens apud Romanos diebus duodecim, omnia quæ fuerant antiquitus inſtituta ex ære, in ornamentum civitatis depoſuit, in tantum ut etiam baſilicam beatæ Mariæ, quæ aliquando Pantheon vocabatur, & conditum fuerat in honorem omnium deorum, & jam ibi, per conceſſionem ſuperiorum principum, locus erat omnium martyrum, diſcooperiret, tegulaſque æreas

exinde auferret, easque simul cum aliis omnibus ornamentis, Constantinopolim transmitteret. Deinde reversus Imperator Neapolim, itinere terreno perrexit in civitatem Rhegium. Ingressusque Siciliam per indictionem septimam habitavit in Syracusa, & tales afflictiones imposuit populo seu habitatoribus vel possessoribus Calabriæ, Siciliæ, Africæ, atque Sardiniæ, quales antea nunquam auditæ sunt, ita ut etiam uxores à maritis, vel filii à parentibus separarentur. Sed & alia multa & inaudita illarum regionum populi sunt perpessi, ut nulli spes vitæ remaneret. Nam & vasa & cimelia sanctarum Dei Ecclesiarum, imperiali jussu & Græcorum avaritia, sublata sunt. Mansit autem Imperator in Sicilia ab indictione septima usque in duodecimam: sed tandem tantarum iniquitatum pœnas luit, atque dum se in balneo lavaret, à suis extinctus est.

Cap. XII.

De imperio Mecetii; & de morte ipsius.

Interfecto igitur apud Syracusas Constante Imperatore, Mecetius in Sicilia regnum arripuit, sed absque Orientalis exercitus voluntate. Contra quem Italiæ militiæ milites, alii per Histriam, alii per partes Campaniæ, alii verò à partibus Africæ & Sardiniæ venientes, vehementer in Syracusas irruerunt, eumque vita privaverunt. Multi ex judicibus ejus detruncati, multique Constantinopolim perducti sunt: cum quibus pariter & falsi Imperatoris caput est deportatum.

CAP. XIII.

Quomodo Sarraceni ab Alexandria venientes Siciliam depopulati sunt, & quicquid Constans Augustus de Roma abstulerat deprædati sunt.

HÆc audiens gens Sarracenorum, quæ Alexandriam & Ægyptum pervaserat, subito cum multis navibus venientes Siciliam invadunt, Syracusas ingrediuntur, multamque stragem faciunt populorum, vix paucis evadentibus qui per munitissima castra & juga confugerant montium. Auferentes quoque prædam nimiam, & omne illud quod Constans Augustus à Roma abstulerat, ornatum in ære & diversis speciebus, sic Alexandriam reversi sunt.

CAP. XIV.

De morte Gisæ sororis Romoaldi.

POrro regis filia, quam de Benevento obsidem, nomine Gisam, sublatam diximus, Siciliam veniens diem clausit extremum.

CAP. XV.

De pluviis & tonitruis quæ eo tempore nimiæ facta sunt.

HOc tempore tantæ pluviæ tantaque tonitrua fuerunt, quanta ante nullus meminerit hominum, ita ut innumera hominum & animantium millia fulminibus essent perempta. Eo anno legumina, quæ propter pluvias colligi nequiverant, iterum renata & ad maturitatem usque perducta sunt.

CAP. XVI.

Quomodo rex Grimoaldus Trasemundum ducem apud Spoletum ordinavit, eique suam filiam in matrimonium tradidit.

AT vero Grimoaldus, ereptis Beneventanis & eorum provinciis à Græcis, apud Ticinum ad palatium suum repedare disponens, Trasemundum, qui dudum Capuæ comes fuerat, & ei ad percipiendum regnum strenuissime paruerat, data ei in matrimonium sua filia, Romoaldi altera sorore, eum post Attonem, de quo superius diximus, apud Spoletum ductorem fecit, indeque Ticinum reversus est.

CAP. XVII.

Quod in Forojulii post Grasulfum Ago ducatum tenuit, & post hunc eorum ductor Lupus effectus est.

SIquidem, ut superius præmiseramus, Grasulfo Forojulianorum duce defuncto, successor ejus in ducatu Ago datus; de cujus nomine usque hodie domus quædam intra Forum Iulii constituta, domus Agonis appellatur. Quo Agone mortuo, Forojulianorum ductor Lupus efficitur. Hic Lupus in Grados insulam, quæ non longe ab Aquileia est, cum equestri exercitu, per stratam quæ antiquitus per mare facta fuerat introivit. Et deprædata ipsa civitate, Aquileiensis ecclesiæ thesauros exinde auferens deportavit. Huic Lupo quando Grimoaldus Beneventum perrexit, suum palatium commendavit.

CAP. XVIII.

Quomodo Lupus dux contra Grimoaldum rebellavit.

QVi Lupus dum rege abſente multa inſolenter apud Ticinum egiſſet, quippe quia eum reverſurum non æſtimaret, revertente rege ſciens, eidem ea quæ non recte geſſerat diſplicere, Forum-Iulii petens, contra eundem regem ſuæ nequitiæ conſcius rebellavit.

CAP. XIX.

Quomodo ipſe dux bellum contra Avares geſſit.

TVnc Grimoaldus nolens civile bellum inter Langobardos excitare, regi Avarium Cacano mandavit, ut in Forumjulii contra Lupum ducem cum exercitu veniret, eumque bello protereret. Quod & factum eſt. Nam veniente Cacano cum magno exercitu in loco qui Fluvius dicitur, ſicut nobis retulerunt ſeniores viri qui in ipſo bello fuerunt, per tres dies Lupus dux cum Forojulianis adverſus Cacani exercitum conflixit. Et prima quidem die validum ejus exercitum paucis ſuis vulneratis proſtravit; ſecunda vero die, jam aliquantis è ſuis vulneratis & mortuis, pari modo multos ex Avaribus extinxit. Tertia vero die, jam pluribus ex ſuis ſauciatis, ſive peremptis, nihilominus magnum Cacani exercitum delevit, prædamque copioſam invaſit. At vero die quarto tantam ſuper ſe multitudinem conſpexerunt venientem, ut vix per fugam evadere poſſent,

CAP. XX.

De morte Lupi ducis, & quomodo Avares Forojulianorum fines deprædati sunt.

IBi itaque Lupo duce perempto, reliqui qui remanſerant, ſeſe per caſtella communiunt. Avares vero per omnes eorum fines diſcurrentes, cuncta rapinis invadunt, vel ſuppoſito igne comburunt. Qui cum per aliquot dies hoc facerent, à Grimoaldo eis mandatum eſt, ut jam à devaſtatione quieſcerent. Qui legatos ad Grimoaldum mittunt, dicentes, Forumjulii ſe minime relicturos, quam armis propriis conquiſiſſent.

CAP. XXI.

Quomodo Avares nolentes de Forojulii exire, Grimoaldi aſtutia expulſi ſunt.

TVnc Grimoaldus neceſſitate compulſus, exercitum coadunari præcepit, quatenus Avares de ſuis finibus exturbaret. In medio itaque campo ſua caſtra contra Avarium hoſtium componens, cum exercitus partem exiguam haberet, & Cacanus ad eum legatos mitteret, eoſdem ipſos quos habebat diverſo habitu variiſque inſtructos armis, ante oculos legatorum per dies aliquot, quaſi novus jugiter exercitus adventaret, frequenter tranſire fecit. Avarium vero legati dum eundem ipſum exercitum aliis & aliis modis præterire conſpiciunt, immenſam Langobardorum multitudinem eſſe crediderunt. Quibus Grimoaldus ita dixit; Cum omni quam vidiſtis exercitus multitudine ſtatim ſuper Cacanum irruam, & Avarium exercitus diſperdam, niſi de Forojulianorum finibus velociter exierint. His viſis & auditis, legati Avarium cum hæc ſuo regi nun-

nuntiassent, mox cum omni suo exercitu ad proprium reversus est regnum.

CAP. XXII.

De VVarnefrido filio Lupi.

DEnique Lupo hoc modo ut præmisimus interempto, Warnefridus ejus filius voluit in loco patris apud Forumjulii obtinere ducatum. Sed metuens Grimoaldi regis vires, fugit ad Sclavorum gentem in Carnuntum, quod corrupte vocitant Carantanum. Qui postea cum Sclavis adveniens, quasi ducatum eorum viribus resumpturus, apud Nemas castrum, quod non longe à Forojulii distat, irruentibus super se Forojulianis, extinctus est.

CAP. XXIII.

De VVectari Forojulianorum duce, & de ejus victoria.

DEinde ordinatus est apud Forumjulii dux Wectari, qui fuit oriundus de Vincentina civitate, vir benignus & populum suaviter regens. Hunc cum audisset Sclavorum gens Ticinum profectum esse, congregata valida multitudine, voluerunt super Forojulianorum castrum irruere. Et venientes castra metati sunt in loco qui Broxas dicitur, non longe à Forojulii. Secundum divinam autem dispositionem contigit, ut dux Wectari superiori vespere à Ticino reverteretur nescientibus Sclavis. Cujus Comites cum ad propria (ut assolet fieri) remeassent, ipse hoc nuntium de Sclavis audiens, cum paucis viris, hoc est cum viginti quinque, contra eos progressus est. Quem Sclavi, tam paucis venire conspicientes, irriserunt, dicentes, Patriarcham contra se cum clericis adventare. Qui cum ad pon-

pontem Natisonis fluminis, qui ibidem est ubi Sclavi residebant, propinquasset, cassidem sibi de capite auferens, vultum suum Sclavis ostendit. erat enim calvo capite. Quem dum Sclavi, quia ipse esset Wectari, cognovissent, mox perturbati, Wectari adesse, clamitant. Deoque eos exterrente, plus de fuga, quam de prælio cogitant. Tunc super eos Wectari cum paucis quos habebat irruens, tanta eos strage prostravit, ut ex quinque millibus virorum vix pauci qui evaderent remanerent.

CAP. XXIV.

De morte VVectari, & quomodo ei Laudaris successit, & de Rodoaldo qui post eum ducatum tenuit.

POst hunc Wectari Laudari apud Forum-Iulii ducatum tenuit. Quo defuncto, ei Rodoaldus in ducatum successit.

CAP. XXV.

Grimoaldus filiam Lupi ducis Romoaldo suo filio sociavit.

MOrtuo igitur ut diximus Lupo duce, Grimoaldus rex filiam ejus, nomine Theuderadam, suo filio Romoaldo, qui Beneventum regebat, in matrimonium tradidit. Ex qua tres filios, hoc est, Grimoaldum, Gisulfum, nec non & Arichis, genuit.

CAP. XXVI.

Grimoaldus de suis contemptoribus se ultus est.

REx quoque Grimoaldus de omnibus illis, qui eum quando Beneventum profectus fuerat deseruerunt, suas injurias ultus est.

CAP.

CAP. XXVII.

Grimoaldus Forum Popilii expugnans delevit.

SEd & Forum Popilii, Romanorum civitatem, cujus cives eidem adverſa quædam intulerant, Beneventum proficiſcenti, miſſoſque illius euntes & redeuntes à Benevento ſæpius læſerant, hoc modo delevit. Quadrageſimorum tempore per Alpem Bardonis Tuſciam ingreſſus, neſcientibus omnino Romanis, in ipſo ſacratiſſimo Sabbato Paſchali, ſuper eandem civitatem, ea hora qua baptiſmus fiebat, inopinate irruit, tantamque occiſorum ſtragem fecit, ut etiam Diaconos ipſos qui infantulos baptizabant, in ipſo ſacro fonte perimeret. Sicque eandem urbem dejecit, ut uſque hodie pauciſſimi in ea commaneant habitatores.

CAP. XXVIII.

De odio quod Grimoaldus adverſus Romanos habuit.

ERat quidem Grimoaldo contra Romanos non mediocre odium, pro eo quod ejus quondam germanos Taſſionem & Cacconem in ſua fide decepiſſent. Quam ob cauſam Opitergium civitatem, ubi ipſi extincti ſunt, funditus deſtruxit, eorumque qui ibi aderant fines, Forojulianis Tarviſianiſque & Ceneteníibus diviſit.

CAP. XXIX.

De Bulgarum duce Alzecone, & quomodo in Benevento cum ſuis ordinatus eſt.

PEr hæc tempora Bulgarorum dux Alzeco nomine, incertum quam ob cauſam à ſua gente digreſſus, Ita-

liam pacifice introiens, cum omni sui ducatus exercitu ad regem Grimoaldum venit, ei se serviturum atque in ejus patria habitaturum promittens. Quem ille ad Romoaldum filium suum Beneventum dirigens, ut ei cum suo populo loca ad habitandum concedere deberet præcepit. Quos Romoaldus gratanter excipiens, eisdem spatiosa ad habitandum loca, quæ usque ad illud tempus deserta erant contribuit, scilicet Sepianum, Bovianum, & Iserniam, & alias cum suis territoriis civitates, ipsumque Alzeconem mutato dignitatis nomine de duce Gastaldium vocitari præcepit. Qui usque hodie in his ut diximus locis habitantes, quamquam & Latine loquantur, linguæ tamen propriæ usum minime amiserunt.

CAP. XXX.

Quia, extincto tyranno Mecetio, Constantinus in locum Constantis Augusti Romanorum princeps effectus est.

IGitur extincto, ut diximus, apud Siciliam Constante Augusto, punitoque qui ei successerat Mecentio Tyranno, Romanorum regnum Constantinus Constantii Augusti filius suscepit regendum, Romanisque principatus est annis decem & septem. Constantini sane temporibus Theodorus Archiepiscopus & Adrianus abbas, viri æque doctissimi, à Vitaliano Papa missi in Britanniam, plurimas ecclesias Anglorum doctrinæ ecclesiasticæ fruge fœcundarunt. E quibus Theodorus Episcopus peccantium judicia, quantis scilicet annis pro unoquoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili & discreta consideratione descripsit.

CAP. XXXI.

De stella Comete, & de operibus Papæ Doni.

IN sequenti post tempore, mense Augusto, à parte Orientis stella Cometes apparuit nimis fulgentibus radiis, quæ post in semet ipsam reversa disparuit. Nec mora, gravis pestilentia ab eadem parte orientis secuta, Romanum populum devastavit. His diebus Donus Papa Romanæ ecclesiæ locum qui Paradisus dicitur, ante basilicam beati apostoli Petri, candidis & magnis marmoribus mirifice stravit.

CAP. XXXII.

Bertaridus ad regnum Saxonum in Britannia ire disposuit.

HAc tempestate Francorum regnum apud Gallias Dagobertus regebat, cum quo rex Grimoaldus pacis firmissimæ fœdus inierat. Cujus Grimoaldi vires Bertaridus etiam apud Francorum patriam constitutus metuens, egressus è Gallia, ad Britanniam insulam Saxonumque regem properare disponit.

CAP. XXXIII.

De morte Grimoaldi regis, & de reversione Bertaridi, & regno ejus.

AT vero Grimoaldus, cum nono die post phlebotomiam in suo palatio constitutus, accepto arcu columbam sagitta percutere nisus esset, ejus brachii vena dirupta est. Cui, ut ferunt, medici venenata medicamina supponentes, eum ab hac funditus privaverunt luce. Hic edicto quod Rothari rex composuerat, aliqua quoque capitula legis quæ ei utilia visa sunt adjecit. Fuit

autem corpore prævalidus, audacia primus, calvo capite, barba prominenti, non minus consilio quam viribus decoratus. Sepultum est autem ejus corpus in basilica beati Ambrosii confessoris, quam dudum ipse intra Ticinensem construxerat civitatem. Hic post mortem Ariberti regis, expleto jam anno uno & mensibus tribus, Langobardorum regnum invasit, regnavitque ipse annis novem, relicto Garibaldo filio suo, quem ei Ariberti regis filia genuerat, rege adhuc puerilis ætatis. Igitur, ut dicere cæperamus, Bertaridus egressus de Gallia navem ascendit, ut ad Britanniam insulam ad regnum Saxonum transmearet. Cumque jam aliquantum per pelagus navigasset, vox à littore audita est inquirentis utrum Bertaridus in eadem nave consisteret? Cum responsum esset quod Bertaridus ibi esset, ille qui clamabat subjunxit: Dicite illi, revertatur in patriam suam, quia tertia dies est hodie, quod Grimoaldus ab hac subtractus est luce. Quo audito Bertaridus statim post se reversus est, veniensque ad littus invenire personam non potuit, quæ ei de Grimoaldi morte nuntiavit. Vnde arbitratus est, non hunc hominem, sed divinum nuntium fuisse. Exindeque ad patriam rediens, cum ad claustra Italiæ venisset, jam ibi omnia obsequia Palatina, omnemque regiam dignitatem, cum magna Langobardorum multitudine præparatam esse reperit. Exinde itaque Bertaridus Ticinum reversus, exturbato Garibaldo puerulo à regno, ab universis Langobardis mense tertio post mortem Grimoaldi in regnum levatus est. Erat autem vir pius, fide catholicus, justitiæ tenax, pauperumque largissimus nutritor. Qui statim Beneventum misit, exindeque Rodelindam suam conjugem & Cunibertum filium suum revocavit.

CAP. XXXIV.

De monasterio quod construxit, vel quod regina ejus ædificavit.

QVi ut regni jura suscepit, in loco illo, qui à parte fluminis Ticini est, unde ipse olim fugerat, monasterium quod Novum appellatur, domino & liberatori suo, in honorem sanctæ virginis & martyris Agathæ, construxit. In quo multas virgines aggregavit, rebusque diversis pariterque ornamentis eundem locum ditavit. Regina vero uxor ejus Rodelinda basilicam sanctæ Dei genitricis extra muros ejusdem civitatis Ticinensis, quæ ad Perticas appellatur, opere mirabili condidit, ornamentisque mirificis decoravit. Ad Perticas autem locus ipse ideo dicitur, quia ibi olim perticæ, id est, trabes erectæ steterant, quæ ob hanc causam juxta morem Langobardorum poni solebant. Si quis enim in aliquam partem, aut in bello aut quomodocunque extinctus fuisset, consanguinei ejus intra sepulchra sua perticam figebant, in cujus summitate columbam ex ligno factam ponebant, quæ illuc versa esset, ubi illorum dilectus obisset; Scilicet ut sciri posset in quam partem is qui defunctus fuerat quiesceret.

CAP. XXXV.

De Bertarido, & regno Cuniberti filii ejus.

IGitur Bertaridus cum solus per annos septem regnasset, octavo jam anno Cunibertum filium suum in regno consortem ascivit, cum quo pariter per decem annos regnavit.

Cap. XXXVI.

De rebellatione Alachis prima, & quomodo in gratiam rediit.

CVmque in magna pace degerent, & ex omni parte in circuitu tranquillitatem haberent, ſurrexit contra eos filius iniquitatis, Alachis nomine, per quem in regno Langobardorum, perturbata pace, maximæ populorum factæ ſunt ſtrages. Hic dum dux eſſet in Tridentina civitate, cum comite Bajoariorum, quem illi *Gravionem* dicunt, qui Bauzanum & reliqua caſtella regebat, conflixit, eumque mirifice ſuperavit. Qua de cauſa elatus, etiam contra regem ſuum Bertaridum manum levavit, atque ſe intra Tridentinum caſtellum rebellans communivit. Contra quem rex Bertaridus progreſſus, cum eum extrinſecus obſideret, inopinate ſubito Alachis cum ſuis civitatem egreſſus, regis caſtra protrivit, regemque ipſum fugam petere compulit. Qui tamen poſtmodum faciente Cuniberto regis filio, qui eum jam olim diligebat, in regis Bertaridi gratiam reverſus eſt. Qui rex cum eum interficere aliquotiens voluiſſet, Cunibertus ejus filius hoc fieri ſemper prohibuit, reputans, eum de reliquo fidelem exiſtere. Nec deſtitit apud patrem obtinere, quin etiam ei ducatum Brexiæ contribueret, reclamante ſæpius patre, quod in ſuam hoc Cunibertus perniciem faceret, qui hoſti ſuo ad regnandum vires præberet. Brexiana denique civitas magnam ſemper nobilium Langobardorum multitudinem habuit, quorum auxilio metuebat Bertaridus Alachis potentiorem fore. His diebus Rex Bertaridus in civitate Ticinenſi portam contiguam palatio, quæ & Palatinenſis dicitur, opere mirifico conſtruxit.

CAP. XXXVII.

De morte Bertaridi, & regno Cuniberti.

QVi cum decem & octo annis, & primum ſolus, & poſt cum filio, regnum tenuiſſet, ab hac luce ſubtractus eſt, corpuſque illius juxta baſilicam domini ſalvatoris, quam Aribertus ejus genitor conſtruxerat, ſepultum eſt. Fuit autem ſtatura decens, corpore plenus, mitis per omnia, & ſuavis. At vero Cunibertus rex Hermelindam ex Saxonum Anglorum genere duxit uxorem. Quæ cum in balneo Theodoten puellam, ex nobiliſſimo Romanorum genere ortam, eleganti corpore, & flavis prolixiſque capillis pene uſque ad pedes decoratam, vidiſſet, ejus pulchritudinem ſuo viro Cuniberto regi laudavit. Qui ab uxore hoc libenter audire diſſimulans, in magnum tamen puellæ exarſit amorem. Nec mora, venatum in ſilvam quam Vrbem appellant perrexit, ſecumque ſuam conjugem Hermelindam venire præcepit. Qui exinde noctu egrediens Ticinum rediit, &, ad ſe Theodoten puellam venire faciens, cum ea concubuit. Quam tamen poſtea in monaſterium, quod de illius nomine intra Ticinum appellatum eſt, miſit.

CAP. XXXVIII.

Quomodo Alachis palatium Cuniberti invaſit.

ALachis vero jam dudum conceptam iniquitatem parturiens, annitentibus Aldone & Grauſone Brexianis civibus, ſed & aliis multis ex Langobardis, oblitus tantorum beneficiorum, quæ in eum rex Cunibertus impenderat, oblitus etiam jusjurandi, quo ei ſe fideliſſimum eſſe ſpoponderat cum Cunibertus abeſſet,

regnum ejus & palatium intra Ticinum positum invasit. Quod Cunibertus ubi erat audiens, ad insulam quæ intra lacum Larium non longe à Como est confugit, ibique se fortiter communivit. Facta est autem magna tribulatio omnibus qui eum diligebant, & maximè sacerdotibus & clericis, quos omnes Alachis exosos habebat. Erat autem eo tempore Ticinensis ecclesiæ episcopus, vir Domini Damianus, sanctitate præcipuus, liberalibus artibus sufficienter instructus. Is cùm Alachis palatium invasisse conspiceret, ne quid ab eo ipse vel sua ecclesia adversi pateretur, Thomam diaconum suum, sapientem scilicet & religiosum virum ad eum misit, per quem eidem Alachis benedictionem sanctæ ecclesiæ suæ transmisit. Nuntiatum est Alachis, Thomam diaconum ante fores astare, benedictionemque ab Episcopo detulisse. Tunc Alachis, qui ut diximus omnes clericos odio habebat, ita inquit ad suos: Ite, dicite illi: Si munda femoralia habet, intret; sin autem aliter, foris contineat pedem. Thomas vero cum hos sermones audisset, ita respondit: Nuntiate ei quia munda femoralia habeo, quippe qui ea hodie lota indutus sum. Cui Alachis: Ite iterato, & dicite illi, quia ego non dico de femoralibus, sed de iis quæ intra femoralia habentur. Ad hæc Thomas ita respondit: Ite, dicite illi: Deus solus potest in me in his causis reprehensionem invenire. Nam ille nullatenus potest. Cumque eundem diaconum Alachis ad se ingredi fecisset, aspere satis & objurgando locutus est cum eo. Tunc omnes clericos & sacerdotes pavor & odium tyranni invasit, æstimantes, se ejus feritatem tolerare omnino non posse. Cæperuntque amplius Cunibertum desiderare, quoniam pervasorem regni superbum execrationi haberent. sed non diu ejus feritas & cruda barbaries pervasum regnum obtinuit.

Cap.

CAP. XXXIX.

Quomodo Cunibertus rursus suum palatium ingressus est.

DEnique cum die quadam solidos super mensam numeraret, unus tremissis de eadem mensa cecidit, quem filius Aldonis adhuc puerulus de terra colligens, eidem Alachis reddidit. Ad quem Alachis, sperans puerulum parum intelligere, ita locutus est: Multos ex iis genitor tuus habet, quos mihi in proximo si Deus voluerit daturus est. Qui puer cum vespere domum ad patrem regressus esset, eum suus genitor requisivit si quid in illo die rex locutus fuisset. Ille patri omnia ut facta fuerant, & quod sibi rex dixerat nuntiavit. Audiens hæc Aldo, vehementer pertimuit, fratreque suo Grausone ascito, ei omnia quæ rex maligne locutus fuerat nuntiavit. Qui mox cum amicis & his quibus credere poterant, consilium inierunt, qualiter Alachis tyrannum regno privarent, priusquam ipse eis aliquam læsionem facere posset. Qui maturius ad palatium profecti, ita Alachis dixerunt: Quid dignaris in civitate residere, ecce omnis civitas & universus populus tibi fidelis existit, & ebriosus ille Cunibertus ita dissolutus est, ut jam ultra nullas possit habere vires. Egredere & vade in venationem, & exerce te cum juvenibus tuis, nos autem cum reliquis fidelibus tuis defendemus tibi hanc civitatem. Sed & ita tibi repromittimus, ut in proximo inimici tui Cuniberti caput afferamus. Qui eorum verbis persuasus, civitatem egressus, atque ad Vrbem vastissimam silvam profectus est, ibique se jocis & venationibus exercere cœpit. Aldo vero & Grauso, euntes ad lacum Commacinum, ingressique navem, ad Cunibertum profecti sunt. Ad quem venientes, ejus pedibus provoluti, se contra

eum nequiter egiſſe profeſſi ſunt, eique quid Alachis malitioſe contra eos locutus fuerat, vel quale ipſi ad ejus perditionem conſilium eidem dederunt, nunciaverunt. Quid plura? Fleverunt pariter, & inter ſe ſacramenta dederunt, diem ſtatuentes in quo Cunibertus veniret, ut ipſi civitatem Ticinenſem contraderent. Quod & factum eſt. Nam die ſtatuto Cunibertus Ticinum adveniens, ab eis libentiſſime ſuſceptus, palatium ſuum ingreſſus eſt. Tunc omnes cives, & præcipue Epiſcopus, ſacerdotes quoque & clerici, juvenes & ſenes, certatim ad eum concurrentes, omneſque eum lacrymis amplexantes, Deo gratias de ejus reverſione inæſtimabili gaudio repleti conclamabant. Quos omnes ille ut potuit conſolans oſculatus eſt. Nuntius ſubito ad Alachis pervenit, adimpleſſe Aldonem & Grauſonem quod ei promiſerant, & caput Cuniberti attuliſſe, & non ſolum caput, ſed & totum corpus, eumque affirmans in palatio ſedere. Quod ille audiens, animo conſternatus eſt, multaque contra Aldonem & Grauſonem furibundus & frendens comminans, exinde egreſſus, per Placentiam ad Auſtriam rediit, ſingulaſque civitates partim blanditiis partim viribus ſibi ſocias aſcivit. Nam Vincentiam veniens, contra eum ejus cives egreſſi, bellum paraverunt, ſed mox victi, ejus ſocii effecti ſunt. Inde exiens Tarviſium pervaſit, pari modo etiam & reliquas civitates. Cumque contra eum Cunibertus exercitum colligeret, & Forojuliani in ejus auxilium juxta fidelitatem ſuam vellent proficiſci, ipſe Alachis ad pontem Liquentiæ fluminis, quod à Forojulii quadraginta octo millibus diſtat, & eſt in itinere Ticinum pergentibus, in ſylva, quæ Capulanus dicitur, latens, cum Forojulianorum exercitus ſparſim veniret, omnes eos ſicut veniebant jurare ſibi compulit, diligenter cavens, ne aliquis ex his retro reverſus venientibus

ibus hoc aliis indicaret. Sicque omnes à Forojulii venientes ejus ſunt ſacramentis aſtricti. Quid plura? Cum omni Alachis Auſtria, è contra Cunibertus cum ſuis venientes, in campo, cui Coronatæ nomen eſt, caſtra poſuerunt.

CAP. XL.

Bellum Alachis adverſus Cunibertum.

AD quem Cunibertus nuntium miſit, mandans ei ut cum eo ſingulare certamen iniret; nec opus eſſe utrorumque exercitum fatigari. Ad quæ verba Alachis minime conſenſit. Cui cum unus genere Tuſcus ex ſuis ei perſuaderet, virum bellicoſum fortemque eum appellans, ut contra Cunibertum audenter exiret, Alachis ad hæc verba reſpondit: Cunibertus quamvis ebrioſus ſit & ſtupidi cordis, tamen ſatis eſt audax, & miræ fortitudinis. Nam tempore patris ejus, quando nos eramus juvenculi, habebantur in palatio vervices miræ magnitudinis, quos ille ſupra dorſum, eorum lanam apprehendens, extenſo brachio à terra levabat; quod ego facere non poteram. Hæc ille Tuſcus audiens, dixit ad eum: Si tu cum Cuniberto pugnam inire ſingulari certamine non audes, me jam in tuo adjutorio ſocium non habebis. Et hæc dicens, proripuit ſe, & ſtatim ad Cunibertum confugit, & hæc ipſi nuntiavit. Convenerunt itaque, ut diximus, utræque acies in campo Coronatæ. Cumque jam prope eſſent ut ſe contingere deberent, Zeno diaconus Ticinenſis eccleſiæ, qui cuſtos erat baſilicæ beati Iohannis Baptiſtæ, quæ intra eandem ſita eſt civitatem, quam quondam Gundiberga regina conſtruxerat, cum nimium diligeret regem, & metueret ne rex in bello periret, ait ad regem: Domine rex, omnis vita noſtra in tua

in tua salute consistit; si tu in bello perieris, omnes nos iste Tyrannus Alachis per diversa supplicia extinguet. Placeat itaque tibi consilium meum. Da mihi apparatum armorum tuorum, & ego vadam & pugnabo cum isto tyranno. Si ego obiero, tu recuperabis causam tuam; si vero vicero, major tibi, quia per servum tuum viceris, gloria ascribetur. Cumque hoc rex se facturum esse denegaret, cœperunt eum pauci qui aderant, ejus fideles, cum lachrymis deposcere, ut ad ea quæ diaconus dixerat, assensum præberet. Victus tandem, ut erat pii cordis, eorum precibus & lachrymis, loricam suam & galeam atque ocreas, & cetera arma diacono præbuit, inque sua persona eum ad prælium direxit. Erat enim ipse diaconus ejusdem staturæ & habitus, ita ut cum fuisset de tentorio armatus egressus, rex Cunibertus esse putaretur ab omnibus. Commissum est itaque prælium, & totis viribus decertatum. Cumque Alachis ibi magis intenderet ubi regem esse putaret, Cunibertum se extinxisse putans, Zenonem diaconum interfecit. Cumque caput ejus amputari præcepisset, ut levato eo in conto, Deo gratias acclamarent, sublata casside clericum se occidisse cognovit. Tunc furibundus exclamans: Heu me, inquit, nihil egimus, quando ad hoc prælium gessimus ut clericum occideremus. Tale itaque nunc facio votum, ut si mihi Deus iterum victoriam dederit, quod unum puteum de testiculis impleam clericorum.

Cap. XLI.

Item bellum Cuniberti & Alachis, & de victoria Cuniberti, & quomodo triumphans Ticinum *ingressus est.*

IGitur Cunibertus perdidisse suos conspiciens, statim se eis ostendit, omniumque corda sublata pavore ad speran-

perandam victoriam confortavit. Instruuntur iterum acies; & hinc Cunibertus, inde Alachis ad belli certamina præparantur. Cumque prope essent ut se utræque acies ad pugnandum contingerent, Cunibertus ad Alachis iterato in hæc verba mandavit: Ecce quantus populus ex utraque parte consistit; quid opus est ut tanta multitudo pereat? Conjungamus nos ego & ille singulari certamine, & cui voluerit Dominus de nobis dare victoriam, omnem hunc populum salvum & incolumem possideat. Cumque Alachis sui hortarentur ut faceret quod Cunibertus illi mandavit, ipse respondit: Hoc facere ego non possum, quia inter contos suos sancti archangeli Michaëlis, ubi ego illi juravi, imaginem conspicio. Tunc unus ex illis; Præ pavore, inquit, cernis quod non est, & tibi jam tardè est, modò ista meditari. Conseruntur itaque acies perstrepentibus buccinis, & neutra parte locum dante, maxima populorum facta est strages. Tandem crudelis tyrannus Alachis interiit, & Cunibertus adjuvante Domino victoriam cepit. Exercitus quoque Alachis, comperta ejus morte, fugæ subsidium arripuit, è quibus quem mucro non perculit, Addua fluvius interemit. Caputque Alachis detruncatum, cruraque ejus succisa sunt, informeque tantum truncumque cadaver remansit. In hoc bello Forojulianorum exercitus minime fuit, quia cum invitus Alachis jurasset, propter hoc nec regi Cuniberto, nec Alachis auxilium tulit; sed cum illi bellum commisissent, ipsi ad propria sunt reversi. Igitur Alachis hoc modo defuncto, rex Cunibertus corpus Zenonis diaconi, ante fores basilicæ beati Iohannis quam ipse erexerat, mirifice sepeliri mandavit. Ipse vero regnaturus cum omni exultatione & triumpho victoriæ, Ticinum reversus est.

EXPLICIT LIBER QVINTVS DE GESTIS LANGOBARDORVM.

DE

DE GESTIS LANGOBARDORVM,

LIBER SEXTVS.

CAP. I.

Quomodo Romoaldus Tarentum cepit, & quomodo Theuderada monasterium Sancti Petri ædificavit.

DVm ista apud Langobardos trans Padum geruntur, Romoaldus Beneventanorum Dux, congregata] exercitus multitudine, Tarentum expugnavit & cepit, parique modo Brundusium, & omnem illam quæ in circuitu est latissimam regionem suæ ditioni subjugavit. Conjunx quoque ejus Theuderada, eodem tempore, foras muros Beneventanæ civitatis, Basilicam in honorem beati Petri Apostoli construxit; quo in loco multarum ancillarum Dei cœnobium instituit.

CAP. II.

De morte Romoaldi, & quomodo corpus beati Benedicti ad Gallias delatum est.

ROmoaldus quoque postquam sedecim annos ducatum gessit, ab hac luce subtractus est: post quem ejus filius Grimoaldus tribus annis Samnitum populos rexit. Huic in conjugio sociata fuit Wigilinda, soror Cuniberti, filia Bertaridi regis. Defunctoque Grimoaldo Gusulfus ejus germanus ductor effectus est, præfuitque Benevento annis decem & septem. Huic sociata fuit Winiberta, quæ ei Romoaldum peperit. Circa hæc tempora, cum in castro Cassino, ubi beatissimi Bene-

Benedicti sacrum corpus requiescebat, aliquantis jam elapsis annis, vasta solitudo existeret, venientes de Cenomannicorum vel Aurelianensium regione Franci, dum apud venerabile corpus pernoctare se simulassent, ejusdem venerabilis patris, pariterque ejus germanæ venerandæ Scholasticæ, ossa auferentes, in suam patriam asportaverunt. Vbi singillatim duo monasteria in utriusque honorem, beati Benedicti, & sanctæ Scholasticæ, constructa sunt. Sed certum est nobis, os illud venerabile & omni nectare suavius,& oculos semper cælestia contuentes, cetera quoque membra,quamvis in cinerem defluxa, remansisse. Solum etenim singulariter Dominicum corpus non vidit corruptionem. Ceterum omnium sanctorum corpora, in æternam postea gloriam reparanda,corruptioni subjecta sunt; his exceptis, quæ ob divina miracula sine labe servantur.

CAP. III.

De Rodoaldo duce Forojuliano, & de Ansfrit, qui ejus ducatum invasit.

AT vero Rodoaldus, quem apud Forumjulii præmisimus ducatum tenuisse, cum ab eadem civitate abesset, Ansfrit de castro Reunia ducatum ejus absque regis nutu pervasit. Quo comperto Rodoaldus in Histriam fugit, ac deinde navigio per Ravennam Ticinum ad Cunibertum regem pervenit Ansfrit vero non contentus ducatum Forojulianensium regere, insuper contra regem Cunibertum rebellans, regnum ejus invadere voluit. Sed comprehensus in Verona, ad regem ductus evulsis oculis in exilium retrusus est. Forojulianorum autem ducatum post hæc Ado frater Rodoaldi loci servatoris nomine per annum & menses septem gubernavit.

CAP.

Cap. IV.

De Synodo quæ apud Conſtantinopolim facta eſt; & de Epiſtola Damiani Epiſcopi.

DVm hæc in Italia geruntur, hæreſis apud Conſtantinopolim orta eſt, quæ unam in Domino noſtro Ieſu Chriſto voluntatem, & operationem aſſeverabat. Hanc autem hæreſim excitarunt Gregorius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Macarius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus. Quam ob cauſam Conſtantinus Auguſtus, centum quinquaginta Epiſcopos congregari fecit: inter quos etiam fuerunt legati ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, miſſi ab Agathone Papa, Iohannes Diaconus, & Iohannes Portuenſis Epiſcopus. qui omnes eandem hæreſim damnaverunt. Ea hora tantæ aranearum telæ in medio populi ceciderunt, ut omnes mirarentur. Ac per hoc ſignificatum eſt, quod ſordes hæreticæ pravitatis depulſæ ſint. Et Gregorius quidem Patriarcha correctus eſt, ceteri vero in ſua defenſione perſeverantes anathematis ultione perculſi. Eo tempore Damianus Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſub nomine Manſueti Mediolanenſis Archiepiſcopi, hac de cauſa ſatis utilem rectæque fidei Epiſtolam compoſuit, quæ in præfata ſynodo non mediocre ſuffragium tulit. Recta autem & vera fides hæc eſt, ut in Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſicut duæ ſunt naturæ, hoc eſt, Dei & hominis, ſic etiam duæ eſſe credantur voluntates ſive operationes. Vis audire de eo quid deitatis eſt? Ego, inquit, & pater unum ſumus. Vis audire quid humanitatis? Pater major me eſt. Cerne ſecundum humanitatem eum in navi dormientem; cerne ejus divinitatem, cum Euangeliſta ait, Tunc ſurgens, imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Hæc eſt ſexta

ſynodus

nodus universalis, Constantinopoli celebrata, quæ
ræco sermone conscripta, temporibus Papæ Aga-
onis, exequente ac residente Constantino principe
tra septa palatii sui.

CAP. V.

De Eclipsi lunæ & solis; & de pestilentia quæ Romæ & Ticini facta est.

HIs temporibus per indictionem octavam Luna e-
clipsin passa est. Solis quoque eclipsis eodem pe-
: tempore, hora diei quasi decima, quinto Nonas Ma-
s effecta est. Moxque subsecuta est gravissima pestis
ibus mensibus, hoc est, Iulio, Augusto, & Se-
embri: Tantaque fuit multitudo morientium, ut
iam parentes cum filiis, atque fratres cum sororibus,
ni per feretra positi, apud urbem Romam ad sepul-
ira deducerentur. Pari etiam modo hæc pestilentia
icinum quoque depopulata est, ita ut cunctis civibus
er juga montium seu per diversa loca fugientibus, in
ro & per plateas civitatis herbæ & fruteta nasceren-
ir. Tuncque visibiliter multis apparuit, quia bonus &
alus angelus noctu per civitatem pergerent, & ex jus-
i boni angeli, malus angelus, qui videbatur venabu-
im manu ferre, quotiens de venabulo ostium cujus-
unque domus percussisset, tot de eadem domo die se-
uenti homines interirent. Tunc per revelationem cui-
am dictum est, quod pestis ipsa prius non quiesceret,
uam in Basilica beati Petri, quæ ad Vincula dicitur,
ancti Sebastiani martyris altarium poneretur. Factum-
que est, & delatis ab urbe Roma beati Sebastiani mar-
yris reliquiis, mox ut in jam dicta basilica altarium
constitutum est, pestis ipsa quievit.

Cap. VI.

Quomodo per antiquum hostem Aldoni & Grausoni nuntitum est, quod eos Cunibertus occidere vellet.

REx vero Cunibertus, dum post hæc cum strato suo, qui lingua propria Marp-hais dicitur, consilium iniret in civitate Ticinensi, quomodo Aldonem Grausonem vita privare deberet, repente in fenestr juxta quam consistebant, una de majusculis musca co sedit. Quam Cunibertus cultello ut extingueret pe cutere volens, ejus tantum pedem abscidit. Aldo ve & Grauso, dum ad Palatium regis consilium nescient venirent, cum basilicæ sancti Romani martyris, q prope Palatium sita est, propinquassent, repente e obvius quidam claudus uno pede truncato factus e qui eis dixit quod eos Cunibertus, si ad eum perg rent, occisurus esset. Qui hæc audientes, magno timo correpti, post altarium ejusdem basilicæ confugerun Moxque Cuniberto regi nuntiatum est, quod Alc & Grauso in basilicam beati Romani martyris confu gissent. Tunc Cunibertus stratorem suum argue cœpit, ut quid consilium suum prodere debuisset. C suus strator ita respondit: Domine mi rex, tu scis, qu postquam hoc consiliati sumus, ego à tuo conspect non exivi, & quomodo hoc alicui dicere potui? Tun rex ad Aldonem & Grausonem misit, interrogans eo ad quid in locum sanctum confugium fecissent? Qui re spondentes dixerunt, quia nuntiatum est nobis, quo nos dominus Rex occidere vellet. Iterato rex misit a eos, sciscitans, quis fuerit ille, qui eis nuntiaverit; man dans, ut, nisi ei nuntiatorem proderent, ejus gratian invenire non possent. Tunc illi, sicut factum fuera regi narraverunt, dicentes, claudum hominem obviun

se ha

ſe habuiſſe, qui unum pedem truncatum habebat, & genu tenus crure ligneo utebatur: & hunc fuiſſe ſui interitus nuntium. Tunc intellexit Rex, muſcam illam, cui pedem truncaverat, malignum ſpiritum fuiſſe, & ipſum ſui ſecreta conſilii prodidiſſe. Qui ſtatim Aldonem & Grauſonem in ſua fide de eadem Baſilica ſuſcipiens, eiſdem culpam pepercit, & in reliquum eoſdem in loco habuit filiorum.

CAP. VII.

De Felice Diacono Grammatico.

EO tempore floruit in arte Grammatica Felix, patruus Flaviani præceptoris mei; quem in tantum Rex dilexit, ut ei baculum argento auroque decoratum, inter reliqua ſuæ largitatis munera, condonaret.

CAP. VIII.

De Iohanne Bergomenſi Epiſcopo.

PEr idem quoque tempus Iohannes, Epiſcopus Bergomatis Eccleſiæ, vir miræ ſanctitatis extitit. Qui cum regem Cunibertum in convivio dum ſermocinarentur offendiſſet, rex ei ad hoſpitium revertenti equum ferocem & indomitum, qui immenſo fremitu ſuper ſe ſedentes terræ allidere ſolebat, præparari fecit. Cui cum Epiſcopus ſuperſediſſet, ita manſuetus extitit, ut eum blando inceſſu uſque ad domum propriam deportaret. Quod rex audiens, & Epiſcopum ex eo die honore debito coluit, & ei ipſum equum, quem ſua ſeſſione dedicaverat, dono largitus eſt.

Cap. IX.

De stella obscura, quæ tunc apparuit, & de eructatione Vesuvii montis.

HAc tempestate noctu stella juxta vergilias, cœlo sereno, inter Domini natalem & theophaniam, apparuit, omnimodo inumbrata, veluti cum Luna sub nube est constituta. Post hæc mense Februario, die media, stella ab occasu exiit, quæ cum magno fulgore in partes orientis declinavit. Dehinc mense Martio Vesuvii eructavit incendium per dies aliquot, & omnia virentia circumquaque præ pulvere & cinere illius exterminata sunt.

Cap. X.

Quomodo gens Sarracenorum Africam cepit, & Carthaginem diruit.

TVnc Sarracenorum gens infidelis & deo inimica, ex Ægypto in Africam cum nimia multitudine pergens, obsessam Carthaginem cœpit, captamque crudeliter depopulata est, & ad solum usque prostravit.

Cap. XI.

De morte Constantini, & regno Iustiniani, & victoria ejus de Sarracenis.

INter hæc Constantinus Imperator apud Constantinopolim moritur, & ejus minor filius Iustinianus Romanorum regnum suscepit, cujus per decem annos gubernacula tenuit. Hic Africam à Sarracenis abstulit, & cum eisdem pacem terra marique fecit. Hic Ser-

gium

gium Pontificem, quia in erroris illius synodo, quam Constantinopoli fecerat, favere & subscribere noluit, misso Zacharia protospathario suo, jussit Constantinopolim deportari. Sed militia Ravennæ, vicinarumque partium, jussa principis nefanda contemnens, eundem Zachariam cum contumeliis ab urbe Roma & injuriis pepulit.

CAP. XII.

Quomodo Leo Iustiniani in exilium trusi regnum invasit.

Contra hunc Iustinianum Leo Augustalem dignitatem arripiens, eum regno privavit; Regnumque Romanorum tribus annis regens, Iustinianum exulem in Ponto servavit.

CAP. XIII.

Quomodo Tiberius Leonem superans, & in carcerem conjiciens, Imperator effectus est.

RVrsumque Tiberius contra hunc Leonem insurgens, regnum ejus invasit, eumque toto quo ipse regnavit tempore, in eadem civitate in custodia tenuit.

CAP. XIV.

Quomodo Papa Sergius Aquileiensem Synodum, nolentem sanctam quintam Synodum suscipere, correxit.

HOc tempore Synodus Aquilejæ facta ob imperitiam fidei, quintum universale concilium suscipere diffidit, donec salutaribus beati Papæ Sergii monitis instructa, & ipsa cum ceteris Christi Ecclesiis annuere consentit. Facta autem est hæc Synodus Constantinopoli, temporibus Vigilii Papæ, sub Iustiniano prin-

cipe, contra Theodorum & omnes hæreticos, qui beatam Mariam ſolum hominem, non deum & hominem genuiſſe affirmabant. In qua ſynodo catholicè eſt inſtitutum, ut beata Maria ſemper virgo, Θεοτόκος diceretur, quia ſicut catholica fides habet, non hominem ſolum, ſed vere Deum & hominem genuit.

Cap. XV.

De Cedoaldo rege Anglorum, quomodo Romam veniens baptizatus eſt, ſtatimque obiit.

His diebus Cedoaldus rex Anglorum Saxonum, qui multa in ſua patria bella geſſerat, ad Chriſtum converſus Romam properavit. Qui ad Cunibertum regem veniens, ab eo mirifice ſuſceptus eſt: is cum Romam perveniſſet, à Sergio Papa baptizatus, Petruſque eſt appellatus; & adhuc in albis conſtitutus, ad regna cœleſtia migravit. Cujus corpus in Baſilica beati Petri ſepultum eſt, & hoc ſuper ſe epitaphium deſcriptum habet:

Culmen, opes, ſobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuvias, proceres, mœnia, caſtra, lares:
Quæque patrum virtus, & quæ congeſſerat ipſe
Cedoald armipotens, liquit amore Dei,
Vt Petrum ſedemque Petri rex cerneret hoſpes,
Cujus fonte meras ſumeret almus aquas,
Splendificumque jubar, radianti carperet hauſtu,
Ex quo vivificus ſplendor ubique fuit:
Perſpicienſque alacer recidivæ præmia vitæ,
Barbaricam rabiem nomen & inde ſuum
Converſus convertit ovans, Petrumque vocari
Sergius antiſtes juſſit ut ipſe pater.
Fonte renaſcentis quem Chriſti gratia purgans,
Protenus albatum vexit in arce poli.

Mira

Mira fides regis, clementia maxima Christi,
Cujus consilium nullus adire potest.
Sospes enim veniens supremo ex orbe Britanni,
Per varias gentes, per freta, perque vias,
Vrbem Romuleam vidit, templumque verendum
Aspexit Petri, mystica dona gerens.
Candidus inter oves Christi sociabilis ibit:
Corpore nam tumulum, mente superna tenet.
Commutasse magis sceptrorum insignia credas
Quem regnum Christi promeruisse vides.

CAP. XVI.

Quomodo regnum Francorum apud Gallias sub majoribus domus regiæ esse cœperit.

HOc tempore apud Gallias Francorum regibus à solita fortitudine & scientia degenerantibus, hi qui majores domus regalis esse videbantur, administrare regni potentiam, & quicquid regibus agere mos est, cœperunt, quippe cum cœlitus esset dispositum, ad horum progeniem Francorum transvehi regnum. Fuitque eo tempore major domus in regio Palatio Arnulfus, vir ut postmodum claruit, deo amabilis & miræ sanctitatis. Qui post gloriam sæculi Christi servitio se subdens, mirabilis in Episcopatu extitit, ac demum eremiticam vitam eligens, leprosis universa præbens obsequia, continentissime vixit. De cujus mirabilibus apud Mettensem Ecclesiam, ubi Episcopatum gessit, liber extat ejusdem miracula & vitæ abstinentiam continens. Sed & ego in libro quem de Episcopis ejusdem civitatis conscripsi, flagitante Angilramno, viro mitissimo, & sanctitate præcipuo, præfatæ Ecclesiæ Archiepiscopo, de hoc sacratissimo viro Arnulfo quædam ejus miranda composui, quæ modo superfluum duxi replicare.

CAP. XVII.

De morte Cuniberti regis, & regno filii ejus Liutberti.

INter hæc Cunibertus cunctis amabilis princeps, postquam duodecim annos Langobardorum regnum post patrem solus obtinuit, tandem ab hac luce subtractus est. Hic in campo Coronatæ, ubi bellum contra Alachis gessit, in honorem beati Gregorii martyris monasterium construxit. Fuit autem vir elegans, & omni bonitate conspicuus, audaxque bellator. Hic cum multis Langobardorum lachrymis, juxta basilicam domini salvatoris, quam quondam avus ejusdem Aribertus construxerat, sepultus est, regnumque Langobardorum Liutberto filio adhuc puerilis ætatis reliquit, cui tutorem Ansprandum virum sapientem & illustrem contribuit.

CAP. XVIII.

De Ragunberto duce Taurinensium, quomodo superato Liutberto regnum invasit, & eo anno occubuit.

DEhinc elapsis octo mensibus, Ragunbertus dux Taurinensium, quem quondam Rex Godebertus cum extingueretur à Grimoaldo reliquerat parvulum, de quo & superius diximus, cum valida manu veniens adversus Ansprandum & Rotharit Bergomensium ducem apud Novarias conflixit, eosque in campo exuperans, regnum Langobardorum invasit, sed eodem anno mortuus est.

CAP. XIX.

Quomodo Aribertus regnum invasit, & Liutbertum vivum comprehendit, & postea extinxit.

TVnc filius ejus Aribertus, iterum bellum parans, pugnavit cum Liutberto rege apud Ticinum, cumque Ansprando & Ottone, & Tazone, nec non & Rotharit, ac Farone. Sed omnes hos bello exuperans, Liutbertum infantulum vivum in bello comprehendit. Ansprandus quoque fugiens, in insulam se Commacinam communivit.

CAP. XX.

Quomodo Rotharit apud Bergamum regnans, ab Ariberto captus, vitaque privatus est.

AT vero Rotharit dux, Bergamum civitatem suam rediens, regnum arripuit. Contra quem rex Aribertus cum magno exercitu proficiscens, expugnata primum & capta Laude, Bergamum obsedit, eamque cum arietibus & diversis belli machinis sine aliqua difficultate oppugnans mox cepit, comprehensumque Rotharit pseudoregem, ejus caput barbamque radens, Taurinis in exilium retrusit, qui ibidem post aliquot dies peremptus est. Liutbertum vero, quem ceperat, pari modo in balneo vita privavit.

CAP. XXI.

Quomodo Ansprandus in Bojoariam fugiens, cum Theudeberto eorum duce permansit.

MIsit quoque exercitum adversus Ansprandum in Insulam Commacinam. Quo comperto Anspran-

dus fugit Clavennam, deinde per Curiam Rethorum civitatem venit ad Theudebertum Bojoariorum ducem; & fuit cum eo per novem annos. Exercitus vero Ariberti, insulam, in qua Ansprandus confugerat, invadens, ejus oppidum diruit.

Cap. XXII.

Quomodo Aribertus Ansprandi uxorem filiumque ejus & filiam diversis modis deturpavit, & quomodo Liutprandum ad patrem suum in Bojoariam ire permisit.

Rex igitur Aribertus confirmato regno, Sigibrandum Ansprandi filium oculis privavit, omnesque qui ei consanguinitate juncti fuerant, diversis modis afflixit. Minorem quoque Ansprandi filium Liutprandum in custodia tenuit, quem quia despicabilem personam, & adhuc adolescentulum esse perspexit, non solum in ejus corpore vindictam aliquam minime ingessit, sed eum ut ad patrem suum pergeret, abire permisit. Quod dei omnipotentis nutu factum fuisse, qui eum ad regni gubernacula præparabat, dubium non est. Igitur Liutprandus ad patrem suum in Bojoariam profectus, ei de suo adventu inæstimabile gaudium fecit. Vxorem vero Ansprandi, Theuderadam nomine, rex Aribertus comprehendi fecit. Quæ cum se voluntate fœminea reginam futuram esse jactaret, naso atque auribus abscisis, decore suæ faciei deturpata est. Pari etiam modo & germana Liutprandi, nomine Aurona, deformis effecta est.

CAP. XXIII.

Quomodo apud Gallias major domus Anchis Arnulfi filius tunc erat.

HOc tempore apud Gallias in Francorum regnum Anchis Arnulfi filius, qui de nomine Anchisæ quondam Trojani creditur appellatus, ſub nomine majoris domus, gerebat principatum.

CAP. XXIV.

De morte Aldonis apud Forumjulii; & ducatu Ferdulfi, qui à Sclavis occiſus eſt.

MOrtuo quoque apud Forumjulii Aldone, quem dixeramus loci ſervatorem fuiſſe, Ferdulfus ducatum ſuſcepit, qui de partibus Liguriæ extitit homo lubricus & elatus. Qui dum victoriæ laudem de Sclavis habere cupit, magna ſibi & Forojulianis detrimenta invexit. Is præmia quibuſdam Sclavis dedit, ut exercitum Sclavorum in eandem provinciam ſua adhortatione immitterent. Quod ita quoque effectum eſt. Cauſa autem magnæ in eadem Forojulii provincia perditionis iſta fuit: Irruerunt latrunculi Sclavorum ſuper gregem & paſtores ovium, quæ in eorum vicinia paſcebantur, & de eis prædas abegerunt. Subſecutus eſt hos rector loci illius, quem *Schuld-hais* lingua propria dicunt, vir nobilis, animoque & viribus potens, ſed tamen eoſdem latrunculos aſſequi non potuit. Cui exinde revertenti dux Ferdulfus obviam factus eſt. Quem dum interrogaret, quid de illis latrunculis factum eſſet, Argaid ei (ſic enim nomen habebat) eoſdem fugiſſe reſpondit. Tunc ei Ferdulfus indignans, ita locutus eſt: Quando tu aliquid fortiter facere poteris,

ris, qui Argaid ab Arga nomen deductum habes? Cui ille, maxima ſtimulatus ira, ut erat vir fortiſſimus, ita reſpondit: Sic velit Deus, ut non antea ego & tu Ferdulfe exeamus de hac vita, quam cognoſcant alii, quis ex nobis magis eſt Arga. Hæc cum ſibi invicem vulgaria verba locuti fuiſſent, contigit non poſt multos dies, ut exercitus Sclavorum, pro quorum adventu Dux Ferdulfus præmia dederat, cum magnis viribus adventaret. Qui cum caſtra in ſummo montis vertice poſuiſſent, & penè ex omni parte difficile eſſet ad eos accedere, Ferdulfus dux cum exercitu veniens, cœpit eundem montem circuire, ut per loca planiora ſuper eos poſſet irruere. Tunc Argaid de quo præmiſimus, ita Ferdulfo dixit: Memento dux Ferdulfe, *quod me eſſe inertem & inutilem dixeris, & vulgari verbo Arga vocaveris*. Nunc autem ira Dei veniat ſuper illum, qui poſterior è nobis ad hos Sclavos acceſſerit. Et hæc dicens, verſo equo per aſperitatem montis, unde gravis erat aſcenſus, ad caſtra contendere cæpit Sclavorum. Ferdulfus vero opprobrium ducens, ſi non ipſe per eadem difficilia loca ſuper Sclavos irrueret, eum per aſpera quæque & difficilia inviaque loca ſecutus eſt. Quem ſuus exercitus, turpe ducens ducem non ſequi, ſubſequi & ipſe cæpit. Videntes itaque Sclavi eos per devexa loca ſupervenire, præparaverunt ſe viriliter, & magis lapidibus ac ſecuribus, quam armis contra eos pugnantes, penè omnes, dejectos equis, peremerunt, ſicque victoriam non viribus, ſed caſu adepti ſunt. Ibi omnis nobilitas periit Forojulianorum, ibi Ferdulfus dux cecidit, ibi & ille qui eum provocaverat extinctus eſt. Tantique ibi viri fortes per contentionis malum & imprudentiæ debellati ſunt, quanti poſſent per unam concordiam & ſalubre conſilium multa millia ſternere æmulorum. Ibi tamen unus è Langobardis, nomine Muni-

Munichis, qui pater post Petri Forojulianorum & Vrsi Cenetensis ducum extitit, solus fortiter & viriliter fecit. Is cum de equo dejectus esset, & eum unus de Sclavis subito invadens ejus manus fune colligasset, ipse manibus ligatis lanceam ab ejusdem Sclavi dextera extrahens, eum cum ipsa percussit, & ligatus per aspera se loca dejiciens evasit. Hæc ideo vel maxime in hac posuimus historia, ne quid alicui per contentionis malum simile contingat.

CAP. XXV.

De ducatu Corvuli apud Forumjulii; qui à rege excæcatus est.

MOrtuo itaque Ferdulfo duce hoc modo, in ejus loco ordinatus est Corvulus. qui pauco tempore ducatum tenens, dum regem offendisset, evulsis oculis dedecorose vixit.

CAP. XXVI.

De Pemmone Forojulianorum duce, & de nativitate trium filiorum ejus.

DEinceps vero Pemmo ducatum promeruit, qui fuit homo ingeniosus & utilis patriæ. Hic patre genitus Bellunensi, qui de Belluno fuerat: sed propter seditionem quam illic fecerat, in Forumjulii post veniens, ibi pacificè vixit. Hic Pemmo habuit conjugem Ratbergam nomine. Quæ cum esset facie rusticana, sæpè maritum deprecabatur, ut se dimissa aliam uxorem duceret, quam tanti ducis conjugem esse deceret. Sed ipse, ut erat vir sapiens, plus ejus mores, & humilitatem, verecundamque pudicitiam, quam corporis pulchritudinem, sibi complacere dicebat. De hac ergo

ergo conjuge tres Pemmo filios, hoc eſt, Ratchis & Ratchait, & Ahiſtulfum, viros ſtrenuos, genuit. Quorum nativitas humilitatem matris ad gloriam erexit. Qui Dux, congregatis omnium nobilium qui in bello, de quo diximus, obierant, filiis, ſic eos cum ſuis natis pariter nutrivit, ac ſi & ipſi ab eo geniti fuiſſent.

Cap. XXVII.

De Giſulfo Beneventanorum duce, quomodo Suram & alia caſtra invaſit.

HAc denique ætate Giſulfus, Beneventanorum ductor, Suram Romanorum civitatem, Hirpinos, atque Arcom, pari modo oppida cepit. Qui Giſulfus tempore Iohannis Papæ cum omni ſua virtute Campaniam venit, incendia & deprædationes faciens, multosque captivorum cepit, & uſque in locum qui Horrea dicitur caſtra metatus eſt, nulluſque ei reſiſtere potuit. Ad hunc pontifex miſſis ſacerdotibus cum Apoſtolicis donariis, univerſos captivos de eorum manibus redemit, ipſumque ducem cum ſuo exercitu ad propria repedare fecit.

Cap. XXVIII.

De donatione quam Aribertus Romanæ Eccleſiæ fecit, & duobus Anglorum regibus.

HOc tempore Aribertus rex Langobardorum, donationem patrimonii Alpium Gottiarum, quæ quondam ad jus pertinuerant Apoſtolicæ ſedis, ſed à Langobardis multo tempore fuerant ablatæ, reſtituit, & hanc donationem, aureis exaratam litteris, Romam direxit. His etiam diebus duo reges Saxonum, ad veſtigia

gia Apostolorum Romam venientes, sub velocitate ut optabant defuncti sunt.

CAP. XXIX.

De Benedicto Mediolanensi Archiepiscopo.

TVnc quoque venit Benedictus Archiepiscopus Mediolanensis Romam, & causam egit pro Ecclesia Ticinensi. Sed victus est, eo quod à priscis temporibus Ticinenses Episcopi à Romana fuerant ecclesia consecrati. Fuit autem isdem venerabilis Benedictus Archiepiscopus, vir egregiæ sanctitatis, de quo per universam Italiam bonæ opinionis fama flagravit.

CAP. XXX.

De morte Trasemundi Spoletani ducis, & ducatu filii ejus Faroaldi.

IGitur defuncto Trasemundo duce Spoletanorum, Faroaldus ejus filius in loco patris est subrogatus. Denique Wachilapus germanus fuit Trasemundi, & cum fratre pariter eundem rexit ducatum.

CAP. XXXI.

De Iustiniano Imperatore, quomodo iterum regnum invasit, & suos rebelles occidit.

AT vero Iustinianus, qui amisso principatu in Ponto exulabat, auxilio Terebelli Bulgarum regis, regnum rursus recipiens, eos qui se expulerant, patricios occidit. Leonem quoque & Tiberium, qui locum ejus usurpaverant, cepit, & in medio Circo coram omni populo jugulari fecit. Gallicinum vero Patriarcham Constantinopolitanum erutis oculis Romam misit, Cyrumque

que Abbatem, qui eum in Ponto exulem aluerat, Episcopum in loco Gallicini constituit. Hic Constantinum Papam ad se venire jubens, honorifice suscepit, ac remisit. Quem prostratus in terram pro suis peccatis intercedere rogans, cuncta ejus Ecclesiæ privilegia renovavit. Qui cum exercitum in Pontum mitteret ad comprehendendum Philippicum, quem ibi relegaverat, multum eum isdem venerabilis Papa prohibuit, ne hoc facere deberet, sed tamen inhibere non potuit.

Cap. XXXII.

Quomodo Philippicus Iustinianum peremit, & Augustale decus invasit.

EXercitus qui missus contra Philippicum fuerat, ad partem Philippici se contulit, eumque imperatorem fecit. Qui Constantinopolim contra Iustinianum veniens, cum eo ab urbe milliario duodecimo pugnavit, vicit & occidit, regnumque ejus adeptus est. Imperavit autem Iustinianus cum filio Tiberio, in hac secunda vice, annos sex, quem Leo in expulsione illius naribus detruncavit. Qui post iterum assumto imperio, quotiens defluentem guttam rheumatis manu detersit, penè totiens aliquem ex iis, qui contra eum fuerant, jugulari præcepit.

Cap. XXXIII.

De obitu Petri Architæ, & Sacerdotio Sereni.

MOrtuo denique his diebus Patriarcha Petro, Aquileiensis regimen Ecclesiæ suscepit Serenus. qui fuit vir simplicitate præditus, & ad Christi servitium pronus.

CAP. XXXIV.

Quomodo Philippicum Anastasius superavit.

AT vero Philippicus, qui & Bardanis dictus est, postquam in imperiali dignitate confirmatus est, Cyrum, de quo dixeramus, de pontificatu ejectum, ad gubernandum monasterium suum, Pontum redire præcepit. Hic Philippicus Constantino Papæ litteras pravi dogmatis direxit, quas ille cum Apostolicæ sedis consilio respuit. Et hujus rei causa fecit picturas in porticu sancti Petri, quæ gesta sex sanctarum Synodorum universalium retinent. Nam & hujusmodi picturas, cum haberentur in urbe regia, Philippicus jusserat auferri, statuitque Populus Romanus, ne hæretici Imperatoris nomen, aut chartas, aut figuram solidi susciperent. Vnde nec ejus effigies in Ecclesiam introducta est, nec nomen ad missarum sollemnia prolatum. Hic cum annum unum & sex menses regnum gessisset, contra eum Anastasius, qui & Artemius dictus est, insurgens, eum regno expulit, oculisque privavit, nec tamen occidit. Hic Anastasius litteras Constantino Papæ Romam per Scholasticum Patricium & Exarchum Italiæ direxit, quibus se fautorem Catholicæ fidei, & sancti sexti concilii prædicatorem esse declaravit.

CAP. XXXV.

Quomodo Ansprandus auxiliante sibi Theudeberto cum Bojoariis Aribertum superavit, & de morte Ariberti in flumine: & de fuga germani ejus Cuniberti, & regno Ansprandi, & Luitprandi filii ejus.

IGitur postquam Ansprandus apud Bojoariam jam novem expletis annis exulasset, promoto tandem Theu-

deberto decimo anno Bojoariorum ductor exercitu venit Italiam, pugnavit cum Ariberto, & facta est ex utraque parte multa strages populorum. Sed quamvis ad extremum nox prælium diremisset, certum tamen est, Bojoarios terga præbuisse, & Ariberti exercitum victorem ad castra remeasse. Sed dum Aribertus in castris manere noluisset, sed potius Ticinum civitatem introisset, & suis hoc facto desperationem, & adversariis audaciam præbuit. Qui postquam in civitatem ingressus est, & sensisset, quia pro hoc facto suum exercitum offensum haberet, mox arrepto consilio ut in Franciam fugeret, quantum sibi utile duxit, è Palatio aurum sustulit. Qui dum trans fluvium Ticinum gravatus auro natare voluisset, ibi corruens suffocatus aquis extinctus est. Cujus in crastinum diem corpus inventum, in Palatio ornatum, ac deinde ad Basilicam Domini Salvatoris, quam antiquitus Aribertus construxerat, perlatum, ibique sepultum est. Hic in diebus quibus regnum tenuit noctu egrediens, & hac illacque pergens, quid de eo à singulis civitatibus diceretur, per semet ipsum explorabat, ac diligenter qualem justitiam singuli judices populo suo facerent, investigabat. Hic advenientibus ad se exterarum gentium legatis, vilibus coram eis vestibus sive pelliciis utebatur; utque minus Italiæ insidiarentur, nunquam eis pretiosa vina, vel ceterarum rerum delicias ministrabat. Regnavit autem cum patre Ragunberto, sive solus, usque ad annum duodecimum. Fuit quoque vir pius, eleemosynis deditus, ac justitiæ amator. In cujus temporibus, terræ ubertas nimia, sed tempora barbarica. Hujus germanus Guntbertus eo tempore in Franciam fugiens, ibidem usque ad suæ mortis diem permansit. Huic fuerunt filii tres, quorum qui major natu extitit, Raginbertus nomine, nostris in diebus Aurelianensem civi-

civitatem rexit. Post cujus Ariberti funus Ansprandus, Langobardorum regno potitus, tres menses solummodo regnavit: Vir per omnia egregius, & cujus sapientiæ rari æquandi sunt. Cernentes Langobardi hujus interitum, Liutprandum, ejus filium, in regali constituunt solio. Quod Ansprandus dum adhuc viveret audiens, valde lætatus est.

CAP. XXXVI.

Quomodo Theodosius Anastasium superavit, & regnum invasit. & de inundatione Tyberis.

HOc tempore Anastasius Imperator classem in Alexandriam contra Sarracenos direxit. Cujus exercitus ad aliud versus consilium, ab itinere medio Constantinopolitanam urbem regressus, Theodosium orthodoxum inquirens, imperatorem elegit, atque coactum in solio imperii confirmavit. Qui Theodosius apud Aream civitatem Anastasium gravi prælio vicit; datoque sibi sacramento, eum clericum fieri ac presbyterum fecit ordinari. Ipse vero ut regnum accepit mox in regia urbe, imaginem illam venerandam, in qua sancta synodus erat depicta, & à Philippico fuerat dejecta, pristinum in locum erexit. His diebus Tyberis fluvius ita inundavit, ut alveum suum egressus multa Romanæ fecerit exitia civitati; ita ut in via lata ad unam & semis staturam excresceret, atque à porta Sancti Petri usque ad pontem Milvium aquæ se distendentes conjungerent.

Cap. XXXVII.

De gente Anglorum, & rege Francorum Pipino, & bellis ejus, & quia ei Karolus suus filius successit.

HIs temporibus multi Anglorum gentis nobiles & ignobiles, viri & fœminæ, duces & primates, divini amoris instinctu Romam venire consueverunt. Apud regnum Francorum tunc temporis Pipinus obtinebat principatum. Fuit autem vir miræ audaciæ, qui hostes suos aggrediendo statim conterebat. Nam supra suum quendam adversarium Rhenum transgressus, cum uno tantum satellite suo irruit, eumque in suo cubiculo residentem cum suis trucidavit. Bella quoque multa cum Saxonibus, & maxime cum Rathodo Frisionum rege, fortiter gessit. Hic & alios filios habuit, sed ex his Karolus præcipuus extitit, qui ei post in principatu successit.

Cap. XXXVIII.

Quomodo Liutprandus Rex Rotharit suum rebellem occidit, & de audacia ejusdem regis.

AT vero Liutprandus rex cum in regno confirmatus esset, eum Rothari ejus consanguineus perimere voluit. Is enim convivium ei in domo sua apud Ticinum præparavit, in qua domo viros fortissimos, qui regem convivantem extinguerent, armatos abscondit. Quod cum Liutprando nuntiatum fuisset, eum ad palatium suum evocari præcepit; quem, sicut ei dictum fuerat, loricam sub veste indutum ipse manu pertractans reperit. Qui Rotharit cum se detectum cognovisset, statim post se exiliens spatham evaginavit, ut regem percuteret. Econtra rex suum ensem vagina exemit.

mit. Tunc unus è regiis ſattellitibus, nomine Subo, Rotharit à tergo comprehendens, ab eo in fronte vulneratus eſt. Super quem Rotharit & alii inſilientes eum ibidem occiderunt. Quatuor vero ejus filii qui non aderant, ubi inventi, ibi perempti ſunt. Fuit autem Rex Liutprandus vir multæ audaciæ, ita ut cum eum duo armigeri ejus occidere cogitarent, & hoc ei perlatum fuiſſet; in profundiſſimam ſilvam cum eis ſolus egreſſus eſt: mox evaginatum gladium contra eos tenens, eiſdem quia eum occidere cogitaverunt improperavit. Quod ut facere deberent hortatus eſt. Qui ſtatim ejus pedibus provoluti, ei ſunt cuncta quæ machinati erant profeſſi. Et de aliis quoque ſimiliter fecit. Sed tamen confeſſis, mox tantæ malitiæ culpam pepercit.

CAP. XXXIX.

De morte Giſulfi ducis Beneventani, & ducatu filii ejus Romoaldi.

DEfuncto itaque Giſulfo Beneventanorum duce, Samnitum populus Romoaldum ejus filium ad regendum ſe ſublimavit.

CAP. XL.

Quomodo beatus Petronax monaſterium ſancti patris Benedicti apud Caſſinum reparavit, & de monaſterio ſancti Vincentii.

CIrca hæc tempora Petronax civis Brexianæ urbis, divino amore compunctus Romam venit, hortatuque tunc Gregorii Apoſtolicæ ſedis Papæ, Caſſinum caſtrum petiit, atque ad ſacrum corpus beati Patris Benedicti perveniens, ibi cum aliquibus ſimplicibus viris, jam

ante residentibus, habitare cœpit, qui eundem venerabilem virum Petronacem sibi seniorem statuerunt. Hic non post multum tempus, cooperante divina misericordia, & suffragantibus meritis beati Benedicti patris, jamque evolutis fere centum & decem annis, ex quo locus ille habitatione hominum destitutus erat, multorum ibi monachorum, nobilium & mediocrium, ad se concurrentium, pater effectus, sub sanctæ regulæ jugo, & beati Benedicti institutione, reparatis habitaculis vivere cœpit, atque hoc sanctum cœnobium in statum, quo nunc cernitur, erexit. Huic venerabili viro Petronaci in sequenti tempore sacerdotum præcipuus & Deo dilectus pontifex Zacharias plura adjutoria contulit, libros scilicet Sanctæ scripturæ, & alia quoque quæ ad utilitatem monasterii pertinent; insuper & regulam, quam beatus pater Benedictus suis sanctis manibus conscripsit, paterna pietate concessit. Monasterium vero Beati Vincentii martyris, quod juxta Vulturni fluminis fontem situm est, & nunc magna congregatione refulget, à tribus nobilibus fratribus, hoc est, Tato, Taso, & Paldo, jam tunc ædificatum, sicut viri eruditissimi Autberti ejusdem monasterii abbatis, in volumine quod de hac re composuit, scripta significant. Superstite sane adhuc Beato Papa Gregorio Romanæ sedis, Cumanum castrum à Langobardis Beneventanis pervasum est; sed à duce Neapolitano, noctu superveniente, quidam ex Langobardis capti, quidam perempti sunt; castrum quoque ipsum à Romanis est receptum. Pro cujus castri redemptione, pontifex septuaginta libras auri, sicut primitus promiserat, dedit.

CAP. XLI.

Quomodo, defuncto Imperatore Theodosio, Leo ei successit in regno.

INter hæc defuncto imperatore Theodosio, qui uno solummodo imperium rexerat anno, ejus in locum Leo Augustus subrogatur.

CAP. XLII.

Quomodo Karolus Francorum princeps Reginfridum superavit.

APud Francorum quoque gentem Pipino vita exempto, ejus filius Karolus, de quo præmiseramus, licet per multa bella & certamina, de manu Reginfridi principatum sustulit. Nam cum in custodia teneretur, divino nutu ereptus aufugit, ac primum contra Reginfridum, cum paucis bis terque certamen iniit, novissimeque eum apud Vinciacum magno certamine superavit. Cui tamen unam, hoc est, Andegavensem civitatem ad habitandum concessit. Cunctam vero Francorum gentem ipse gubernandam suscepit.

CAP. XLIII.

Quomodo Liutprandus Rex donationem Ecclesiæ confirmavit, & quomodo filiam Theudeberti in conjugium accepit.

EO tempore Liutprandus rex, donationem patrimonii Alpium Cottiarum Romanæ Ecclesiæ confirmavit. Nec multum post idem regnator Guntrudam filiam Bojoariorum ducis, apud quem exularat, in matrimonium duxit, de qua unam solummodo filiam genuit.

Cap. XLIV.

Quomodo Faroaldus classem invasit, & quia Theudo Bojoariorum dux ad Apostolorum limina Romam venit.

PEr hæc tempora Faroaldus Spoletanorum ductor Classem Ravennatium civitatem invasit: sed jussu regis Liutprandi, eadem Romanis reddita est. Contra hunc Faroaldum ducem filius suus Trasemundus insurrexit, eumque clericum faciens, locum ejus invasit. His diebus Theudo, Bojoariorum gentis dux, orationis gratia Romam ad beatorum Apostolorum vestigia venit.

Cap. XLV.

Quod defuncto Sereno Patriarcha, Callistus regimen Ecclesiæ suscepit; & de bello Pemmonis adversus Sclavos.

APud Forumjulii igitur, sublato è rebus humanis Patriarcha Sereno, Callistus vir egregius, qui erat Tarvisianæ Ecclesiæ Archidiaconus, annitente Liutprando principe, Aquileiensem Ecclesiam regendam suscepit. Quo, ut diximus, in tempore Pemmo Forojulianis præerat Langobardis. Is cum jam nobilium, quos cum suis natis nutrierat, filios ad juvenilem perduxisset ætatem, repente ei nuntius venit, immensam Sclavorum multitudinem, in locum qui Lauriana dicitur, adventasse. Cum quibus ille juvenibus super eosdem Sclavos tertio irruens, magna eos clade prostravit, nec amplius ibi aliquis à parte Langobardorum cecidit, quam Sigualdus, qui erat jam ætate grandævus. Iste namque in superiori pugna, quæ sub Ferdulfo facta est, duos filios amiserat. Qui cum, prima & secunda vice, juxta voluntatem suam se de Sclavis ultus esset,

tertia

tertia vice prohibente duce & aliis Langobardis non potuit inhiberi, ſed ita eis reſpondit: Iam ſatis, inquit, meorum filiorum mortem vindicavi; etiamſi advenerit, lætus ſuſcipiam mortem. Factumque eſt; & ipſe ſolus in eadem pugna peremptus eſt. Pemmo vero cum multos inimicorum proſtraviſſet, metuens ne aliquem ſuorum amplius in bello perderet, cum eiſdem Sclavis in eodem loco pacis concordiam iniit. atque ex illo jam tempore magis ac magis cœperunt Sclavi Forojulianorum arma formidare.

CAP. XLVI.

De adventu Sarracenorum in Hiſpaniam: & quomodo eos Karolus & Eudo in Gallia ſuperaverunt.

EO tempore gens Sarracenorum in loco qui Septem dicitur, ex Africa transfretantes, univerſam Hiſpaniam invaſerunt. Deinde poſt decem annos, cum uxoribus & parvulis venientes, Aquitaniam Galliæ provinciam, quaſi habitaturi, ingreſſi ſunt. Karolus ſiquidem cum Eudone, Aquitaniæ principe, tunc diſcordiam habebat. Qui tamen in unum ſe conjungentes, contra eoſdem Sarracenos pari conſilio dimicarunt. Nam irruentes Franci ſuper eos, trecenta ſeptuaginta quinque millia Sarracenorum interemerunt. Ex Francorum vero parte, mille & quingenti tantum ibi ceciderunt. Eudo quoque cum ſuis ſuper eorum caſtra irruens, pari modo multos interficiens, omnia devaſtavit.

Cap. XLVII.

Quomodo Sarraceni Constantinopolim obsederunt, & à Bulgaribus devicti sunt.

HOc etiam tempore eadem Sarracenorum gens, cum immenso exercitu veniens, Constantinopolim circumdedit, ac per continuum triennium obsedit, donec, multa instantia ad deum clamantibus civibus, plurimi eorum fame & frigore, bello & pestilentia perirent, ac sic pertæsi obsidionis, abscederent. Qui inde egressi, Bulgarum gentem, quæ est super Danubium, bello aggrediuntur. Et ab hac quoque victi, ad suas naves refugiunt. quibus cum altum peterent, ingruente subito tempestate, plurimi, etiam mersis sive contritis navibus perierunt. Intra Constantinopolin vero trecenta millia hominum pestilentia interierunt.

Cap. XLVIII.

Quomodo Liutprandus rex corpus beati Augustini Ticinum advexit.

LIutprandus vero, audiens, quod Sarraceni, depopulata Sardinia, etiam loca illa, ubi ossa Augustini Episcopi propter vastationem Barbarorum olim translata & honorifice fuerant condita, fœdarent, misit eo, & dato magno pretio, accepit, & transtulit ea in urbem Ticinensem, ibique cum debito tanto patri honore condidit. His diebus Narnia civitas à Langobardis pervasa est.

CAP. XLIX.

Quas civitates Romanorum Liutprandus Rex invaſit; & de deterioribus factis Leonis Auguſti.

EO tempore Rex Liutprandus Ravennam obſedit, claſſem invaſit atque deſtruxit. Tunc Patricius Paulus ex Ravenna miſit qui pontificem interimerent. Sed Langobardis pro defenſione Pontificis repugnantibus, Spoletanis in Salario ponte, & ex aliis partibus Langobardis Tuſcis reſiſtentibus, conſilium Ravennatium diſſipatum eſt. Hac tempeſtate Leo Imperator apud Conſtantinopolim ſanctorum imagines depoſitas incendit. Romano quoque Pontifici ſimilia facere, ſi imperialem gratiam habere vellet, mandavit. ſed pontifex hoc facere contemſit. Omnis quoque Ravennæ exercitus, vel Venetiarum, talibus juſſis unoanimo reſtiterunt, &, niſi eos prohibuiſſet pontifex, Imperatorem ſuper ſe conſtituere fuiſſent aggreſſi. Rex quoque Liutprandus caſtra Æmiliæ, Foronianum, & Montem Bellium, Buxeta & Perſiceta, Bononiam & Pentapolim, Auxiniumque, invaſit. Pari quoque modo tunc & Sutrium pervaſit; ſed poſt aliquot dies, iterum Romanis redditum eſt. Per idem tempus Leo Auguſtus ad pejora progreſſus eſt, ita ut compelleret omnes Conſtantinopoli habitantes, tam vi, quam blandiciis, ut deponerent ubicunque haberentur imagines tam Salvatoris, quam Sanctæ ejus genitricis, vel omnium Sanctorum. eaſque in medium civitatis incendio concremari fecit. Et quia plerique ex populo tale ſcelus fieri præpediebant, aliquanti ex eis capite truncati, alii corporis parte multati ſunt. Cujus errori Germanus Patriarcha non conſentiens,

tiens, à propria ſede depulſus eſt, & ejus in loco Anaſtaſius presbyter ordinatus eſt.

CAP. L.

De Romoaldo Beneventano duce, & Giſulfo filio ejus.

ROmoaldus denique, dux Beneventi, uxorem ſortitus eſt, Guntbergam nomine, quæ fuit filia Auronæ Liutprandi regis ſororis. De qua filium genuit, quem nomine ſui patris Giſulfum appellavit. Habuit rurſum poſt hanc & aliam conjugem, nomine Ravigundam, filiam Gaidoaldi Brexiani ducis.

CAP. LI.

De inimicitiis Pemmonis contra Calliſtum Patriarcham.

GRavis ſane per idem tempus inter Pemmonem ducem & Calliſtum Patriarcham diſcordiæ rixa ſurrexit. Cauſa autem hujus diſcordiæ iſta fuit. Adveniens anteriore tempore Fidentius Epiſcopus de caſtro Iulienſi, cum voluntate ſuperiorum ducum intro Forojuliani caſtri muros habitavit, ibique ſui Epiſcopatus ſedem ſtatuit. Quo vita decedente, Amator in ejus loco ordinatus eſt. Vſque ad eundem enim diem ſuperiores Patriarchæ, quia in Aquileja propter Romanorum incurſionem habitare minimè poterant, ſedem non in Forojulii, ſed in Cormones habebant. Quod Calliſto, qui erat nobilitate conſpicuus, ſatis diſplicuit, ut in ejus diœceſi cum duce & Langobardis habitaret Epiſcopus, & ipſe tantum vulgo ſociatus vitam duceret. Quid plura? Contra eundem Amatorem Epiſcopum egit, eumque de Forojulii expulit, atque in illius domo ſibi habitationem ſtatuit. Hac de cauſa Pemmo dux, contra eundem Patriarcham, cum multis nobilibus Lan-

Langobardis consilium iniit, apprehensumque eum ad castellum Pontium, quod supra mare situm est, duxit, indeque eum in mare præcipitare voluit. Sed tamen Deo inhibente minime fecit; intra carcerem tamen eum retentum, pane tribulationis sustentavit. Quod Rex Liutprandus audiens, in magnam iram exarsit, ducatumque Pemmoni auferens, Ratchis ejus filium in ejus loco ordinavit. Tunc Pemmo cum suis disposuit, ut in Sclavorum patriam fugeret: sed Ratchis ejus filius à Rege supplicando obtinuit patri veniam, eumque in regis gratiam reduxit. Accepta itaque Pemmo fiducia quod nihil mali pateretur, ad regem cum omnibus Langobardis, cum quibus consilium habuerat, perrexit. Tunc rex in judicio residens, Pemmonem & ejus duos filios Ratchait & Ahistulfum, Ratchis concedens, eos post suam sedem consistere præcepit. Rex vero elevata voce, omnes illos qui Pemmoni adhæserant, nominative comprehendere jussit. Tunc Ahistulfus dolorem non ferens, evaginato pene gladio regem percutere voluit, nisi eum Ratchis suus germanus cohibuisset. Hoc modo iis Langobardis comprehensis, Hersemar, qui unus ex eis fuerat, evaginato gladio, multis insequentibus, ipse se viriliter defensans, in Basilicam beati Michaëlis confugit. Ac deinde solus regis indulgentia impunitatem meruit, ceteris longo tempore in vinculis excruciatis.

CAP. LII.

Bellum Ratchis contra Sclavos.

RAtchis denique apud Forumjulii dux, ut dixeramus, effectus, in Carniolam Sclavorum patriam cum suis ingressus, magnam multitudinem Sclavorum interficiens, eorum omnia devastavit. Vbi cum Sclavi

Sclavi super eum subito irruissent, & ipse adhuc lanceam suam ab armigero non abstulisset, eum qui primus ei occurrit, clava quam manu gestabat percutiens, ejus vitam extinxit.

CAP. LIII.

Quomodo Rex Liutprandus Pipino Karoli regis filio capillum totondit.

CIrca hæc tempora Karolus, princeps Francorum, Pipinum suum filium ad Liutprandum direxit, ut ejus juxta morem capillum susciperet. Qui ejus cæsariem incidens, ei pater effectus est, multisque eum ditatum regiis muneribus, genitori remisit.

CAP. LIV.

Sarraceni rursum Gallias repetentes à Francis superantur; & quomodo Liutprandus in solatium Francorum ivit.

PEr idem tempus Sarracenorum exercitus, rursum in Galliam introiens, multam devastationem fecit. Contra quos Karolus non longe à Narbona bellum committens, eos, sicut & prius, maxima cæde prostravit. Iterato Sarraceni Gallorum fines ingressi, usque ad Provinciam venerunt, & capta Arelate, omnia circumquaque demoliti sunt. Tunc Karolus legatos cum muneribus ad Liutprandum regem mittens, ab eo contra Sarracenos auxilium poposcit. Quod nihil moratus, cum omni Langobardorum exercitu in ejus adjutorium properavit. Quo comperto, gens Sarracenorum mox ab illis regionibus aufugit. Liutprandus vero cum omni suo exercitu ad Italiam rediit. Multa idem regnator contra Romanos bella gessit, in quibus semper victor extitit, præter quod semel in Arimino,

mino, eo absente, ejus exercitus cæsus est, & alia vice, cum apud vicum Pilleum, rege in Pentapoli demorante, magna multitudo horum, qui regi munuscula vel xenia, vel singularum Ecclesiarum dona deferebant, à Romanis irruentibus cæsa vel capta est. Rursus cum Ravennam Hildebrandus regis nepos, & Peredeo Vincentinus dux obtinerent, irruentibus subito Veneticis, Hildebrandus ab eis captus est, Peredeo viriliter pugnans occubuit. In sequenti quoque tempore Romani solita elatione turgidi, congregati universaliter, habentes in capite Agathonem Perusinorum ducem, venerunt ut Bononiam comprehenderent, ubi tunc Walcari, Peredeo, & Rothari, morabantur in castris. Qui super Romanos irruentes, multam de eis stragem fecerunt, reliquosque fugam petere compulerunt.

CAP. LV.

De Trasemundo duce Spoletano, & Gisulfo Beneventano, & Gregorio, & regno Hilprandi.

HIs diebus Trasemundus contra regem rebellavit. Super quem Rex cum exercitu veniens, ipse Trasemundus Romam fuga petiit. In cujus loco Hildericus ordinatus est. Mortuo autem Romualdo juniore Beneventanorum duce, qui viginti & sex ducatum tenuerat annis, Gisulfus ejus filius adhuc parvulus remansit. Contra quem aliqui insurgentes, eum moliti sunt extinguere. Sed Beneventanorum populus, qui suis ductoribus semper fidelis extitit, eos peremerunt, sui ducis vitam servantes. Qui Gisulfus cum propter ætatem puerilem idoneus ad tantum populum regendum non esset, Liutprandus rex Beneventum tunc veniens, eum exinde abstulit, & apud Beneventum

tum

tum ſuum nepotem Gregorium ducem ordinavit. Cui in matrimonio uxor ſociata Giſelberga nomine fuit. Ita rex Liutprandus rebus compoſitis, ad ſuum ſolium remeavit: Giſulfumque ſuum nepotem paterna pietate erudiens, ei Conibergam, nobili ortam progenie, in matrimonium junxit. Ipſe rex eo tempore in languorem decidens, morti approximavit. Quem Langobardi vita excedere exiſtimantes, ejus nepotem Hildeprandum foras muros civitatis, ad Sanctæ Dei genitricis Eccleſiam, quæ ad Perticas dicitur, in regem levaverunt. Cui dum contum, ſicut moris eſt, traderent, in ejus conti ſummitate cuculus avis, volitando veniens, inſedit. Tunc aliquibus prudentibus hoc portento viſum eſt ſignificari, ejus principatum inutilem fore. Rex autem Liutprandus, cum hoc cognoviſſet, non æquo animo accepit: Tamen de infirmitate convaleſcens, eum regni ſui conſortem habuit. Evolutis dehinc aliquot annis, Traſemundus qui Romam fugerat, Spoletum rediens, Hildericum extinxit, rurſumque contra regem rebellionis audaciam ſumſit.

CAP. LVI.

Quia mortuo Gregorio Gothſchalcus in Benevento dux factus eſt: & quomodo rex Liutprandus bellum in Pentapoli geſſit.

AT vero Gregorius dum apud Beneventum annis ſeptem ducatum geſſiſſet, vita exemptus eſt. Poſt cujus obitum Godeſchalcus dux effectus, annis tribus Beneventanis præfuit; cui in conjugio uxor ſociata nomine Anna fuit. Rex ergo Liutprandus talia de Spoleto ſive Benevento audiens, rurſum cum exer-

exercitu Spoletum petiit. Qui Pentapolim veniens, dum à Fano civitate forum Sempronii pergeret, in silvam quæ in medio est, Spoletani se cum Romanis sociantes, magna incommoda regis exercitui intulerunt. Qui Rex in novissimo loco Ratchis ducem, & ejus fratrem Ahistulfium, cum Forojulianis constituit. Supra quos Spoletani & Romani irruentes, aliquos ex eis vulneraverunt. Sed tamen Ratchis cum suo germano, & aliquibus viris fortissimis, omne illud pugnæ pondus sustinentes, viriliterque certantes, multisque trucidatis, se suosque inde, præter, ut dixi, paucos sociatos, exemerunt. Ibi quidam Spoletanorum fortissimus, Berto nomine, nominatim Ratchis acclamans, armis instructus super eum venit. Quem Ratchis subito percutiens, equo dejecit. Cumque ejus socii eum perimere vellent, eum pietate solita fugere permisit. Qui manibus pedibusque reptans silvam ingressus evasit. Super Ahistulfum vero in quodam ponte duo fortissimi Spoletani à tergo venientes, unum eorum adversa cuspide feriens, de eodem ponte dejecit; alterum vero subito ad eum conversus, vita privatum post socium mersit.

CAP. LVII.

Liutprandus quid Spoleti egerit. Godeschalcus, audiens adventum ejus Beneventum, fugiens, à Beneventanis extinctus est.

At vero Liutprandus Spoletum perveniens, Trasemundum ducatu expulit, eumque clericum fecit. Cujus in loco Agibrandum suum nepotem constituit. Cum vero Beneventum properaret, Godescalcus, audito ejus adventu, navem conscendere, atque in Græciam fugere molitus est. Qui postquam

uxorem & cunctam supellectilem suam in navim imposuisset, & novissime ille ascendere vellet, irruentibus Beneventanis Gisulfi fidelibus, extinctus est. Vxor sane illius, cum omnibus quæ habebat, Constantinopolim perlata est.

CAP. LVIII.

Idem quid Beneventi egerit. De Baodolino, miræ sanctitatis viro. Huic par Theudelapius, & Petrus Ticinensis episcopus.

TVnc Rex Liutprandus Beneventum perveniens, Gisulfum suum nepotem iterum in loco proprio ducem constituit. Rebusque ita compositis, ad suum Palatium remeavit. Hic gloriosissimus Rex multas in Christi honore, per singula loca, ubi degere solebat, basilicas construxit. Hic monasterium beati Petri, quod foras muros Ticinensis civitatis situm est, & Cœlum aureum appellatur, instituit. In summa quoque Bardonis alpe monasterium, quod Bercetum dicitur, ædificavit. In Olonna nihilominus, suo prohastio, miro opere in honorem Sancti Anastasii martyris, Christo domicilium statuit: in quo & monasterium fecit. Pari etiam modo multa, per loca singula, divina templa instituit. Intra suum quoque Palatium, oraculum domini Salvatoris ædificavit, & quod nulli alii reges habuerant, sacerdotes & clericos instituit, qui ei quotidie divina officia decantarent. Hujus regis temporibus fuit in loco, cui Forum nomen est, juxta fluvium Tanarum, vir miræ sanctitatis, Baodolinus nomine, qui multis miraculis, Christi gratia suffragante, refulsit. Qui sæpe futura prædixit, absentia quoque quasi præsentia nuntiavit. Denique cum Rex Liutprandus in Vrbem silvam venatum isset, unus ex

ejus

ejus comitibus cervum ſagitta percutere niſus, ejuſdem regis nepotem, hoc eſt, ſororis ejus filium Auſuſum nomine, nolens ſauciavit. Quod rex cernens, valde enim eundem puerum amabat, cum lachrymis ejus incommodum lamentari cœpit, ſtatimque unum è ſuis equitem miſit, qui ad virum Dei Baodolinum curreret, eumque peteret, ut pro vita ejuſdem pueri Chriſtum ſupplicaret. Qui cum ad ſervum Dei pergeret, puer defunctus eſt: cui Chriſti famulus, ad ſe pervenienti, ita dixit: Scio, quam ob cauſam veneris; ſed illud quod poſtulas jam fieri non poteſt, quia puer ille defunctus eſt. Quod cum is qui miſſus fuerat, regi, quod à ſervo Dei audierat, renuntiaſſet, rex, licet doluerit, quod effectum ſupplicationis ſuæ habere non potuit, tamen quia vir Domini Baodolinus ſpiritum prophetiæ habuerit, aperte cognovit. Huic quoque non diſſimilis apud Veronenſem civitatem Theudelapius nomine fuit, qui inter miranda, quæ patrabat, præſago etiam ſpiritu, multa quæ erant ventura, prædixit. Eo quoque tempore floruit vita vel actibus Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopus Petrus. qui quia regis erat conſanguineus, ab Ariberto quondam rege apud Spoletum exilio fuerat retruſus. Huic beati martyris Sabini Eccleſiam frequentanti, idem venerabilis martyr prænuntiavit, quod Epiſcopus apud Ticinum futurus eſſet. Qui poſtea cum id fuiſſet factum, baſilicam eidem beato martyri Sabino, in ſolo proprio, apud eandem civitatem conſtruxit. Hic inter reliquas optimæ vitæ, quas habuit, virtutes, etiam virginitatis flore decoratus enituit. Cujus nos aliquod miraculum, quod poſteriori tempore geſtum eſt, in loco proprio ponemus. At vero Liutprandus, poſtquam triginta & uno anno ſeptemque menſibus principatum obtinuit, jam ætate maturus, hujus vitæ curſum

explevit. Corpusque ejus in basilica beati Adriani martyris, ubi & ejus requiescit genitor, sepultum est. Fuit autem vir multæ sapientiæ, consilio sagax, pius admodum, & pacis amator: Bello potens, delinquentibus clemens, castus, pudicus, orator pervigil, eleemosynis largus, litterarum quidem ignarus, sed philosophus æquandus, nutrior gentis, legum augmentator. Hic initio regni sui, Bojoariorum plurima castra cepit; plus semper orationibus, quam armis, fidens; maxima semper cura Francorum Avariumque pacem custodiens. Explicit Liber Sextus de Gestis Langobardorum.

FINIS.



INDEX
RERVM & VERBORVM.

In quo cifræ singulæ singulas paginas indicant. Cifræ cum literis *Pr.* lectorem docent, in *Prolegomenis* quærendum esse quod quærit. Vbi nulla cifra est, vocabulum Romanis scriptum elementis lectorem monet, id suo loco ipsum quoque de eâdem materiâ aliquidpiam continere. Quod elegantius visum, quàm, ut sexcenties vox *Vide* repeteretur, & repeteretur.

A.

Ama-

Astrin-

Aucha,

B.

Bul-

Ca-

D.

Enni

Fer-

Gud-

I.

Iero-

K.

L.

N.

Pedi-

Phasi-

Ri-

Thu-

V.

W.

F I N I S.

